PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (*ANNO* 1216) *PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI* (*ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT :*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXVIII.

HAYMONIS TOMUS TERTIUS.

TOMUM HUNC ET HAYMONIS ULTIMUM CLAUDIT S. ANSCHARIUS HAMBURGENSIS EPISCOPUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1880

Ex typis societatis dictæ Societas impressionis et librariæ administrationum viarumque ferratarum PAULO DUPONT. — Parisiis, in via dicta Jean-Jacques-Rousseau, 41. (Cl. 83.6.80.

SÆCULUM IX

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

EX VARIIS EDITIONIBUS INEUNTE SÆCULO SEXTO DECIMO COLONIÆ DATIS
AD PRELUM REVOCATA ET DILIGENTISSIME EMENDATA.

PRÆMITTUNTUR

EBBONIS RHEMENSIS, HARTMANNI MONACHI S. GALLI, ERMANRICI AUGIENSIS
MONACHI, ERCHAMBERTI FRISINGENSIS EPISCOPI,
NITHARDI S. RICHARII ABBATIS, AMULONIS EPISCOPI LUGDUNENSIS,

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT

TOMUM HUNC ET HAYMONIS ULTIMUM CLAUDIT

S. ANSCHARIUS HAMBURGENSIS EPISCOPUS

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS TERTIUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1880

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXVIII CONTINENTUR

HAYMO HALBERSTATENSIS EPISCOPUS.

S. ANSCHARIUS HAMBURGENSIS EPISCOPUS.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

OPERUM OMNIUM PARS SECUNDA

HOMILIARUM [a]

SIVE

CONCIONUM AD PLEBEM IN EVANGELIA DE TEMPORE ET SANCTIS

Quemadmodum in ecclesiis per totum annum leguntur nunc primum conjunctim excusarum,

PARS UTRAQUE, HOC EST HIEMALIS ET ÆSTIVALIS

Quam fieri potuit diligentissime elaborata.

Adjectæ sunt ejusdem Haymonis homiliæ aliquot aliæ, in Epistolas D. Pauli apostoli, quarum in templis usus est, excusæ antehac nusquam. Addita est postremo Haymonis ejusdem homilia una singularis in illam Apocalypseos lectionem : *Vidi sanctam civitatem Hierusalem*, etc.; nec ipsa ante hoc tempus excusa usquam.

(Coloniæ, ex officina Joannis Prael, anno 1536.)

SPLENDIDISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

UTRIUSQUE JURIS PERITISSIMO

D. HIERONYMO UNICORNI

Ecclesiæ metropolitanæ apud inclytam Coloniam canonico et illustrissimi principis archiepiscopi Coloniensis consiliario atque in spiritualibus vicario,

JOANNES PRAEL TYPOGRAPHUS

S. D. P.

Facit, vir prudentissime, pius vereque candidissimus animus tuus erga bona studia, facit et tua singularis diligentia in optimis quibusque scriptoribus conquirendis, efficit tuus demum in me favor, ut partim communi studiorum nomine, partim et nostra causa, existimem me aliquid, vel potius plurimum tuo nomini debere : sed utinam, eruditissime Hieronyme, hucusque non tam defuisset occasio et facultas tibi gratificandi quam semper flagrantissimum desiderium hoc debito me, non dico liberandi (malo enim hoc nomine tibi esse obnoxius), sed saltem id tibi commode testificandi, mihi adfuit : ut intelligas quam honesti officii genere plurimos homines tibi clientes efficias, dum causam studiorum, et studiosorum, et eorum quoque quorum opera litterarum monumenta quotidie in manus hominum distribuuntur, sic agas, ut me hercle dignus sic cui ab omnibus doctis et bonis viris gratia habeatur : et a me quoque tanto impensius, quanto minus præ ingenii mei fortunarumque exiguitate ego quidquam præstare queam, quod tam exquisito tuo judicio tuaque rerum amplitudine dignum esse possit : fretus tamen tua humanitate ac facilitate, lubens ea occasione in quam nunc commodum incidi utar, ut hoc pacto symbolum aliquod animi mei erga te nomini tuo consecretur. Est enim amicorum aliquot opera, quibus et ratio rerum mearum alicui curæ fuit, effectum ut D. Haymo episcopus, luculentus et familiaris scriptor, ac in theologia illa pura et vere Christiana (supra quam ab talis sæculi viro exspectari debebat) versatus, in divi Pauli aliquot Epistolas, tunc in locum quemquam Apocalypseos nobis excudendus traderetur : quod scriptum tibi (es enim non leviter doctus, nec parum in hoc studiorum genere versatus) valde probabitur; sic enim audivi de amicis quorum adhortatione et consilio hoc opus a me prelo datum est, omnibus videlicet doctis sincereque Christianis, illud valde placiturum. Itaque eam sententiam ut sequerer dignam arbitratus sum, eo præsertim tempore quo nostri opificii tractatio apud nonnullos ob id male audiat, quod cum passim, non habito magno respectu religionis et materiæ, quælibet passim et ubilibet imprimantur; illa tamen primum opificem inveniant, quorum lucrum speratur certius, citius et majus. Ego certo ut pecuniæ spem ex opere et lucri cupiditatem, ad tuendum statum familiarem deprecari cum fide nequeo, ita vicissim non concipio successus opinionem ex malo aut inutili, aut infami materia, etiamsi talium mercium tractatione quidam satis feliciter emergant : mihi certe neque oblatæ

(a) Titulus editionis quam sequimur. EDIT.

sunt, nec eas unquam captavi. Invenit et emptorem, ut ille inquit, proba merx. D. Haymo sæpe recuditur et distrahitur, emitur a doctis, et placet bonis : itaque et ego aliquod operæ pretium facturus videbar mihi, si has Homilias, quas sic satis castigate scriptas ab amicis dono accepi, prelo traderem, et cum altero Homiliarum opere nuper excuso copularem ; ad illud enim argumentum et hæ quadrant, quas tamen non omnes, quia me tempus nundinarum urgebat, absolvere potui, statim alius prioribus additurus : quas omnes tibi, vir ornatissime, inscribendas judicavi : primum quod respublica litteraria in conquirendis hujuscemodi libris tibi multum de- A beat : deinde quod summo studio, quantum a negotiis aulicis datur, hujusmodi scripta et scriptores legis : postremo ut aliqua parte magnitudinem tuam demerere exiguo hoc officiolo, sed tibi in primis, ut spero, grato. Commendare scriptorem ei qui longe rectius atque ego de eo judicare posset, ridiculum arbitratus sum, nos fama scriptoris et amicorum judicio contenti fuimus. Accipe igitur hoc, humanissime Hieronyme, quidquid est officii, pro tuo solito candore benevolenter, neque quantum ego in hoc donare potui, sed quantum ille qui donatur prodesse queat, expende. Vale, ac diu te nobis Christus servet. Coloniæ Kalendis Decembris 1536.

HOMILIÆ DE TEMPORE.

HOMILIA PRIMA.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

« (MATTH. XXI.) In illo tempore, cum appropinquasset (Jesus) Hierosolymis, et venisset Bethphage ad « montem Oliveti, » et reliqua. Non solum opera et virtutes quas fecit Dominus plena sunt mysteriis, sed etiam ipsa loca, in quibus docuit vel perambulavit, aliquoties a mysteriis vacua non sunt credenda, quod in exordio hujus lectionis comprobatur, cum appropinquans Dominus Hierosolymis, primum venisse Bethphage in montem Oliveti dicitur. Mons enim Oliveti non longe ab Hierusalem distat, mons uberrimus et decorus, arboribus insitus, et maxime olivarum, a quibus et nomen accepit. In cujus latere Bethphage quondam viculus sacerdotum fuit, ubi hostias præparabant quas in templo Domini oblaturi erant. Spiritaliter autem mons Oliveti Dominum Jesum Christum significat, qui est mons pinguedinis, mons misericordiæ, quoniam misecorditer genus humanum redimere venit : quia ἔλεος Græce, Latine *misericordia* interpretatur. Hic est enim ille mons de quo per Isaiam prophetam dicitur : « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et sublimis erit valde (*Isa.* II). « Et Daniel : « Vidi præcisum lapidem de monte sine manibus, qui crevit in montem magnum, et implevit totam terram (*Dan.* II). » Bethphage autem, quæ *domus buccæ* vel *maxillarum* interpretatur, significat Ecclesiam, quæ sine intermissione os, quod vulgo bucca dicitur, in confessione Domini apertum habet, dicens cum Psalmista : « Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei (*Psal.* XCIV). » Spiritualiter vero eadem Ecclesia a Deo reficitur ac pascitur, quæ potest dicere cum Propheta : « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit, » et reliqua (*Psal.* XXII.) Bene ergo Bethphage in latere montis Oliveti esse dicitur, quia de latere Christi pendentis in cruce Ecclesia formata est, quando unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis redemptionis, et aqua baptismatis. Hierusalem quippe, quæ *visio pacis* interpretatur, cœlestem patriam significat, ubi summa B et vera est pax de visione Conditoris. Pulchre ergo Dominus cum Hierosolyma tendit, Bethphage ad montem Oliveti venisse describitur, quia omnis qui ad visionem supernæ pacis venire desiderat, necesse est inprimis Dominum Jesum Christum et corde credat, et ore confiteatur : et sicut Bethphage sacerdotes hostias præparabant et emundabant, quas in templo Domini erant oblaturi, ita unusquisque fidelis in præsenti Ecclesia ab omnibus vitiis et peccatis per bona opera se purificare debet, ut acceptabilis hostia Deo fiat, juxta admonitinoem apostoli Pauli dicentis : « Obsecro vos per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII). » Falem hostiam præparabat C idem Apostolus, cum dicebat : « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX). »

« Tunc misit duos discipulos suos, dicens eis : Ite « in castellum quod contra vos est. » Spiritualiter autem duo discipuli qui in castellum mittuntur, duos ordines significant prædicatorum, quorum unus ad Judæorum populum, alter vero ad gentium destinatus est. Quos specialiter Petrum et Paulum suscepisse manifestum est, teste Apostolo : « Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes (*Galat.* II). » Juxta litteram secundum quosdam, Petrus et Philippus fuisse dicuntur, eo quod Philippus Samariæ prædicaverit, nomen Samariæ *Asiam* interpretantes. Aliter, duo discipuli quos ante se Dominus præmisit, intellectum D et operationem significant : quia unusquique qui regimen ecclesiasticum assumpsit, et potestatem ligandi atque solvendi, expedit ei ut intellectus et operatio præcedat : quia unum absque altero summum atque præcipuum apud Creatorem esse non potest, qui dixit discipulis suis : « Scitis hæc, beati eritis si feceritis ea (*Joan.* XIII). » Primum ergo discipuli præcedunt, postea Jesus sequitur, quia ad eorum corda Dominus venit, qui intellectum recte credendi, et operationem bene vivendi habent, dicente Scriptura : « Intellectus bonus omnibus facientibus cum Laudatio ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.*

cx). » Castellum autem ad quod mittuntur, juxta A litteram Hierusalem civitatem intelligimus, nec cuiquam absurdum debet videri, si urbs regia castellum nominatur, quia usus Scripturæ est, aliquando castellum pro civitate, et civitatem pro castello vocare. Spiritaliter autem castellum ad quod mittuntur, mundum significat, quod contra eos fuisse dicitur, quia in exordio prædicationis mundus eorum doctrinæ conatus est resistere, sicut apostolis Judæi dixerunt : « De secta autem hac novimus, quod ubique ei contradicitur (*Act.* xxviii). » Qui et ab apostolis improperando audierunt : « Vobis quidem oportuit primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* xiii). » Quod autem subjungit : « Et statim invenietis asinam alligatam et B « pullum cum ea, solvite et adducite mihi, » juxta morem provinciæ loquitur. Usus enim erat in illis regionibus, et in singulis civitatibus vel viculis, ut asinus vel quodlibet animal ad sedendum aptum, præparatum haberetur ; et si cui ex civibus necesse esset itinere unius diei, hujus vehiculi sustentatione uteretur : habitatores autem urbis de sustentatione vehiculi communiter cogitabant. Mos igitur iste Hierosolymis servabatur, quando Dominus discipulos suos illo misit, dicens : « Et invenietis asinam alligatam et pullum cum ea. » etc. Spiritaliter autem per asinam quæ domita erat, Synagoga figuratur, quæ jugo legis fuerat mansueta et attrita, et in legalibus cæremoniis observandis edomita. Per pullum vero lascivum et indomitum, qui absque frenis huc illucque discurrebat, gentilis populus designatur, C qui nulla legis doctrina constrictus, nulla Dei notitia instructus, incertus, et errans, post idola manuum suarum currebat. De quo bene juxta alium evangelistam dicitur : « Super quem nullus hominum sedit. » Quia super gentilem populum nullus prophetarum, nullus patriarcharum, suam prædicationem et eruditionem adhuc exercuerat. Non solum enim asina alligata, sed etiam pullus inveniri dicitur : quia non solum gentilis populus, sed etiam Judæorum, peccati vinculis erat astrictus, teste Apostolo, qui ait in Epistola ad Romanos : « Non enim est distinctio Judæi et Græci. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom.* x). » Et iterum : « Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci (*Rom.* ii). » D Et bene prius solvere præcepit, et sibi postea adducere, quia ordo rerum poscebat ut prius homines ab infidelitatis vinculis solverentur, et postea per fidem sibi præsentarentur. Vincula enim peccata sunt, ut ait Salomon : « Funiculus peccatorum suorum unusquisque constringitur (*Prov.* v). » Et alii quidem evangelistæ tantum pullum posuerunt, vocationem gentium solummodo exprimere cupientes. Matthæus autem utrumque animal posuit, asinam videlicet et pullum, ut significaret ex utroque populo aliquos in Christo esse credituros. Quasi enim ad solvendam asinam apostolos misit, quando specialiter ad Synagogam prædicandum eos destinavit, dicens : « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* x). » Quasi ad pullum misit, quando post suam resurrectionem eis præcepit, dicens : « Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* xxviii). » Quid vero subjungit ?

« Et si quis aliquid vobis dixerit, dicite quia Do- « minus his opus habet, et confestim dimittet eos. » Hoc est quod juxta Lucam evangelistam pullus quem discipuli solverunt, multos dominos habuisse fertur, quia Judæorum et gentium populus non uni errori, sed multis erat deditus. Domini autem qui solutionem contradicebant, immundi spiritus sunt intelligendi, qui quondam tyrannidem post peccatum in humano genere sibi vindicabant. Cumque per prædicationem apostolorum eos ad fidem converti cernerent, dixerunt : Ut quid solvitis pullum ? Quoniam omni studio conati erant eorum prædicatione resistere, suscitantes reges et tyrannos ad eorum prædicationem, ne genus humanum ab eorum vinculis solveretur. Sed postquam discipuli dixerunt, « Dominus his opus habet, » confestim dimiserunt eos : quia postquam talia signa et miracula, scilicet suscitantes mortuos, et ab humano corpore immundos spiritus expellentes, et cætera quamplura, ut a Deo cognoscerentur esse missi, coacti nolentesque genus humanum relinquere. Infirmata est autem virtus dæmoniorum, mox ut fides Christi patuit per prædicationem apostolorum, in tantum ut illorum manibus idola destruerentur, quorum sumptu et labore fuerant ædificata. Unde et per obsessum hominem Domino dixerunt : Quid nobis et tibi, Fili Dei ? venisti ante tempus torquere nos (*Math.* viii) ?

« Hoc autem totum factum est ut adimpleretur « quod dictum est per prophetam dicentem : Dicite « filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, « et sedens super asinam et pullum filium subjuga- « lis. » Morem suum in hoc loco Matthæus evangelista servat. Qui enim Hebræis Hebræo sermone scripsit Evangelium ubicunque se loci opportunitas dedit, suam narrationem legis et prophetarum testimoniis confirmavit. Unde cum dixisset Dominum misisse discipulos ad solvendam asinam et pullum, continuo testimonium prophetæ adhibuit, dicens : « Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit, » etc. (*Zach.* ix.) Hoc testimonium in Zacharia propheta est, quod non solum impletum est, quia prædictum erat, sed etiam antea prædictum est, quia implendum erat. Ut autem omnem excusationem ignorantiæ a Judæis auferret, cum Domini adventum prædiceret propheta, ipsam qualitatem Domini advenientis ostendit, dicens : « Dicite filiæ Sion, » etc. Historialiter autem filiam Sion Jerusalem appellat, in cujus sublimiori loco Sion posita erat, non solum ad defendendum tutior, sed etiam ad contemplandum sublimior locus. Ac si diceret propheta : O vos Judæi, quos ille adventus

Domini in carne inventurus est, his signis regem vestrum cognoscite : Cum videritis eum venientem mansuetum, non superbum, sed humilem : non armorum splendore terribilem, ut quondam ad vestram destructionem Nabuchodonosor et Antiochus venerunt, sed ad restaurationem : non sedentem super spumeum equum discordiæ amatorem, qui ungula terram fodiat, et procul odoretur bellum, sed super asinam pacis amicam, vel super pullum filium asinæ : non ut auferat a te temporale regnum atque terrenum, sed conferens tibi, si credideris, cœleste et sempiternum : non ut ducat te in terram alienam vinctum, sed ut restituat in propria liberum. Quod autem ait, « tuus, » tale est ac si diceret : Tuus, inquam, non alienus, non extraneus, sed proprius, ex te natus, et in te nutritus, et ad tuam salutem veniens. Quod vero subjungitur, « mansuetus, » ostendit suam mansuetudinem non solum in verbis, sed etiam in subjugali sessione. Spiritaliter namque Sion, quæ *speculatio* interpretatur, Ecclesiam significat, quæ mundo corde quotidie contemplatur eum qui dixit : « Ego principium qui et loquor vobis » ; et iterum : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII). » — « Dicite ergo filiæ Sion, » id est Ecclesiæ : « Ecce rex tuus venit sedens super asinam et pullum, » id est non superborum, sed humilium mentes inhabitans, ut discas ab eo qui mitis est et humilis corde : quia qui hujus regis regni particeps esse desiderat, necesse est, ut humilis sit et mansuetus, non reddens malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ut in eorum numero computari possit, de quibus dicitur : « Mansueti hæreditabunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam (*Psal.* XXXVI). » Et iterum : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V). » Mansuetus autem rex, mansuetos vult habere subditos, sicut ipse dicit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Asinus enim in Scripturis nec semper in malo, nec semper in bono ponitur, sed aliquando asinorum nomine, fatuitas stultorum significatur, aliquando luxuriantium petulantia, aliquando simplicitas viri justi. Fatuitas stultorum, sicut scriptum est (*Deut.* XXII) : « Non arabis in bove simul et asino, » id est stultum sapienti in prædicatione non socies. Luxuriantium petulantia, sicut per prophetam dicitur (*Ezech.* XXIII) : « Quorum carnes sunt ut carnes asinorum, et fluxus eorum ut fluxus equorum. » Simplicitas viri innocentis, sicut per Isaiam prophetam dicitur (*Isa.* XXXII) : « Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini. » Ergo in hoc loco asina vel pullus, qui ad sedendum Domino adducuntur, simplicem vel innocentem significant animam. Dominus enim super asinam sedet, quando simplicem mentem inhabitat, sicut ab eo per prophetam dicitur : « Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos ? » (*Isa.* LXVI.) Quasi enim Dominus asellum sedens Jerusalem tendit, cum simplicem mentem inhabitans, ad visionem intimæ pacis eam ardenter festinare docet. Quod bene in sacra veracique historia signatur (*Judic.* I), cum Achsam, Caleb filia, super asinam sedens, suspirasse legitur : quasi enim Achsam Caleb filia asinam sedens suspirat, quando mens simplicis viri pro cœlestis vitæ desiderio ingemiscit. Domini jussionem obedientia secuta est apostolorum. Unde et subditur :

« Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit « eis Jesus et adduxerunt asinam et pullum. » Jam superius per asinam et pullum utrumque populum diximus figurari, Judæorum scilicet et gentium. Quasi ergo missi discipuli asinam adduxerunt, quando nonnullos ex Synagoga ad fidem Christi venire fecerunt, sicut in Actibus apostolorum legimus, quia prædicante Petro, una die crediderunt tria millia, et altera die crediderunt quinque millia hominum, et multa turba sacerdotum obediebant fidei. Quasi vero adduxerunt et pullum, quando illis maxima ex parte non credentibus, profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quia ordo orationis poscit ut prius instruatur homo in fide, ac deinde Deum sessorem habere possit, recte subjungitur :

« Et imposuerunt super eum vestimenta sua, et « eum desuper sedere fecerunt. » Vestimenta apostolorum eorum doctrinam significant. Quasi ergo super asinam et pullum vestimenta sua imposuerunt, ut Jesus mollius sederet, quando sua doctrina corda hominum instruxerunt, ut Deum habitatorem habere possent. Quæritur autem quomodo in tam brevi spatio itineris super utrumque animal sedisse dicitur : si enim super asinam sedit, pullus absque sessore fuit : si autem super pullum (quod plus competit) sedit, asina a sessore libera mansit. Quod fieri potest, ut prius super asinam sederit, deinde Hierosolymis appropinquans, turbis sibi obviantibus, super asellum sedere voluerit, sicut dicit Joannes evangelista : « Appropinquans Jesus Hierosolymis, invenit asellum et sedit super eum. » Sed juxta spiritualem intelligentiam (ut supra diximus) patet sensus quia super utrumque animal sedisse dicitur, quoniam ex utroque populo nonnullos ad suam fidem vocavit.

« Plurima autem turba straverunt vestimenta sua « in via. Alii autem cædebant ramos de arboribus, « et sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : « Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. » Considerandum est in hoc loco juxta ordinem personarum, qualitas meritorum : alii super asinam vestimenta sua imponebant ut Jesus mollius sederet : alii vestimenta sua sternebant in via, ne pes asinæ impingeret : alii ramos de arboribus in via sternebant, ut iter asinæ planum et decorum redderent : et qui vicinius appropinquare nequibant, sequentes clamabant : « Hosanna filio David, » etc. Qui ergo vestimenta sua super asinam imposuerunt, apostoli fuerunt, quia doctrina sua

mentes hominum ut habitaculum Dei essent, præparaverunt. A Qui autem vestimenta sua in via straverunt, sancti martyres sunt, qui dum corpora sua propter Deum ad supplicia tradiderunt, quasi vestimenta sua straverunt, iter simplicioribus ostendentes, per quod ad cœlum pervenire possent. Qui vero ramos de arboribus præcidebant, et sternebant in via, sancti confessores sunt, qui dum sententias Patrum præcedentium multiplices et necessarias ad nostram doctrinam proferunt, quasi de spiritualibus arboribus ramos cædentes, cœlestis patriæ iter decorant. Turbæ autem præcedentes et sequentes, utriusque Testamenti significabant fideles, Veteris scilicet ac Novi. Una enim voce clamant, quia una est fides præcedentium adventum Domini, et sequentium, teste apostolo Petro qui ait: « Per gratiam B Domini Jesu credimus salvari quemadmodum et illi. Quod enim illi prædixerunt futurum, nos jam credimus factum (*Act.* XV.) » Quod autem clamant, audiamus: « Hosanna filio David. » Hosanna quippe vox est exsultantium pariterque laudantium. Filium quoque David profitentur, quia de David stirpe natus ad nos Salvator descendit, sicut ait Apostolus: « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I). » Versiculus autem iste quem et pueri in introitu templi Domino cantaverunt, sumptus est de centesimo septimo decimo psalmo, qui pene totus in persona Domini canitur, et hæc ad ejus adventum pertinent. Cum enim dixisset Propheta: « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Psal.* CXVII), » quædam interposita adjunxit: « O Domine, C salvum me fac, o Domine, bene prosperare, benedictus qui venturus est in nomine Domini. » Pro quo in Hebræo habetur *Hosanna Adonai Hosanna*, quem Symmachus more suo apertius transtulit, dicens: « Obsecro, Domine, salvum me fac. » Hosanna ergo proprie Hebræorum sermo est, et interpretatur in nostra lingua, *salva*, sive *salvifica*: cui ergo turbæ *salva* sive *salvifica* clamabant, utique Salvatorem credebant. Benedictum quoque venturum in nomine Domini profitebantur, quia Filius non in suo nomine, sed in nomine Patris venit: nec suam, sed Patris gloriam quæsivit, sicut ipse Judæis non credentibus dixit: « Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis (*Joan.* V) » Et iterum: « Ego a meipso non veni, sed Pater meus misit me D (*Joan.* VIII). »

HOMILIA II.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

(LUC. XXI.) « In illo tempore, dixit Jesus discipulis « suis: Erunt signa in sole et luna et stellis, et in « terris pressura gentium, præ confusione sonitus « maris et fluctuum, » et reliqua. Prævidens vel condescendens et consulens Dominus humanæ fragilitati tribulationes et pressuras, quæ circa finem sæculi venturæ sunt, longe ante dicere voluit, ut tanto facilius tolerentur cum venerint, quanto ab ipso longius prædictæ recoluntur. Minus enim jacula ferire solent, quæ prævideri possunt. Et electi qui circa finem sæculi futuri sunt in carne, tribulationes et pressuras mundi tanto levius tolerabunt, quanto eas prius ab ipso Redemptore prædictas meminerint. Nam interrogatus Dominus a discipulis de adventu suo, et de consummatione sæculi, ut supra evangelista retulit, respondit:

« Audituri enim estis prælia et seditiones prælio« rum, nolite terreri. Oportet primum hæc fieri, « sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget « gens contra gentem, et regnum adversus regnum, « et erunt terræmotus magni per loca, et pesti« lentiæ et fames, terroresque de cœlo, et signa ma« gna erunt. » Et quibusdam de persecutione reproborum et patientia electorum interpositis, adjunxit hoc quod in capite hujus lectionis audivimus, dicens: « Erunt signa in sole et luna et stellis. » Ubi notandum est quia ad ultionem reproborum hominum ipsa etiam elementa mundi turbata dicuntur, quæ sigillatim Dominus enumerat dicens: « Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. » Ecce conturbatio hominum. « Terræmotus magni erunt per loca. » Ecce respectus iræ desuper « Erunt pestilentiæ. » Ecce inæqualitas corporum. « Erit fames. » Ecce sterilitas terræ. « Terroresque de cœlo, et signa magna erunt. » Ecce inæqualitas aeris. « Erunt signa in sole et luna et stellis. » Ecce commotio siderum. « Præ confusione sonitus maris et fluctuum. » Ecce confusio fluminum. Justum est enim ut insensati homines qui in cunctis peccaverunt, in cunctis feriantur, id est si peccaverunt per aeris serenitatem, feriantur per tempestatem. Si de reliquis ab ipsis insensatis rebus feriantur, et impleatur illud quod scriptum est in Salomone: « Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos (*Sap.* V). » Quæ autem signa in sole et luna et stellis futura sunt, alius evangelista, Matthæus scilicet, manifestius declarat, dicens: « In diebus illis sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo. » Ubi spiritaliter solis nomine Dominus Jesus Christus intelligitur. De quo scriptum est: Vobis autem qui timetis Deum, orietur sol justitiæ. Et iterum: « Ortus est sol et congregati sunt (*Psal.* CIII). » Lunæ autem nomine in hoc loco Ecclesia designatur, sicut criptum est in Habacuc: « Elevatus est sol in ortu suo, et luna stetit in ordine suo (*Habac.* III.) » In diebus autem illis, id est in illa ultima tribulatione, « sol obscurabitur, » quia Dominus Jesus Christus virtutis suæ potentiam non manifestabit. « Luna autem non dabit lumen suum, » quia Ecclesia miraculorum fulgore non resplendebit. Unde per Joannem in Apocalypsi dicitur: « Et factus est sol niger sicut saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis (*Apoc.* I). » Et Apostolus: « Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant (*I Cor.* XI.) » Quoniam cum Dominus potentiam virtutis non ostendet, Ecclesia pro veritatis testimonio martyrii cruore sanguinea erit, sicut per Joelem prophetam dicitur: « Sol convertetur in

tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus (*Joel.* II). » Stellarum autem nomine in hoc loco hypocritæ designantur, qui dum professionem fidei habent, in Ecclesia quasi stellæ et astra fulgent. Sed ultima tribulatione imminente, stellæ cadent de cœlo, quia plurimi tunc ab Ecclesia recedent de corpore, a qua prius recesserant mente. Permittet enim Dominus Antichristum sævire in sanctis, et suam sævitiam in eis grassari pertinaciter, ut patientia eorum probetur. Ut Apostolus dicit (*II. Thess.* II): « Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. » Unde in Apocalypsi dicitur : « Et misit draco caudam suam, et traxit tertiam partem stellarum cœli (*Apoc.* XII). » Hinc Daniel, cum Antichristi tempora prædiceret, ait inter cætera : « Robur datum est ei contra juge sacrificium pro peccato, et prosternetur veritas in terra, et faciet et prosperabitur (*Dan.* VIII). » Et iterum : « Et usque ad altitudinem cœli elevatus est, et dejecit in fortitudine et de stellis, et conculcavit eas. » — « Et in terris pres- « sura gentium. » Non sufficient ad vindictam reproborum hominum signa de cœlo, sed etiam in terris pressuræ gentium erunt. Ejusdem terræ incolis invicem se prementibus, et invidiosa contentione in se consurgentibus, sicut Dominus ait : « Consurget pater in filium, et filius in patrem, et filia in matrem suam, et nurus adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus (*Luc* XII). » Unde Isaias ait : « Irruet vir in virum, unusquisque in proximum suum. Tumultuabitur puer contra senem, ignobilis contra nobilem (*Isa.* III). » Et Paulus : « In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (*II Tim.* III). » Unde Matthæus ejusdem tribulationis magnitudinem expressius describens, ait : « Et erit tunc talis tribulatio qualis non fuit ab initio usque nunc, neque fiet. » Nec solum cœlum et terra, sed etiam mare et flumina ad ultionem reproborum hominum consurgent. Unde et subditur : « Præ confusione sonitus maris et fluctuum. » Confusio, sonitus maris et fluctuum nondum nova exorta est, sed cum maxima ex parte quæ prædicta sunt, completa cernimus, de minimis quæ restant dubitare non possumus. Jam enim gentes contra gentem, et regnum adversus regnum surrexisse, ut vidimus et audimus, terræmotus per loca fuisse experti sumus : pestilentias, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna fuisse non ignoramus : signa in sole et luna et stellis a quibusdam frequenter visa esse referuntur : confusio autem sonitus maris et fluctuum, quia nondum venit, sine dubio ventura creditur. Tradunt enim nonnulli, quod circa finem sæculi mare, flumina et rivuli, juxta qualitatem et quantitatem suam, voces et mugitus emittent, interitum suum quibusdam luctuosis vocibus deplorantes, et per hoc non parvum timorem hominibus audientibus incutient. Quia enim omnia finienda sunt, circa finem sæculi omnia com-

A moventur. Hinc per Joannem in Apocalypsi dicitur : « Et mare jam non est. »

« Arescentibus hominibus. » Spiritualiter in ultima tribulatione homines arescere, est reprobos a pinguedine fidei et charitatis deficere. Multi enim in illa tribulatione a fide arescent, qui prosperitatis tempore fideles putabantur, sicut Dominus de jactatis seminibus supra petram ait : « Quia orto sole aruerunt. » Hanc ariditatem fatuæ virgines patientur, quando prudentibus dicent : « Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur (*Matth.* XXV). » Recte autem dicitur : « Præ timore et exspe- « ctatione, quæ supervenient universo orbi. » Illa enim tribulatio utcunque tolerabilis est, post cujus finem gaudium speratur : illa dura, aspera et intolerabilis,
B quæ cum præsentialiter cruciat, in futuro majora comminatur. Utrumque enim reprobis in illa tribulatione continget, quia et præsentialiter mala sustinebunt, et in futuro majora exspectabunt, quia et foris pœnas, et intus timorem habebunt, nec de præsenti neque de futuro securitatem animæ habere poterunt. Et ideo recte dicitur :« Præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi. »

« Nam virtutes cœlorum movebuntur ; et tunc vi- « debunt Filium hominis venientem in nube, cum « potestate magna et majestate. » Quidam in hoc loco, virtutes cœlorum, magistros et rectores Ecclesiæ intelligere volunt. Si enim, aiunt, Ecclesia spiritualiter cœlum est, ut est illud : « Cœlum mihi sedes est (*Isa.* LXVI) ; » et : « Anima justi sedes est sapientiæ (*Sap.* VII), » non incongrue virtutes cœlo-
C rum rectores Ecclesiæ intelliguntur, episcopi scilicet et sacerdotes. Et de his intelligi volunt quod scriptum est : Angeli territi purgabuntur (*Isa.* XLI), angelorum nomine super sacerdotes interpretantes, juxta illud Malachiæ : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Malach.* II). » Commoveri autem virtutes cœlorum dicuntur, quia in illo districto judicio etiam præsules ecclesiarum rationem exsolvent non solum pro suis actibus, sed etiam pro commissis sibi animabus, sicut Dominus ait : Homini cui multum commissum est, multum quæritur ab eo. Et sic alia Scriptura dicit : « Potentes potenter tormenta patientur (*Sap.* VI). » Nos autem virtutes cœlorum specialiter in hoc loco, angelos,
D archangelos, thronos, dominationes, virtutes, principatus et potestates, cherubim et seraphim accipimus, de quibus scriptum est : « Laudate Dominum, omnes angeli ejus, laudate eum, omnes virtutes ejus (*Psal.* CXLVIII). » Quæ virtutes moveri dicuntur, quia angeli non solum adventum Domini comitabuntur, sed etiam præcessuri sunt, sicut Dominus ait in Evangelio : « Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala (*Matth.* XIII). » Et iterum : « Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum. » Et alibi : « Dominus ad judicium veniet cum senibus (*Isa.* III). » Et Salomon : « Nobilis in portis vir ejus quando sederit cum senatori-

bus terræ (*Prov.* xxxi). » Vel certe alio modo A commoveri dicuntur, ut terror et districtio judicii ostendatur. Sicut enim, verbi gratia, cum rex severum et districtum judicium in subjectis exercet, non solum illi timent qui pro suis meritis judicantur, sed etiam illi qui ejus lateri adhærere solent : sic cum Deus omnipotens in judicio reprobos puniet, ut terror et districtio judicii ostendatur, etiam illi timere dicuntur, qui æterna stabilitate firmati sunt. Unde bene per beatum Job dicitur : « Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus (*Job.* xxvi). » Quid ergo de talibus fiet quando columnæ concutientur? Quid ibi virgula deserti patietur, quando cedrus quæ in Libano est concutietur? Quid miseri mortales homines facturi sunt, quando angeli timebunt? « Et si justus, » ut ait Petrus apostolus, « vix salvabitur, B impius et peccator ubi parebunt (*I Petr.* iv)? » Hujus diei districtionem conspexerat Sophonias propheta, cum dicebat : « Juxta est dies Domini, juxta et velox nimis. Vox diei Domini amara : tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris (*Soph.* i). » Et iterum : « Væ qui desideratis diem Domini ; ut quid vobis eam? et quasi si fugiat homo a facie leonis, et mordeat eum coluber, sic dies Domini ista tenebræ, et non lux (*Amos* v). » Et sicut Matthæus ait : « Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus (*Matth.* xxiv). » Et iterum : « Tunc erunt duo in lecto uno, » etc. Et Lucas : « Ecce venient dies in quibus dicent : Beatæ steriles quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus : Cadite C super nos, et collibus : Operite nos (*Luc.* xxiii). » Qui ergo in hac die securus esse desiderat, dum in hoc corpore vivit, hujus diei districtionem ante oculos mentis necesse est ponat. Tanto enim erit ibi quisque securior, quanto in observandis mandatis Domini modo fuerit timidior. « Beatus enim vir qui timet Dominum, » ait Propheta ; « in mandatis ejus volet nimis (*Psal.* cxi). » Et sicut ait Salomon : « Beatus homo qui semper est pavidus, qui vero mentis est duræ corruet in malum (*Prov.* xxviii). » In hujus diei terrore magnam securitatem eleemosynarum largitas tribuet, quando ipse Judex ad dexteram positus, dicturus est : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi man- D ducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis me : nudus, et operuistis me : infirmus et in carcere, et venistis ad me (*Matth.* xxv). » « Beatus enim, » ait Propheta, « qui intelligit super egenum et pauperem, in die malo liberabit eum Dominus (*Psal.* xl). » Hinc justi viri voce dicitur : « Fiducia magna erit coram summo deo eleemosyna omnibus facientibus eam. » etc. (*Tob.* iv.) Et iterum : « Fili, eleemosyna a morte liberat, et non patitur hominem ire in tenebras (*Ibid.*). » Notandum autem quia quanto fortiora signa manifestantur, tanto Domini adventus vicinior esse intelligitur. Sicut enim cum rex ad aliquod palatium vel civitatem venturus est, nuntii alii atque alii mittuntur, sed cum illi videri cœperint qui ex ejus latere sedere solent, de ejus adventu non dubitatur : sic adventum illum Dominicum signa in sole, et luna et stellis, et multa alia præcessura sunt. Sed cum angeli qui ei semper assistunt cœperint apparere, statim adventus Domini vicinus cognoscitur. Unde cum dixisset : « Nam virtutes cœlorum movebuntur, » adjunxit : « et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna et majestate. » Filium ergo hominis in judicio visuri sunt, quia in forma servi, id est in forma hominis quam pro nobis assumpsit, ad judicium venturus est, sicut scriptum est ; « Ecce veniet in nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ (*Apoc.* i). » Et iterum : « Videbunt in quem transfixerunt (*Joan.* xix). » In potestate autem magna, et majestate eum visuri sunt, quem in humilitate loquentem audire contempserunt. Dignum est enim ut ipse Filius Dei, qui in forma hominis injuste judicatus est, in eadem forma omnes in judicio juste judicet, sicut ipse dicit in Evangelio : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* viii). » Et iterum : « Potestatem dedit ei Pater judicium facere, quia Filius hominis est. » Sed postquam hæc ad terrendos reprobos dicta sunt, mox ad consolandos electos Dominus sermonem convertit, dicens :

« His autem fieri incipientibus, respicite et levate « capita vestra, quoniam appropinquat redemptio « vestra. » Ac si diceret Dominus : Cum crebris mundi ruinis et assiduis plagis ejus signum appropinquare videritis, nolite de mundi interitu flere, nolite de vobis timere : quia cum ejus finis venit, quem non amastis, invenietis gaudium quod semper quæsistis. Sæpe autem in Scripturis sanctis, caput pro mente ponitur, sicut per Salomonem dicitur : « Sapientis oculi in capite ejus (*Eccli.* ii). » Si enim corpoream visionem attendimus, non solum sapientis, sed etiam stulti oculi in capite sunt. Sed sapientis oculi in capite esse dicuntur, quia discretionem spiritus habet in mente. Quia sicut a capite membra corporis reguntur, ita et mente cogitationes discernuntur. Et sicut caput principale membrum est corporis, ita et mens principatus cordis. Ita ergo et in hoc loco cum capita jubet levare, mentem præcipit ad remunerationem æternam præparare. In quibus verbis ostenditur, quia electi diem judicii non tantum debent timere quantum optare. Unum quotidie in oratione poscunt, dicentes : « Adveniat regnum tuum. « Quod illorum est facere, qui gratia Dei se præveniente bona operatos esse recolunt, sicut per Joannem dicitur : « Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus in die judicii (*I Joan.* iii). » Et ne ad hæc intelligenda humana mens pigra remaneret, similitudinem de rebus visibilibus Dominus adjunxit. Unde et subditur :

« Et dixit illis similitudinem : Videte ficulneam « et omnes arbores :cum producunt jam ex se fru- « ctum,scitis quia prope est æstas.»Ipsam namque exposuit, addens :

« Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quo- « niam prope est regnum Dei. » Ac si diceret Dominus : Sicut ex fructu arboris vicina æstas cognoscitur,ita et vos ex ruinis mundi regnum Dei proximum et vicinum esse cognoscite.Unde bene alius evangelista, scilicet Matthæus, ut celeritatem venientis Domini ad judicium ostenderet, ait :«Ita et vos cum videritis hæc omnia fieri,scitote quia prope est regnum Dei in januis (*Matth.* XXIV). » Pulchre autem regnum Dei æstati comparatur, quia, sicut æstatis tempore sollucidior et splendidior apparens mundum illuminat,ita post judicium omnis humana fragilitas. omnisque tentatio transiet. Et cum sol justitiæ Dominus Jesus Christus in claritate visionis suæ apparuerit,sanctos majori splendore glorificabit, quando implebitur quod Dominus alibi ait : « Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum (*Matth.* XIII). » Et tunc impletum erit quod ait Apostolus : « Quod nunc videmus per speculum et in ænigmate, tunc videbimus facie ad faciem (*I Cor.* XIII).» Sicut autem hiemis tempore arbores cernimus foliis nudatas, fructibus exspoliatas et pene mortuas esse,ita in præsenti vita sancti mortificantes membra sua super terram, humiles et despecti apparent, dicentes cum Propheta : « Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis (*Psal.* XLIII). » Et sicut appropinquante æstate iterum redivivæ arbores vestiuntur foliis, decorantur floribus, ornantur fructibus, ita in die judicii, sancti de terra et pulvere consurgentes, induti stola immortalitatis.jucundi et floridi apparebunt,dicente Psalmista :« Justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur(*Psal.* XCI). » Taliter quasi in hieme in præsenti vita spiritales arbores mortuas inspexerat Paulus apostolus cum dicebat : « Mortui enim estis,et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo(*Coloss.* III).» Quasi iterum appropinquante æstate easdem vestiri foliis,et decorari spiritualibus floribus considerabat, quando aiebat : « Cum enim apparuerit Christus, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. »Similiter et David propheta spirituales arbores mortuas inspexerat, cum dicebat : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua(*Psal.* CXXV). »Et quasi æstate regno appropinquante iterum vivificandas inspexerat, quando aiebat :« Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. »Unde sancta Ecclesia post resurrectionem Domini fructu justitiæ repleri se gaudens,in amoris Cantico audivit a Domino :«Veni,electa mea,formosa mea, columba mea,immaculata mea. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te ulla.Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra, tempus putationis advenit ; mane surgamus ad vineas (*Cant.* II). » Vel certe aliter, per ficulneam Synagogam intelligere possumus. Hæc est enim ficulnea, ad quam, juxta aliam Evangelii parabolam, Dominus venisse legitur :Quærens fructum in ea, et non inveniens, dixit : Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum (*Matth.* XXI). » Cum ergo viderimus hanc ficulneam,id est,Synagogam, ex se fructus credulitatis proferre, sciamus quia prope est regnum Dei, quoniam circa finem sæculi per prædicationem Eliæ et Enoch Synagoga ex parte creditura est, teste Apostolo, qui ait . « Cum plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus fiet(*Rom.* II). » Et iterum : « Non prius quod spiritale, sed quod animale, deinde quod spiritale (*I Cor.*XV).»Unde et Dominus per Malachium prophetam repromisit, dicens : « Ecce ego mittam ad vos Eliam Thesbiten, qui convertat corda patrum in filios,et corda filiorum ad patres eorum(*Malach.*IV).»

« Amen dico vobis,quia non præteribit generatio « hæc, donec omnia fiant. » Amen, proprie Hebræorum sermo est, et est adverbium affirmantis, et cum possit interpretari *vere* sive *fideliter*, a nullo interpretatum est, sed ob honorem et reverentiam Domini,qui hoc sermone in sua locutione frequenter usus est, ita relictus est sine interpretatione. Generatio autem hæc,si de Judæorum gente intelligatur, non præteribit, ut plures illorum non sint, quoadusque omnia quæ a Domino prædicta sunt, impleantur. Si vero ad totam humani generis massam referatur, manifeste patet quia non præteribit genus humanum, quoadusque omnia quæ a Domino prædicta sunt, consummata sint.Prædicta est enim Domini incarnatio,et impleta est.Prædicta est ejus passio,et resurrectio, et impleta sunt.Prædicta est gloriosa ejus ascensio,et completa est.Prædicta est Ecclesia,per universum mundum futura,et oculis cernimus impletum. Prædicta sunt signa in sole et luna, et stellis, impleta sunt.Prædictus est sonitus maris et fluctuum,nulli dubium quod adveniat.Prædicta est dies judicii,quia nondum impleta est,sine dubio implenda creditur.Prædictum est universale judicium,et vita æterna,et complenda exspectamus. Cum quanta autem firmitate credenda sint, quæ a Domino prædicta sunt, ipse manifestat, cum adjungit :

« Cœlum et terra transibunt, verba autem mea « non transibunt. » Nihil enim rebus visibilibus cœlo et terra durabilius,nihil in rebus humanis velocius quam verba transeant, quæ nec perfici nisi transeundo possunt. Cum ergo Dominus dicit : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt, » ostendit quia quæ apud nos fixa videntur, apud illum transitoria sunt : et quæ apud nos transitoria videntur, in ejus verbis firma et stabilia sunt,quia fixas et permanentes sententias format ejus sermo dum transit. Sed quæritur cum Dominus dicat :Cœlum et terra transibunt,quomodo stare possit illud quod ait Ecclesiastes :« Generatio præterit, et generatio advenit, terra vero in sempiternum stat (*Eccles.*I)? » Si enim, juxta Domini

vocem, Cœlum et terra transibunt, quomodo terra in sempiternum stare dicitur? Ad quod dicendum, quia aliud est cœlum aereum, aliud sidereum, et aliud æthereum. Cœlum ergo aereum terræ vicinum est, unde et aves cœli nominamus, quas super aera volitare cernimus. Pluvia dicitur cadere de cœlo, cum utique de nubibus quas cernimus, pluat. Cœlum ergo hoc aereum et terra transire dicuntur, Psalmista dicente: « Initio, tu Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt (*Psal.* CI). » Non ut omnimo non sint, sed ut in melius immutanda sint. Ipsa ergo immutatio transitus appellatur. Transire vero dicitur non solum id quod ita perit quod nunquam sit, sed quod immutatur ut melius sit. Sicut metalla aurea et argentea per ignem transeunt, non ut non sint, sed ut pulchriora fiant. Quoniam cœlum et terra, quæ nostris iniquitatibus polluta sunt, per ignem in die judicii purganda sunt, sicut ait Psalmista: Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Et tantum ardebit ignis judicii in aere, ut nonnulli tradunt, quantum aquæ diluvii occupaverunt super terram, et ipsa immutatio cœli et terræ, transitus appellatur. Sicut enim homo amictum vel quodlibet vestimentum a se projicit, ut alterum decentius induat, ita Deus omnipotens cœlum et terram per ignem purgabit, ut purgata in melius consistant. Unde et per Psalmistam dicitur: « Et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur (*Ibid*). » Hinc per Petrum apostolum dicitur (*II Petr.* III): « Cœli autem qui nunc sunt et terra eodem verbo reposita. igni reservata sunt in die judicii. « Et iterum: « Dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet, in quo cœli magno impetu transibunt, elementa vero calore solventur. » Hinc per Isaiam Dominus dicit: « Ecce ego creo cœlum novum et terram novam, non ut condenda sint, sed ut in melius immutanda (*Isa.* LXV). » Sic et per Joannem in Apocalypsi dicitur: « Ecce nova facio omnia (*Apoc.* XXI). »

HOMILIA III.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

(MATTH. XI). « In illo tempore, cum audisset Joan- « nes in vinculis opera Christi, mittens duos de « discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, » et reliqua. In exordio hujus lectionis inquirendum est, quare Joannes Baptista propheta, et plus quam propheta, qui Salvatorem aliis digito ostenderat, dicens, « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I), » et quem venientem ad baptismum expaverat, dicens, « Ecce a te debeo baptizari, et tu venis ad me (*Matth.* III)? » nunc in carcere positus, quasi quis sit ignorans, discipulos ad interrogandum misit, dicens: « Tu es qui venturus es, an « alium exspectamus? » Nunquid ergo ignorabat eum, quem aliis demonstraverat, et super quem Spiritum sanctum in columbæ specie descendentem et manentem viderat, vocemque Patris intonantem audierat, « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui

A (*Ibid*), » et de quo multa testimonia perhibuerat, dicens: « Qui de terra est de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est (*Joan.* III)? » Non; sed hæc interrogatio Joannis, illius discipulis potius quam illi necessaria erat. Ut quod ergo interrogavit, « Tu es qui venturus es, an alium exspectamus (*Matth.* XI, *Luc.* VII)? » Ad quod respondendum, quia in hac interrogatione, ut diximus, non sibi, sed discipulis suis consuluit, id non propter suam ignorantiam, sed propter incredulitatem interrogantium discipulorum. Quod autem discipuli Joannis erga Dominum, quem adhuc verum Deum non cognoscebant, aliquid mordacitatis vel livoris haberent, superior textus Evangelii ostendit. In illo die accesserunt discipuli Joannis ad Jesum, dicentes: « Quare nos et Pharisæi

B jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant (*Matth.* IX)? » Et iterum: « Accesserunt discipuli Joannis ad eum, » scilicet ad Joannem, « dicentes: Magister, cui testimonium perhibuisti, ecce baptizat, et omnis turba post eum vadit (*Joan.* III). » Ac si dixissent: Nos relinquimur, et illum omnis turba sequitur. Positus ergo Joannes in carcere, sciens se pro veritatis testimonio moriturum, discipulos quos ad credendum Christo præparaverat, in hoc errore relinquere noluit, et ideo sub obtentu interrogationis eos ad interrogandum misit, ut dum ad interrogandum eum pergerent, videntes signa et miracula quæ faciebat, verum Deum esse illum cognoscerent, ac crederent, et sic ab ipso errore liberarentur. Est et alia rationabilis causa, pro qua Joannes ad interrogandum Christum discipulos misit.

C Noverat enim pro redemptione hominum Christum natum de virgine in mundum venisse; utrum autem moriens per seipsum eos qui in inferno injuste tenebantur liberaturus esset, adhuc ignorabat; et ideo non dixit: Tu es qui venisti, sed, « Tu es qui venturus es. » Ac si diceret: Ego in carcere clausus ab Herode capite truncandus, ad inferna descensurus sum: manda mihi utrum debeam adventum tuum annuntiare inferis, qui nuntiavi superis, an non conveniat Filio Dei, ut gustet mortem, et ad hoc sacramentum peragendum, id est ad liberandas animas, alium quam te missurus es.

« Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renun- « tiate Joanni quæ audistis et vidistis. Cæci vident, « claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt,

D « mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. » Responsio ista Domini ad superiorem sensum pertinet, quod non ad interrogationem Joannis respondit, sed ad cogitationes interrogantium. De morte namque sua requisitus, miraculorum virtutes enumeravit, ut videntium animos ad suam credulitatem provocaret. Ac si diceret: Conferte opera quæ in me videtis cum prophetarum oraculis quæ legistis, ut in me illum esse cognoscatis, de quo olim propheta gaudens dicebat: « Dominus ipse veniet, et salvabit nos (*Isa.* XXXV). » — « Cæci vident, » ut impleatur illud propheticum: « Tunc aperientur oculi eorum (*Isa.* LV). » — « Claudi ambulant, » ut impleatur illud; « Tunc

saliet sicut cervus claudus (*Ibid.*). » — « Leprosi mundantur, » quia sicut per prophetam dicitur: « Ipse iniquitates nostras tulit, et languores nostros ipse portavit, cujus livore sanati sumus (*Isa.* LIII).« — « Surdi audiunt, » ut impleatur « Et aures surdorum patebunt (*Isa.* XXXV). » — « Mortui, resurgunt, » ut impleatur illud : « Vivent mortui, interfecti mei resurgent (*Isa.* XXVI). » — « Pauperes evangelizantur, » ut illorum ministerium impleatur, de quibus dicitur: « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtutem multam (*Psal.* LXVII), » Spiritualiter autem Joannes vinctus in carcere, legem significat vinctam in cordibus Judæorum, quæ dum non spiritualiter, sed carnaliter intelligebatur, quasi vinculata et ligata jacebat. « Misit ergo Joannes duos discipulos ad Christum, ut interrogarent eum: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?» Misit et lex Scribas et Pharisæos, qui Salvatorem interrogarent: « Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* x). » Et iterum ; « Dic nobis in qua potestate hæc facis (*Luc.* XX). » Quibus congrue a Domino respondetur: « Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis: » — « Cæci vident, etc. » Per has enim infirmitates corporum, debilitas animarum significata est. Infirmorum vero curationes enumeravit, quia non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Ait enim: « Cæci vident, » ac si dicat aliis verbis: Jam tempus gratiæ meæ apparuit, quo verum lumen resplendens in mundo, eorum oculos qui in tenebris et in umbra mortis sedebant illuminet, et purgato mentis oculo, illum aspicere incipiant, qui ait in Evangelio: « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII), » ut impleatur in eis: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v). » — « Claudi ambulant.» Hoc est, illi qui in via Dei claudicabant, nunc utriusque Testamenti instructi lectione, et dilectione Dei et proximi confirmati, et gressum mentis firmum habentes, viam mandatorum Dei currunt, et de terrenis ad cœlestem patriam pervenire festinant, ut impleatur in eis: « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* v). » — « Leprosi mundantur,» id est, illi qui variis peccatorum facinoribus immundi et fœdati erant, necnon per baptismum et pœnitentiam se purificari desiderant, et non solum de præteritis peccatis lugent, sed etiam pro vitæ æternæ desiderio suspirant, et in prosperis humilitatem, et in adversis patientiam servant, ut impleatur in eis: « Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur (*Ibid.*).» Et ut mundationem animæ recipere possint, in tantam perfectionem excrescunt, ut non solum mala non irrogent, sed etiam ab aliis irrogata æquanimiter ferant, ut impleatur in eis. « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.» — «Surdi audiunt,» quia illi qui prius aures clausas habebant ad audiendum verbum Dei, apertas ad audienda ludibria: nunc econtra obdurant aures suas ne audiant sanguinem, et verbum Dei ardenti animo audire desiderant et ut opere implere possint, esuriunt atque sitiunt, ut impleatur in eis: « Beati qui esuriunt et sitiunt

A justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Ibid.*). » — « Mortui resurgunt,» id est, illi qui quasi insensibiles in peccatis mortui jacebant, econtrario membra sua mortificantes, spiritualiter vivere incipiunt, et misericordiam quam in se experti sunt, aliis etiam in quantum prævalent impendunt, cupientes implere illud Scripturæ: « Miserere animæ tuæ placens Deo (*Ecc.* XXX), » ut impleatur in eis: « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* v). » — « Pauperes evangelizantur, » id est, illi qui virtutibus tenues erant et pauperes et vitiis repleti: nunc econtrario ut in cœlo thesaurizari possint, temporales divitias contemnunt, et per communionem charitatis et Spiritus sancti gratiam, bonum quod didicerunt, aliis annuntiare non cessant,
B ut impleatur in eis: Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Rom.* x): et qui ante virtutibus pauperes erant et vacui, nunc incipiant esse pauperes spiritu, ut in eis impleatur quod Dominus ait in Evangelio: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v). »

« Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.» Conclusio ista Domini ad interrogationem Joannis pertinet. De morte enim sua requisitus, primo signorum virtutes enumeravit, et postea ad hoc quod inquisitus fuerat respondit, dicens: « Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, » id est in mea morte. Ac si diceret: Mira quidem et magna sunt quæ facio, quia cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mortuis vitam restituo; sed tamen cum hæc omnia
C faciam, ad ultimum mortem pro humani generis redemptione sustinere non dedignor. Et necesse est hominibus, ut qui in me signa venerantur, ad suum scandalum mortem in me non despiciant. Plures enim fuerunt, qui cum prius Domini virtutes mirarentur, mortem turpissimam crucis in eo despexerunt. Visis autem tot signis tantisque virtutibus miraculorum non scandalizari quisque potuit, sed admirari. Sed mens infidelium grave contra eum sumpsit scandalum, quando post enumeratis miraculorum signis, eum comprehendi, ligari, flagellari, et in sepulcro collocari conspexit. Scandalizabantur quoque quando eum quem mortuos suscitantem aspexerant, mortuum videbant. De quibus ait Apostolus: «Nos autem prædicamus Christum crucifixum,
D Judæis scandalum quidem, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I). »

« Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad « turbas de Joanne: Quid existis in desertum vi- « dere? arundinem vento agitatam? » Ac si diceret: Ne circumstantes turbæ putarent interrogationem Joannis vel de invidia, vel de ignorantia natam, discipulis illius recedentibus miris et magnis laudibus Dominus Joannem extollit, dicens de illo ad turbas: « Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? » Ac si diceret: Nunquid ad hoc venistis in desertum, ut videretis hominem calamo similem, qui levitate mentis de me dubitet, quem antea pau-

lulum vobis prædicavit? Quod non affirmando, sed negando protulit. Arundo quippe canna est ab ariditate sic dicta, quæ tres differentias in se naturaliter habere dignoscitur; primam, quia in humectis et aquosis locis nascitur; secundam, quia exterius pulchra et interius vacua est; tertiam, quia quacunque aura tacta fuerit, in aliam partem flexibilis vertitur, significat carnalium mentes, qui dum petulantiam libidinis diligunt, quasi in aquosis et humectis locis nascuntur. Unde Propheta : « Computruerunt jumenta in stercore suo (*Joel.* I). » Et iterum : « Comparati sunt jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis (*Psal.* XLVIII). « Cumque per hypocrisim dissimulant se sanctos, quod non sunt, quasi arundo exterius nitidi apparent, sed interius vacui sunt. Tales erant Scribæ et Pharisæi, quos Dominus fortiter increpabat, dicens: « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum atque omni spurcitia (*Matth.* XXIII). » Ita vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Et quia Deum in corde habitatorem non habent, immundis spiritibus aditum præbent. Sicut de diabolo ad beatum Job Dominus ait: « Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus (*Job.* XL). » Cum vero humanis laudibus elevantur, et detractionibus dejiciuntur, quasi more arundinis vento tacti, in aliam partem flectuntur. Si enim carnalis mens favorem laudis transitoriæ audierit, delectatur, hilarescit, et gaudet. At vero si ab eodem ore processerit ventus detractionis, et quo favor laudis humanæ exire consueverat, statim ad iracundiam provocatur. Sed non talis erat Joannes, quippe qui ex castis parentibus et longævis natus virginitatis amator pariter exstitit et custos. Sed nec exterius pulcher et interius inanis erat, quia sanctitatem quam ostendebat exterius, multo magis servabat interius. Neque more arundinis ventus detractionis vel laudis hunc elevare vel dejicere poterat, sed inter adversa et prospera immobilis permanebat, servans in prosperis humilitatem, et in adversis patientiam. De cujus laude adhuc recte subditur :

« Sed quid existis videre? hominem mollibus « vestitum? » Et hoc Dominus negando, non affirmando intulit. Mollibus enim Joannes vestitus non erat, quia de camelorum pilis, ex quibus asperum cilicium texitur, indumentum habebat. Qui ergo putant in cultu vel in superfluitate pretiosarum vestium peccatum non esse, discant exemplo Joannis appetitum suum compescere. Si enim virtus non esset vilibus indui vestibus, nequaquam Dominus Joannem de vestitus sui asperitate laudasset. Et si peccatum non esset pretiosa et superflua induere vestimenta, nequaquam de pœna purpurati divitis locuturus præmitteret, quia induebatur purpura et bysso. Sed neque beatus Paulus apostolus ab appetitu pretiosarum vestium mulieres compesceret, dicens: Non in

A veste pretiosa, non in tortis crinibus auro et margaritis (*I Tim.* II). Ubi considerandum est, quam verecundum sit, hoc viris appetere, a quo magister Ecclesiæ studuit feminas cohibere. Unicuique enim nostrum sua conscientia testis est, quia pretiosa vestis, nisi propter inanem gloriam non quæritur; quod si in occulto sit ubi a nemine videatur, non ei cura est qualibus induatur vestibus. At vero cum ad publicum processerit, pretiosa vestimenta quærit, non ut sanctior, sed ut honorabilior et pulchrior pluribus appareat. His ergo exemplis instructi, tanta ac talia vestimenta quæramus, quibus et nuditas operiri, et frigus possit arceri, quia sicut ait Apostolus: « Nihil intulimus in hunc mundum, sed neque aliquid auferre possumus. Habentes autem victum et B vestimentum, his contenti simus (*I Tim.* VI). » Juxta spiritalem vero intelligentiam Joannes mollibus vestitus non erat, qui peccantium vitia non blandiendo fovere, sed increpando noverat castigare, in tantum ut ipsum Herodem regem de incestis nuptiis argueret, dicens : « Non licet tibi habere uxorem fratris tui, illo vivente (*Marc.* VI). » Nam et unusquisque doctor induitur asperis vestibus in exemplo Joannis, quando peccantes duris redarguit increpationibus, sicut per Salomonem dicitur : « Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi (*Eccle.* XII). » recte verba sapientium clavis et stimulis comparantur, quia culpas delinquentium non noverunt dissimulando palpare, sed feriendo pungere, sicut faciebat Joannes, quando Judæis dicebat: « Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a C ventura ira (*Luc.* III). » At vero econtra mollibus doctor induitur vestimentis, quando peccantium vitia non increpando redarguit, sed blandiendo vel tacendo nutrit. Quod quia aliquando timore, aliquando amore agitur, recte subjungitur: « Ecce qui mollibus « vestiuntur, in dominibus regum sunt. » Quod est aperte dicere : Non cœlesti, sed terreno regi militant, qui timore persecutionis vel amore laudis peccantium vitia non redarguunt. Et ut temporalia patrimonia acquirere possint, illis se conformant.

« Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico « vobis et plus quam prophetam. » Non Joannem Dominus prophetam negavit, sed plus quam prophetam eum affirmavit. Prophetæ enim officium est, D ventura prædicere, non autem ostendere. Joannes autem et propheta et plusquam propheta fuit, quia eum quem post se venturum prædixit, etiam digito demonstravit, dicens : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » De quo Joanne, Dominus alibi discipulis dicit: « Inter natos mulierum major non surrexit Joanne Baptista (*Matth.* II), » sed quia Dominus Joanne arundinem vento agitatam esse negaverat, quia non esse mollibus vestitum dixerat, et quia non solum prophetam, sed etiam plus quam prophetam eum ostenderat, qualis esset manifestavit, adjungens :

« Hic est enim de quo scriptum est : Ecce mitto

« angelum meum ante faciem tuam qui præparabit « viam tuam ante te. » Hoc autem testimonium in Malachia scriptum est, in persona utique Joannis. Cum enim propheta venturum Dominum prædiceret, etiam præcursoris ejus personam ostendit, cum dixit : « Ecce mitto angelum meum (*Malach.* III). » Altum ergo nomen, sed non est inferius meritum. Implevit quippe in opere, quod accepit in nomine. Quia enim angelus Græca locutione, Latine nuntius dicitur, recte nunc angelus vocatur, qui adventum Domini venerat nuntiare, dicens : « Veniet fortior me, post me, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere (*Matth.* III). » Et : « Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam (*Ibid.*). » Nec solum Joannes hujus participationem vocabuli meretur, sed etiam omnes sacerdotes et ministri Ecclesiæ, qui verbum Dei in Ecclesia prædicant, et venturum judicium nuntiant, angelici nominis consortium merebuntur, juxta illud Malachiæ: « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Malach.* II). » Et non solum sacerdotes, sed etiam fideles laici, si juxta modulum scientiæ suæ bonum quod noverunt, fratribus annuntiaverint, ad angelorum consortium pertinebunt. Quia in ornamento tabernaculi non solum phialæ, sed etiam cyathi jussi sunt fieri. Quoniam non solum uberior doctrina Deo accepta est, sed etiam et minima, juxta illud, quod ait in Apocalypsi Joannes : « Qui audit, dicat veni (*Apoc.* XXII). » Et Apostolus : Spectaculum facti sumus mundo, angelis atque hominibus (I *Cor.* IV). Joannes vero viam Domini præparavit, non lapides tollendo, nec aspera coæquando sed mentes hominum præparando, quando annuntiavit, dicens : « Pœnitentiam agite, approquinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Sive viam Domini præparavit, quando corpora humana baptizando abluit, sed peccata non dimisit : illum præfigurans, qui non solum in aqua, sed etiam in Spiritu sancto erat baptizaturus, et peccata hominibus remissurus.

HOMILIA IV.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM.

» (Luc. I.) In illo tempore, missus est angelus Ga- « briel a Deo in civitatem Galilææ, cui nome Naza- « reth, » et reliqua. Idcirco angeli privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant. Neque etenim in illa sancta civitate, quam visio Dei omnipotentis plenam scientia perficit, idcirco propria nomina sortiuntur, ne eorum personæ sine nominibus sciri non possint, sed cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomina a ministeriis trahunt. Ad mariam ergo virginem Gabriel mittitur, qui *Dei fortitudo* nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas potestates aereas, humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur (*Psal.* XXIII) : « Dominus fortis et potens, Domius potens in prælio. » Et rursum : « Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. » Per Dei

A ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus et potens in prælio, contra potestates aereas ad bella veniebat. Mensem autem sextum Martium intellige, cujus vigesima et quinta die Dominus noster et conceptus traditur et passus, sicut et in vigesima quinta die mensis Decembris natus. Quod si vel hoc die, ut nonnulli arbitrantur, æquinoctium vernale, vel illo solstitium brumale fieri credatur, convenit utique cum lucis incremento concipi, vel nasci eum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). At si quis ante Dominicæ nativitatis et conceptionis tempus lucem vel crescere, vel tenebras superare convicerit, dicimus et nos quia et Joannes tunc ante faciem adventus ejus regnum cœlorum evangelizabat, et nunc quoque
B prædicatoribus imperatur : « Iter facite ei qui ascendit super occasum (*Psal.* LXVII). » Cur autem Joannes circa æquinoctium autumnale conceptus, circa solstitium æstivum sit natus, docet ipse qui vel ex sua, vel ex Veteris Testamenti (ut multi autumant) persona loquitur : « Illum oportet crescere, me autem minui (*Joan.* III). »

« Ad virginem desponsatam viro cui nomen erat « Joseph, de domo David, et nomen virginis « Maria. » Multas ob causas Salvator non de simplici virgine, sed de desponsata voluit nasci. Primo videlicet, ut per generationem Joseph, cujus Maria cognata erat, Mariæ quoque nosceretur origo. Neque enim mos est Scripturæ, feminarum genealogiam texere. Nam et de utroque potest intelligi, quod dicitur de domo David. Deinde, ne velut adultera lapidaretur a
C Judæis, malens aliquos de suo ortu, quam de pudore dubitare parentis. Simul et virginibus impudicis occasionem tollens, ne matrem quoque Salvatoris dicerent falsis suspicionibus infamatam. Tertio, ut in Ægyptum fugiens et rediens, haberet solatium viri, qui integerrimæ virginitatis custos pariter ac testis exsisteret. Quarto, ne partus ejus diabolo pateret, qui si eum de virgine natum cognosceret, forsitan quasi cæteris hominibus eminentiorem morti tradere timere. Maria autem Hebraice *stella maris*, Syriace vero *domina* vocatur, et merito, quia et totius mundi Dominum, et lucem sæculi meruit generare perennem.

« Et ingressus angelus ad eam, dixit : Ave gratia « plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieri-
D « bus. » Bene gratia plena vocatur, quæ nimirum gratiam quam nulla alia meruerat assequitur, ut ipsum videlicet gratiæ conciperet et gigneret auctorem.

« Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, « et cogitabat qualis esset ista salutatio. » Disce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris, imitari solam in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperiens, solam sine comite, solam sine teste, ne quo degeneri deprava-

retur affectu, ab angelo salutatur. Disce, virgo, verborum vitare lasciviam. Maria etiam salutationem angeli verebatur. Erat tamen cogitans, inquit, qualis esset ista salutatio (*Luc.* I). Et ideo cum verecundia, quia pavebat; cum prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam ante comperta.

« Et ait angelus : Ne timeas, Maria; invenisti « enim gratiam apud Dominum. » Quia salutatione insolita, utpote quæ ei soli servabatur, ut viderat turbatam, quasi familiarius notam vocans ex nomine, ne timere debeat, jubet. Et quia gratia plenam vocaverat, eamdem gratiam et astruit plenius, et uberius explicat, dicens :

« Ecce concipies in utero, et paries filium, et « vocabis nomen ejus Jesum. » Jesus *salvator* sive *salutaris* interpretatur. Cujus sacramentum nominis alloquens Joseph angelus, exposuit : ipse enim (inquiens) salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Non ait populum Israel, sed populum suum, hoc est, in unitatem fidei ex præputio et circumcisione vocatum. Quibus ex diversa parte congregatis, fieret unum ovile et unus pastor (*Joan.* X).

« Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, « et dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus. » Dictum est et de Joanne, quia erit magnus, sed quasi homo magnus : hic, quasi Deus magnus. Ille enim magnus coram Domino, hic autem erit magnus, inquit, et Filius Altissimi vocabitur. Idem ergo Filius Altissimi, qui in utero virginali conceptus et natus est, idem homo in tempore creatus ex matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est, omittat Nestorius tantum hominem dicere ex virgine natum, et hunc a verbo Dei non in unitatem personæ, sed in societate, inseparabilem esse receptum. Alioquin non unum Christum verum Deum et hominem, sed duos (quod dici nefas est) asserere, ac per hoc non Trinitatem, sed quaternitatem prædicare convincitur. Catholica autem fides, sicut unumquemlibet hominem carnem ei animam, ita hominem et Verbum unum Christum rectissime confitetur. Juxta quod et angeli verba significant, quæ dandam illi sedem David patris ejus asseverant. Qui enim eumdem ipsum Patrem haberet David, quem Filium Altissimi vocari pronuntiat, in duabus utique naturis, unam Christi personam demonstrat. Accepit autem sedem David, ut nimirum gentem, cui David quondam et filii ejus temporalis regni gubernacula præbuerunt, ipse perpetuum vocaret ad regnum, quod eis paratum est ab origine mundi.

« Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni « ejus non erit finis. » Et Isaias ait : « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia (*Isa.* IX). » Non dixit in acquisitione gloriæ, gazarumque terrestrium, non in victoria gentium plurimarum, urbiumque debellatione superbarum, sed

A in judicio et justitia. Per hæc enim regnum Christi, et in singulis quibusque fidelibus, et in universa per orbem multiplicatur pariter et confirmatur Ecclesia. Domum namque Jacob, totam Ecclesiam dicit, quæ vel de bona radice nata, vel cum oleaster esset, merito tamen fidei in bonam est inserta olivam : quam post triumphum passionis alloquens Salvator ait : « Qui timetis Dominum, laudate eum, universum semen Jacob magnificate eum (*Psal.* XVI). » Non autem ideo futuri temporis verbo magnus exiturus Jesus, Filius Altissimi vocandus, sceptrum David accepturus, et in domo Jacob regnaturus asseritur, quia, juxta quod hæretici sapiunt, atque a veritate desipiunt, Christus ante Mariam non fuerit : sed quia homo assumptus in Deum, clarificatus est

B ea claritate, quam Verbum Dei habuit, priusquam mundus esset, apud Patrem. Hoc est, ut idem filii nomen eamdem Christi personam, homo cum Deo plenus gratia et veritate sortiretur.

« Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet « istud, quoniam virum non cognosco? » Propositum suæ mentis reverenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decrevisse. Quæ quia prima feminarum tantæ servituti se mancipare curavit, jure singulari præ cæteris feminis beatitate meruit excellere. « Quomodo, inquit fiet istud? » Non ait, unde hoc sciam? sed quomodo, inquit, fiet, quoniam virum non cognosco? » Ordinem videlicet obsequii cui subdatur, inquirens, non autem signum cui credat, flagitans. Neque enim decebat electam generatura Deum virginem, dubiam diffidentia, sed

C prudentia cautam exsistere : quia nec facile poterat homo nosse mysterium, quod in Deo manebat a sæculis absconditum. Quia ergo legerat : « Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium (*Isa.* VII), » sed quomodo id fieri posset non legerat, sciscitabatur ab angelo, quod in propheta non invenit.

« Et respondens angelus, dixit ei : Spiritus san- « ctus superveniet in te, et virtus Altissimi obum- « brabit tibi. » Non virili, inquit, quod non cognoscis, semine, sed Spiritus sancti, quo impleris, opere concipies. Erit in te conceptio, libido non erit concupiscentiæ. Non erit æstus, ubi umbram faciet Spiritus sanctus. Verum in eo quod ait : « Et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » potest etiam incarnati

D Salvatoris utraque natura designari. Umbra quippe a lumine solet et corpore formari, et cui obumbratur, lumine quidem vel calore solis, quantum sufficit, reficitur, sed si ipse solis ardor perferri nequeat, interposita vel nubecula levi, quolibet alio corpore temperatur. Beata igitur Virgo, quia quasi purus homo omnem plenitudinem divinitatis corporaliter capere nequibat, virtus ei Altissimi obumbravit, id est incorporea lux divinitatis, corpus in ea suscepit humanitatis. De quo pulchre propheta : « Ecce Dominus, inquit, ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (*Isa.* XIX), » quod est dicere : Ecce Verbum Dei Patri coæternum, lumenque de

lumine ante sæcula natum, carnem in fine sæculorum, atque animam nullo peccati pondere gravatam suscipiet, et de utero virginali tanquam sponsus de thalamo suo procedet in mundum.

« Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. » Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Jesus singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe et si sancti efficimur, non tamen nascimur : quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut merito cum Propheta gementes singuli dicamus : « Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (*Psal.* L). » Ille autem solus veraciter sanctus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commistione carnalis copulæ conceptus non est. « Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. » Quid ad hoc dicis, Nestoriane, qui beatam Mariam Dei negas esse genitricem, aptam niteris impugnare veritatem? Ecce dixit Deum superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut quæ Deum edidit, quomodo θεοτόκος, id est Dei Genitrix non esse potest?

« Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit « filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus « illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile « apud Deum omne verbum. » Ne virgo se parere posse diffidat, accepit exemplum anus sterilis parituræ, ut discat omnia Deo possibilia, etiam quæ naturæ ordini videntur esse contraria. Si quem vero movet, quomodo beatæ Mariæ cognatam dicat Elisabeth, cum hæc de domo David, illa de filiabus Aaron originem duxerat, animadvertat proavos earum liberis invicem nuptum traditis, utraque tribum potuisse conjungere. Cui si hæc expositio forte non sufficeret contentiose insistenti, quasi hoc contra interdictum legis fieri nequiverit, legat Exodum, ubi scriptum est : « Accepit autem Aaron uxorem Élisabeth, filii Aminadab, sororem Naason, quæ peperit ei Nadab, Abiu, Eleazar, et Ithamar (*Exod.* VI). » Videatque ante edictum legis superna provisione sacerdotalem regali jam junctam fuisse progeniem, ut videlicet Dominus Jesus Christus, qui secundum carnem verus rex et sacerdos erat futurus, ipsam quoque carnem de utraque, David scilicet et Aaron, stirpe susciperet. Unde et in hac utraque tribu chrisma per legem mysticum celebratur, Christi nimirum nominis pariter et generationis prænuntium : et ipse David domum Dei ingrediens, panem sanctum et gladium quasi rex et sacerdos accepit, illum videlicet de suo semine venturum præfigurans, qui et pro vestra libertate regis jure pugnaret, et pro vestra libertatis absolutione panem suæ carnis offerret.

« Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat « mihi secundum verbum tuum. » Quanta cum devotione humilitas, quæ et angeli promissum optat impleri, et seipsam quæ mater eligitur, nuncupat ancillam, apertissime insinuans quia nihil sibi meriti vindicet in eo, quod Domini jussis obsecundet. Fiat, inquit, sine viri semine conceptus in virgine, nascatur de Spiritu sancto integra caro. Sanctum quod nascitur de homine matre, sine homine patre, vocetur Dei Filius.

HOMILIA V.

FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM.

(Luc. I.) « In illo tempore, exsurgens Maria, abiit « in montana cum festinatione in civitatem Judæ, « et reliqua. » Accepto Virginis consensu, mox angelus cœlestia repetit : illa petit montana, festinat invisere Elisabeth, non quasi incredula de oraculo, vel dubia de exemplo : sed ut læta pro voto, religiosa pro officio, typicum pariter exemplum tribuens, quod omnis anima quæ verbum Dei mente conceperit, virtutum celsa statim cacumina gressu conscendat amoris, quatenus civitatem Judæ id est confessionis et laudis, arcem penetrare, et usque ad perfectionem fidei, spei et charitatis, quasi tribus in ea mensibus valeat commorari.

« Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit « Elisabeth. » Disce, virgo, humilitatem Mariæ, ut et corpore casta, et pectore possis esse devota. Visitat junior seniorem, salutat virgo uxorem. Decet enim ut quo castior virgo, eo sit humilior : et senioribus honorem deferens, habitum castitatis præconia commendet humilitatis. Aliter : Maria ad Elisabeth, Dominus ad Joannem. Hæc, ut Spiritu sancto repleatur, illius ut baptismo consecretur. Majorumque humiliatio, minorum est utique exaltatio. Denique sequitur :

« Et factum est ut audivit salutationem Mariæ « Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus. Et re- « pleta est Spiritu sancto Elisabeth. » Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietates. Vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit : illa naturæ ordinem audivit, iste exsultavit ratione mysterii : illa Mariæ iste Domini sensit adventum. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur pietatis mysterium, antequam maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exsultavit infans, et repleta est mater. Non prius mater repleta, quam filius. Sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit et matrem.

« Et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta « tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris « tui. » Notandum quod præmissam de Christo prophetiam, non rerum tantum miraculis, sed et verborum proprietate complectitur. Iste est enim fructus, qui David patriarchæ sub jurejurando promittitur : « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI). » Simulque intuendum, quod eadem voce Maria ab Elisabeth, qua a Gabriel, benedicitur, quatenus et angelis et hominibus veneranda, et cunctis merito feminis præferenda monstretur.

« Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei « ad me? » Non quasi nescia perquirit, quod nimi-

rum sancti Spiritus esse cognoscitur, se videlicet a A matre Domini ad pignoris sui perfectum salutari : sed miraculi novitate perculsa, non hoc sui muneris, sed muneris fatetur esse divini.

« Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in « auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero « meo.» Erubescebat Elisabeth onus parientis, quandiu nesciebat mysterium religionis. Sed quæ occultabat se, quia conceperat filium, jactare se cœpit, quia generabat prophetam. Et quæ ante erubescebat, benedicit : et quæ dubitabat ante, firmatur. « Ecce enim, inquit, ut vox salutationis tuæ facta est in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. » Itaque magna voce clamavit, ubi Domini sensit adventum, quia religiosum credidit partum, ubi prophetæ ortus, non affectate fidem generationis B adscisceret.

« Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur « ea quæ dicta sunt tibi a Domino.» Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, et ideo fructum fidei consecutam. Beata, inquit, quæ credidisti, et vere beata, quæ sacerdote præstantior, cum sacerdos negasset, virgo correxit et pignore. Pariterque notandum, quanta Elisabeth animum gratia, Maria intrante, ditavit, quam simul de præterito, præsenti atque futuro, prophetiæ spiritus illustravit. Dicens enim : « Quæ credidisti beata, » aperte indicat, quia verba angeli, quæ dicta ad Mariam fuerant, per Spiritum agnovit. Atque subjungens : «Perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino, «quæ etiam eam in futuro sequerentur prævidit. Matrem vero Domini sui nominans, quia Redemptorem humani generis C in utero portaret, intellexit.

« Et ait Maria :Magnificat anima mea Dominum. « Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. » Tanto, inquit, me Dominus tamque inaudito munere sublimavit, quod non ullo linguæ officio explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi. Et ideo totas animi vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplandam magnitudinem ejus cui non est finis, quidquid vivo, sentio, discerno, gratulanter impendo. Quia et ejusdem Jesu, id est salutaris spiritus meus æterna divinitate lætatur, cujus mea caro temporali conceptione fœtatur. Cui simile est illud Psalmistæ :«Anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari ejus (*Psal.* XXXIV). »Et ipse enim Patrem Filiumque D pari venerabatur amore.

« Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce « enim, ex hoc beatam me dicent omnes generatio- « nes. » Cujus humilitas respicitur, recte beata ab hominibus cognominanda gratulatur :sicut contrario, cujus superbia despecta condemnatur, Evæ, id est væ, sive calamitatis nomine mulctata tabescit. Decebat enim ut, sicut per superbiam primæ parentis nostræ mors in mundum intravit, ita denuo per humilitatem Mariæ introitus panderetur vitæ.

« Quia fecit mihi magna qui potens est ; et san- « ctum nomen ejus. » Ad initium carminis respicit ubi dictum est :«Magnificat anima mea Dominum.» Sola quippe anima illa, cui Dominus magna facere dignatur, dignis eum præconiis magnificare, et ad consortes ejusdem voti ac propositi potest cohortando dicere : « Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in invicem (*Psal.* XXXIII). » Nam qui Dominum, quem cognovit, quantum in se est, magnificare et nomen ejus sanctificare contempserit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Sanctum autem nomen ejus vocatur, quia singularis culmine potentiæ transcendit omnem creaturam, atque ab universis quæ fecit, longe segregatur. Quod græca locutione melius intelligitur, in qua ipsum verbum quod dicitur ἅγιον quasi extra terram esse significat. Cujus etiam nos imitatione, pro modulo nostro segregari, præcipimur, ab omnibus qui non sunt sancti, nec Deo dicati, dicente Domino :« Sancti estote, quia ego sanctus sum (*Lev.* XX). » Quicunque enim se consecraverit, merito extra mundum videbitur. Potest enim et ipse dicere :Super terram ambulantes, conversationem in cœlis habemus.

« Et misericordia ejus in progenie et progenies « timentibus eum. »A specialibus se donis ad generalia Dei judicia convertens, totius humani generis statum describit. Et quid superbi, quid humiles mereantur, quid filii Adæ per liberum arbitrium, quid filii Dei sive per gratiam, alterius versibus explicat. Non ergo, inquit, soli mihi fecit magna, qui potens est, sed in omni gente et progenie, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.

« Fecit potentiam in brachio suo, dispersit super- « bos mente cordis sui. »In brachio suo, in ipso Dei Filio significat. Non quod Pater figura determinetur carnis humanæ, eique Filius tanquam membrum corporis adhæreat, sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium Domini dictus est. Sicut enim tuum brachium per quod operaris, sic Dei brachium dictum est ejus verbum, per quod verbum operatus est mundum. Cur enim homo brachium, ut aliquid operetur, extendit, nisi quia non continuo fit quod dixerit ? Si autem tanta potestate prævaleret, ut sine ullo motu corporis sui quod diceret fieret, brachium ejus verbum ejus esset. Cum ergo audivimus brachium Dei Patris esse Dei Filium, non nobis obstrepat consuetudo carnalis, sed quantum illo donante possimus Dei virtutem, et Dei sapientiam cogitemus, per quem facta sunt omnia.

« Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. « Esurientes implevit bonis, et divites dimisit ina- « nes.» Quod dixit in brachio suo, et quod præmisit in progenie et progenies, his quoque proximis per singula commota est adnectendum versiculis, quia videlicet per omnes sæculi generationes, et perire superbi, et humiles exaltari, pia justaque divinæ potentiæ dispensatione non cessant.

« Suscepit Israel puerum suum, memorare mise- « ricordiæ suæ. » Pulchre puerum Domini appellat Israel, qui ab eo sit ad salvandum susceptus, obedientem videlicet et humilem, juxta quod Oseæ di-

cit: « Quia puer Israel, et dilexi eum (*Ose.* XI). » Nam qui contemnit humiliari, non potest utique salvari, nec dicere cum propheta: « Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ (*Psal.* LIII). » — « Quicunque autem humiliaverit se sicut parvulus, hic est major in regno cœlorum (*Matth.* XVIII). »

« Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et « semini ejus in sæcula. » Semen Abrahæ non carnale, sed spiritale significat, id est, non tantum carne progenitos, sed sive in circumcisione, seu in præputio, fidei illius sequentes vestigia. Nam et ipse in præputio positus credidit, reputatumque est ei ad justitiam, atque ejusdem fidei signaculum circumcisionem accepit, ut sic utriusque populi pater fieret per fidem, juxta quod Apostolus ad Romanos plenissime disserit. Adventus ergo Salvatoris, Abrahæ est et semini ejus promissus in sæcula, hoc est, filiis promissionis, quibus dicitur: «Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes (*Gal.* III). » Bene autem vel Domini vel Joannis exortum matres prophetando præveniunt, ut sicut peccatum a mulieribus cœpit, ita etiam a mulieribus bona incipiant. Et quæ per unius deceptionem periit, duabus certatim præconantibus mundo vita reddatur.

HOMILIA VI.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

(LUC. III.) « In illo tempore, anno quinto decimo « imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato « Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Phi- « lippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Tra- « chonitidis regionis, et Lysania Abilenæ tetrar- « cha, » et reliqua. Herodes, Philippus, et Lysania, qui cum Pilato præside Romano Judæam regebant, filii sunt Herodis, illius sub quo Dominus natus est. Inter quos et ipsum Herodem Archelaus frater eorum decem annis regnavit. Qui a Judæis ob intolerabilem animi ferocitatem apud Augustum criminatus, æterno apud Viennam disperiit exsilio. Regnum vero Judææ quo minus validum fieret, idem Augustus per tetrarchias scindere curavit. Porro Pilatus duodecimo anno Tiberii Cæsaris in Judæam missus, procurationem suscepit gentis, atque inibi per decem continuos annos, usque ad ipsum pene finem Tiberii perduravit.

« Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, fa- « ctum est verbum Domini super Joannem Zachariæ « filium in deserto. » Ambo quidem, incipiente prædicatione Joannis, id est Annas et Caiphas, principes fuere sacerdotum, sed Annas illum annum, Caiphas vero illum, quo Dominus crucem ascendit, administrabat; et quidem tribus aliis in medio pontificatu perfunctis, verum his maxime, qui ad Domini passionem pertinerent, ab Evangelista commemoratis. Legalibus namque tunc præceptis vi et ambitu cessantibus, nulli pontificatus honor vitæ vel generis merito reddebatur: sed Romana potestate aliis nunc, item et aliis summi sacerdotii honor præstabatur. Denique Josephus refert in hunc modum, dicens: Valerius Gratus, Anna sacerdotio deturbato, Ismaelem pontificem designavit, filium Bassi. Sed et hunc non multo post abjiciens, Eleazarum Ananiæ pontificis filium pontificatui subrogavit. Post annum vero etiam hunc arcet officio. Octavianus imperator regnavit annis quinquaginta sex, et Simoni cuidam Canifi filio pontificatus tradidit ministerium. Quo non amplius et ipse quam unius anni spatio perfunctus, Josephum cui et Caiphas nomen fuit, accepit successorem. Ac per hoc omne tempus quo Dominus noster in terris docuisse describitur, intra quadriennii spatio coarctatur, in quo quatuor istæ (quas Josephus memorat) successiones pontificum describuntur, vix unoquoque per annos singulos ministrante. Quia ergo Joannes illum prædicare veniebat, qui et ex Judæa quosdam, et multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium, et principes Judæorum prædicationis ejus tempora designantur. Quia autem gentilitas colligenda erat, et Judæa pro culpa perfidiæ dispergenda, ipse quoque descriptio terreni principatus ostendit. Quoniam et in Romana republica unus præfuisse describitur, et in Judææ regno per quartam partem plurimi principabantur. Voce enim nostri Redemptoris dicitur: «Omne regnum in seipso divisum, desolabitur (*Luc.* XI). » Liquet ergo quod ad finem regni Judæa pervenerat, quæ tot regibus divisa subjacebat. Apte quoque non solum quibus regibus, sed quibus etiam sacerdotibus actum sit, demonstratur: ut quia illum Joannes Baptista prædicaret, qui simul rex et sacerdos exsisteret. Lucas Evangelista prædicationis ejus tempora, per regnum et sacerdotium designavit.

« Et venit in omnem regionem Jordanis, prædi- « cans baptismum pœnitentiæ, in remissionem pec- « catorum. » Cunctis legentibus liquet, quia Joannes baptismum pœnitentiæ non solum prædicavit, verum etiam quibusdam dedit, sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio etenim peccatorum, in solo vobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quoniam baptismum quod peccata solveret, quia dare non poterat, prædicebat. Ut sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ quo peccata solvi non possunt.

« Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ pro- « phetæ (*Isai.* XL): Vox clamantis in deserto, parate « viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. » Idem vero Joannes Baptista requisitus quis esset, respondit: « Ego vox clamantis in deserto. » Qui ideo vox a propheta vocatus est, quia Verbum præibat. Qui etiam in desertum clamat, quia derelictæ ac destitutæ Judææ solatium redemptionis annuntiat. Quid autem clamaret, aperitur cum subditur: « Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. » Omnis qui fidem rectam et bona opera prædicat, quid aliud quam venienti Domino ad corda audientium

viam parat, ut hanc vis gratiæ penetret, lumen veritatis illustret. Ut rectas Deo semitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonæ prædicationis format?

« Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis « humiliabitur. » Quid hoc loco vallium nomine, nisi humiles? quid montium et collium nisi superbi homines designantur? In adventu igitur Redemptoris valles impletæ, montes vero et colles humiliati sunt, quia juxta ejus vocem « omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XVIII). » Vallis etenim impleta crescit, mons autem et collis humiliatus decrescit. Quia nimirum in fide Mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, et gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, et Judæa per errorem perfidiæ, hoc unde tumebat, perdidit. « Et « erunt prava in directa, et aspera in vias planas. » Prava in directa fiunt, cum malorum corda per injustitiam detorta, ad justitiæ regulam diriguntur. Et aspera in vias planas mutantur, cum immites atque iracundiæ mentes, per infusionem supernæ gratiæ, ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quasi asperitas itineris gressum pergentis repellit. Sed cum iracunda, per acceptam mansuetudinis gratiam, correptionis vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam prædicator invenit, ubi prius pro asperitate itineris pergere, id est prædicationis gressum ponere non valebat.

« Et videbit omnis caro salutare Dei. » Quia omnis caro accipitur omnis homo, « salutare Dei, » videlicet Christum, in hac vita omnis homo videre non potuit. Ubi ergo in hac sententia propheta prophetiæ oculum nisi ad extremum judicii diem tendit? ubi cum apertis cœlis, ministrantibus angelis, consedentibus apostolis, in sede majestatis suæ Christus apparuerit, omnes hunc et electi et reprobi pariter videbunt, ut et justi de munere retributionis sine fine gaudeant, et injusti in ultione suplicii in perpetuum gemant.

HOMILIA VII.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

(JOAN. I.) « In illo tempore, miserunt Judæi ab « Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut « interrogarent eum: Tu quis es? » et reliqua. Potest movere ad investigandum, quare Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas mittentes ad Joannem, tam sollicite et studiose requirerent eum, dicentes: « Tu quis es? » Sed ad hæc facilis et vera patet responsio, quia vulgata res erat apud Judæos in frequentatione legis, ut illud Moysi: « Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me: ipsum audietis, juxta omnia quæ locutus fuerit vobis (*Deut.* XVIII). » Et ex oraculis prophetarum manifestatum, quod Christus esset in mundum venturus, et novam doctrinam prædicaturus; et ideo quia audierant Joannem per repromissionem anglicam de sene patre et sterili matre esse natum, audierant in ejus nativitate linguam patris solutam, videbantque juvenem

A deserta sectantem et inauditam prius pœnitentiam in remissionem peccatorum, vel doctrinam prædicantem, miram abstinentiam conservantem, baptismum quoque non solum docentem, sed etiam dantem: æstimaverunt apud semetipsos, quod ipse esset Christus, qui eis fuerat promissus; et ideo miserunt ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum: « Tu quis es? » Quod enim hac suspicione permoti, ad eum interrogandum miserint, alius evangelista Lucas scilicet manifeste declarat, dicens: « Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne ne forte ipse esset Christus (*Luc.* III). »

« Miserunt ab Hierosolymis sacerdotes et levitas, « ut interrogarent eum: Tu qui es? » Sed veritatis B præco quid de se dicat, audiamus.

« Et confessus est, et non negavit, et confessus est, « Quia non sum ego Christus. » Si quæras quid confessus est, et quid non negavit: confessus est quod non erat, non negavit quod erat. Confessus est se non esse Christum, sed non negavit se præcursorem Christi. Confessus est se non esse judicem, sed non negavit præconem se esse judicis. Confessus est non se esse sponsum, sed se non negavit amicum sponsi. Confessus est non se esse verbum, non se negavit esse vocem. Elegit enim solide subsistere in se, ne humana opinione inaniter raperetur super se. Magis enim voluit humilis inter membra Christi numerari, quam ejus nomen immeritus usurpare, et ab ipso corpore Christi abscindi. Quia cum eum magnum alii putarent, ipse parvum se æstimavit. Aliis enim C magna de se æstimantibus, ipse de se minima sensit, conservans illud quod Scriptura dicit: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (*Eccle.* III). »

« Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? « Qui dicit: Non sum. » Et de persona ideo Joannem interrogabant, quia in oraculo Malachiæ prophetæ, Eliæ adventum promissum habebant, Domino dicente: « Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten, qui convertet corda patrum in filios, et corda filiorum ad patres eorum (*Malach.* IV). » Sed quod de secundo adventu Domini prædictum erat, illi de primo dictum arbitrantes, confitente Joanne, quod non esset Christus, interrogaverunt eum, dicentes: « Quid ergo? Elias es tu? Qui dicit: Non sum. » D Ex cujus responsione non parva nobis quæstio oritur, si aliam Evangelii lectionem ad memoriam reducamus. Legimus enim alibi, quod requisitus Dominus a discipulis de adventu Eliæ, respondit: « Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quæcunque voluerunt. Et si vultis scire, Joannes ipse est Elias (*Matth.* XI, XVII). » Cum ergo Dominus dicat, Joannes ipse est Elias, quare Joannes interrogatus dicit, Non sum Elias? Nihil magis dissonum videri potest, quam esse, et non sum. Nunquid aliud veritas sentit, et aliud præcursor et propheta veritatis? Nunquid aliud judex nuntiat, et aliud præco clamat? Non. An simul Elias

et Joannes esse poterat? Sed utrumque quomodo verum sit, cito cognoscimus, si verba angeli, quibus ad Zachariam locutus est cum Joannem nasciturum prædiceret, ad memoriam reducamus. Ait enim inter cætera : « Ipse præibit ante illum in spiritu et virtute Eliæ (*Luc.* I). » Ex quibus verbis ostenditur, quia Joannes in persona Elias non erat, in spiritu autem Elias erat. Quia sicut Elias adventum Domini secundum præcessurus est, quando venturus est judicare mundum : sic Joannes adventum Domini primum præcessit, quando venit redimere mundum. Et sicut ille præco futurus est Judicis, ita iste præcursor factus est Redemptoris. Et ideo quod Dominus dicit de spiritu, hoc Joannes denegat de persona. Et quod Joannes de persona negat, hoc Dominus de spiritu affirmat. Quamvis igitur tempore fuissent divisi, tamen spiritu fuerunt uniti. Et quia Dominus spiritualibus discipulis loquebatur, quibus datum erat nosse mysterium regni Dei, dignum erat ut spiritualem de Joanne sententiam proferret, dicens : « Joannes ipse est Elias. » Joannes vero requisitus a Judæis, qui tantum litteram, non autem spiritum, pensare noverant, dignum fuit ut non de spiritu, sed de sua persona diceret : « Non sum Elias. » Denique si quis amborum præconum actionem diligenter inspiciat, unum eumdemque spiritum, in utrisque operatum, intelligit. Elias namque in deserto fuit, similiter et Joannes. Elias quadraginta diebus et noctibus jejunavit (*III. Reg.* XIX), et Joannes inauditam prius abstinentiam tenuit : quia locustas et mel silvestre comedit (*Marc.* I). Elias zonam pelliceam habuit circa lumbos (*IV Reg.* I), similiter et Joannes (*Matth.* III). Elias Jordanem fluvium pallio divisit (*IV Reg.* XIX), et Joannes in Jordane fluvio baptizavit (*Joan.* I). Elias persecutionem ab Achab rege et impiissima regina Jezabel passus est (*III Reg.* XIX), et Joannes ab Herode propter Herodiadem capite truncatus est (*Marc.* VI). « Propheta es tu? Et respondit : Non. » Ideo autem Joannes prophetam se esse negavit, quia plus quam prophetam se esse intellexit. Prophetæ enim officium est ventura prædicere, non autem demonstrare. Ergo Joannes plusquam propheta fuit, quia eum quem venturum prædixit, etiam venisse digito demonstravit, dicens : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Sed sacerdotes et levitæ, qui ad Joannem missi fuerant, adhuc diligentius quis sit inquirunt, dicentes :

« Quis ergo es, ut responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? » Sed ille qui se Christum negaverat, qui se neque Eliam neque prophetam esse dixerat, quid de se sentiat, aperit cum subjungit :

« Ego vox clamantis in deserto. » Pulchre se Joannes vocem dixit, quia verbum præibat. In humana enim locutione vox præcedit, et postmodum verbum sequitur : quia non poterit verbum formari, nisi prius vox sonuerit. Recte ergo Joannes se vocem fatetur, quia verbum præibat, illud scilicet de quo Joannes evangelista dicit : « In principio erat Verbum, et Ver-

A bum erat apud Deum et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Et iterum : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Ibid.*). » Ne enim Domino apparente humana cæcitas in ejus claritate subito offerendet, missus est Joannes ante Dominum quasi lucerna ante solem, vox ante verbum, præco ante judicem, ut scilicet per ejus prædicationem corda hominum ad videndum Deum præpararentur, sicut per Joannem evangelistam dictum est : « Fuit homo missus a Deo, cui nomen Joannes erat. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. » Clamabat ergo Joannes in deserto, id est in Judæorum populo. Quia enim desertum dicitur derelictum, recte deserti nomine Judæorum censetur B populus, qui derelinquens Dominum, derelictus est ab eo, sicut eis alibi Dominus exprobrat, dicens : « Ecce relinquetur domus vestra deserta (*Luc.* XV). » In hoc ergo deserto Joannes clamabat, cum peccantibus pœnitentiam prædicabat, dicens : « Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ (*Luc.* III). » Sed adhuc quid clamaverit, audiamus : « Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. » Via enim Domini ad cor dirigitur, cum ad præcepta Dei audienda cor humiliter inclinatur. Aliter : Via Domini ad cor dirigitur, cum bonum quod cor intelligit, manus operatur. Sed doctor quilibet in exemplo Joannis dirigit viam Domini, quando declinare a malo, et facere bonum persuadet, ut videlicet mundato aditu cordis, illum habitatorem habere possit qui dicit : C « Ecce ego sto ad ostium et pulso. Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille mecum (*Apoc.* III). » Taliter igitur nobis viam Domini præparantibus, Jesus ad cor nostrum per fidem venire dignabitur, sicut ipse ait in Evangelio : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Unde per Psalmistam prædicatoribus dicitur : « Iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi (*Psal.* LXVII). » Sed quia sacerdotes et levitæ magis reprehendendi studio quam discendi voto Joannem interrogabant, tacite evangelista manifestare curavit, cum adjunxit :

« Et qui missi fuerant, erant ex pharisæis. » Ac si D diceret : Illi Joannem de suis actibus requirebant, qui magis solebant doctrinam invidere, quam imitari.

« Et interrogaverunt eum et dixerunt ei. » Sed hi qui missi fuerant, quia de persona responsum acceperant, etiam de ministerio inquisitionem faciebant dicentes : « Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? » Ac si dicerent : Cujus auctoritatis es, ut novam doctrinam audeas docere, et inauditum prius hominibus baptismum dare, cum tu non sis Christus, neque Elias, neque propheta? Et quia, secundum apostoli Petri sententiam (*I Petr.* III), parati semper esse debemus, ad reddendam rationem omni poscenti, de ea quæ in

nobis est fide, percontatus Joannes cur baptizaret, A respondit dicens:

« Ego baptizo in aqua. » Ubi notandum quia in aqua se bastizare dixit, non in Spiritu, quia corpora abluebat, sed peccata non dimittebat. De quo scriptum est: « Erat Joannes in deserto prædicans baptismum pœnitentiæ (*Marc.* I). » Et iterum: « Joannes baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto (*Act.* I). » Quare ergo baptizabat, si peccata non dimittebat? Nunquid per hoc ejus baptismum vacuum videbatur? Non. Nimirum ut præcursionis suæ ordinem servans, qui nasciturum Christum nascendo prævenerat, baptizaturum quoque in Spiritu baptizans in aqua præveniret. Nam et sacerdotes hodie in aqua baptizant, quia per exterius ministerium baptizatorum corpora in aqua intingunt, sed ille B solus in Spiritu baptizat, qui per Spiritum sanctum peccata dimittit. De quo voce Patris ad eumdem Joannem dictum est: « Super quem videris Spiritum sanctum descendentem quasi columbam, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. » Et sicut Verbum prædicando præibat, ita suum baptismum in quo peccata non solvebantur, illius verum baptismum præveniret, in quo peccata relaxarentur. Unde secundum alium evangelistam, videlicet Matthæum, bene respondisse Joannes dicitur: « Ego quidem aqua baptizo vos in pœnitentiam, » et post pusillum adjecit: » Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*Matth.* III). » Ignis enim nomine Spiritus sanctus designatur. De quo Salvator ait: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat (*Luc.* XII)? Nec putandum est baptismum C Joannis parum profuisse hominibus, qui etsi peccata non dimittebat, omnes tamen qui ab illo baptizabantur, sub peccati vinculo constrictos esse sentiebat. Et ideo Redemptorem nostrum et mundatorem, mox ubi apparuisset, qui peccata dimittere posset, quærere necesse habebant. De quo voce præcursoris sui adhuc subditur: « Medius autem vestrum stetit, « quem vos non scitis. » Medium autem hic Dominum Jesum Christum dicit, qui dum sit excelsus super omnia, ex Judæis carnem assumens, inter homines conversari dignatus est, sicut ipse ait discipulis: « Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat (*Luc.* XXII). » Quem medium stetisse, non autem cognitum essse dicit: quia per humanitatem hominibus vel Judæis visibilis apparuit, sed plurimis D per divinitatem incognitus mansit. Unde Joannes evangelista dicit: « In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* XI). » De quo adhuc subditur:

« Ipse est qui post me venturus est, qui ante me « factus est. » Quod est dicere, post me venturus est, quin post me natus est post me prædicare incipiet, sed ante me factus, id est mihi dignitate prælatus, id est antepositus. Quod autem ait, « ante me factus est, » ad excellentiam dignitatis pertinet, cujus prælationis causas idem Joannes alibi aperit, dicens: « Quia prior me erat (*Joan.* III). » Ac si diceret: Inde me post natus superat, quia nativitatis suæ tempora eum non coangustant. Quoniam qui post me natus est de matre sine patre ante omnem creaturam, sine ullo initio genitus est ex patre sine matre. De quo alibi ipse Joannes ait: « Me oportet minui, illum autem crescere (*Joan.* III). » In cujus comparationis magnitudine, quam se parvum credat, manifestat adjungens: « Cujus non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti (*Joan.* I). » Ubi considerandum est, quia cum magna sit Joannis sanctitas, non minor ejus declaratur humilitas. Cum enim tantæ sanctitatis esset, ut a turbis Christus esse putaretur, tantæ humilitatis fuit, ut ad solvendam ejus corrigiam calceamenti indignum se judicaret. Si spiritalem sensum sequamur, est in corrigia calceamenti, ligatura mysterii. Calceamentum quippe ex mortuo fit animanti. Quia enim calceamentum pedes munire solet, recte per calceamentum Domini, ejus humanitatis incarnatio designatur. Quoniam cum invisibilis Deus in homine, quem assumpsit, nobis visibilis Deus in homine, quem assumpsit, nobis visibilis apparuit, quasi calceata divinitas ad nos venit, sicut ipse per Psalmistam dicit: « In Idmæam extendam calceamentum meum (*Psal.* LIX). » Idumæa autem, quæ *sanguinea* interpretatur, significat gentilem populum, qui variis facinoribus peccatorum erat sanguinolentus. Quasi enim Dominus in Idumæam calceamentum extendit, quando per incarnationis suæ mysterium gentibus se manifestavit. Sed ejus corrigiam calceamenti Joannes solvere non præsumpsit, quia incarnationis ejus secretum, qualiter obumbrante Spiritu sancto, Virgo conceperit, nec ipse perscrutari præsumpsit, qui eum in carne venientem etiam digito demonstravit. Alta enim et inscrutabilia sunt sacramenta divinitatis, nec ea mortalium quisquam discurrere potest, sicut per prophetam dicitur: « Generationem illius quis enarrabit (*Isa.* LIII)? » Hujus inscrutabilem profunditatem considerabat Paulus apostolus, cum dicebat: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et quam investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit (*Rom.* XVI)? » Et Psalmista: « Quam magnificata sunt opera tua, Domine (*Psal.* XC)! » Est quoque et in corrigia calceamenti aliud quod considerari subtiliter potest. Consuetudo enim fuit apud veteres ut si quis uxorem fratris defuncti accipere nollet, ille ejus corrigiam calceamenti solveret, qui ad hanc propinquitatis jure sponsus accederet, et ob hanc causam illius domus, discalceati domus appellaretur in Israel, sicut exemplo Ruth Moabitidis discimus. Christus autem inter homines sanctæ Ecclesiæ sponsus apparuit, sicut per psalmum dicitur: « Tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). » Et idem Joannes: « Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus vero sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi (*Joan.* III). » Unde et ipse Dominus ait in Evangelio: « Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus?

(*Matth.* III.) »Cum autem miræ sanctitatis Joannem homines cernerent, cum hunc Christum putarent, quasi sanctæ Ecclesiæ sponsum credere volebant, sicut de eo Dominus ait: Vos venistis ad Joannem, et voluistis exultare in nomine ejus. Sed Joannes ad corrigiam calceamenti solvendam indignum se dicit, quia cum se Christum, quod putabatur esse negavit, sponsi nomen immeritus non usurpavit, ac per hoc se esse sponsum sanctæ Ecclesiæ, negavit. Ac si diceret: Non sum ego sponsus, sed amicus sponsi.

« Hæc in Bethania facta sunt, trans Jordanem, ubi « erat Joannes baptizans. » Bethanias duas esse legimus: est namque Bethania in latere montis Oliveti, ubi Dominus Lazarum suscitavit, ipsa est et Betphage. Est et alia Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans, et ubi hæc facta fuisse referuntur. De qua idem Joannes evangelista commemorat, dicens: «Erat Joannes baptizans in Ænon juxta Salim, eo quod essent ibi aquæ multæ. » Spiritualiter autem Bethania in nostra lingua *domus obedientiæ* interpretatur. Pulchre ergo præcursor Domini in Bethania, quæ *domus obedientiæ* interpretatur, baptizare dicitur, uti intelligant homines quia si a peccato originali, quod per inobedientiam primi hominis contigit, absolvi desiderant, submisso corpore et credulo corde baptismi sacramentum suscipere debent. Quoniam sicut ait Salvator alibi: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III). » Jordanis autem *descensus eorum* interpretatur: quorum, nisi baptizatorum? quasi enim in Jordane baptizantur homines, quia antequam ad baptismum veniant, filii iræ et filii diaboli sunt: sed cum in baptismum descendunt, descendentibus peccatis, filii pacis et filii Dei per adoptionem ascendunt.

HOMILIA VIII.

IN VIGILIIS NATIVITATIS DOMINI.

(MATTH. I.) « In illo tempore, cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto, »et reliqua, Cum nativitatem Domini, et Salvatoris nostri Jesu Christi, qua æternus ante sæcula Dei Filius, hominis ex tempore filius apparuit. Matthæus evangalista brevi quidem sermone, sed ab Abraham usque ad Joseph virum Mariæ perduxisset, omnesque communi humanæ creationis ordine genitos simul et generantes ostendisset, mox de ipsa locuturus, quantum ejus generatio a cæteris distaret, aperuit: quia videlicet cæteri per conjunctionem maris et feminæ solitam, ipse autem per virginem, utpote Filius Dei nasceretur in mundum. Et quidem decebat omnibus modis, ut cum Deus homo propter homines fieri vellet, non ex alia quam de virgine nasceretur, cum virginem generare contingeret, non alium, quam qui Deus esset, filium procrearet. « Cum esset (inquit) desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. « Quo ordine, vel in qua civitate sit celebrata conceptio, Lucas evangelista sufficienter exponit. Quod quia vestræ sanctitati constat esse notissimum, dicendum est paucis de his quæ Matthæus scribit. Notandumque in primis, in eo quod ait, « antequam convenirent, » verbo conveniendi non ipsum concubitum, sed nuptiarum, quæ præcedere solent, tempus insinuatur, quando ea quæ prius sponsata fuerat, esse conjux incipit. Ergo « antequam convenirent,» dicit, antequam nuptiarum solemnia rite celebrarent, « inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » Siquidem memorato ordine postea convenerunt, quando Joseph ad præceptum angeli accepit conjugem suam, sed non concumbebant, quia sequitur, « et non cognoscebat eam. » Inventa est autem in utero habens, a nullo alio quam Joseph, qui licentia maritali futuræ uxoris pene omnia noverat, ideoque tumentem ejus uterum mox curioso deprehendit intuitu. Sequitur:

« Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et « nollet eam traducere, voluit occulte dimittere « eam. » Videns autem Joseph sponsam concepisse suam, quam bene noverat a nullo viro fuisse attactam, cum esset justus et juste omnia vellet agere, optimum duxit ut neque hoc aliis proderet, neque ipse eam acciperet uxorem; sed mutato occulte nuptiarum proposito, in conditione eam sponsæ manere pateretur, ut erat. Nam et in Isaia legerat, virginem de domo David esse concepturam et parituram Deum, de qua etiam domo noverat genus duxisse Mariam, atque ideo non discredebat in ea prophetiam hanc fuisse complendam. Sed si eam voluisset occulte dimittere, neque accipere conjugem, et illa sponsa pareret, nimirum pauci essent, qui eam virginem, et non potius autumarent esse meretricem. Unde Joseph consilium repente consilio meliore mutatur, ut videlicet ad conservandam Mariæ famam, ipse eam celebrato nuptiarum convivio, conjugem acciperet, sed castam perpetuo custodiret. Maluit namque Dominus aliquos modum suæ generationis ignorare, quam castitatem infamare genitricis. Nam sequitur:

« Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini « in somnis apparuit ei, dicens: Joseph fili David, « noli timere accipere Mariam conjugem tuam. « Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto « est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus « Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum « a peccatis eorum. » Quibus profecto verbis, modus conceptionis ejus simul et dignitas partus edocetur, quia videlicet et de Spiritu sancto conciperet et paritura sit Christum. Quem etsi aperta voce angelus Christum non apellet, in eo tamen quod etymologiam nominis Jesu exponens, ipsum salutis ostendit auctorem, populorumque salvatorem eum nuncupat, manifesta ratione, quia sit Christus; significat ut per hæc et quæ nescierat, discat Joseph. ut a contactu Dei genitricis funditus mentem amo-

veat. Quam tamen dispensatione justæ necessitatis accipere jubetur, solo de nomine conjugem, ne videlicet quasi adultera lapidaretur a Judæis, et ut in Ægyptum fugiens, haberet solatium masculi, qui familiari cura, et custos femineæ fragilitatis, et testis ejus perpetuæ virginitatis existat. Produnt et catholici expositores alias causas, quare Dei genitricem Joseph accipere debuit conjugem, quas in suis qui vult, inveniet locis. Adhibet autem evangelista partui virginali etiam prophetici sermonis exemplum, ut tantæ miraculum majestatis eo certius videretur, quo hoc non solum ipse factum crederet, sed etiam a propheta prædictum recoleret. Nam et huic evangelistæ, id est Matthæo, moris est omnia quæ narrat etiam propheticis affirmare testimoniis. Scripsit namque Evangelium suum ad eorum maxime causam qui ex Judæis credebant, nec tamen legis ceremoniis, quamvis renati in Christo, valebant avelli. Et propterea satagebat eos a carnali legis et prophetarum sensu, ad spiritualem, quæ de Christo est, erigere, quatenus sacramenta fidei Christianæ tanto securius perciperent, quanto hæc non alia esse quam quæ prophetæ prædixerant, cognoscerent.

« Ecce virgo (inquit) in utero habebit et pariet « filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod « est interpretatum, *nobiscum Deus*. » Nomen Salvatoris, quod *nobiscum Deus* a propheta vocatur, utramque naturam unius personæ ipsius significat. Qui enim ante tempora natus ex Patre Deus est, ipse in plenitudine temporum Emmanuel, nobiscum Deus in utero matris factus est: quia nostræ fragilitatem naturæ in unitatem suæ personæ suscipere dignatus est, quando Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : mirum videlicet in modum incipiens sese quod non sumus, et non desinens esse quod erat: sic assumens naturam nostram ut quod erat, ipse non perderet.

« Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut « præceperat ei angelus Domini. Et accepit con- « jugem suam, et non cognoscebat eam. » Accepit eam ad nomen conjugis, ob causas « quas prædiximus, » et non cognoscebat eam, ad opes conjugale, ob arcana quæ didicerat. Quod si quis huic nostræ expositioni obsistere et contendere voluerit, beatam Dei genitricem nunquam a Joseph celebratis nuptiis in nomen conjugis assumptam, exponat ipse melius hunc sancti Evangelii locum, pariterque ostendat licitum fuisse apud Judæos ut sponsæ suæ quisque carnali copula misceretur, et sano ejus intellectui libenter cedimus; tantum ne erga matrem Domini quidquam gestum, quod publica opinione possit infamari, credamus. Quod vero additur, « Donec peperit filium suum primogenitum, » nemo ita intelligendum putet quasi post natum filium eam cognoverit, ut quidam perverse opinantur. Scire enim debet vestra fraternitas quia fuerunt hæretici qui propter hoc quod dictum est, « non cognoscebat eam donec peperit filium suu[illegible] crederent Mariam post natum Dominum cognitam esse a Joseph, et inde ortos eos, quos fratres Domini Scriptura appellat, assumpto et hoc in adjutorium sui erroris, quod primogenitus nuncupatur. Dominus Deus avertat hanc blasphemiam a fide omnium vestrum, donetque nobis catholica pietate intelligere, parentes nostri Salvatoris intemerata semper fuisse virginitate præclaros, et nos filios, sed cognatos eorum fratres Domini Scripturarum more nuncupari; et ob id evangelistam, an post natum Filium Dei eam cognoverit non curasse, quia nulli de hoc ambigendum putaverat, conjuges, quibus in virginitatis castimonia permanentibus Dei Filium nasci singular gratia datum est, nullatenus ex eo castitatis jura temerare potuisse. Notandum quoque est quod primo geniti non juxta hæreticorum opinationem soli sunt, quos fratres sequuntur alii: sed juxta auctoritatem Scripturarum, omnes qui primi vulvam aperiunt, sive fratres eos aliqui, seu nulli sequantur, primogeniti vocantur. Attamen Dominus speciali ratione potest primogenitus dictus intelligi, juxta hoc quod in Apocalypsi dicit de illo Joannes : « Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ (*Apoc.* I). » Et apostolus Paulus : « Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (*Rom.* II). » Primogenitus in multis fratribus, « quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. » Quorum recte « Primogenitus » appellatur, quia omnes adoptionis filios, etiam illos qui in carnationis ejus tempora nascendo præcesserunt, dignitate prægreditur. Siquidem possunt illi cum Joanne veracissime testari: « Qui post nos venit, ante nos factus est (*Joan.* I). » Id est post nos quidem in mundo genitus, sed merito virtutis et regni, Primogenitus omnium nostrum jure est vocatus. Qui et in ipsa divina nativitate non inconvenienter potest primogenitus dici, quia priusquam creaturam, gigneret, aliquam, coæternum sibi Pater genuit Verbum. Unde ipsum Verbum, ipse Filius, Dei videlicet virtus et sapientia, loquitur: « Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenitus ante omnem creaturam (*Eccli.* XXIV). » Deus de Deo natus erat, et in ea creatus ex humanitate, omnem merito creaturam præibat. « Et vocavit (inquit), nomen ejus Jesum. » Jesus Hebraice, Latine salutaris sive salvator dicitur. Cujus vocationem nominis, propheticis liquet esse certissimam. Unde sunt illa, magno visionis ejus desiderio cantata : « Anima autem mea exsultabit in Domino, et delectabitur in salutari ejus (*Psal.* XXXIV). » Et item : « Defecit in salutari tuo anima mea (*Psal.* CXVIII). » Et alibi: « Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Domino Jesu meo (*Habac.* III). » Et maxime illud : « Deus, in nomine tuo salvum me fac (*Psal.* LIII). » Ac si diceret: Nominis tui gloriam, qui salvator vocaris, in me salvando glorifica. Jesus ergo nomen est filii, qui ex virgine natus est angelo exponente, significans quod ipse salvet populum suum a peccatis eorum. Qui autem salvat a peccatis, id est utique a corruptio-

nibus mentis et corporis, quæ ob peccata contigerunt, salvabit. Christus vero vocabulum est sacerdotalis vel regiæ dignitatis. Nam et sacerdotes et reges in lege a chrismate, id est unctione olei sancti appellabantur Christi, significantes eum qui verus rex et pontifex in mundo apparens, unctus est oleo lætitiæ præ participibus suis. A qua unctione, id est chrismate, ipse Christus, et ejusdem unctionis, id est gratiæ spiritualis participes, sunt Christiani vocati. Qui per id quod pontifex est, nos salvaret a peccatis : per id quod pontifex est, nos reconciliaret Deo Patri. Per id quod rex est, regnum nobis patris dignaretur æternum.

« Christi autem generatio sic erat. » Quæritur cur non ait, Jesu Christi, sed solummodo « Christi, » quod angelo mox dicturo servavit. « Generatio, » ipse Christus in carne generatus. Ac si diceret : Generatio, quæ est Christus, sic erat, bifarie explanandum, vel ad decursæ genealogiæ locum, ubi ait: Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus. Omnes igitur generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim. Et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. Et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.

« Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, etc. » Sic autem erat Christi generatio, id est sic ad Christum pertinet hæc genealogia. « Cum esset desponsata. » His causis non de simplici virgine, sed de desponsata natus est Christus : Ne per feminam, sed per virum juxta morem Scripturæ genealogia texeretur; ne lapidaretur a Judæis ut adultera. Ut in Ægyptum fugiens, haberet viri solatium ; ut partus ejus celaretur diabolo, dum putat non de virgine, sed de uxore genitum. Ne temeratæ virginis adureretur infamia: maluit enim Dominus aliquos de suo potius ortu, quam de matris pudore dubitare. Ne virginibus velamen excusationis fieret, quod infamata sit mater Domini. Ne dicente Domino : Non veni solvere legem, sed adimplere, ullus objiceret, quod cum legis injuria natus sit. Ut testis pudoris maritus adhiberetur, qui posset delere et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. Ne videretur Maria culpam obumbrare mendacio: causam enim mentiendi desponsata non habuit, cum conjungii premium partus sit feminarum. Ne Herodi et Judæis excusandi præberetur occasio, quod natum ex adulterio persequerentur. Ut fidelibus conjugatis ex pari consensu continentia insinuaretur. Ut nisi prævaricationi esset obnoxia, qualiter humana progenies multiplicari sine virginitatis detrimento potuisset, demonstraretur. « Desponsata, » id est nondum nupta. « Mater ejus. » Mater ejus, inquit, non uxor Joseph. In ipsa janua amborum ponuntur nomina, quæ factis congruunt. « Antequam convenirent. » Proximum nuptiarum tempus ostendit, non quod sequeretur ut postea convenirent, sicut hoc dicit Helvidius, « Inventa est. » A nullo alio nisi a Joseph, qui maritali licentia futuræ uxoris omnia noverat. Hic Mathæus prætermisit multa quæ Lucas narravit, dicens : « In mense, inquit, sexto, missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum, etc. » Nimirum enim ad id usque ad genealogiam deduxit, ut disceret, Joseph virum Mariæ de qua natus esset Christus. Et ideo conceptum ejus, quem transcenderat, Lucæ narrandum reliquit. « In utero. » Non in uterum accipiens, id est non aliunde acceptum, sed interius veniente Spiritu sancto habitum, ut illud : Femina circumdabit virum.

« De spiritu sancto. » Quæritur, si inventa est a Joseph habens de Spiritu sancto, cur dimittere eam voluit? Ideo scilicet, quia nec totum scivit, nec totum ignoravit. Noverat in utero habentem, non de carnali concubitu, sed spiritali virtute. De quo vero Spiritu conceperit ignorabat, quod ei aperitur quasi nescienti « de Spiritu. » dum inducit, « sancto, » et reliqua. Item quæritur cur Matthæus anticipavit, quod mox angelus dicturus erat : pro spiritali fervore, et ne lectoris animus paucissimis licet lineis dubitaret, et ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum (*Deut.* xv, *II Cor.* xiii).

« Joseph vir ejus. » In scripturis sponsæ uxores, et sponsi viri vel mares dicuntur. « Cum esset justus. » Cum conscii criminum, obnoxii sint peccati, cur Joseph cum crimen celet, justus vocatur? Id est ut idoneum ejus testimonium commendet. In plerisque exemplariis additur, cum esset homo justus, ut ostendat secundum humanam justitiam Joseph justum fuisse, quia comparatione justitiæ Dei, pro nihilo ducitur. Et ideo recte sequitur : « Et nollet eam. » Non solum celat, sed nec audet contingere templum dominici corporis, recte justus justitiæ templum non corrumpit. « Traducere. » Ac si diceret: Nollet ducere sponsam, quam suspicatus est esse adulteram Aut aliter : sive traducere ad pœnam, quam sciebat non ab homine concepisse. Traductionis enim verbum, sæpius in mala quam in bona parte invenitur. Quod etiam Græcus nod absurde sermo significat παραδειγματίσαι, id est propalare, quod est palam facere, et omnibus notum facere conceptum. « Occulte. » Ne aut dimissa uxore sua, alieni coitus reatum super eam induceret, aut liberata seipsum quasi adulterii innocentem liberaret. Ecce Adam cœlestis nova opponit veteribus. Priori vice, ex solo viro femina facta est sine matre ; secunda vero, vir ex sola muliere natus est sine carnali patre. Ex feminis decuit nova redemptio, a quibus præcessit antiqua prævaricatio. Terrenus Adam de incorrupta terra formatus est, secundus Adam de incorrupta carne virginis Mariæ (*I Cor.* xv).

« Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini. » Bono viro et justo, bona et justa cogitanti bonus et justus apparet nuntius. Ideoque additur, « Domini. »

ad distinctionem apostatarum angelorum. Hunc angelum Gabrielem multi putant, juxta Lucæ videlicet narrationem. Non quasi ipse sit nuntius nativitatis omnium, sed quia interpretatur *fortitudo Dei* et victoria bellorum ei commissa est, ideo in nativitate Joannis et Christi nuntius venientium recte mittitur. Recte quoque de Deo cogitanti opportuna adhibetur consolatio, sicut duobus in via ambulantibus ostensus est Christus. « In somnis apparuit. » Sermo apparendi insolitam rem significat. Duobus modis locutio divina distinguitur : aut per angelos, aut per semetipsum. Sed cum per semetipsum fit, sola inspiratione interius sine verbis et syllabis cor docet, qui auditum aperit, et habere sonitum nescit, sicut Philippo Spiritus dixit : « Junge te ad currum istum (*Act.* VIII). » Cum vero per angelum, his modis fit. Aliquando verbis sine ulla imagine, sicut Christo dicente : « Pater, clarifica Filium (*Joan.* XVII), » protinus respondetur : « Clarificavi, et iterum clarificabo, et reliqua. Aliquando rebus, sine verbis, sicut Ezechiel electri speciem vidit in medio ignis (*Ezech.* I), per hanc Christi incarnationem designans. Aliquando verbis et rebus, sicut Adam ambulantem Dominum in paradiso post meridiem vidit (*Gen.* III), significans lucem veritatis a se recessuram. Aliquando imaginibus cordis oculis ostensis, sicut Jacob innixam cœlo scalam (*Gen.* XXVIII), et Petrus vas plenum animantibus in exstasi viderat (*Act.* X). Aliquando imaginibus ante corporeos oculos ex aere assumptis, sicut Abraham tres viros non solum vidit, sed in domum accepit, et insuper etiam pavit (*Gen.* XVIII). Aliquando cœlestibus substantiis, sicut baptizato Domino vox insonuit, dicens : « Hic est Filius meus (*Matth.* III). » Aliquando terrenis et cœlestibus, sicut coram Moyse in monte ignem rubumque sociavit (*Exod.* III), significans se doctorem populi fore, qui legis flammam acciperet, tamen peccati spinam non relinqueret : sive quod ex illo populo exiret, qui ignem divinitatis in humanitatis nostræ spinas imponeret. Aliquando humanis cordibus secreta præsentia inspirat : unde Zacharias ait : « Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me (*Zach.* II). » Cum vero huic beato Joseph apparuisse dicitur, imagine cordis ostensa apparuit. « Joseph, fili David. » Blandientis affectu loquitur, notum eum significans et familiarem cujus nomen et genus designatur. Hinc apparet quod ex eadem tribu erat Joseph et Maria, juxta illud : Nemo copuletur nisi de tribu sua (*Num.* XXXVI). In quo notandum quod non tam carne quam spiritu filium David illum dixerit, ut justum virum ex genere justi propagatum, hoc meruisse declararet. » Noli timere. » Apparet quod causa timoris appetierit dimittere eam, qui timebat profiteri spirituale conjugium. Vide quod metus ille non coercitus, quo accipere uxorem prohibitus est, sed jubetur ne ad suam præsentiam illam accipere expavescat. Prius timor expellitur, ut libentius dicenda postea audiantur. « Conjugem tuam. » Solet Scriptura sponsas, conjuges vel uxores vocare Sive

A ideo Maria conjux dicitur, quia sub eodem jugo educatura Salvatorem erat. « Quod, inquit, natum est, » non extrinsecus seminatum. » De Spiritu sancto est. » Hic solvitur quod Joseph scierit quod ignoravit. Sed non ob hoc Spiritus pater Christi existimandus est, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus vero hominem, sed quia ejus ministerio nativitas Christi adimpleta est.

« Pariet autem filium. » Parere tamen faciet sine dolore pariendi, sicut sine peccati voluntate fuit conceptus. Hic monstrantur quatuor incerta uniuscujusque nascentis, quia pariet filium qui vocabitur Jesus, qui salvum faciet populum suum. « Et vocabis. » O Joseph, vocibus prophetarum non contradicas. Notandum quod juxta Matthæum ad Joseph, B juxta Lucam ad Mariam vocare nomen pueri prædictum sit, quia Jesus ad salutem utriusque sexus venit. Jesum sequitur etymologia nominis, cum ait : « Ipse enim salvum faciet populum suum. » Vere suus, qui salvus esse possit. « A peccatis. » Contra Judæos, qui putant populum de captivitatibus, non de peccatis per Christum liberandum. « Eorum. » Nota quod ejus est salus, nostra vero sunt peccata.

HOMILIA IX.

IN DIE SANCTO NATIVITATIS DOMINI.

(*Joan.* I). « In principio erat Verbum, et Verbum « erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat « in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta « sunt, et sine ipso factum est nihil, » et reliqua. Dominicæ nativitatis diem, qua temporaliter natus est, annua revolutione colentes, licet oculos mentis ad C contemplandam naturam Divinitatis convertere; et quia in tribus evangelistarum dictis, Matthæi scilicet, Marci et Lucæ, modus humanæ nativitatis describitur, ad consubstantialem Dei Patris essentiam, oportet beati Joannis evangelistæ dicta considerare. De cujus Evangelio locuturi, breviter quidem, sed rationabiliter commemorandum videtur, quare tam Domini dilectus discipulus, in ordine prophetarum ponatur extremus. Quia enim suum Evangelium scripsit novissimus, ideo jure ponitur ultimus : jam vero tria Evangelia scripta erant atque in universum orbem divulgata. Per Matthæum quippe in Judæa, per Marcum vero et Lucam in gentibus. Ipse autem post ascensionem Domini, per sexaginta ferme annos Evangelium suum, absque ullo admoniD culo scribendi, Asiæ partibus prædicavit; sed postquam a Domitiano, impiissimo Cæsare ac crudelissimo tyranno, propter insuperabilem evangelizandi constantiam, in Patmos insulam exsilio esset relegatus eruperunt hæretici in Ecclesiam, Marcion, Cerinthus, et Ebion, et alii filii diaboli, quos ipse in epistola sua Antichristos appellat, qui eam diversis dogmatibus scindere conati sunt, dicentes Christum ante Mariam non fuisse. Postea vero cum, permittente piissimo rege Nerva, regressus de exsilio Ephesi moraretur, rogatus traditur ab universis episcopis et presbyteris, ut quia jam in tribus evangelistarum libris, ut diximus, temporalem Domini nativitatem

pleniter habebant expositam, eis de divinitate sermonem faceret, et ad memoriam futurorum scriptum relinqueret, ut scilicet post ejus recessionem de mundo, haberent fideles unde fidem suam munirent et hæreticorum falsa dogmata destruerent. Quod primum se negavit facturum, sed illis in prece perseverantibus, non aliter hoc facere acquievit, nisi prius triduano jejunio omnes in commune Dominum precarentur. Quod cum libentissime ab omnibus factum esset, die tertia expleti jejunii tanta Domini gratia, secundum sui nominis congruam interpretationem, dicitur repletus, et usque ad contemplandam divinitatis naturam substantiæ ultra omnes homines raperetur, et regem in decore suo cernens, de ipso purissimo fonte divinitatis hauriret quod nobis sitientibus propinaret, et sic per totum sui Evangelii textum pauca de humanis actibus Salvatoris inserens, sufficienter ex divinitate scripta reliquit. Unde bene in cœna super pectus Domini recubuisse dicitur. Quia enim in pectore Jesu sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, inde gustans quam suavis est Dominus, nobis esurientibus cibum vitæ æternæ est impartitus. Unde bene inter quatuor animalia aquilæ speciem rationabiliter habere describitur, quia sicut aquila præ cæteris avibus altius volat, et præ cunctis animantibus jubar solis irreverberatis oculis contemplatur, ita Joannes præ cunctis hominibus subtilius ex divinitate sensit, et præ cunctis mortalibus altius æterni solis naturam contemplatus est, dicens: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Alii enim evangelistæ Christum in tempore natum describunt, ille vero ante omnia tempora eum fuisse commemorat, dicens: « In principio erat Verbum. » Alii eum subito hominem inter homines apparuisse commemorant, ille semper cum Deo Patre manere ostendit, dicens: « Et Verbum erat apud Deum. » Alii hunc verum hominem describunt, ille verum confirmat Deum, dicens: « Et Deus erat Verbum. » Alii corporaliter de Maria virgine natum, temporaliter inter homines conversatum fuisse asserant, ille cum Deo Patre semper fuisse demonstrat, dicens: « Hoc erat in principio apud Deum. » Alii signa et virtutes quas inter homines fecit, ille quod Deus erat per Filium omnem creaturam condiderit, manifestat, cum ait:

« Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Et mirabili ordine beatus Joannes evangelista in exordio sui Evangelii, et fidem credentium roborat, et hæreticorum falsum dogma damnat. Fuerunt enim hæretici qui dicebant: Si ergo natus est Christus, erat tempus quando ille non erat. Quorum errorem evangelista in ipso exordio sui Evangelii destruit, cum dicit: « In principio erat Verbum. » Quia non dixit, in principio cœpit esse Verbum, sed in principio erat Verbum, nullum tempus ejus naturam antecessisse, sed ipsum ante omnia tempora semper esse, sicut ipse in Evangelio dicit: « Ego principium qui et loquor vobis (*Joan.* VIII). »

A Et in Proverbiis: « Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret (*Prov.* VIII). » Et iterum: « Quando præparabat cœlos, aderam, simul cum illo componens omnia (*Ibid.*). » Hinc per Psalmistam dicitur: « Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis a sæculo usque in sæculum tu es Deus (*Psal.* LXXXIX). » Iterum fuere alii veritatis inimici qui tres personas sanctæ Trinitatis negare volentes, dicerent: Pater quando vult, Filius est; quando vult, Spiritus sanctus est: Filius quando vult Pater, quando vult Spiritus sanctus est; Spiritus sanctus quando vult, Pater est aut Filius, idem tamen unus est. Et horum falsissimum errorem verax evangelista dissipat, cum subjungit: « Et Verbum erat
B apud Deum. » Si enim alter apud alterum erat, manifestum est quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Nec Pater juxta illorum fallaciam aliquando mutatur in Filium, aut Filius in Patrem, neque Spiritus sanctus in Patrem aut Filium, sed Pater semper est Pater, Filius semper est Filius, Spiritus sanctus semper est Spiritus sanctus. Non enim divina natura vel substantia mutari potest, teste Jacobo Apostolo qui ait: « Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jacob.* I). » Item fuerunt alii filii diaboli, qui Christum hominem tantum crederent, Deum verum negarent. Et horum fallaciam spirituali mucrone evangelista amputavit, cum adjungit: « Et Deus erat Verbum. » Congrua enim ratione coæ-
C ternus Patri Filius Verbum dicitur, quia sicut nos interiorem cordis nostri voluntatem per verbum patefacimus, ita Deus Pater per Filium cuncta quæ videntur operatus est, teste Psalmista, qui dicit: « Verbo Dei cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXI). » Sive Verbum Patris Filius dicitur, quia, ut ait Apostolus: « Virtus et sapientia est Patris (*I Cor.* I). » De quo alibi Psalmista ait: « Eructavit cor meum verbum bonum (*Psal.* XLIV). » Fuerunt rursus alii qui Deum Christum quidem crederent, sed ex Maria exordium sumpsisse putarent, quorum unus mente captus dixisse fertur: Non invideo Christo facto Deo, quia si volo, possum fieri similis illi. Et horum nefandissimum errorem sanctus evangelista opprimit, cum
D abhuc subjungit: « Hoc erat in principio apud Deum. » Ostendens illum non ex tempore incrementum sumpsisse, sed semper in coæterna substantia cum Patre esse. Item fuerunt et alii veritatis inimici, qui quasdam creaturas a Deo, quasdam a quodam principe tenebrarum factas assererent, et hos destruit evangelicus sermo, cum adjungit: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Quæ enim subsistunt, per ipsum facta sunt, sicut scriptum est: « Qui manet in æternum, creavit omnia simul. » Non quædam bona, quædam mala, ut illi putaverunt, sed omnia valde bona, sicut scriptum est: « Vidit cuncta quæ fecit, et erant

valde bona (*Gen.* I). » Quod vero quædam creatura mala esse videtur, propter peccatum hominis contigit, sicut per quemdam sapientem dicitur : Bestiarum dentes, scorpii et serpentes, omnia in vindictam creata sunt. Nam peccatum, quia subsistendi naturam non habet, non est a Deo creatum, sed a diabolo inventum, et ideo nihil est ; et quidquid non subsistit, nihil est, sicut de cultura idolorum Apostolus dicit : « Scimus quia nihil est idolum (*I Cor.* VIII). » Fuerunt et alii hæretici qui, divinæ naturæ substantiam subtilius quàm deberent perscrutantes, unigenitum Filium Dei in divinitatis forma a Deo factum et non a Patre dicerent genitum, sicut fuit Arius, ut per hoc cum minorem Patre assererent, quod non ex Deo genitum, sed a Deo factum prædicarent. Quorum errorem vel dementiam fide armatus (B) evangelista conculcat cum dicit : « Omnia per ipsum facta sunt. » Si enim omnia per ipsum facta sunt, ipse non est factus, qui omnia fecit : et ideo non creatura, sed creator : non factura, sed factor, in æqualitate Patris credendus est, sicut ipse ait in Evangelio : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Et quia aliam creaturam rationalem rationabilis Dei sapientia creavit, ne putares ejus voluntatem esse mutabilem, ut subito vellet facere aliam creaturam quam in æterna sua dispositione non fecisset, rem necessariam evangelista subjunxit, dicens :

« Quod factum est. In ipso vita erat. » Qui versiculus ita distinguendus est, ut primum dicamus, « Quod factum est ; » deinde inferamus, « in ipso vita erat. » Et est sensus : Quod factum est ab illo, in tempore apparuit, sive vivens, sive vita carens ; (C) in ipso vita erat, id est in ejus æterna sapientia etiam illa quæ non vivunt, antequam crearentur, vivebant, scilicet ante initium mundi, quia ut postea fierent dispositum erat, ac per hoc quasi factum erat, quia omnis creatura in ipso Filio Dei imaginata erat. Quod ut manifestius possit intelligi, de rebus visibilibus exemplum adhibeamus, verbi gratia : Faber lignarius pergit in silvam, inspicit arborem, cogitat ex illa facere arcam vel quodlibet vas ; et cum arbor maneat adhuc non scissa, jam in ejus sapientia quantæ longitudinis et latitudinis futura sit consideratur ; cujus fabrica in ejus arte ex eo vivere comprobatur, cum tamen ex se non vivat, quasi aut vetustate aut igne consumpta fuerit, iterum ejusdem quantitatis et qualitatis novit vas fa- (D) bricare. Ita Deus omnipotens antequam mundum crearet, antequam mundi creaturas in proprias species formaret, in ejus sapientia non solum quæ vivunt, sed etiam quæ vita carent, vivebant. Sed ne æstimares omnem creaturam in hoc sæculo vitam habere et illuminatam esse, recte subditur : « Et vita erat lux hominum. » Quod est aperte dicere quia ipsa vita et sapientia per quam cuncta sunt creata, et in qua per quamdam rationem, ut dictum est, vivere dicuntur, lux est hominum, id est rationabilium creaturarum, non irrationabilium. Non enim bestiæ et pecora, sed homines illuminantur,

(A) qui rationabiles sunt. Licet namque bestiæ vivant, tamen non illuminantur, ut possint sapientiam et intellectum atque spiritum discretionis habere. Quibusdam enim creaturis tribuit esse, vivere, sentire et non discernere, ut animalibus ; aliis esse, vivere, sed non sentire, ut arboribus ; aliis etiam esse, nec vivere, nec sentire, ut petris. Hominibus autem tribuit esse, vivere, sentire atque discernere, unde bene illuminati sunt, qui ad imaginem Dei creati sunt. Sed et animalis quicunque est homo, non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor.* II). Sed quia nullam excusationem de ignorantia carnaliter viventibus æterna Dei sapientia reliquit, recte subinfertur :

« Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non « comprehenderunt. » Tenebræ enim homines sunt iniqui, homicidæ, adulteri, raptores, immundi, et his similium patratores. De quibus per Joannem dicitur : « Omnis qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus (*I Joan.* II). » Unde et Apostolus credentibus ait : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V). » Sic lux in tenebris lucet, quia hi qui carnaliter vivunt, de ignorantia excusationem habere non possunt, quando sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt. Quia enim sensum rationalem, per quem et Dominum et ejus voluntatem possunt cognoscere, carnaliter viventes obtenebrant, lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Solet autem contingere aliquoties ut majoris sensus acumine, hi qui carnaliter vivunt, splendeant quam illi qui simpliciter, sicut Dominus ait in Evangelio : « Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt (*Luc.* XVI). » Igitur lux in tenebris lucet, quia quamvis iniqui homines non videant lucem, id est Christum, tamen opera eorum mala videntur a luce, scilicet a Christo, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia, Psalmista teste, qui ait : « Vultus autem Domini super facientes mala (*Psal.* LIII). » Verbi gratia, si ponatur cæcus ad solem, sicut ipse non videt lumen solis, sed circa confunditur ab ipso, sic prædicti homines non vident Deum, sed videntur a Deo : et ideo quia Deus hos videt, lux in tenebris lucet, id est, in ipsis hominibus ; vel certe in tenebris lux lucet, quia ipsa sapientia per quam nos homines esse cognoscimus, et aliquid facere intelligimus, comparati jumentis insipientibus et similes facti, veram lucem, id est, Deum, nos qui sumus tenebræ, non comprehendimus. Unde bene dicit evangelista : « Et tenebræ eam non comprehenderunt. » « Nulla quippe participatio, ut ait Apostolus, luci ad tenebras, nulla conventio Christi ad Belial, nec pars fideli cum infideli (*I Cor.* VI). » Quia vero Dei lucem ineffabilem humana mens in tenebris posita, subito venientem sustinere non poterat, ne in his tenebris remaneret, ipsa lux ventura, mundo præmisit hominem ante se magni meriti, velut lucernam ante diem luciferum

ante solem, per cujus testimonium et prædicationem ad videndam veram lucem lippitudo mentis humanæ præpararetur, et cognosceretur Deus et homo. Si enim Domini lux subito nobis appareret, magis inde excæcaremur quam illuminaremur. Sed paulatim Dominus per patriarchas et prophetas suum adventum nobis denuntiare voluit, ut, verbi causa, sicut cum in valle consistimus, orientem solem cernere non possumus, tamen in ejus summitatem ascendentes, illius ortum resplendere videmus, et scimus ipsum radiare cito : ita et Dominus per sanctos suos mentes nostras ad suam lucem contemplandam trahere voluit. De quibus montibus fuit iste de quo et subditur :

« Fuit homo missus a Deo. » Ubi in primo verbo obedientiæ virtus in illo commendatur, cum dicitur : « Fuit homo missus a Deo. » Non enim a semetipso, id est sua præsumptione venit, sed a Deo missus est. Aliud est enim a se venire, aliud a Deo mitti. A se quippe venit, qui præsumptive, in eo quod docet, suam gloriam quærit. Unde de pseudoprophetis dictum est : « Ipsi veniebant, et non mittebam eos : loquebantur, cum non præceperam illis (*Jer.* XXV) » : ergo non erat de talibus Joannes, sed potius ex illis erat quibus Salvator ait in Evangelio : Ego vos elegi de mundo, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* XV). A Deo quippe mittitur, qui in eo quod docet Dei laudem et animarum lucra quærit, qualis erat Moyses, cui dictum est : « Veni, et mittam te in Ægyptum, » qualis erat Isaias propheta, qui, dicente Domino : « Quem mittam, et quis ibit nobis ad populum istum ? » Respondit : « Ecce ego, mitte me (*Isa.* VI). » Talis erat Joannes Baptista, de quo dicitur : « Fuit homo missus a Deo. » Qui vocabatur homo ille, sequitur : « Cui nomen erat Joannes. » Ad quid autem missus fuit a Deo, manifestatur cum subditur :

« Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. » Ut quid testimonium perhibuit de lumine ? declaratur cum subinfertur : « Ut omnes crederent per illum. » Non dixit ut omnes crederent in illum, quia « maledictus homo qui confidit in homine (*Jerem.* XVII), » sed « ut omnes crederent « per illum, » id est, per ejus testimonium omnes crederent in Christum. Aliud est enim credere illum, aliud per illum, aliud in illis. Credere illum, et per illum, ad fidelem hominem referri potest ; credere autem in illum, nisi ad eum non pertinet, verbi gratia : Credo Paulum, et per Paulum credo, id est, per ejus prædicationem, tamen non credo in Paulum, sed in Deum quem prædicat.

« Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet « de lumine. » Quæritur quare evangelista dicat de Joanne dilecto Domini, et inter natos mulierum majore, « non erat ille lux, » cum Dominus discipulis dicat : « Vos estis lux mundi (*Matth.* V), » sed ad hæc facilis patet responsio, quia alia est lux quæ illuminat, alia quæ illuminatur. Lux est quæ illuminat, quæ nec initium accipit, nec fine concluditur, nec

A augmentum capit, nec defectum patitur, sed semper æqualis permanet. Cui luci, id est Christo, si comparentur homines, tam minores quam perfectiores, tenebræ computabuntur. Nam et nostra justitia, si illius justitiæ comparetur, injustitia reputabitur Illuminantur enim homines, ut lux sint, ab illo qui ait in Evangelio : « Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* V). » Qualis erat iste Joannes de quo Dominus alibi ait : « Ille erat lucerna ardens et lucens. » Ardens dilectione et amore, lucens sermone : sed non esse Joannes lux dicitur, ad comparationem veræ lucis, quæ omnes illuminat, et a nullo illuminatur. Tantum enim distat inter lucem quæ illuminat et quæ illuminatur, quantum inter lucernam et luciferum et solem. Illa est igitur principa-

B lis lux de qua adhuc subditur :

« Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem « venientem in hunc mundum. » Ubi cum « omnem hominem venientem in hunc mundum » posuit, ostendit quia sine spirituali gratia, sive naturali ingenio illuminentur homines, tantum ab illo possunt illuminari a quo procedit omnis sapientia, cum quo fuit semper et est ante ævum.

« In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, « et mundus eum non cognovit. » Hic manifeste evangelista in mundi vocabulo tres differentias ostendit. Aliquando enim mundi nomine sancti significantur, aliquando situs orbis terrarum, aliquando mundi amatores. Quod ergo ait : « In mundo erat » ad sanctos pertinet, de quibus alibi Dominus dicit :

C « Non venit Filius hominis ut perderet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum (*Joan.* XII). » Et Paulus apostolus : « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*I Cor.* V). » Quod vero subjungit : « Et mundus per ipsum factus est, » ad situm pertinet orbis terrarum, juxta illud quod Dominus ait in Evangelio discipulis : « Euntes in mundum universum. » Quod autem infert : « et mundus eum non cognovit, » ad mundi pertinet amatores. De quibus alibi Dominus ait : Pater juste, mundus te non cognovit. In eo vero quod ait : « In mundo erat, » ostendit per divinitatem eum ubique esse præsentem : quia nullo concluditur loco, vel excluditur, sed ipse est superior et ipse inferior, ipse interior et ipse exterior. Legitur « in mundo erat, » id est

D in orbe terrarum. Quidam tamen « in mundo, » in sanctis hominibus exponunt. « Mundus per ipsum factus est, » quia omnis creatura per ipsum et ab ipso facta est ex nihilo. « Et mundus eum non cognovit, » id est, mundi amatores. Recte enim mundi amatores mundi nomine vocantur, quia mente et desiderio mundum incolunt. Visibiliter autem eum signa facientem, scilicet Judæi, viderunt, et ipsum non cognoverunt. Nam cœlum cognovit, quando eo nato novam stellam misit ; mare cognovit, quando sub plantis ejus se calcabile præbuit ; terra cognovit, quando eo moriente contremuit ; sol cognovit, quia radios suos in ejus morte abscondit. Sed, ut

diximus, mundi amatores, scilicet Judæi, non cognoverunt. De quibus adhuc subjungitur:

« In propria venit, et sui eum non receperunt. » In propria quippe venit, quia non solum ex stirpe Judæorum carnem assumpsit, sed etiam inter eos docuit, prædicavit, signa et virtutes inenarrabiles ostendit. « Sed sui eum non receperunt, » id est Judæi, quos sibi peculiariter prioribus temporibus velut proprios asciverat, quos in terra repromissionis, ejectis hostibus, habitare fecerat, quibus legis notitiam dederat, et ad quorum eruditionem prophetas miserat, et ex quibus nasci elegerat. Sive certe « in propria venit, » quia in mundo apparuit per humanitatem, quem fecerat per divinitatem. Venire quippe et abire, humanitatis est: manere et esse, divinitatis. « Sed sui eum non receperunt. » Id est, homines quos ad imaginem et similitudinem suam fecerat, magna ex parte in eum credere noluerunt. Sed nunquid omnes ab ejus notitia alieni remanserunt? Non. Nam sequitur:

« Quotquot autem receperunt eum. » Illi eum receperunt, qui eum a Patre missum Filium Dei crediderunt. Sed quid eis profuit quod eum receperunt? « Dedit eis, inquit, potestatem filios Dei fieri, his qui « credunt in nomine ejus. » Ubi larga misericordia Dei ostenditur, quando qui servi non fuerant digni etiam filii vocantur: non per naturam, sed per adoptionis gratiam, ut hic hæredes Dei per fidem eo hæredes efficiamur Christi per gratiam, juxta quod idem Joannes in fine Evangelii sui scripsit, dicens: « Hæc autem scripta sunt ut credatis, quoniam Jesus est Filius Dei, et ut, credentes, vitam habeatis in nomine ejus (*Joan.* XX). » Quid ergo benignius, quid misericordius, quam unicus Filius Dei, nolens manere solus, nostra carne sumpta, nos fecit Dei filios, et sibi adoptavit in fratres, ut quod ipse habebat per naturam, nos haberemus per gratiam? De quibus ipse dicit in Evangelio: « Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater: soror et mater est (*Matth.* VII). » Et post resurrectionem discipulos fratres vocare dignatus, ait: « Ite, nuntiate fratribus meis. » Ad hanc adoptionem non venit, nisi qui fide crediderit in nomine ejus, quoniam sicut scriptum est: « Justus ex fide vivit, sine qua impossibile est placere Deo (*Rom.* I: *Hebr.* XI). » Et ne putares hanc nativitatem carnalem esse et non spiritualem, recte subjungitur:

« Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate « carnis, neque ex voluntate viri. » In quo loco cum « ex sanguinibus » posuit, contra regulam artis grammaticæ fecit, quia apud grammaticos sanguis semper singulariter, et nunquam pluraliter enuntiatur secundum regulam. Sed non curæ fuit evangelistæ observare regulam artis grammaticæ, ut perfectius sensum explicare posset. Si enim diceret ex sanguine, viri tantum videretur significare semen, et non pleniter quod vellet exprimeret: cum vero dicit « ex sanguinibus, » viri pariter et feminæ conjunctionem ostendit. Unde ne quis interro-

A garet quare « ex sanguinibus » dixisset, exponendo subjunxit, dicens: « Neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis. » Carnem pro uxore posuit, juxta illud quod scriptum est: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. » Et: « Erunt duo in carne una (*Gen.* II). » Et Apostolus: « Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit eam et fovet (*Ephes.* V). » Vel ex sanguinibus, id est, vitiis et peccatis, sicut per Psalmistam dicitur: « Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ (*Psal.* L). » « Sed ex Deo nati sunt. » Qualiter vel quomodo ex Deo nascantur homines, ut filii Dei sint per adoptionem, Dominus alibi manifestat, dicens: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei

B (*Joan* III). » Et iterum: « Quod natum est carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est (*Ibid.*). » Una est enim natura carnalis, altera spiritualis. Una visibilis, alia invisibilis.

« Et Verbum caro factum est, et habitavit in no« bis. » Versiculus iste ex superioribus pendet; ac si diceret Evangelista: Ut homines per adoptionem filii Dei fieri possent, illud Verbum quod erat in principio, Deus apud Deum, illud, inquam, Verbum factum est caro, id est Deus factus est homo, non tamen in carne conversus, assumens quod non erat, nec desinens esse quod erat, permanens Deus, factus est homo. Qui cuncta fecit in forma Dei, id est, cum esset Deus, factus est in forma servi, factus est qui fecerat, ut inveniretur qui perierat. Sed cum dicit: « Verbum caro factum est, » carnis no-

C mine perfectum hominem significat, qui constat ex anima rationali et carne. Usus namque Scripturæ est aliquando per solam animam, aliquando per solam carnem totum hominem significare. Animæ nomine totus homo significatur, sicut scriptum est: « Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta (*Gen.* XLVI). » Iterum carnis nomine totus homo significatur, sicut scriptum est in Propheta: « Et videbit omnis caro salutare Dei (*Luc.* III). » Non enim animæ sine corporibus in Ægyptum descenderunt, nec caro sine anima salutare Dei videret poterit, sed alibi, ut diximus, per solam animam, alibi per solam carnem totus homo significatur. Ita ergo et hoc in loco, cum dicit: « Verbum caro factum est, » non aliud est dicere quam Deus homo factus est ex anima ratio-

D nali, ut diximus, et carne. Fuerunt enim nonnulli hæretici qui dixerunt Dominum carnem absque anima suscepisse. Si enim quod minus est fecit, utique et quod majus est suscepit. Qui enim pro liberandis animabus carnem suscepit, sine dubio humanam animam suscepit. De qua ipse loquitur: « Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam (*Joan.* XVI). » Et iterum: « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » Quod vero subditur: « Et habitavit in nobis, » ad illos specialiter pertinet, quibus visibiliter apparuit, et cum quibus corporaliter conversatus est. Vel aliter, « habitavit in nobis, » ut habitare-

mus in ipso, habitat in nobis protegendo, habitamus A et nos in ipso ut protegamur ab illo. Ut autem inter nos habitare posset, « cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semeptisum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Phil.* II). » « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. » Gloriam ejus viderunt in humanitate, qui videre non poterant in divinitate, quia quam ante incarnationem videre non poterant, videre postquam Verbum caro factum est. Gloriam igitur Dei latentis in homine, illi specialiter viderunt, qui eum miraculis coruscantem conspicere meruerunt. Illi quoque ejus gloriam manifestius conspexerunt, qui eum ante passionem transfiguratum in monte contemplati B sunt, audientes desuper vocem Patris intonantem: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III). » De quibus unus fuit iste Joannes, de quo talia revelata sunt, et per quem talia signa sunt monstrata, quæ nullus facere posset, nisi qui Unigenitus Patris esset. Nam et post resurrectionem Spiritus sanctus eosdem discipulos obumbrare atque replere dignatus est, ut per hæc et unigenitum Dei cognoscerent Filium, et ex matre primogenitum. Sed est differentia inter unigenitum et primogenitum, quia non omnes primogeniti unigeniti, sed omnes unigeniti primogeniti vocantur. Primogenitum enim dicimus, non solum quem alii sequuntur, sed etiam quem nullus præcedit. Ex eo autem quod evangelista Matthæus ait: « Donec peperit filium suum primogenitum (*Matth.* II), » occasionem tra C here voluerunt hæretici, beatæ Mariæ virginitatem infamare cupientes. Dixerunt enim eam alios filios post Dominum ex Joseph habuisse, et ipsos esse voluerunt qui in Evangelio fratres Domini appellantur, non considerantes quia fratres in Scripturis variis modis vocantur. Aliquando enim natura fratres dicuntur, aliquando cognatione, aliquando gente, aliquando etiam dilectione. Natura, sicut Cain et Abel, Esau et Jacob, Petrus et Andreas. Cognatione, ut Abraham et Lot, juxta quod ipse Abraham ait: « Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos, fratres enim sumus (*Gen.* XIII). » Similiter Jacob et Laban, eodem Laban dicente: « Num quia frater meus es, gratis servies mihi? » Gente, sicut omnes Judæi fratres D dicti sunt, dicente ipso latore legis Moyse: Si constituendo constitueris super te regem, non habebis potestatem aliæ gentis hominem constituere, sed eum qui sit frater tuus, id est de gente tua. Dilectione, sicut omnes Christiani fratres vocantur, Domino discipulis dicente: « Omnes enim vos fratres estis (*Matth.* XXII). » Eodem modo fratres Domini cognatione dicti sunt, quia de illius erant progenie. Ergo Dominus non solum unigenitus, sed etiam primogenitus dicitur, quod non solum alii ex Maria post eum nati non sunt, sed quia ante eum nullus. Quod autem subjungitur, « plenum gratiæ et veritatis, » singulari gratia Dei Filio in homine quem assumpsit datum est a Patre, ut ex quo homo esse inciperet, perfectus esset Deus, perfectus et homo. Nec eamdem gratiam ad mensuram accepit ut puri homines, sed factus homo plenus gratia fuit, sicut dicit Apostolus: « In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Colos.* II). » Et Joannes Baptista: Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia. De qua plenitudine gratiæ per Psalmista dicitur: « Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » Veritate quoque plenus fuit, sicut ipse in Evangelio dicit: « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV). »

HOMILIA X.

DE SANCTO STEPHANO PROTOMARTYRE.

(MATTH. XXIII). « In illo tempore, dixit Jesus « turbis Judæorum: Ecce ego mitto ad vos prophe- « tas et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis et « crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis ve- « tris, » et reliqua. Narrat superior textus Evangelii qualiter Dominus, conflictum habens cum Judæis, convicerit eos homicidas et homicidarum filios, qui cum ædificarent sepulcra prophetarum, et ornarent monumenta justorum, dicentes: Quia si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. In hoc se filios eorum ostendebant, qui prophetas occiderant, quod animum plenum habentes invidiæ, Christum ejusque discipulos persequebantur. Unde et Dominus adjungit, dicens: Itaque testimonio estis vobismetipsis, quod filii estis eorum qui prophetas occiderunt, et vos implete mensuram patrum vestrorum. Ac si diceret: Quod illis defuit, vos implere cupitis. Illi occiderunt membra, vos caput persequimini: illi prophetas, vos ipsum Dominum prophetarum, qui ab eis prædictus est, occidere desideratis, et me meosque discipulos, quos illi ideo quia non viderunt, non occiderunt: vos videntes, illorum desiderium implere desideratis. Quibus congruit quod subditur: Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? Recte ergo viperarum nomine isti vocantur, quia sicut ex viperis viperæ, et ex serpentibus serpentes nascuntur, sic isti ex venenatis parentibus venenatum animum trahentes, Christum ejusque discipulos persequi moliebantur. Convenit autem istis, quod viperarum natura traditur esse, ut in conceptione moriatur pater, in parturitione mater. Quamvis enim diversa sint genera viperarum et serpentium, tradunt tamen tantummodo duas esse viperas in partibus Arabiæ, ubi nulla habitatio hominum consistit, quia non solum homo si accesserit, verum etiam si avis desuper volaverit, a flatu earum interimitur. Quarum conceptio tarde evenit, sed quotiescunque evenerit, ita fit ut in conceptione moriatur pater, ut diximus, et in parturitione mater. Nam tempore conceptionis, mas caput in ora feminæ mittit, at illa præ nimio amore stringens caput illius abscindit. Cum vero tempus

parturitionis evenit, scinditur venter matris, et sic filii egrediuntur, et ita fit ut in conceptione moriatur pater, et in parturitione mater. Unde vipera dicta est, quod vi pariat vel vi perire faciat. Tales ergo per similitudinem fuerunt Judæi, quia Christum, qui eos spiritualiter generare venerat, crucis patibulo cruentis manibus tradiderunt, dicentes : « Crucifige, crucifige illum. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Matth.* XXVII). » Ecclesiam quoque, quæ spiritualis mater erat eorum futura, persecuti sunt primum in apostolis, per quos sancta Ecclesia regebatur, deinde in eorum successoribus, de quibus nunc dicitur: « Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas. » Sed in exordio hujus lectionis hæreticorum dogma destruitur, qui dixerunt alium Deum esse Veteris Testamenti et alium Novi, cum dicit: « Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas. » Ac si diceret: Ego qui quondam ad Patres vestros misi prophetas et sapientes et scribas, idem ipse et non alius mitto nunc prophetas, et sapientes, et scribas. Fuerunt enim in Veteri Testamento prophetæ, sapientes, et scribæ: fuerunt et in Novo. In Veteri Testamento fuerunt prophetæ: Isaias, Jeremias, et multi alii; fuerunt sapientes: sicut Salomon et Samuel, et plures alii; fuerunt et scribæ: qualis fuit Moyses, qui legem scripsit, et Ezras, qui post captivitatem Babyloniæ, incensis biblioibecis, legem recuperavit. De quo scriptum est: « Ascendit Ezras de Babylone, et ipse fuit scriba velox in lege Moysi (*I Esdr.* VII). » In Novo Testamento legimus Agabum prophetasse, et quatuor filias Philippi (*Act.* II *et* XXI). Et omnis qui futura mala cavere monet, et bona diligere, propheta est. Fuerunt sapientes, sicut apostoli, sicut evangelistæ, qui dicta vel facta Dominica nobis scripta reliquerunt. De quibus Dominus in Evangelio: « Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII).» Sed patres eorum ex illis occiderunt Isaiam, Jeremiam, et multos alios: isti autem Jacobum justum de pinnaculo templi præcipitaverunt, Stephanum quoque (cujus hodie colimus solemnitatem) lapidaverunt, Petrum et Andream crucifixerunt, et Paulum decollaverunt. Quod autem in synagogis suis flagellaverunt et persecuti eos fuerunt de civitate in civitatem, liber Actuum apostolorum pleniter narrat, cum dicit: « quia ibant discipuli a conspectu concilii gaudentds, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V). »

« Ut veniat super vos omnis sanguis justus. » Quæritur quomodo omnis sanguis justus super eos, quibus hæc Dominus loquebatur, venire dicatur, cum non ipsi omnem sanguinem justum fuderint? Ad quod respondendum quod malorum generationi per imitationem se sociaverunt, ideo et in retributione vindictæ participes eorum esse dicuntur. « A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidisti inter templum et altare. » De Abel qui fuerit, vel quod a fratre per invidiam occisus sit, nulla est ambiguitas. Quod autem justus fuerit, non solum in Genesi legitur, ubi ejus munera Deo accepta esse memorantur, et ubi sanguis ejus ad Dominum clamasse dicitur (*Gen.* IV), sed etiam nunc testimonium ei perhibet, dicens: « A sanguine Abel justi. » Quæritur autem quis iste Zacharias fuerit, quia multos legimus Zacharias, et ne cuiquam errandi tribuatur facultas, adjunctum est « quem occidistis inter templum et altare: » Diversa enim de hoc diversi senserunt. Nonnulli dixerunt hunc Zachariam fuisse, qui inter duodecim prophetas minores undecimus ponitur, nomine patris ei consentiente, eo quod Filius fuerit Barachiæ, sed occisionis locus minime concordat, quia quomodo inter templum et altare occisus fuerit non reperitur. maxime cum suo tempore templum ab his qui de captivitate ascenderant reædificaretur, et idem Zacharias, quia prospera ejus prophetaret, in magna veneratione a populo habebatur. Alii dixerunt hunc Zachariam fuisse patrem Joannis Baptistæ, et propterea quod adventum Domini venturum, prædicaret, a populo sit interfectus: sed hæc opinio magis ex apocryphorum somniis et deliramentis descendit quam ex veritate. Sed cum ab his excludimur, recurrit mens ad Regnorum libros, in quibus legimus quia, Ozia rege mortuo, cum Athalia impiissima regina locum ejus suscepisset, et interficeret omne semen regium, tulit Joiada pontifex unum de filiis regis, qui erat minor natu, Joas nomine, et abscondit eum in templo Domini sex annis. Septimo autem anno unxit eum in regem, iniitque cum eo fœdus et cum omni populo, ut in lege Dei ambularet, quod et fecit cunctis diebus quibus vixit Joiada. Mortuo autem Joiada, successit ei in honore et ordine sacerdotali filius ejus Zacharias nomine, vir bonus et justus. Cumque Joas declinare cœpisset a lege Domini, frequenter arguit eum Zacharias. Propter quod odium regis incurrit, in tantum ut una die cum publice argueret eum, iratus rex jussisset eum lapidare in porticu domus Domini, qui cum moreretur inter lapides, ait: « Videat Deus et judicet, » et sicut ipsa Scriptura adjungit: « Non est recordatus Joas quæ pater ejus fecisset ei bona, sed occidit collactaneum suum filium ejus qui se nutrierat (*IV Reg.* II). » Hic est ergo Zacharias, qui occisus est a Joas rege, cujus justitiæ Dominus testimonium perhibet, dicens: « A sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare, » id est inter ædem templi et altare incensi. Fecerat Salomon altare æneum, ut Regum narrat historia, ante fores domus Domini, in porticu templi, ut offerentur in eo sacrificia quotidie mane et vespere: quia altare aureum quod erat in domo Domini, non poterat sustinere omnia holocausta quæ offerebantur. Juxta altare vero æneum fons Siloe erat, ubi etiam lapides rubri apparent, unde et a simplicibus æstimatur quod sunguine hujus justi viri sint fœdati. Sed cum Zachariam habemus, et occisionis consentiat locus,

nomen patris discordare videtur, quia ibi legitur filius Joiadæ, hic dicitur filius Barachiæ. Ubi quamvis possit prudens lector respondere, hunc fuisse juxta veterem consuetudinem fortasse binomium, et alibi Joiadam, et alibi Barachiam fuisse nominatum, nos tamen dicimus, quia ubicunque in Latina lingua Scriptura deficit, recurrendum est ad Græcam vel Hebraicam proprietatem, ex quibus eadem Scriptura sumpserat originem, ut per interpretationem congruam conveniens appareat, quod ad litteram inconveniens sonat. Joiada ergo interpretatur *justitia Domini*, Barachias *memoria Domini*, Zacharias *benedictus Domini*. Quia ergo de justitia Domini, et de memoria Domini nascitur benedictio Domini, juxta congruam interpretationem nihil discordare videtur utrum Barachiæ an Joiadæ filius legatur. Nam in Evangelio quo Nazaræi utuntur, pro filio Barachiæ, filius Joiadæ dicitur. Non autem sine causa putandum est quod Dominus beatorum martyrum mentionem faciens, hos duos specialiter nominare voluit, Abel scilicet et Zachariam, cum ab initio sæculi multi alii pro ejus nomine fuissent occisi. Tales ergo ponere voluit, per quorum martyrium omnium passiones significarentur, qui pro ejus nomine passi fuerant, vel passuri erant. Per Abel vero, qui non propter prædicationem, sed propter invidiam in agro occisus, non reluctasse dicitur vel legitur, illi significantur qui simplices sunt in doctrina, firmi tamen in fide, qui scientes tantum Christum et hunc crucifixum, magis eligunt pro ejus nomine mori, quam ejus fidem negare. Per Zachariam vero, qui sacerdos fuit in ordine pontificali, et non in agro, sed propter prædicationem inter templum et altare est occisus, illi significantur qui magistri et doctores Ecclesiæ sunt, et propter constantiam evangelizandi, vel propter correptionem reproborum, martyrium sumpserunt. Quorum primus post Domini passionem fuit beatus Stephanus Levita, cujus hodie festivitatem celebramus, quia ad prædicandum ordinatus ab apostolis, cum ex auctoritate divinæ legis Christum Dei Filium doceret, reproborum manibus est lapidatus. Nec tamen inter lapides amisit patientiam, sed in oratione puram exhibuit conscientiam, supplicans pro lapidantibus et dicens: « Domine Jesu, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt (*Act.* vii). »

« Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. » Si quem movet quomodo hæc omnia super generationem unam venire dicantur, cum nec Abel nec Zachariam ipsi occiderint, intelligat quia auctoritas sacræ Scripturæ est, duas generationes commemorare, bonorum scilicet et malorum. De bonis legimus: « Generatio rectorum benedicetur (*Psal.* cxi). » Et iterum: « Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob (*Psal.* xxiii). » De malis vero, Generatio prava et perversa. Et iterum: Generatio quæ non direxit cor suum. Et gens absque consilio, et sine prudentia. Unde et Dominus in Evangelio ait: « Ge- A neratio prava et adultera signum quærit (*Matth.* ii). » Omnes ergo persecutores fidelium, a primo Cain usque ad ultimum qui venturus est, in una generatione computantur, quoniam etsi divulsi sunt in tempore, uniti sunt in mala voluntate. Similiter et illi qui per bona opera generationi rectorum adhærent, in futuro præmium cum eis accipient.

« Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? » Cum Dominus ad Jerusalem loquitur, non ad saxa vel ædificia putandus est loqui, sed metaphorice ad ipsos homines, ut per inhabitatum habitantes intelligas. Quos paterno planxit affectu, quia eorum in- B teritum cito præsciebat esse venturum, juxta quod alibi legimus: « quoniam cum vidisset Jesus civitatem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu. » Cum autem adjunxit, « quæ occidis prophetas et lapidas eo qui ad te missi sunt, » ostendit præteritis temporibus prophetas ad salutem ejusdem populi esse missos. Quæritur autem quomodo Dominus dicat: « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, et noluisti, » cum alibi scriptum sit: « Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis (*Psal.* cxxxiv). » Quia enim omnia quæ vult facit, quomodo filios Jerusalem congregare voluit, et non congregavit? Ad quod dicentum est quia omnipotens Deus hominum servitia non vult habere coacta, sed spontanea C et voluntaria, ut inveniat in nostra bona voluntate quod remuneret ex sua gratuita largitate; et ideo pius et omnipotens Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, non propterea reliquit filios Jerusalem quia congregare non potuit, sed quia illos nolentes spontaneam uoluntatem exhibere, congregare noluit. Quod vero ait: « Quoties volui congregare filios tuos, » et reliqua, tale est ac si diceret: Ego volui, sed tu noluisti; ego quod meum est feci, sed tu quod tuum erat, non fecisti; ego pro tua salute ad te prophetas misi, sed tu eos interfecisti; ego ad te ipse veni, et tu me recipere noluisti. Vult enim Deus omnipotens omnes homines salvos fieri, et tamen non omnes salvantur, quia in duritia cordis impœnitentes perseverant. Nec abs- D que consideratione prætereundum est quod gallinæ se comparavit cum filiis, cum filios Jerusalem congregare se velle dixit. Gallina enim simplex et mitissima est avis, quæ dum pullos fovet ac nutrit, plumas erigit, et totam se hispidam reddit, alas deponit, vocem attenuat, et totam se infirmam exhibet, ut pullos fortiores reddat, bestiolis quoque et avibus insidiantibus pro salute pullorum usque ad mortem se opponit. Juxta ergo hanc similitudinem Dominus gallinæ se comparavit, quia ut nos de infirmis firmos faceret, et de terrenis ad cœlestia sublevaret, quasi infirmis exhibuis se infirmum, quando de cœlo descendit in terras, sciens quia « non est

opus sanis medicus, sed male habentibus (*Matth.* A ix) : »et quasi totum se hispidum in passione reddidit qui mitis et mansuetus apparuit. De quo Isaias ait :«Et vidimus eum non habentem speciem neque decorem (*Isa.* LIII). » Vocem attenuavit, quando pendens in cruce dixit : « Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti (*Matth.* XXVII)? » Et ut perfecta in nobis esset liberatio, morti etiam pro nobis se obtulit. Nec indignum debet videri, si Redemptor noster in assumpta humanitate gallinæ se comparavit hic, qui etiam vermibus se assimilavit, sicut ipse per prophetam dicit : « Ego autem sum vermis et non homo (*Psal.* XXI). » Et pulchre se gallinæ comparavit, qui persecutorem suum Herodem vulpem nominasse legitur, dicens :«Ite, dicite vulpi illi, quia hodie et cras miracula faciam, et die tertia proficiscar (*Luc.* XIII). » B Callida enim bestiola vulpes insidiatrix et inimica gallinæ comprobatur, ita quoque et Herodes callidus et ingeniosus gallinam persecutus est, quia Dominum cum exercitu suo sprevit. Pullis ejus insidiatus est, quia apostolos persequi non destitit, et ideo persecutores Domini vulpibus comparantur, cum per prophetam dicitur : Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam. Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*Psal.* LXII). » Duæ autem alæ gallinæ quibus pullos fovet, duo sunt Domini Testamenta; aut duæ alæ gallinæ, Moyses et Aaron, per quos Dominus Israeliticum populum de Ægyptia servitute liberavit :sive Jesus et Zorobabel, per quos eumdem populum de captivitate Babyloniæ reduxit. Sed his et aliis beneficiis ingratus, non solum credere no- C luit, sed etiam nutritorem suum morti tradidit. Unde et contingit eis merito quod subditur :

« Ecce relinquetur vobis domus vestra, deserta.» Si quis corporalibus oculis intueatur, videbit etiam ad litteram hanc Domini vocem esse impletam, quia domus Domini, quæ nobiliter in Jerusalem ædificata fulgebat, propter incredulitatem illorum ad solum usque destructa est a Tito et Vespasiano, ita ut non relinqueretur in ea lapis super lapidem. Unde et dudum discipulis Domino ædificia civitatis ostendentibus, ait illis :«Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur (*Matth.* XXIV). » Dicitur namque : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.» Domus illorum ideo dicitur, quia deserta relicta est, quæ D quondam domus Domini dicebatur, quando hostia et sacrificia in ea offerebantur, modo « domus vestra » dicitur, quia deserta relicta est. Spiritualiter autem domus Judæorum deserta relicta est, quia illis in incredulitate perseverantibus, Christum in cordibus suis hospitem non susceperunt, qui ait : « Ego ad ostium sto et pulso ; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille mecum (*Apoc.* III). » Impleta est prophetia Jeremiæ dicentis: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca hyænæ, quod est parvum quidem, sed rusticum animal, nocte sepulcra fodiens, et cadaveribus vescens mortuorum (*Jer.* XII) : cui merito comparantur Judæi, qui Christum negantes, omni immunditiæ et iniquitati se tradiderunt, dispersi de gente in gentem, et de regno ad populum alterum, relicti sine Deo, sine lege et sine sacerdotio, impleta in eis prophetia quæ dicit : « Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem (*Psal.* LVIII). »

« Dico enim vobis, Non me videbitis amodo, donec « dicatis :Benedictus qui venit in nomine Domini.» Hæc sententia juxta litteram tunc impleta est quando Dominus super pullum asinæ sedens, Hierosolymis appropinquans, honorifice a turbis susceptus est, quando cum ramis palmarum occurrerunt ei, dicentes : « Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. » Versiculus iste spiritualiter potius quam ad litteram est intelligendus, et est sensus :«Dico enim vobis, Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini,» id est, me vobiscum in cordibus vestris manentem non habebitis, quousque me credatis Filium Dei ad salutem hominum a Patre esse missum.

HOMILIA XI.

DE SANCTO JOANNE EVANGELISTA ET APOSTOLO.

(JOAN. XXI.) « In illo tempore, dixit Jesus Petro: « Sequere me. Conversus Petrus, vidit illum disci- «pulum quem diligebat Jesus, sequentem, » et reliqua. In serie hujus lectionis tria sunt quæ nobis beatus Joannes evangelista commendat, privilegium scilicet amoris Domini erga se, resolutionem sui corporis atque descriptionem Evangelii. Privilegium amoris sui nobis commendat, cum dicit : « Conversus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem. » Resolutionem sui corporis ostendit, cum ait : « Et non dixit ei Jesus, non moritur, sed sic eum volo manere. » Descriptionem Evangelii, cum subjungit :«Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc. » Sed ut exordia hujus lectionis plenius intelligere valeamus, libet superiora parumper attendere. Supra enim retulit idem Joannes evangelista quia discipulis post resurrectionem Domini in conclavi residentibus, dixit Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei alii discipuli: Venimus et nos tecum. Ascendit ergo Simon Petrus, et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo, Illis frustra tota nocte in piscando laborantibus, mane stetit Jesus in littore, eorumque rete copiosa multitudine piscium replevit. Egressisque illis ad terram, ait : Venite, prandete. In quo prandio Dominus Petrum ter an se amaret interrogavit. Cui, post trinam negationem, tertio confitenti suum amorem, tertio suas oves ei commendavit, dicens : Si diligis me, pasce oves meas, sive agnos meos. Post commendationem quoque ovium, quid pro eisdem ovibus passurus esset, intimare curavit, dicens : « Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas eum

autem senueris, extendens manus tuas, et alius te cinget, et docet quo tu non vis. » — « Hoc autem dicebat, ait evangelista, significans qua morte esset clarificaturus Deum. » Et ne dura et intolerabilis Petro videretur passio crucis, hanc suo exemplo pius magister lenire curavit, dicens : « Sequere me, » id est imitare me. Ac si diceret Dominus: Tanto ergo tolerabilius crucis passionem sustinebis, quanto in ejus sufferentia mea te sequi vestigia recordaberis : ut sicut pro tua salute crucis patibulum sustinere non distuli, ita quoque et tu pro confessione nominis mei pati te debere memento. Quia eo gloriosorem palmam martyrii consequeris, quo ad hanc promerendam arctius iter magistri sequeris. Sequi enim Dominum, imitari est, sicut ipse dicit: « Si quis vult post me venire, » etc. (*Matth.* XVI). Et iterum : « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). » Secutus est Petrus apostolus Dominum, quia pro ovibus sibi creditis crucis patibulum sustinere non distulit, sicut et ipse Dominus pro redemptione generis humani amplecti dignatus est, implens illud quod ait Joannes apostolus : « Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (*Joan.* II). » Jam vero post hæc quid Dominus et Petrus fecerint, manifeste evangelista non declarat; tamen ex eo quod ait : « Conversus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem, » tacite innuit quia mox ut Dominus dixit Petro, « Sequere me, » surrexit a loco convivii et abire cœpit. Cujus jussionem Petrus etiam ad litteram implere desiderans, secutus est illum corporali gressu. Secutus est autem Dominum et Petrum ille discipulus quem diligebat Jesus, Joannes scilicet nomine, cujus est hoc Evangelium. Neque enim a consectatu illius se indignum æstimavit, cum etiam majoris dilectionis gloria præ cæteris a Domino amplexatum se noverat. Nec incredibile est quod Petrus et Joannes vestigio corporali Dominum sint secuti, quia necdum adhuc intelligebant quid spiritualiter significaret hoc quod Dominus Petro dixerat, « Sequere me. » Sed quia beatus Joannes personam suam ex nomine innotescere noluit, designavit ex merito, cum dixit : « Vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus. » Diligebat enim eum Jesus, non exceptis cæteris singulariter solum, sed specialiter inter cæteros unum. Omnes enim se diligere comprobavit, quibus ante suam passionem loquebatur, dicens : « Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos, manete in dilectione mea (*Joan.* XV). » Sed hunc præ cæteris diligebat, quem integritas virginalis majori dilectione fecerat dignum. Tradunt namque historiæ quod eum volentem nubere, de nuptiis vocavit, et propterea quod a complexu carnali eum subtraxerat, spirituali dilectione cum fecerat esse digniorem. In eo autem quod ait : « Vidit illum quem diligebat Jesus, sequentem, » morem sanctorum beatus Joannes evangelista servavit, cum proprium nomen tacens, alio indicio suam personam demonstravit. Hanc enim consuetudinem habent sancti

A viri, ut quoties de se mira et magna loquuntur, ad aliam transeant personam, et sic de se quasi de alio loquantur: sicut fecit Moyses quando de se quasi de alio locutus est, dicens : « Et erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra (*Num.* XII). » Similiter et beatus Job dicturus : « Et erat vir ille simplex et rectus, ac timens Deum, » de se quasi de alio præmisit, dicens : « Vir erat in terra Hus, nomine Job (*Job.* I). » Hanc ergo humilitatem servans beatus Joannes, in tota serie sui Evangelii proprium nomen ponere voluit. Dat autem et aliud indicium suæ cognitionis beatus Joannes evangelista, cum subjungit : « Qui et recubuit in « cœna super pectus Domini, et dixit : Domine, quis « est qui tradet te ? » In ultima cœna quam B Dominus cum discipulis habuit suis, ut superius textus Evangelii narrat, discipulus ille supra pectus magistri recubuit : et cum diceret Dominus : Unus ex vobis me traditurus est, contristatis omnibus, innuente sibi Petro, interrogavit magistrum Joannes, dicens : « Domine, quis est qui tradet te? » Et ne omnium conscientias dira suspicio torqueret, certos eos reddidit, dicens : « Qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet. » Quod autem discipulus ille supra pectus magistri recubuit, non solum præsentis dilectionis indicium fuit, sed etiam futuri mysterii signum. Quia enim in pectore Jesu sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, merito ille supra pectus magistri recubuisse dicitur, qui de ejus divinitate altius et profundius cæteris erat descripturus.

« Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : C Domine, hic autem quid ? » Quia enim Petrus apostolus in extensione manuum, in cinctione alterius, in ductu quo nollet, suam passionem intellexerat significatam, voluit scire de fratre et condiscipulo qua morte et ipse transiturus esset ad vitam. Et videns eum sequentem, ait :

« Domine, hic autem quid? Dicit ei Jesus: Sic eum « volo manere, donec veniam, quid ad te ? tu me « sequere. » Ac si diceret : Nolo eum per passionem martyrii præsentis vitæ cursum consummare, sed sic eum volo manere donec, ecclesiastica pace firmata, transitu naturalis mortis, perpetuam cum ducam ad vitam. Ubi putandum non est quod negaverit Dominus Joannem pro sua fide multas tribulationes esse passurum, sed prædixit eum per D martyrium præsentem vitam non esse consummaturum. Nam in Actibus apostolorum publice virgis cæsus legitur, quando ibant discipuli a conspectu concilii gaudentes, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumelias pati (*Act.* V). Et a Domitiano impiissimo Cæsare in ferventis olei dolium missus legitur, ex quo tantum liber exiit a dolore corporis, quantum alienus erat a corruptione carnis. Nam in historia Ecclesiastica legimus eum veneno esse potatum, et nihil mali passum, impleto in eo quod a Domino dictum fuerat : Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Postea vero propter insuperabilem constantiam evangelizandi, ab eodem

principe in Pathmos insulam exsilio est relegatus, A ubi, consortio destitutus humano, consolationem promeruit angelorum. Ibi enim propria manu Apocalypsim scripsit, quam ei Dominus revelare dignatus est, pro statu Ecclesiæ, præsentis scilicet et futuræ. Et ideo cum Dominus dixit: «Sic eum volo manere donec veniam,» non negavit eum corpore moriturum, sed per passionem martyrii non esse consummandum prædixit. Sed sermonem sic manendi, ita quidem discipuli eodem tempore tractare cœperunt, quasi Joannes jam non esset moriturus. Unde et subditur.

« Exiit ergo sermo inter fratres quod discipulus « ille non moritur. » Sed hunc eorum errorem idem Joannes corrigere curavit, cum subjunxit: « Et non « dixit Jesus Non moritur, sed, Sic eum volo ma- B « nere donec veniam. » Morte enim corporis veraciter mortuus est Joannes, quia ex eo die quo primo homini dictum est: « Quocunque die comederis de ligno scientiæ boni et mali, morte morieris (*Gen.* II), » nullus est qui gustet vitam qui non gustet mortem. Denique, etsi Elias et Enoch adhuc vivi esse creduntur, tamen sciendum est quia ad tempus mortem corporis distulerunt, non penitus evaserunt, quia temporibus Antichristi interficiendi sunt. Etsi Dominus in forma humanitatis mortem suscepit, nullus est qui mortem corporis evadere possit, Psalmista testante, qui ait: « Quid est homo qui vivet, et non videbit mortem? » (*Psal.* LXXXVIII.) subauditur nullus. Denique sicut in Patrum litteris invenimus, cum longo affectus senio Ephesi moraretur, in tantum, ut, discipulorum manibus sustentatus, vix ad C ecclesiam pergeret, sciens diem mortis suæ imminere, jussit sibi præparari sepulcrum, et dominica die, post celebrationem missarum; et admonitionem factam discipulorum, perceptione corporis et sanguinis Domini seipsum munivit. Ac deinde valedicens fratribus, descendit in defossum sepulturæ suæ locum quem sibi præparaverat, et quasi in lectulo, ita collegit se in sepulcro, atque oratione expleta, videntibus discipulis, appositus est ad patres suos, tam extraneus a dolore corporis quam alienus fuerat a corruptione carnis. Quo in loco terra sensim ab imo dicitur ebullire, ita ut nonnulli eum crediderint vivere. Sed quoniam, aliis apostolis per passionem martyrii consummatis, ipse solus in pace Ecclesiæ naturali morte vitam finivit, ideo a Domino di- D ctum est: « Sic eum volo manere donec veniam. » Quod est dicere: Nolo eum per violentiam persecutoris vitam finire præsentem, sed sic eum volo manere, quoadusque veniens ad vitam eum ducam perennem, et æterna remuneratione eum clarificem. Spiritualiter autem per hos duos discipulos, duas fidelium vitas, in quibus Ecclesia constat, accipere possimus, activam scilicet et contemplativam. Quarum una in labore est, altera in requie. Per Petrum enim, cui dictum est: « Sequere me, » activæ vitæ labor exprimitur, ad quam pertinet esurienti cibum, sitienti potum, nudo tribuere vestimentum, suscipere hospitem, visitare infirmum, sepelire mortuum, errantem corrigere, insipientem docere, pro veritate et justitia etiam, si necessitas fuerit, usque ad mortem certare. His autem qui in regimine positi sunt, qualiter subjecti victum et vestitum habeant, intenta sollicitudine prævidere. Per Joannem vero, de quo dictum est: « Sic eum volo manere donec veniam, » contemplativæ vitæ suavitas designatur, ad quam pertinet, remotis omnibus curis et sollicitudinibus, lectioni et orationi assidue insistere. Crebra quoque lacrymarum compunctione, pro peccatorum remissione et æternæ vitæ perceptione, dulcissime suspirare. Sed tamen utrumque discipulum, utraque vita nullus ignorat esse perfectum, et activa quidem vita generaliter ad omnes fideles pertinet, qui, se ab hoc sæculo immaculatos custodientes, mentem, manum, linguam in bono opere exercent. Contemplativa vero illis maxime datur, qui post longa exercitia monasticæ vitæ, secreta loca eremi sibi eligunt, ubi absque impedimento hominum, lectioni et orationi insistere et soli Deo possint inhærere, et quantum humana fragilitas patitur, aliquoties cœtibus angelorum mente adjungi, dicentes eum Psalmista: « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV). » Hoc autem inter activam et contemplativam vitam distat, quia activa hic incipit et hic finitur: contemplativa vero hic habet initium, sed in futuro plenius perficietur. Quis enim in illa vita esurientibus tribuet cibum, ubi esurit nemo, cum panis sit ibi vivus? Quis ibi sitienti potum tribuet, ubi est fons vivus, ex quo qui gustaverit, nunquam sitiet in æternum? Quis vestiet nudum, ubi stola est immortalitatis? Quis visitabit infirmum, ubi qui infirmetur non est? Quis sepeliet mortuum, ubi regio viventium? Unde, sicut diximus, activa vita hic habet initium et finem, mercede restante: contemplativa vero hic habet initium, sed in futuro perfectionem habebit: quia « quod nunc videt per speculum et in ænigmate, tunc videbit facie ad faciem (*I Cor.* XIII). » Unde bene de Joanne dictum est: « Sic eum volo manere donec veniam, id est, eos, quos gustu meæ contemplationis inebriavero semper proficere volo, quoadusque me in die judicii apparente, cum æterna remuneratione de fide transeant ad speciem. Jam enim descriptionem sui Evangelii beatus Joannes nobis commendat, cum dicit:

« Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet « de his, et scripsit hæc « Perhibuit quippe Joannes Domino testimonium docendo, perhibuit recte vivendo, perhibuit Evangelium scribendo, perhibet etiam quotidie, cum Evangelium quod scripsit in Ecclesia a fidelibus legitur vel auditur. Sed gratum forte videbitur, si quæ occasio illi Evangelium scribendi fuerit, breviter commemoremus. Nam post Domini ascensionem, per sexaginta ferme annos absque ullo adminiculo scribendi Evangelium prædicavit. Sed cum propter insuperabilem constantiam evangelizandi, ut diximus, a Domitiano impiissimo Cæsare in Pathmos insulam exsilio relegatus fuisset, irrumpentes in Ecclesiam Dei hæretici Marcio, Cerinthus et Ebi-

oni, et cæteri filii diaboli, quos ipse in Epistola sua Antichristos appellat, diversis dogmatibus eam scindere conati sunt, dicentes Christum ante Mariam non fuisse. Postea vero, cum permittente Neva piissimo rege, de exsilio reversus Ephesi moraretur, rogatus dicitur ab omnibus Asiæ episcopis et presbyteris, quia jam in tribus evangelistarum libris de humanitate Salvatoris satis scriptum habebant, ut eis de divinitate sermonem faceret, atque ad memoriam futurorum scriptum relinqueret, maxime ad convincendam illorum hæresim, qui dicebat Christum ante Mariam non fuisse : quod primum se negavit facturum, sed illis in prece perseverantibus, non aliter acquievit, nisi omnes triduano jejunio Dominum in commune precarentur. Quod cum fecissent, tanta gratia Spiritus sancti dicitur fuisse repletus, ut usque ad contemplandam Patris et Filii ejusdemque Spiritus sancti divinitatem mente raperetur, et de æternæ vitæ purissimo fonte potaret, quod nobis sitientibus propinaret. Unde et Evangelii sui tale est exordium : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, » et sic per totum Evangelii sui textum, pauca de humanis actibus interponens, sufficienter de divinitate Salvatoris scripta reliquit. Quam firmiter autem et absque ulla ambignitate credenda sunt quæ Joannes scripsit, ipse manifestat cum subjungit : « Et scimus quia verum est testimonium ejus. » Et nos ergo cum cæteris fidelibus vera credentes quæ scripsit, servemus quæ docuit, ut perveniamus ad hoc quod promisit, quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre, etc.

HOMILIA XII.

DE SANCTIS INNOCENTIBUS.

(MATTH. II.) « In illo tempore, apparuit angelus Domini in sommis Joseph, » et relqua. Hærent sibi divinæ lectiones, et frequenter una pendet ex altera, ita ut nonnunquam exordia subsequentis, facilius intelligantur ex consideratione præcedentis, quod in hac lectione facile advertimus, si illius superiora parumper attendimus. Supra enim retulit evangelica lectio, quia cum magos ab Oriente Hierosolyma venientes, Herodes Bethlehem misisset, dixit eis : « Ite et inquirite diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum (*Matth.* II). » Sed quia disponebat occidere, quem se promittebat adorare, illi ab angelo responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Statimque evangelista adjunxit, dicens : « Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph. » Ubi considerandum, quod minister cœlestis angelus, insidias Herodis prævenit, monens eum puero fugere in Ægyptum, ne rabiem sui furoris Herodes, sicut in cæteros, in puerum Jesum explere posset. Sed forte quæret aliquis, quare angelus Joseph in somnis apparuit, cum legatur pastoribus vigilantibus apparuisse, et Domini nativitatem nuntiasse ? Sed ad hoc dicendum, quia in hac angelorum diversa appari-

A tione, sanctitas simul et prudentia Joseph commendatur : pastores enim, quia rudes erant, utpote pastores, et divina mysteria dignoscere non poterant, necesse fuit ut illis angelus visibiliter appareret, et occultum mysterium manifeste panderet. Joseph vero, quia non solum sanctus, sed etiam prudens erat, non necesse fuit vigilanti apparere, sed tantum in somnis ; quoniam, ut ait Apostolus, linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* XIV). Et quia illam angelicam visionem discernere prudenter valebat, illius Joseph non solum carnis origine, sed etiam nominis consortio particeps, qui se somnio præferendum fratribus viderat, et somnia prudenter interpretando, prælatus vel dominus Ægypti constitutns fuerat (*Gen.* XLI. Quantum au-
B tem ad moralem sensum pertinet, angelus Joseph in somnis apparuit, ut ostenderet quia illi ad angelorum consortium sunt perventuri, qui a mundi impedimentis ac carnalibus curis velut dormientes sunt alieni. Quasi ergo dormiens vigilat, qui mundi superfluas sollicitudines postponens, oculum mentis in amorem Dei aperit sicut Ecclesiæ voce dicitur : « Ego dormio, et cor meum vigilat (*Cant.* V). Qui autem in somnis angelus apparens dicat, audiamus : « Surge et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge « in Ægyptum, et esto ibi usquedum dicam tibi. » Ubi notandum, quia non dixit, Accipe filium tuum, ut falso Judæi dicere voluerunt, sed, « Accipe puerum, » id est accipe quasi bajulus et nutritius, non quasi pater proprius. Non dixit, accipe uxorem tuam, ut Photiniani dicere voluerunt, quamvis et
C sponsæ uxores dici possint, sed accipe matrem ejus, id est, accipe quasi custos castitatis et sustentator fragilitatis, non ut violator virginitatis. Fugit autem puer Jesus ante persecutionem Herodiis, non quod mortem timeret, qui pro hominibus mori venerat, sed ut tempore congruo, non quam persecutor inferre volebat, sed quam ipse disposuerat, sustineret mortem, ostendens potestatem se habere ponendi animam suam, et iterum samendi eam (*Joan.* X). Ordo enim rerum necessarius erat, ut prius miracula faciendo se Deum innotesceret, et postmodum mortem pro nostra redemptione sustimeret, videlicet turpissimam crucis. Quoniam dignum erat, ut quia primus homo per lignum vetitum peccando ceciderat, per lignum sanctæ crucis restauraretur. Si enim
D tunc occideretur, quis eum Dominum cognosceret, excepto Maria, et Joseph, et Elizabeth, et paucis aliis quibus Spiritus sanctus revelaverat ? Ab aliis enim qui eum noverant, omnibus filius Joseph putabatur, et ideo distulit mortem, non timuit, ost endens fidelibus suis, idi rabiem persecutotum non esse timendam, ubi mortem suam ad aliorum vitam viderint proficere : ibi autem esse mortem fugiendam. ubi eam ad nullius profectum viderint provenire, juxta illud quod Dominus alibi ait : « Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* X). » Quare autem tam sollicite cum puero et matre ejus fugere angelus in Ægyptum moneret, mani-

festat cum dicit : « Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. » Quæret, inquit, ad perdendum, sed non inveniet ad interficiendum. Quanto autem studio Joseph et sollicitudine paratus esset angelicis obedire præceptis, manifestatur cum subjungitur :

« Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus « nocte, et secessit in Ægyptum. » Non enim noctis tenebras metuens, lucem exspectavit, non perfidæ gentis crudelitatem pavens, in alteram partem declinavit, sed « consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. » Magna potentia Domini, sed non minor ejus claret humilitas. Ille enim ante faciem persecutoris fugere voluit, cui angeli ministrant. Fugit Dominus in Ægyptum idolis plenam, cunabula Judææ gentis relinquens, etiam ipso situ corporis ostendens, quod postmodum dicturus erat : « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Marc.* IX). »

« Et erat ibi, usque ad obitum Herodis. » Quod nonnulli post quadriennii tempus, alii post biennii factum esse commemorant. Spiritualiter autem Maria et Joseph, legem Synagogamque significant. Ægyptus quoque, quæ *tenebræ* vel *mœror* interpretatur, mundum significat, qui post Domini incarnationem in tenebris ignorantiæ, et umbra mortis vel mœroris et angustiæ positus sedebat, sicut Apostolus dicit : « Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci (*Rom.* II). » Quasi enim Maria et Joseph portantibus, Dominus Ægyptum venit quando lege et Synagoga præcedentibus, mundum in tenebris erroris positum, sua visitatione illustravit, impleta prophetia Isaiæ, dicentis : « Ecce Dominus ascendit super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et cor Ægypti tabescet in medio ejus, et commovebuntur simulacra Ægypti, » et cætera quæ sequuntur. Nubes levis, virgo est Maria, quæ non est gravata semine virili, et quasi super nubem levem Dominus ascendens, Ægyptum intravit, quando, carnem ex virgine assumens, mundo visibilis apparuit. « Ut « adimpleretur quod dictum est per prophetam di- « centem : Ex Ægypto vocavi filium meum. » Consuetudo est huic evangelistæ, videlicet Matthæo, ut frequenter suam narrationem oraculis prophetarum confirmet. Quia enim Hebræis Hebræo sermone suum evangelium primus scripsit, ubicunque loci opportunitas se dedit, suam narrationem ex eorum libris confirmare studuit, unde cum dixisset Dominum monente angelo a parentibus in Ægyptum fuisse deportatum, adjecit continuo oraculum propheticum, dicens : « Ex Ægypto vocavi filium meum. » Hoc testimonium in Oseæ propheta legitur juxta Hebraicam veritatem, sed inter Septuaginta interpretes non habetur. Quia enim, Ptolemæo rege jubente, Scripturas in Græcum vertebant eloquium, Judæi prudenti consilio dicunt factum, ut ubicunque manifeste de filio mentio fieret, aut aliter interpretarentur, aut omnino prætermitterent, ne Pto-

A lemæus, qui unius Dei cultor videbatur, trinitatem non intelligendo, in varios deos incideret : unde plura in nostris codicibus leguntur, quæ in Septuaginta interpretibus non habentur, sicut est hoc (*Judic.* XIII) : « Ex Ægypto vocavi filium meum. » Et illud : « Quoniam Nazaræus vocabitur. » Et : « Videbunt in quem transfixerunt. » Nonnulli autem hoc testimonium de Numerorum libro sumptum voluerunt esse, illud scilicet Balaam divini, ubi scriptum est : « Deus ex Ægypto vocavit eum, et gloria ejus quasi unicornis (*Ose.* XI). » Quod quamvis de Judæorum populo possit intelligi, qui de Ægypto ad terram repromissionis vocatus est, potest et de Filio Dei accipi, qui, post obitum Herodis, iterum monente angelo, ad terram Israel est reversus.

B « Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset a « magis, mittens occidit omnes pueros, qui erant « in Bethlehem et in omnibus finibus ejus, a bimatu « et infra, secundum tempus quod exquisierat a « magis. » Quod autem ait, « Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a magis, » ad superiora Evangelii respicit, ubi dictum est, quia cum Herodes mitteret magos in Bethlehem, dixit : « Ite et interrogate diligenter de puero (*Matth.* II), » et reliqua. Sed quia responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam, videns suas insidias esse frustratas, iratus est valde, quoniam illusus esset a magis. Et quia occulte perdere puerum non potuit, in manifestam persecutionem continuo exarsit. « Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, et in
C omnibus finibus ejus. » Putabat enim, quod si omnes pueri occiderentur, unus quem quærebat evadere non posset, non æstimans, infelix, quia non est consilium, non est sapientia, non est prudentia contra Deum. Unde « a bimatu et infra » pueros jussit occidere, hoc est, a puero duorum annorum, usque ad puerum unius noctis. Quod vero dicitur : « Secundum tempus quod exquisierat a magis, » tradunt historiæ Josephi et Hegesippi, quod eo tempore quando natum regem Judæorum a magis audierat, accusantibus adversariis, vocatus ab imperatore. Romam venit : et cum venisset ante Cæsarem et universum senatum, ut erat callidus animo et prudens eloquio, potentissime et honestissime purgavit quæcunque sibi fuerant objecta. Cumque aliter ab ini-
D micis putaretur, majori gloria ab imperatore est exaltatus, in tantum ut ei regium diadema tribueret, et regnandi potestatem in Judæa confirmaret : et cum post duos annos in magna gloria in Judæam esset reversus, recogitans quod audierat a magis natum esse regem Judæorum : « Mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis, » æstimans, ut diximus, quod, omnibus occisis, unus effugere non posset. Quod autem nato Domino persecutio cœpit, significatur per omne tempus vitæ præsentis, non deesse futuros, qui electos Dei persequantur, sicut Dominus

ait in Evangelio : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur (*Joan.* xv). » Et Apostolus : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur (*II Tim.* III). » Et sicut ait Scriptura : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (*Eccl.* xxvii). » Quod vero pueri pro Domino occisi sunt, significat per humilitatis meritum ad coronam martyrii esse veniendum, quod omnis, ut Dominus ait, qui se humiliat, exaltabitur. Puerorum enim innocentia, humilitatem significat simplicium. De qualibus Dominus ait : « Sinite parvulos venire ad me ; talium est enim regnum cœlorum (*Matth.* xix). » Et iterum : « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. » Quando autem pueri, ut diximus, pro Christo interfecti sunt, sed Christus qui quærebatur non est inventus, ostenditur quia persecutores martyrum corpora male tractare possunt et occidere, sed neque a viventibus, neque a morientibus Christum auferre, qui possunt dicere : « Sive vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus (*Rom.* xiv). » Per eos autem qui bimi occisi sunt, illi significantur qui perfecti sunt in opere et doctrina, qui cum bene vivendo et recte docendo, aliorum nequitiam increpant, usque ad effusionem sanguinis decertant. Per illos vero qui infra, significantur simplices, qui, scientes Christum tantum et hunc crucifixum, magis eligunt mori, quam ejus fidem negare. Quod autem non solum in Bethlehem, sed etiam in omnibus finibus ejus pueri occisi sunt, significatum est, quia non solum in Judæa, unde Ecclesia originem sumpserat, persecutio erat futura, sed etiam usque ad fines terræ. Et quod Dominus propter persecutionem Herodis in Ægyptum fugit, significat electos propter persecutionem pravorum, aliquoties a propriis sedibus esse fugandos, exsilioque relegandos. Quod vero defuncto Herode, iterum angelo monente, ad terram Israel reversus est, significavit eosdem electos post compressam hæreticorum falsitatem, ad proprias sedes esse reversuros : quod de Hilario Pictaviensi, et Athanasio Alexandrino, et pluribus aliis legimus.

« Tunc adimpletum est, quod dictum est per Je« remiam prophetam dicentem : Vox in Rama au« dita est, ploratus et ululatus multus : Rachel « plorans filios suos ; et noluit consolari, quia non « sunt. » Nostram superiorem narrationem Matthæus evangelista confirmat, cum suis sermonibus oracula infert prophetarum. Quod autem ait : « Vox in Rama audita est, » non hic Rama nomen urbis vel loci, ut quidam putant, simpliciter sonat, sed potius in excelsum significat. Quod est enim dicere : Vox in Rama audita est, idem est dicere, persecutionis procella longe lateque diffusa est. Quæritur ad litteram, quomodo Rachel filios suos plorasse dicitur, cum Bethlehem, in qua pueri occisi sunt, non in tribu Benjamin, qui de Rachel ortus est, sed in tribu Juda fuerit, qui de Lia sorore ejus natus est ? Ad quod respondendum, quia tribus Juda et Benjamin, ut vetus narrat historia, juxta se hæreditatem acceperunt, et funiculus sortis Benjamin prope Bethlehem perveniebat. Et quia Herodes præceperat non solum in Bethlehem, sed etiam in omnibus finibus ejus pueros occidi, intelligimus per hanc occasionem permultos de stirpe Benjamin esse cæsos, quos Rachel mater elevata in excelsum voce plorasse dicitur, ut persecutionis immanitas exaggeretur, quando ipsa mater egisse dicitur, quod ab ejus tribu factum cognoscitur. Est et aliud quod in hoc loco prudens lector adjicere potest, quia sicut Genesis narrat historia (*Gen.* xxxv), Rachel sepulta est prope Bethlehem, juxta viam quæ ducit Hebron, sicut titulus monumenti ejus testatur. Quod ergo ab aliis constat factum, ipsa prophetico more fecisse dicitur, ex cujus sepultura locus ille insigne nomen habebat (*Joan.* LXXX). Spiritualiter vero Rachel (quæ *ovis* vel *visus principium* interpretatur) Ecclesiam significat, quæ recte visus principium dicitur, quia, mundato cordis oculo, illius pulchritudinem contemplari desiderat, qui ait : « Ego principium qui et loquor vobis (*Joan.* VIII). » Ipsa quoque est ovis centesima, quam pius pastor inventam propriis humeris imposuit, et sic reportavit ad gregem (*Luc.* xv). Plorat ergo Rachel filios suos, quia Ecclesia pro persecutione fidelium gemit. Non vult autem consolari super eos, qui non sunt, quia illam consolationem non vult recipere, ut iterum redeant ad certamina sæculi pugnaturi, qui regnant cum Christo per martyrium coronati.

« Defuncto autem Herode. » Igitur Herodes, qui tantorum scelerum se fecerat auctorem, ut nec ab ipsius Domini persecutione manum traheret non poterat remanere inultus. Quia enim fraudulenter regnum Judæorum primus ex gentibus adeptus fuerat, non solum Judæis multa mala intulerat, verum etiam in filiis propriis patricida exstiterat. Et super omnia mala, quæ longum est enumerare, cum Salvatorem mundi natum audisset, fellis invidia commotus, ut unum perdere posset, quem ad regnandum audierat natum, omnes pueros in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus interficere jussit. Tantaque rabies ejus animum succenderat, ut nec propter multitudinem morientium, nec propter parvulorum innocentiam, sua sævitia cessaret. Propter quod divina ultione percussus, immedicabilem passus est ægritudinem. Erat enim febris, acerrima suspiria, et anhelitus assidui, spasmus quoque totius corporis, ita ut vix respirare posset. Hydropis morbus corpus attenuaverat, ita ut vestigia inflatione pedum gravarentur, interiora quoque viscera tanto dolore urebantur, ut per secretum naturæ digerere videretur. Prurigo quoque totius corporis in tantum intolerabilis erat, ut etiam verenda putrida vermibus scaturirent. Inerat etiam et anhelitus fetidus, in tantum ut vix medicorum aliquis pro adhibendis medicaminibus ad eum accedere posset. Denique nonnullos medicorum in ipsa ægritudine positus dicitur occidere præ-

cepisse, quasi qui ejus saluti prodesse possent, nec vellent. Insuper etiam famem sitimque intolerabilem sustinebat. Et quod gravius erat, omnis cibus et potus in fastidium ei erat. Insomnietatem talem sustinebat, ut dies noctesque pervigiles duceret. Quod si parum obdormisset phantasma patiebatur, ut se obdormisse pœniteret. Sed cum nimio amore præsentis vitæ æstuaret, jussit se deferri trans Jordanem, ubi erant aquæ calidæ, quæ etiam languentibus medicabiles dicebantur. Sed quæ aliis utiles erant, illi nihil profuerunt, ut intelligeret se divina ultione esse percussum. Visum etiam fuit medicis, ut in fomentum olei tepidi eum deponerent. Quod cum fuisset ingressus, ita totum corpus ejus resolutum dicitur, ut etiam oculi in similitudinem morientium versarentur, intercluderetur vox, et sensus abesset. Et cum post paululum amicorum et famulorum vocibus excitatus sensum recepisset, jussit se deferri Jericho. Cumque jam de sua vita desperatus esset, omnes principes Judæorum ex singulis civitatibus et castellis ad se convocatos, in custodia retrudi jussit. Vocansque sororem suam Salomen, et virum ejus nomine Alexandrum, dixit: Novi Judæos de mea morte gavisuros, sed honorabiles exsequias habere potero ex planctu lugentium, si vos meis volueritis parere præceptis, ut mox cum ego spiritum exhalavero, omnes principes Judæorum, quos in custodia reclusi, interficiatis. Sicque fiat, ut qui de mea morte gaudere cupiunt, suorum civium interitum lugere cogantur. Et ne ab eorum sanguinis effusione manum retraherent, singulis quinquagenas argenti drachmas dari jussit. Cumque dolore ingenti angustiaretur, Antipatrum filium suum, quem quasi de nece paterna tractantem vinculis religaverat, jussit interficere eo quod audita ejus morte gavisus nuntiaretur. Jam vero tantis malis obsessus, et quia se vivere non posse cognoverat, mortem accelerare cupiebat. Unde quadam die cum resedisset, jussit sibi dari pomum, et ad ejus purgationem gladium. Cumque super sinistram recubuisset, ictum ferientis in seipsum libravit, seque propria manu percussit, atque statim vitam finisset nisi unus ex amicis qui vicinior astabat, Achiab nomine, manum cum gladio retraxisset. Talem igitur Herodes habuit finem, qui propter Salvatoris odium, multum sanguinem fuderat innoxium.

« Quo defuncto, ecce angelus Domini iterum apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge « et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel. Defuncti sumt enim qui quærebant « animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum « et matrem ejus, et venit in terram Israel. » Et quia non dixit, defunctus, sed defuncti, ex his angeli verbis intelligimus, multos principes Judæorum cum Herode in nece Domini consensisse: et ideo divina ultione actum est, ut multi ex his cum illo perirent, cum quo in nece Domini consenserant. Spiritualiter vero obitus Herodis, terminum significat invidiosæ contentionis qua nunc Judæa contra Ecclesiam sævit. Quod autem post obitum Herodis puer Jesus ad terram Israel est reversus, significat, quia circa finem sæculi ad synagogam est reversurus, cum per prædicationem Eliæ et Enoch in eum crediderint. Unde cum Ægyptum deferri jubeatur et fugere, hoc in nocte præcipitur: cum vero ad terram Israel revertitur, nec noctis fit mentio: quia quos nunc propter incredulitatem in tenebris deserit, circa finem sæculi credentes in lucem fidei recipiet.

« Audiens autem quod Archelaus regnaret in Ju- « dæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. » Archelaus autem unus fuit de Herodis filiis, quem post se ad regnandum in Judæa Herodes instituerat, sed postea insolentiam ejus accusantibus Judæis, judicio senatus apud Viennam, quæ Galliarum est urbs, exsilio relegatus, vitam finivit. Archelaus autem, qui *vincens leo* interpretatur, Antichristum significat. Qui ad tempus in sanctis victoriam habebit, et quasi leo terribilis apparebit. In illam ergo partem qua regnabat Archelaus, Joseph cum puero ire noluit, quia in illam partem populi Judæorum, quæ in Antichristum creditura est, Christus per fidem non habitabit. Post necem autem Archelai Christus ad terram Israel revertitur, quia post interfectionem Antichristi synagoga in eum creditura est, ut ait Apostolus: « Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI). » Sed quia in Ecclesia manet et manebit, audiamus ubi habitaverit.

« Et admonitus in somnis, secessit in partes Gali- « læ, et veniens habitavit in civitate quæ vocatur « Nazareth. » Quia enim Nazareth *flos* sive *virgultum* interpretatur, significat Ecclesiam, quæ et florem habet munditiæ, et virgultum virtutum. Cujus virgulti pulchritudinem admirabatur Sponsus in Canticis canticorum, dicens: « Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii (*Cant.* IV)? » Cui iterum voce Sponsi dicitur: « Ego flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II). » Et quia Ecclesia de præsentis vitæ amore ad cœleste desiderium transit, recte etiam Nazareth Galilææ dicitur, quæ *transmigratio* interpretatur. Quod autem subdidit: « Ut adimpleretur quod dictum est « per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur. » Hoc testimonium, ut diximus, in Septuaginta interpretibus non habetur. Nonnulli enim de Isaiæ prophetæ libro sumptum esse volunt, ubi scriptum est: « Exiet virga de radice Jesse, st flos de radice ejus ascendet (*Isa.* XI). » Nos autem dicimus, quia si fixum de Scripturis posuisset Evangelista testimonium, non diceret prophetas, sed per prophetam. Omnes enim prophetæ Dominum Nazareum vocant, quia sanctum eum prædicant. Ipse est enim de quo per Danielem dicitur (*Dan.* IX): « Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio. » Et David: « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV). » Et iterum: « Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum (*Psal.* IV). »

HOMILIA XIII.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

(Luc. II.) « In illo tempore, erant Joseph et Maria « mater Jesu mirantes super his quæ dicebantur de « illo, » et reliqua. Si superiora hujus Evangelii consideremus, inveniemus non sine causa nec frustra Mariam et Joseph miratos super his quæ de puero Jesu dicebantur; recolebant enim quod in ejus nativitate a pastoribus audierant angelos apparuisse, et gaudium omni populo nuntiasse, atque virginem concepisse et peperisse. Recolebant eum a magis non solum adoratum, sed etiam quod mystica munera ei oblata viderant. Recolebant quomodo a Simeone in manibus acceptum et benedictum viderant, etiam et Annam viduam de eo prophetasse, et super his et hujusmodi mirabantur. Qui enim mirabilis est in sanctis suis, scilicet in virtutibus sanctorum, mirabilior apparere voluit in ipsis exordiis suis, sive in suis virtutibus, sicut idem Evangelista alibi ait: « Stupebant autem omnes et mirabantur super prudentia et responsis ejus, et videntes admirati sunt (*Luc.* I): » ut scilicet Deum, qui in homine latebat, per exteriora signa demonstraret. Sed forte movet aliquem, quare Evangelista patrem Salvatoris Joseph appellaverit. Ad quod respondendum, quia non est oblitus, quod superius eum de Spiritu sancto conceptum, ex Maria virgine natum descripserat, dicens: « quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I), » sed aliorum opinionem secutus est. Excepto enim Maria et Joseph, et Elizabeth, vel Simeone, et paucis aliis quibus mysterium ejus incarnationis Spiritus sanctus revelaverat, ab omnibus Joseph filius tunc putabatur: non quod vere juxta Photinianos ejus pater fuerit, sed quod ad famam Mariæ conservandam, ab omnibus ejus pater sit æstimatus, ne lapidaretur a Judæis quasi adultera, si virum non haberet, et filium genuisset. Eo enim modo ejus pater appellatus est, cum eum non genuerit, quo et vir Mariæ dictus est, cum eam non cognoverit: ubi et hoc dicere possumus, quia et multo expressius et consultius ejus pater dici potuit, quem ex sua sponsa virgine noverat natum, quam si esset aliunde adoptatus. Cum enim publicæ leges permittant, ut extraneus filius in adoptionem assumptus, omnia quæ simulati patris sunt, ita sibi vindicare, quasi proprius filius possit, multo etiam vicinius filius Joseph dici potuit, qui de sua sponsa virgine fuerat natus. Nam et nutritios et bajulos, patres consuevimus appellare, non quod carnaliter nobis patres sint, sed quod nutriendo paternum in nos ostendant affectum.

« Et benedixit illis Simeon, et ait ad Mariam ma« trem ejus: Ecce positus est hic in ruinam et resur« rectionem multorum. » Simeon senex, qui humanitatem Domini in mundo exspectaverat, postquam eum vidit, postquam manibus portavit, postquam benedixit, etiam Mariam et Joseph benedicit. Ubi intelligendum est, quia in eo quod ait, « benedixit

A illis, » non ad Christum a quo omnis benedictio procedit, teste Apostolo qui dicit: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo (*Ephes.* I), » sed ad Mariam et Joseph refertur, ut diximus. Intellexit enim illam omni benedictione esse dignissimam, quæ illum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, ex se meruit generare. Unde angelus ait ad eam: « Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui (*Luc.* I). » Et Elizabeth: « Beata es quæ credidisti (*Ibid.*). » Et ipsa virgo de se: « Ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*Ibid.*). » Neque ab hac benedictione Joseph extraneum putavit, qui pro magna sanctitate, et sponsus
B Mariæ vocari, et Pater Salvatoris meruit appellari, ut et curam exhiberet virginis, et bajulus esset infantis. Post hæc prophetat in ruinam et resurrectionem multorum venisse Dominum Salvatorem, ut intelligamus quia Christi nativitas, non credentibus ruina, et credentibus resurrectio facta est. Quod vero ait, « Positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum, » spiritu prophetiæ intellexit nonnullos ex Judæis credituros, multos autem in incredulitate permansuros, juxta illud quod ipse ait in Evangelio: « In judicium enim ego in mundum hunc veni, ut qui non vident videant; et qui vident, cæci fiant (*Joan.* IX). » Unde etiam et per prophetam lapis offensionis, et petra scandali appellatur, in quo qui non crediderit, cadet super eum: super quem vero ceciderit, conteret eum. Quia illi qui in
C homine quem assumpsit scandalizati sunt, in Deum offenderunt. In ruinam enim venit illis, quibus Dominus ait in Evangelio: « Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, quia viderunt me, et odio habuerunt me gratis (*Joan.* XV). » Et alibi: « Qui non credit, jam judicatus est (*Joan.* III). » In resurrectionem autem illis venit, de quibus ipse dicit: « Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et resurgent (*Joan.* V). » In ruinam venit illis, quibus ipse dicit: « Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me (*Ibid.*). » In resurrectionem illis, de quibus alibi dicit: « Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vi-
D vit et credit in me, non morietur in æternum (*Joan.* XI). » Et iterum: « Omnis qui credit in Filium hominis, habet vitam (*Joan.* III) » et resurrectionem. Non solum autem ipse Christus, sed etiam et apostoli aliis in ruinam, et aliis in resurrectionem fuerunt. Illis in ruinam fuerunt, quibus dixerunt: « Vobis quidem oportuit primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII), » In resurrectionem illis, qui audire merentur ab Apostolo: « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus (*Coloss.* III), » etc. Nam prædicatio veritatis illis est in ruinam, qui audita negli-

gunt : illis in resurrectionem, qui libenti animo audiunt, et libentius faciendo complent. A Sed si subtilius consideremus, inveniemus, quia non solum aliis in ruinam, et aliis in resurrectionem Salvator venit, sed etiam uni eidemque homini in ruinam pariter et resurrectionem apparet, in ruinam scilicet vitiorum, et resurrectionem virtutum. Omnis enim homo aut vitiis aut virtutibus repletur. Quicunque hodie superbus est, si, audita Domini voce, ubi ait : « Omnis qui se exaltat humiliabitur (*Luc.* XIV), » et apostoli Petri : « Superbis Deus resistit (*I Petr.* V), » superbiam calcare, et humilitatem didicerit amare, in ruinam pariter et resurrectionem illi Salvator venit. Similiter adulter sive fornicator, si ad prædicationem Domini ubi ait : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in B corde suo (*Matth.* V), » et illud Apostoli : « Neque adulteri regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI), » carnis suæ desideria calcare et castitatem didicerit amare, in ruinam et resurrectionem pariter ei Dominus venit. Sive alias iracundia plenus, fortasse manus effusione sanguinis polluit, si audierit ipsum dicentem : « Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio (*Matth.* V) : » iracundiam a corde expellens, charitatem diligit, ei Dominus in ruinam et resurrectionem pariter venit. Ebriosus quoque aliquis vel crapulator audiens ejus verba, in quibus ait : « Ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate (*Luc.* XXI), » vitium ebrietatis et crapulæ deserens, sobrietatem diligit, ei Dominus in ruinam et resurrectionem pariter venit. Raptor et cæterorum criminum sectator, si ad prædicationem Domini vitia contemnere, C et virtutes studuerit habere, in ruinam pariter et resurrectionem illi venit, quia cecidit vitium, quod male vivebat, et resurrexit virtus, quæ male jacebat. Et bene primum in ruinam, et post in resurrectionem venisse dicitur : quia, nisi corruant vitia, virtutes in homine resurgere non possunt, ipso Domino dicente : « Nemo potest duobus dominis serviare (*Matth.* VI). » Unde Psalmographus nos admonet, dicens : « Declina a malo et fac bonum (*Psal.* XXXVI). » Cum quali ergo gaudio auditur, quod in resurrectionem multorum venit, cum tali lætitia audiendum est, quod in ruinam venisse dicitur. Non autem in ruinam et resurrectionem omnium, sed multorum venisse dicitur, ut non intelligamus hoc non de corporali, sed de spirituali resurrectione esse dictum. D Duæ enim sunt resurrectiones, una animarum, altera corporum. Et illi quandoque resurgent in corpore feliciter, qui modo resurgunt in anima veraciter. « Et in signum cui contradicetur. » Hic manifeste Domini passio a Simeone prophetatur. Signum cui contradicendum prædicit, vexillum crucis accipitur, cui contradixerunt Judæi blasphemantes, sicut apostolo Paulo dixerunt : « De secta autem hac notum est nobis, quod ubique ei contradicitur (*Act.* XXVIII). » Non solum Domini passio signum fuit cui contradixerunt Judæi, sed etiam alia ejus opera quæ fecit, signa fuerunt quibus contradixerunt hæretici. Quod enim virgo concepit, et virgo peperit, signum fuit, sed huic signo contradixerunt Manichæi, negantes Christum verum corpus assumpsisse, sed per virginem Mariam velut aquam per fistulam transisse. Quod vero animam pro nostra redemptione suscepit, signum fuit, sed huic signo contradixerunt Donatistæ hæretici ; sed horum omnium contradictiones, divinæ Scripturæ conculcat auctoritas. His enim qui dixerunt virginem impossibile esse concipere et parere, et post virginem permanere, contradicit sermo propheticus, qui ait : « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus* (*Isa.* VII). » Illis autem qui eum veram carnem suscepisse negaverunt, fide armatus occurrit Apostolus, dicens: « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I). » Et iterum : « Cum plenitudo temporis venit, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret (*Gal.* IV). » Illorum autem opinionem, qui dixerunt rationalem animam Christum non posse suscipere, destruxit ipse Dominus cum ait : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Marc.* XIV). » Et iterum : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X). » Et quia longum est ire per singula, omnia opera quæ fecit signa fuerunt, sed his signis contradixerunt reprobi homines.

« Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. » Nulla docet littera, nulla commemorat historia, beatam Mariam virginem materialis gladii percussione ab hac vita migrasse, quamvis et si hoc fieret, non anima invisibilis, sed caro corporali gladio posset transverberari. Unde in hoc loco, gladii nomine, duram tribulationem et immanissimum dolorem, quem de Domini passione toleravit, debemus intelligere. Licet enim Filium Dei non dubitaret, licet resurrecturum sine dubio crederet, nequaquam tamen putandum est, quod sine magno dolore potuerit videre crucifixum, quem de sua carne immaculata noverat natum. In cujus doloris magnitudine olim propheta dixisse putandus est : « O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus (*Jerem.* I). » Ipsum ergo dolorem, ipsum cruciatum, quem de ejus morte sustinuit, gladii appellatione Simeon signare voluit cum dicit: « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. » quia usus Scripturæ est duram tribulationem gladii nomine appellare vel signare, sicut de Joseph tribulationes Ægypti fortiter tolerante dictum est : « Ferrum pertransiit animam ejus. » Possumus quoqua et gladium, qui animam Mariæ pertransire dicitur, illum accipere, de quo ait Apostolus : « Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus (*Hebr.* IV). » Sed nunc et usque ad finem sæculi animam Ecclesiæ gladius

pertransibit, cum non solum ab extraneis persecutionem patitur, sed etiam eos qui credere videbantur, a fide et bona operatione retrolapsos gemit. Dolet enim ex eorum perditione, de quorum gaudebat salute: sicque multorum cordium cogitationes revelantur, dum superbit impius, incenditur pauper. Quod vero subjungit, « Ut revelentur ex « multis cordibus cogitationes, » non solum ad passionem Domini pertinet, sed etiam ad resurrectionem. Ante enim quam in carne apparuisset, incertum erat quinam ex Judæis in illum essent credituri, et qui in incredulitate permansuri: sed illo nato, multorum cordium cogitationes revelatæ sunt, quia pastores ab angelis commoniti, ad eum adorandum festinaverunt: at vero Herodes, audita ejus nativitate, turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo. Postea vero illo prædicante in perfecta ætate, et miracula faciente, multorum cordium cogitationes revelatæ sunt, quia alii ad illum quasi ad magistrum veritatis confluebant, alii quasi a seductore recedebant. Alii « dicebant quia bonus est, alii vero Non; sed seducit turbas (*Joan.* VII). » Alii dicebant: Si non esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. Alii dicebant: « Hic homo non est a Deo, qui sabbatum non custodit (*Joan.* IX). » Sed illo in cruce pendente, multorum cordium cogitationes revelatæ sunt, quia alii dicebant, cum sine culpa eum morti tradi viderent: « Vere Dei Filius erat iste (*Matth.* XXVII). » « Alii irridentes dicebant: Vah qui destruit templum Dei, et in triduo reædificat illud. Si Filius Dei est, descendat de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult (*Ibid.*). » — « Alii percutientes pectora sua, revertebantur (*Luc.* XXIII). » Alii etiam eo sepulto insidiari volebant, dicentes ad præsidem: « Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens. Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium (*Matth.* XXVII). » Et hoc est quod a Simeone dicitur, « et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, » id est, ex irridentium et dolentium, scilicet malorum et bonorum.

« Et erat Anna prophetissa, » etc. Post Simeonis prophetiam Anna vidua introducitur, quia ordo rationis poscebat ut primum a viris, deinde a feminis Domini nativitas testimonium acciperet. Quia enim omnem sexum et omnem ætatem Dominus redimere venerat, dignum erat, ut omnis ætas in ejus nativitate testimonium perhiberet. Et quia prophetaverat copulata conjugio, prophetaverat virgo, prophetaverat senex, etiam introducitur Anna vidua, ut nullus sexus, nulla ætas in ejus laude deesset, et impleretur illa prophetia, quæ dicit (*Psal.* CXLVIII): « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, » etc. Usque ad id quod ait: « Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini. » Ubi etiam notandum, quia evangelista Annæ officium, genealogiam, ætatem et mores, uno versiculo comprehendit, ut hanc ex omni parte dignam esse ostenderet, quæ Domino testimonium perhiberet. Ad officium quippe pertinet, quod ait: « Et erat Anna prophetissa. » Ad genealogiam, cum adjungitur: « Filia Phanuel, de tribu Aser. » Ad ætatem, quod subjungit:

« Hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum « viro suo annis septem, a virginitate sua. Et hæc « vidua erat, usque ad annos octoginta quatuor. » Ad morum scilicet sanctitatem pertinet, quod subinfertur: « Quæ non discedebat de templo, jejuniis et « orationibus serviens Domino nocte ac die. » In quibus verbis nostra tepiditas reprehenditur, nostra segnitia redarguitur, qui ad orationem tarde convenimus, citius quam necesse est recedimus, et nostræ vitæ tempus in conviviis et superfluis locutionibus occupamus. At vero cum esset Anna sexu fragilior, sed mente devotior, « non discedebat de templo, jejuniis et orationibus serviens nocte ac die, » ante Apostolum implens illud apostolicum: « Sine intermissione orate, in omnibns gratias agite (*I Thes.* V). » Ubi considerandum est, quia, etsi ad tempus recedebat propter corporalem necessitatem, tamen devotione mentis semper in oratione perseverabat, secundum Apostoli præceptum: « Sive manducans, sive bibens, sive aliud quid agens, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi (*I Cor.* X). » Sicut ergo habent conjugatæ in Elizabeth quod imitentur, et virgines in Maria quod sequantur, et senes in Simeone quod amplectantur, sic habent et viduæ exemplum viduitatis in Anna quod imitentur, ut discant, non circuire domos, nec deliciose vivere, non fabulis otiosis occupare linguam, sed in jejunio et oratione semper serviant Domino nocte ac die, ut in eorum numero computentur, de quibus ait Apostolus: « Quæ enim vere vidua est et desolata, sperat in Domino. At contra, vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est (*I Tim.* V). » Discant ergo viduæ secunda et tertia declinare conjugia. Discant etiam post virorum suorum mortem, carnis vitare lasciviam: quia Anna a virginitate postquam amisit virginitatem, septem annis cum viro vivens, octoginta quatuor vidua permansit. Pudeat igitur in senectute viduas castitatem violare, quam Anna in juventute custodivit. Insuper sane devotio illius ostenditur, quia, cum haberet potestatem in secundis nuptiis se matrimonio copulare, noluit hac potestate uti, sed etiam maluit in potestate Deo servire, quam viri amplexibus perfrui, adimplens illud quod ait Apostolus: « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II). » Et iterum: « Mulier innupta cogitat quæ sunt Dei, ut placeat Deo: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, ut placeat viro (*I Cor.* VII). » Sed hæc tanta instantia Domino famulabatur, ut merito de ipsa Evangelista diceret: « Quæ non discedebat de templo, jejuniis et orationibus serviens nocte ac die. » Quod enim tale jejunium, talis afflictio, talis devotio, talis oratio mercedem consequatur, manifestatur cum subditur:

« Et hæc ipsa hora surperveniens, confitebatur

« Domino. » Confitebatur enim Domino, quia laudabat Dominum. Confessio namque in Scripturis aliquando ad peccatum pertinet, aliquando ad laudem. Nisi enim ad peccatum pertineret confessio, Psalmista non diceret : « Dixi, confitebor adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei (*Psal.* XXXI). » Et nisi ad laudem pertineret, alibi non diceret : Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum. Unde ipse unigenitus Dei Filius, qui peccatum non fecit, in Evangelio ait : « Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI). » Sed quia omnis qui Deum laudat, alios etiam ad laudandum eum provocare debet, recte de Anna dicitur : « Et loquebatur de illo omnibus, qui « expectabant redemptionem Jerusalem. » Nolens dare sanctum canibus, nec mittere margaritas suas ante porcos (*Matth.* VII). Spiritualiter vero Anna vidua, sanctam significat Ecclesiam, quæ pro eo vidua dicitur, quia domini sui morte viduata, reditum ejus ad judicium exspectat. De qua vidua per Psalmistam dicitur : « Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus (*Psal.* CXXXI). » Hæc est enim illa vidua quæ, juxta Evangelium, quotidie interpellat judicem, et de qua per quemdam sapientem dicitur : Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam ejus, et exclamatio ejus usque ad deducentem eas? Congruit autem mysteriis Ecclesiæ, quod Anna *gratia Dei* in nostra lingua dicitur. Et filia Phanuel, qui *facies Dei* interpretatur, esse narratur : et de tribu Aser, qui inter duodecim patriarchas nascendi ordine habetur octavus, et interpretatur *beatus*, quoniam ut Ecclesia faciem Domini videre mereatur, ab ipso ardenti amore illuminari desiderat, canens cum Propheta : « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et faciem tuam, et salvi erimus (*Psal.* LXXIX). » Et iterum : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV). » Et ut ad resurrectionis beatitudinem pervenire possit, totum de Domini gratia accipit. Sed nec tempus quo in viduitate permansit, a mysterio alienum est. Sicut enim per septem tempora annorum quo cum viro suo permansit, tempus illud quo Dominus in carne fuit significat, ita anni octoginta quatuor quibus vidua perseveravit, tempus vitæ præsentis, in quo Ecclesia semetipsam bonis operibus exercet significat. Septies quippe duodecim, octoginta quatuor faciunt, et septem quippe ad præsentis vitæ cursum pertinent, qui per septem dies volvitur. Duodecim quoque ad sacratum numerum duodecim apostolorum : quia per prædicationem duodecim apostolorum, Ecclesia in præsenti vita bonis operibus insistendum didicit, hoc est, bona opera facere cognoscit. Octoginta vero ad corporum resurrectionem pertinent : porro quatuor, ad doctrinam quatuor evangeliorum. Octavus quippe numerus ad mysterium Novi Testamenti pertinet, qui octava die, id est dominica, conscribitur, in quo Dominus resurrexit, cujus gratia liberati sumus. Nam in revolutione hebdomadis octavus dicitur, quoniam una quæque hebdomada ab eo in quo bonis operibus insistere, et futuram resurrectionem sperare didicimus, quasi duodenis septies multiplicatis, octoginta quatuor implemus.

« Et ut perfecerunt omnia secundum legem Do« mini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam « Nazareth. » Hic prætermisit Lucas Evangelista, quod a Matthæo sufficienter scriptum noverat (*Matth.* II), scilicet quomodo propter persecutionem Herodis, angelo monente, in Ægyptum sit deportatus, et post ejus mortem, iterum angelo monente, in Galilæam in civitatem suam Nazareth reversus. Usus est enim evangelistarum ut unus aliquando prætermittat quod ab alio dictum meminit.

« Puer autem Jesus crescebat, et confortabatur plenus sapientia. » In hoc versiculo duorum hæreticorum dogmata destruuntur, Manichæorum scilicet, et Apollinaristarum. Manichæi dixerunt Dominum verum corpus non assumpsisse ; horum dogma destruitur, cum Evangelista dicit : « Puer autem Jesus crescebat et confortabatur. » Nisi enim veram carnem habuisset, nec crescere, nec confortari potuisset : quia in natura Dei, nec minui, nec augeri potest. Apollinaristæ dixerunt illum veraciter humanam animam non assumpsisse. Et horum dogma destruitur, cum subinfertur, « plenus sapientia. » Sicut enim crescere et confortari ad corpus pertinet, sic sapientia repleri ad animam. In eo autem quod puer vocatur, et paulo minus ab angelis est minoratus, crescere et confortari potest, quia pro nostra salute carnem suscepit. In eo vero quod ait, plenus sapientia, nec crescere, ut diximus, nec confortari ; sed notandum in eo quod ait, « plenus sapientia, » quoniam non ad mensuram veluti homines gratiam Spiritus sancti accepit, sed, sicut dicit Apostolus, in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Quod vero subjungitur, « Et gratia Dei erat in illo, » specialis gratia a Deo Patre homini Jesu Christo data est, ut ex quo homo esse inciperet, perfectus esset Deus et homo, humana assumens, et divina non deserens. De quo Joannes Evangelista dicit : « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis (*Joan.* I). » Cui Psalmista ait : « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). »

HOMILIA XIV.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

(LUC. II.) « In illo tempore : Postquam consummati « sunt dies octo, ut circumcideretur puer, et reliqua. » Quia mediatoris Dei et hominum circumcisionem hodierna lectione recitatam audivimus, libet ad initia ejusdem circumcisionis animum convertere, et quo tempore, vel ex quibus patribus exordium sumpserit, considerare, aut quam utilitatem habuerit, vel ob quam causam Dominus Jesus Christus, qui sine peccato in mundo venit, voluit eam suscipere. Ad quam rem instruendam liber Geneseos in promptu est, in quo legimus, quia post diluvium

exstitit vir quidam de semine Sem, filii Noe, nomine Heber, de cujus domo et familia egressus est Thare, qui genuit filium nomine Abram, cui dixit Deus : « Egredere de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi (*Gen.* xii). » Qui cum obediens esset Deo, exiens et nesciens quo pergeret, et reputatum illi esset ad justitiam, venissetque in terram Chanaam, et merito atque sanctitate cresceret, promisit ei Deus eamdem terram in hæreditatem esse daturum, et semini ejus post ipsum, cum non haberet filium (*Gen.* xii). Cumque merito et sanctitate magis ac magis proficeret, præcepit ei Deus ut circumcideret carnem præputii sui, dicens : « Circumcidetur omne masculinum in vobis, ut sit pactum fœderis mei inter me et vos (*Gen.* xvii). » Et circumcisus est Abraham centesimo ætatis suæ anno, Isaac autem filius ejus octava die. Porro Ismael tredecim annos impleverat. Ex eo tempore ritus et religio circumcisionis, a beato patriarcha Abraham sumpsit exordium. Si quis autem quærat, quare eadem circumcisio data sit, intelligat varias ob causas esse datam. Primum propter meritum fidei Abrahæ, ut sicut fide distabat a cæteris nationibus, sic distaret etiam signo circumcisionis. Sive certe signum circumcisionis datum est ut populus qui ex eadem progenie nasciturus erat per signum circumcisionis peculiaris ac familiaris Deo agnosceretur. Sive aliter signum circumcisionis datum est, ut si qui ex eorum populo in prælio corruissent, ob signum circumcisionis cogniti, quia de stirpe sancta descenderant, sepulturæ traderentur. Vel certe, quia in tali membro circumcisio jussa est, per quod carnis origo propagaretur, significabatur tunc ille ex eodem semine carnem de virgine assumpturus, qui virginitatis amator, et vitiorum præputii esset amputator, Dominus scilicet Jesus Christus. Nec putandum est, parvam utilitatem suo tempore habuisse circumcisionem, sed sciendum quia tantum valebat tunc circumcisio contra originale peccatum, quantum nunc valet aqua baptismatis, excepto quod ille nondum venerat, qui peccata solvere posset, vel qui januam regni cœlestis reseraret. Quoniam qui nunc per Evangelium dicit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* iii), » ipse tunc per legem clamabat : « Masculus cujus caro præputii circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit (*Gen.* xvii). » Non quod infans recens natus, boni et mali ignarus, pactum Domini per se irritum facere posset, sed quia de illius radice omnes nascebantur, qui pactum Dei in paradiso irritum fecerat, aut circumcisione, aut aliis modis purificari indigebant, quia vinculo originalis peccati tenebantur astricti, dicente Psalmista : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (*Psal.* l). » Nec solum per circumcisionem, sed etiam per hostiarum oblationem plures Deum placare studebant, sicut exemplo patientiæ Job discimus, qui se suosque liberos quotidianis sacrificiis purificabat (*Habac.* ii). Alii vero sola tantummodo fide salvabantur, sicut scriptum est in Habacuc : « Justus autem ex fide vivit, sine qua impossibile est placere Deo (*Habac.* ii; *Hebr.* xi.) » Nec putandum est, quod aliqua necessitate Dominus circumcisionem susceperit, qui immaculatam carnem ex virgine sine peccato assumpsit, sed ideo circumcidi voluit, ut etiam suo tempore circumcisionem sanctam fuisse et bonam ostenderet. Et ut omnem occasionem in se non credentibus Judæis auferret, noluit patribus esse diissimilis, qui non venerat legem solvere, sed adimplere (*Matth.* v). Sive certe circumcisionem corporaliter suscepit, ut in ipso carnalis circumcisio finem, et spiritualis haberet exordium. « Finis enim legis, ut ait Apostolus, Christus; ad justitiam omni credenti (*Rom.* x). » Et bene octavo die circumciditur Jesus, quia legis præceptum erat, Domino dicente : « Infans octo dierum circumcidetur (*Lev.* xii). » Sed quamvis hoc frequenter in lege præceptum sit, non facile de aliquo in tota serie Veteris Testamenti scriptum invenitur, absque solo duntaxat Isaac filio repromissionis, quod non sine mysterio credimus prætermissum. Circumcisio enim Isaac, Domini circumcisionem significabat. Circumcisio vero Domini nostram geminam circumcisionem significat, moderni scilicet temporis et futuri. Circumcidimur namque in præsenti, cum qui per baptismum a peccatorum sordibus purificamur, et quidquid ad vetustatem veteris hominis pertinet respuentes, induimus novum, implentes illud quod ait Apostolus (*Colos.* iii) : « Exuite veterem hominem cum actibus suis, et induite eum qui renovatur de die in diem. » Et iterum : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. » Melius autem circumcidemur in futuro, quando mortalitas carnis nostræ, in qua nunc peccamus, in immortalitate fuerit immutata, et soli Deo inhærebimus, ut ait Apostolus : « Nos qui residui sumus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus (*I Thess.* iv). » Et quando jam non erit conflictus cum carne et sanguine, quando corpus quod corrumpitur non aggravabit animam, nec terrena inhabitatio sensum multa cogitantem opprimet, sed absorpta morte in victoria, corruptibile hoc induet incorruptionem, implebiturque in illis, qui illo sæculo digni inventi fuerint, quod Dominus ait in Evangelio. « In resurrectione neque nubunt, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo (*Luc.* xx). » Æquales enim angelis erunt, cum filii resurrectionis fuerint. Pulchre ergo circumciditur puer. Factus est enim puer, qui pueros quærebat, id est puros. Quis est iste puer, nisi ille, qui cum sit magnus et laudabilis nimis, et cujus magnitudinis non est finis, propter nos puer fieri dignatus est ? de quo scriptum est : « Ecce puer meus electus quem elegi, posui principatum super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps

pacis (*Isa.* IX). » Quod autem die circumcisionis pueris nomina imponebantur, ex eo in consuetudinem venisse arbitramur, quod beatus patriarcha Abraham, id est pater multarum gentium, cum signaculo circumcisionis augmentum et immutationem promeruit nominis, ut qui hactenus dicebatur Abram, id est pater excelsus, deinceps diceretur Abraham, id est pater multarum gentium. Domino dicente: « Quia patrem multarum genitum constitui te ante Deum, cui credidisti (*Gen.* XVII. » Nec solum ipse, sed etiam venerabilis uxor ejus augmentum nominis cum immutatione promeruit, ut quæ prius dicebatur Sarai, id est princeps mea, deinde diceretur Sara, id est princeps sanctarum feminarum, sive princeps domus. Unde errant qui putant nomen Saræ per duo *rr* scribendum. Primum enim apud Hebræos per *sin, res*, et *iot* elementum scribebatur. Sublato ergo *iot* elemento de fine nominis, additum est *aleph*, et dictum est Sara.

« Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum « est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. » Si quis autem quærat, quando ejus nomen ab angelo antequam in utero conciperetur, vocatum sit, tunc sine dubio, quando ait angelus ad Mariam : « Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum ; hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur (*Luc.* I). » Nec solum hoc sanctissimum nomen antequam conciperetur in utero ab angelo vocatum est, sed etiam longe antea patriarchis et prophetis prædictum, quod Filius Dei homo factus, hoc nomine vocaretur videlicet Jesus : quia Jesus Hebræa lingua, in nostra salvator sive salutaris dicitur. Ubicunque enim apud nos salutare legitur, in Hebræo Jesus habetur, sicut est illud : « Salutare tuum exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX). » Et Isaias : Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo Jesu meo (*Isa.* LXI). » Et in Psalmis : « Memento nostri, Domine, in beneplacito populo tui, visita nos in salutari tuo (*Psal.* XXXV), » et multa talia. Et non solum sanctum ejus nomen a prophetis et patriarchis, antequam conciperetur, prædictum est, sed etiam ante omnia sæcula a Deo Patre præscitum et prædestinatum, ut Deus homo factus Jesus vocaretur, id est salvotor, ut sicut a Christo Christiani vocamur, sic etiam a Salvatore, salvati nuncuparemur : quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, ut ait Petrus apostolus, in quo oporteat nos salvari (*Act.* IV). Nec solum autem in etymologia nominis ejus nostra salus continetur, sed etiam in ipsis litteris quibus hoc nomen apud Græcos scribitur, magna salus nostra invenitur. Jesus enim apud Græcos sex litteris scribitur, ΙΗΣΟΥΣ. Quæ litteræ continent in se magnum numerum et in ipso numero magnum sacramentum, decem videlicet et octo ducentos, septuaginta, quadringentos, et iterum ducentos, qui simul juncti fiunt octingenti octoginta octo : et denarius quidem numerus ad decalogum legis pertinet, quia decem præcepta legis Moysi data sunt : octo autem, ad resurrectionem pertinent, quia octavo die Dominus resurrexit, et in octava sæculi ætate resurrecturos nos monstravit, juxta illud quod in Salomone legitur : « Da partes septem, necnon et octo (*Eccl.* XI). » Septuaginta quoque ad pœnitentiam pertinent, quia ille populus qui Deo peccavit, per septuaginta annos in captivitate Babylonis sub Nabuchodonosor rege fuit. Et cum de remittendis peccatis Petrus magistrum interrogasset, dicens : « Quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei? usque septies ! tunc Jesus ait illi : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies (*Matth.* XVIII). » Centenarius quippe numerus perfectionem vitæ æternæ significat, sicut de eodem Dominus, qui omnia sua pro ejus amore reliquerat, ait : « Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit (*Matth.* XIX). » Hujus numeri sacramentum, in ipsa digitorum computatione ostenditur, quando centenarius numerus de læva transit in dexteram, et circulum exprimens, fit in modum coronæ : illa corona æternam beatitudinem significat, quam pro bonis operibus se accepturum noverat, qui dicebat : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ (*I Tim.* IV). » Et nos igitur in hoc sanctissimo nomine denarium numerum reperimus, cum decalogi mandata servamus : tenemus octonarium, cum fidem resurrectionis credimus : habemus et septuagenarium, quando peccata nostra flendo punimus. Tunc autem ad centenarium perveniunt, cum post corporalem resurrectionem ad summam et perfectam beatitudinem animæ et corporis perveniunt, quia ibi erit omnis perfectio, ubi nulla fuerit corruptio ibi perfecta lætitia, ubi nulla tristitia, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum. Etiam non erit luctus, neque clamor, neque ullus dolor : quoniam priora transierunt, quando gaudium et lætitiam obtinebunt qui redempti fuerint a Domino, et fugiet ab eis dolor et gemitus, et venient in Sion lætantes, et lætitia sempiterna super capita eorum (*Isa.* XXIV). Quod gaudium bene significat Isaac, qui de centenario patre natus, octavo die circumcisus, *risus* interpretatur. Illum nimirum spiritualem risum vel gaudium significans, quod noster Isaac, Dominus scilicet Jesus Christus, promisit dicens : « Iterum videbo vos ; et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). » Et de quo per beatnm Job dicitur : « Os veracium replebitur risu (*Job* VI). » Et in laude Ecclesiæ : « Et ridebit in die novissima (*Prov.* XXXI). » Sed quia sermo de circumcisione Domini se intulit, libet intueri quid est, quod toto tempore ducatus Moysi, nullus ex filiis Israel circumcisus fuisse legitur, excepto uno filio ejus, quem uxor illius in itinere, ne ab angelo percuteretur, acutissima petra circumcidit, dicens : « Sponsus sanguinum tu mihi es. » Quid est enim quod jussio

Domini et consuetudo antiqua quadringentis observata sit annis, et ab ipso Moyse frequenter fieri commonita, ita per quadraginta annos sub suo tempore relicta est pene quasi nunquam esset? Non hoc sine causa, nec sine mysterio contigisse putandum est. Denique præputium quod sub Moyse crevit, idem populus qui sub eo incircumcisus remansit propter imminens bellum a successore ejus Jesu Nave amputatum est, et hoc cultris petrinis trans Jordanem in campestribus Moab, contra Jericho. Breviter ergo hujus mysterium videamus. Quid per Moysen, nisi lex figuratur? Quid per Jesu Nave, nisi gratia Novi Testamenti, quæ legi successit, exprimitur? Quid per præputium, nisi peccatum? Præputium ergo sub Moyse crevit, quia data lege, peccatum amplius apparere cœpit, teste Apostolo. « Lex iram operatur (*Rom.* IV), » et : « Ubi non est lex, nec prævaricatio. (*Ibid.*) » — « Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, et factum est quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem (*Rom.* VII). » Sed quia præputium, quod sub Moyse crevit, a Josue amputatum est, significat quia peccatum quod lex ostendebat, non etiam auferebat: Dominus Jesus Christus conditor et ordinator Novi Testamenti, quem Josue opere significavit et nomine, per gratiam Novi Testamenti non solum ostendit, sed etiam misericorditer dimisit. Lex enim, ait evangelista, per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I). Unde bene cultris petrinis idem populus a Josue circumcisus legitur, quia ille solus peccata dimittit, de quo ait Apostolus : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X). » Sed quia Domini Jesu Crhisti corporalem circumsionem celebramus, debemus ad nostram spiritualem circumsionem animum inflectere: et quomodo non corpore sed spiritu circumcidi conveniat, considerare. Ideo enim ille corporaliter circumcisus est, ut nos spiritualiter circumcidi doceret, sicut ait Apostolus : Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumsionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum (*Rom.* XV). » Hoc autem summopere considerandum est, quia circumcisio spiritualis non unius membri, sed omnium membrorum vitia amputare docet. Nec prodest jam circumcisio corporalis, ubi defuerit spiritualis. Unde Moyses legislator, cum mundissima Dei verba audisset, incircumcisum se labiis conquestus est, dicens : Obsecro, Domine, mitte quem missurus es. « Non enim audiet me Pharao, præsertim cum sim incircumcisus labiis. » Et Stephanus protomartyr quosdam circumcisos corpore, incircumcisos autem corde redarguit, dicens: « Vos incircumcisi corde et auribus, semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri. » Ex quibus colligimus, sicut diximus, quia circumcisio spiritalis non unius membri, sed omnium vitiorum debet esse amputatio. Circumcidendi sunt oculi ab illicito visu, ne videant mulierem ad concupiscendam eam. Unde et ipsa Veritas in Evangelio loquitur, dicens : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. » Ut veraciter cum Propheta dicam : « Averte oculos meos ne videant vanitatem. » Et iterum : « Oculi mei semper ad Dominum, » et reliqua. Et cum beato Job : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. » Circumcidendæ aures sunt, ne libenter audiant verba detractionis, falsitatis, murmurationis, et his similia, sed semper paratæ sint ad audiendum verbum divinum, ut impleatur illud in nobis : « Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. » Et cum beato Job dicere valeamus : « Auditu auris audivi te, Domine. » Et cum Isaia : « Dominus Deus aperuit mihi aurem. » Et cum Psalmista : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. » Et juxta illud quod propheta admonet, dicens : « Sepi aures tuas spinis, ne libenter audiant verba detrahentium (*Eccli.* XXVIII). » Circumcidendæ sunt nares ab illicitis odoribus, ne per illecebras odoris animus in consensum delectationis cadat, sed secundum Apostolum, semper Christi bonus odor simus Deo in omni loco. Circumcidenda est lingua a maledictionibus, perjuriis, falsitatibus, murmurationibus, et a consuetudine otiosi sermonis, nonnunquam etiam propter taciturnitatis custodiam a bono colloquio convenit abstinere, ut cum Propheta dicere possimus : Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis : « Mors enim et vita in manibus linguæ (*Prov.* XVIII). » Et qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. Tota enim nostra vita quodammodo per linguam commaculatur, nisi sub taciturnitatis custodia teneatur, quia, sicut ait Apostolus, « Corrumpunt bonos mores colloquia mala (*I Cor.* XV). » Nam sicut Jacobus apostolus ait : Qui se putat religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Et in lege vas quod operculum non habet, inter immunda vasa computatur. Et Psalmista nos admonet, dicens : « Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. » Circumcidamus manus ab effusione sanguinis et læsione proximi, et semper eas paratas habeamus ad operandum quod bonum est, ut habeamus unde tribuamus necessitatem patientibus. Et cum Psalmista dicere queamus : « Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine. » Et cum Ecclesia, « Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima (*Cant.* V). » Circumcidamus pedes, ne festinent ad effundendum sanguinem, et discordias seminandas, sed potius ad Ecclesiam conveniant, ad orationem studiosius properent, et inter fratres pacem et concordiam portent, ut adimpleatur illud quod dicitur : « Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. » Quod ut facere possimus,

supplices cum Propheta rogemus : « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas doce me. » Et iterum : « Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. » Et rursus : « Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. » Nec solum exteriora, sed etiam quæ interiora sunt, circumcidere debemus, id est cor, ut abstineamus nos a malis et immundis cogitationibus, et pravis delectationibus, et iniquo consensu, ne per assiduitatem cogitationis, in consensum delectationis cadamus, quia, ut Dominus ait : De corde exeunt cogitationes malæ. Et sicut Salomon nos admonet, dicens : « Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit (*Prov.* IV). » Hanc spiritualem circumcisionem prædicabat propheta tenendam esse, cum dicebat : Circumcidite præputia cordium vestrorum. Et iterum : Circumcidimini Domino Deo vestro, et nolite circumcidere carnes præputii vestri. De hac ipsa Moyses legislator ait : In novissimis diebus circumcidet Deus cor tuum et cor seminis tui. Et si taliter circumcisi fuerimus, et hic circumcisionis Domini participes erimus, et in futuro regem in decore suo videre merebimur. Quanta autem gloria præparanda sit ei, qui spiritualiter circumciditur, Isaias propheta indicat, qui cum dixisset : « Quis poterit habitare ex vobis cum igne devorante, aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? » adjecit continuo, de spirituali circumcisione. « Qui ambulat in justitia, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obdurat aures suas ne audiant sanguinem, et claudit oculos suos ne videant malum, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus ; panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt, regem in decore suo videbunt oculi ejus (*Isa.* XXXIII). » Verum considerandum est diligentius, ne forte spiritualem circumcisionem, inani gloria surripiente, propter appetitum humanæ laudis servemus, quod pro solius divini amoris gratias agere debemus. Ipse enim se amore circumcisionis privat, qui spiritualem circumcisionem non propter amorem Dei, sed propter inanem gloriam servat, in exemplo Sichimitarum, qui religionem circumcisionis non propter amorem Dei, sed propter carnis suæ desideria explenda susceperunt : et ideo non solum mercede privati sunt, sed etiam tertia die quando gravissimus dolor vulnerum inerat, ipsi una cum ruina suæ civitatis perierunt. » Dignum est enim, ut qui in præsenti vita spiritualiter circumciduntur, in meliorem circumcisionem, id est, immortalem quæ sanctis repromissa est, semper animum teneant. Unde bene de Domino, qui octava die circumcisus est, adhuc subditur :

« Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus « secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jeru- « salem, ut sisterent eum Domino, » id est, sanctificarent. Dominus Jesus Christus qui non venit legem solvere, sed adimplere (*Matth.* V), non solum circumcisus est octava die, cum non indigeret : sed etiam triginta et tribus diebus post hæc ab ingressu templi se abstinuit, juxta ritum legis : non quod ullo modo purificari indigeret, quod nullius originalis peccati vinculo tenebatur astrictus, sed ut ostenderet, cum quanto studio et sollicitudine evangelii præcepta observare debeamus, quando illa præcepta legalia quæ per servum dederat, cum tanta diligentia observavit. Decretum namque legis erat, ut puer recens natus octava die circumcideretur, et tricesima tertia die post hæc una cum oblatione sua in templo præsentaretur. Quod nulla necessitate, sed sola voluntate Dominus voluit observare, ut ostenderet suis temporibus legem sanctam fuisse et bonam, et in seipso regulam nostræ religionis dignatus est demonstrare. In eo quod prius templum noluit ingredi, quam circumcideretur et purificaretur, ostendit, quia Ecclesiam intrare non possumus, nec corporis et sanguinis ejus participes esse, nisi prius ab originalis peccati immunditia per baptismum simus purificati, juxta illud quod ipse dicit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* IX). » Adhuc juxta sacratiorem intelligentiam, in eo quod prius templum ingredi noluit, quam circumcideretur, et dies purificationis impleret, ostendit, quia in templo æternæ beatitudinis, quod est in cœlo, nequaquam intrabimus, nisi in præsenti vita per pœnitentiam et bona opera fuerimus purificati, teste Propheta : « Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos (*Psal.* V). » Et sicut per Paulum dicitur : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. Neque corruptio incorruptelam possidebit. » Quia sicut dicit Augustinus de agone Christiano : Cœleste corpus erit, ubi nulla corruptio. Vel caro et sanguis, opera carnis et sanguinis intelliguntur, et eos Dei regnum non possessuros, qui perseverabiliter ista dilexerint. Quod in ipsius materialis templi constructione præfiguratum est, quando lapides, ex quibus domus Dei ædificata est, alibi cæsi, et alibi deportati, in ædificatione inventi leguntur, ita ut scriptum est : « Non est vox mallei audita neque securis in domo Domini, cum ædificaretur (*III Reg.* VI). » Sicut enim Jerusalem, quæ *visio pacis* interpretatur, cœlestem significat patriam, sic domus Dei æternam significat cum Deo habitationem sanctorum, quæ ædificatur ex lapidibus vivis et pretiosis, id est animabus sanctorum. De quibus per Isaiam prophetam dicitur : « Lapides vivi volventur super terram. » Et iterum : « Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphyris (*Isa.* LIV). » De talibus Petrus apostolus dicit : « Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis (*I Petr.* II). » Lapides ergo ex quibus domus Dei ædificatur, alibi cæduntur, et alibi in ædificio ponuntur : quia animæ sanctorum in præsenti vita per pœnitentiam et eleemosynas, et cordis compunctionem, atque proximorum compassionem, purificantur et quodammodo tribulationibus poliuntur, ut in templo æternæ beatitudinis apti inveniantur,

In cujus domus ædificatione aptum se inveniri optabat spiritualiter lapis, qui dicebat : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ : ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus (*Psal.* xxvi). » Cujus pulchritudinem idem Psalmista admirans, ait : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine ; concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. » Verum si diligentius verba legis scrutemur, inveniemus non solum Dominum Jesum Christum a jugo legis solutum, sed etiam sanctam ejus genitricem a vinculo legalis observantiæ esse liberam. Sic enim legitur Levitici duodecimo de immunditia mulieris puerperæ, mundatione et oblatione ejus. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : « Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Mulier si suscepto semine peperit puerum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ, et octava die circumcidetur infantulus ; ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguinis purificatione. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium (*Levit.* xii). » Ubi considerandum est quia non ait, omnis mulier quæ pepererit puerum, immunda erit, sed quæ suscepto semine pepererit, ad distinctionem illius quæ non ex semine viri, sed ex obumbratione Spiritus sancti concepit et peperit Filium Dei. Illa enim sola nulla immunditia tenebatur obnoxia post partum, quam nulla immunditia præcessit ante partum. Et ideo sicut Dominus Jesus Christus nulla necessitate, sed sola voluntate legem observavit, sic ejus sancta genitrix, non coacta, sed spontanea jugo legis se subdidit, ut ostenderet suis temporibus legem sanctam et bonam fuisse. Quod vero subjungit :

« Sicut scriptum est in lege Domini, quia omne « masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino « vocabitur. » Consuetæ narrationis ordinem secutus est evangelista. Ex eo enim tempore quo Dominus, primogenita Ægyptiorum percutiens, filios Israel de Ægyptia servitute mirabiliter liberavit, omnia primogenita eorum sibi offerri præcepit, tam ex hominibus quam ex jumentis, non solum mundis, sed etiam immundis : ita duntaxat, ut munda quæque Domino offerrentur, immunda vero aut mutuarentur mundis, aut occiderentur. Unde in lege præcipitur (*Exod.* xiii) : « Primogenitum asini mutabis ove, » hominis vero primogenitum pretio redimebatur. Cujus redemptio erat post unum mensem quinque siclis argenti. Sic enim ait Dominus Moysi. Præcipe filiis Israel, ut omnia sanctificent mihi primogenita sua : mea enim sunt primogenita eorum, pro primogenitis Ægyptiorum. Sed nunquid illa primogenita omnia sancta fuerunt? Nunquid Achab sanctus, et illi sancti fuerunt, qui cum ex primogenitis nati essent, perdite vixerunt? Non. Sed omnia illa primogenita figuram primogenitorum Sancti sanctorum, id est, Domini nostri Jesu Christi tenuerunt, qui unigenitus ex Patre, primogenitus est ex matre : qui merito sanctus dicitur, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. De quo per Psalmistam dicitur: « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* xv). » Mystice vero in hoc præcepto nos commonemur, ut omnia primogenita nostra Deo offeramus, id est, quidquid bonum et justum in nostris operibus invenimus, ejus gratiæ, non nostris meritis reputemus, dicentes : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Si autem immundum aliquid parimus, id est, si peccatum in opere perpetramus, aut occidamus malum quod latebat, et radicitus evellamus, juxta Apostolum, « mortificantes membra nostra quæ sunt super terram (*Colos.* v). » Et iterum : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Aut certe mutuemus ea mundis, declinantes a malo, et facientes bonum : ut sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita serviamus munditiæ in sanctificatione (*Rom.* vi). » Nam potest quis mortificare membra, et non facere bonum, sed cum mortificans membra bonum facit, tunc mutuat vitium bonis. Sive, ut quidam tradunt, quia masculum et feminam mulier primogenitis parit, sed si masculum pepererimus, id est, fortia virtutum, Deo, ut dictum est, offeramus. Si autem feminam, id est immundam actionem in nostris operibus peperimus, aut mutuemus mundis, aut redimamus quinque siclis. Hominis ergo primogenitum, quia sine peccato esse non possumus, quinque siclis argenti redimimus quando per quinque sensus corporis bona opera et dignos fructus pœnitentiæ facimus. Ex eo vero quod ait : « Quia omne masculinum adaperiens vulvam. » hæretici occasionem sumere voluerunt, qui beatæ Mariæ virginitatem infamare cupientes, dixerunt eam ante partum virginem fuisse, et post partum virginem non permansisse. Quibus e diverso respondere possumus et debemus, quia in humana nativitate, non tunc primum mulier virginitatem amittit, quando filium parit, sed magis quando concipit, et ideo Dei genitrix virgo permansit post partum, quia virum non cognovit ante partum. De cujus perpetua virginitate Ezechiel propheta dicit : « Converti me ad portam domus Domini, quæ respiciebat ad orientem. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc quam vides, clausa erit, et vir non transiet per eam, quia Dominus Deus Israel ingredietur per eam, et erit clausa principi (*Ezech.* xliv). » Quæ est enim ista porta in domo Domini clausa, nisi Maria virgo intacta? Et quid est, vir non transiet per eam, nisi quia Joseph non cognovit eam? Et quid est, quod Dominus ingressus est per eam, et erit clausa principi, nisi quia Dominus matri suæ sic contulit fecunditatem, ut virginitatem non auferret? Dignum quippe erat ut cum Deus homo fieret, non ex alia quam ex virgine nasceretur, et virgo quæ pareret, non alium quam Dominum peperisset, et ideo sicut virgo ante partum fuit, sic virgo post partum permansit. Cujus voce sponsi in Canticis canticorum dicitur : « Hortus conclusus est soror mea sponsa, hortus conclusus et fons signatus (*Cant.* iv). » De cujus etiam integerrima

et perpetua virginitate Sedulius in carmine alphabeti pulchre cecinit, dicens:

Beatus auctor sæculi,
Servile corpus induit,
Ut carne carnem liberans,
Ne per deret quos condidit.

Clausa parentis viscera
Cœlestis intra gratia,
Venter puellæ bajulat
Secreta, quæ non noverat.

Domus pudici pectoris
Templum repeute fit Dei;
Intacta nesciens virum,
Verbo concepit filium (a)

Enixa est puerpera,
Quem Gabriel prædixerat,
Quem matris alvo gestiens,
Clausus Joannes senserat.

« Et ut darent hostiam secundum quod dictum « est in lege Domini, par turturum aut duos pullos «columbarum.» In his verbis considarandum est, quia Dominus Jesus Christus cum dives esset, pauper pro nobis fieri dignatus est, ut sua nos inopia divites faceret, hic in fide, et in futuro cœlesti regno. Præceperat enim Dominus in lege Moysi, ut die qua infans præsentaretur in templo una cum matre, non esset vacua manus parentis a munere, sed tam pro sua, quam pro sobolis purificatione, offerret agnum anniculum immaculatum de grege. Quod si tam pauper esset, ut non sufficeret manus ejus invenire agnum de grege, offerret duos turtures, vel duos pullos columbarum. Hostia ergo hæc pauperum erat. Imitemur ergo nos Dominum nostrum, et amemus spontaneam paupertatem, ut habentes victum et vestitum, his, juxta Apostolum, contenti simus, ut impleatur in nobis, quod ipse in Evangelio promittit, dicens: « Beati pauperes spiritu. quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v). » Ergo tam pauperes parentes elegit Dominus, qui non haberent agnum quem pro eo offerrent, sed obtulerunt tantum par tuturum, aut duos pullos columbarum. Sed quia superius commemoravimus, quomodo spiritualiter Deo nostra primogenita offerre debeamus, hinc considerandum videtur, qualia munera pro emundatione nostra Deo offeramus, juxta spiritualem vero intelligentiam, in hoc præcepto nos commonemur, ut si de grege operum nostrorum agnum innocentiæ, vel principales virtutes invenerimus, qualis est charitas, humilitas, eleemosynarum largitas, etc., Deo offeramus, id est, quod digne vivimus, non nostris meritis reputemus, sed illius gratiæ, qui ait in Evangelio: « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv). » Ipse enim dat velle et perficere. Si autem tam pauperes sumus, ut in opere nostro principales virtutes non inveniamus, offeramus saltem duos turtures. vel duos pullos columbarum, id est duo genera compunctionis, timoris videlicet et amoris. Quod enim istæ duæ aviculæ pro cantu gemitus edere solent, luctum sanctorum significat, qui in convalle lacrymarum non solum pro suis suorumque diluendis peccatis, sed etiam pro impetrandis virtutibus, quotidie deflent, dicentes cum Propheta; « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea (*Psal.* CXIX). » De quibus bene dicitur: « Unum pro peccato, et alterum in holocausto, » quia omnis peccator prius timore compungitur, et post amore. Cum enim quis mala opera sua ad memoriam revocans, pœnas etiam inferni reminiscens, flere incipit, timendo ne ducatur ad pœnam, dicens cum Propheta: « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo (*Psal.* VI), » quasi turturem vel columbam pro peccato offert. Cum vero ex longa consuetudine flendi, animus securitatem acceperit, et cœperit flere, non timens ne ducatur ad pœnam, sed quia tanto tempore differatur a regno, cantans cum Propheta, et dicens: « Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion (*Psal.* CXXXVI), » quasi turturem vel columbam in holocausto, offert. Hoc ergo differt inter sacrificium et holocaustum, quia omne holocaustum sacrificium est, non omne sacrificium holocaustum. In sacrificio enim pars pecudis offerebatur. Holocaustum vero, tantum incensum est. Qui enim cor contritum et humiliatum Deo spiritum pro peccatis offert, quasi turtures et columbas in sacrificio immolat. Qui vero non timore gehennæ, sed amore æternæ vitæ flet, quasi turtures vel columbas in holocausto mactat, dicens cum Propheta: « Holocausta medullata offeram tibi (*Psal.* LXV). » Aliter vero per hæc duo genera avium, duas Ecclesiæ accipimus vitas, activam scilicet et contemplativam. Hoc enim inter columbas et turtures interest, quia columbæ gregatim volant vel gemunt, turtur vero adeo singularitatem diligit, ut si casu conjugem vel parem amiserit, de reliquo singularis perseveret. Unde per columbas, qui gregatim volant vel gemunt, activæ vitæ societas designatur. De qua scriptum est: « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. » Et iterum: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! » Per turturem quæ singularitatem diligit, contemplativæ vitæ dulcedo exprimitur, quæ, remotis omnibus curis. soli meditationi et orationi insistere desiderat: quia quanto est sublimior, tanto utique rarior. Solus enim Jacob luctamen cum angelo iniit (*Gen.* XXXII), solus Moyses, pavente procul populo, montem ascendit (*Exod.* XXXIV), solus Daniel fugientibus sociis inter angelos remansit (*Dan.* II), solus Ezechiel, apertis cœlis super fluvium Chobar, quadrigam cherubim vidit (*Ezech.* I, 3), solus Petrus in exstasi mente raptus fuit (*Act.* X), solus Paulus usque ad tertium cœlum ductus fuit (*II Cor.* XII). Et ad comparationem activæ vitæ, raro invenitur, qui hac dulcedine perfruatur, Activa vero vita offert Deo sacrificium, contemplativa holocaustum. Cum enim quis bene vivens, ad bene vivendum alios hortatur, dicens: « Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. » Et iterum: « Venite adoremus et procidamus ante Deum, ploremus coram Do-

(a) *Virgo creavit Filium.*

mino qui fecit nos (*Psal.* xciv), » quasi turturem A vel columbam in sacrificio offert. Cum vero remotis omnibus curis et sollicitudinibus, ea quæ cœlestia sunt solummodo contemplatur, dicens cum Propheta: « Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, » quasi turturem vel columbam in holocausto offert. Et quia utræque istæ vitæ Deo acceptæ sunt, non est diffinitum utrum pro Domino turtures, an columbæ sint oblatæ, sed sic indifferenter dictum est: « Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. »

« Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen « erat Simeon. » Quia Dominus noster Jesus Christus omnem sexum et omnem ætatem liberare venerat, dignum erat ut omnis ætas et sexus ejus incarnationi testimonium perhiberet: et quia prophetaverat B copulata conjugio, prophetaverat virgo, Simeonis senis et justi persona introducitur, quem et longæva ætas idoneum fecerat, ut ex omni parte dignus esset testimonium Domino perhibere, et impleretur prophetia quæ dicit: « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis » usque ad id quod ait « Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini (*Psal.* cxlviii). » « Et homo iste ju« stus et timoratus. » Justus autem et timoratus dicitur, ut ad testimonium Domino perhibendum idoneus inveniatur. Bene priusquam dixit justus, addidit timoratus, id est timore Dei plenus, quia justitia sine timore difficile custoditur. Illorum enim justitia, quorum mentes timor Dei illuminat, teste Psalmista qui ait: « Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet minis. » Et iterum: « Timor C Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi, justitia Domini vera justificata in semetipsa. » Et alibi: « Initium sapientiæ timor Domini. » Et Salomon: « Qui timet Dominum nihil negligit. » Justus quippe erat, quia non solum suam, sed totius populi salutem quærebat. « Exspectans consolationem Israel. » Consolatio Israel, id est, videntibus Deum Domini adventus in carne fuit. Sancti enim Patres, quos metus originalis peccati contristabat, per Domini incarnationem consolari credebant, et ideo prophetæ quotiescunque Domini adventum prædicabant, non parvam consolationem credentibus exhibebant. Unde Isaias cum Domini adventum prædiceret, specialem consolationem populo intulit, dicens: « Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester D (*Isa.* xl). » Et iterum: « Dicite pusillanimis: confortamini et nolite timere. Ecce Deus vester, ipse veniet et salvabit vos. » Hanc consolationem Simeon, qui obediens interpretatur, exspectabat, quem matura ætas de mundo ut exiret compellebat, cum propter desiderium videndi Dominum in carne manebat. « Et spiritus sanctus erat in eo. » Bene dicturus evangelista de Simeone, quia Spiritus sanctus erat in eo, præmisit quod erat « justus et timoratus, » quoniam in illorum cordibus Deus habitat, qui timentes Deum justitiam servent, sicut ipse per prophetam dicit: « Super quem requiescam nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea (*Isa.* lxvi)? » Et in Evangelio: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum. » Nec solum Simeonem Spiritum sanctum Dei habuisse credimus, sed etiam cæteros sanctos, qui Domini incarnationem prædixerant, Spiritum sanctum habuisse non dubitamus, teste apostolo Petro, qui ait: « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Dei repleti, locuti sunt Dei homines (*II Petr.* i). » Hinc Isaias ait: « Spiritus sanctus Domini super me, eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus misit me. » Et David qui dixerat: « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, » ejus Spiritum in se credebat esse, dicens: « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. » Et sicut Apostolus discipulis suis ait: « Puto quod et ego Spiritum Dei habeam (*I Cor.* vii). »

« Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non vi« surum se mortem, nisi prius videret Christum Do« mini. » Ab ipso scilicet Spiritu, qui in ipso erat, invisibiliter in corde responsum accepit, et intellexit quod non esset visurum mortem, nisi videret Christum Domini natum. Ex qua responsione hoc intelligimus, quia iste senex Simeon sciebat vicinum esse tempus Dominicæ incarnationis. Hoc enim senex quotidie in suis orationibus precabatur, ut non exiret de hoc sæculo antequam videret natum, qui venerat redimere sæculum. Unde secundum suum desiderium responsum accepit, quod non esset visurus mortem, nisi videret Christum Domini. Nec solum Simeon desiderio videndi Dominum flagrasse credimus, sed etiam omnes sancti, qui per Spiritum sanctum ejus incarnationem præviderunt, cum corporaliter, si fieri posset, videre optaverunt, juxta illud quod Dominus loquitur, dicens: « Dico vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* x). » Hoc desiderio flagrabat venerabilis senex Jacob, qui cum moriturus filios benediceret, ait; « Salutare tuum exspectabo, Domine (*Gen.* xl). » Hoc etiam amore ardebat Isaias, cum dicebat. « Utinam disrumperes cœlos et descenderes (*Isa.* lxiv)! » Et David eodem æstuans amore, aiebat: « Domine, inclina cœlos tuos, et descende. » Et unus prophetarum hoc etiam ardebat amore, cum dicebat: « Exspectabo Dominum salvatorem meum, et præstolabor eum dum prope est (*Mich.* vii). » Quæritur quare dicat, non esse visurum mortem, cum mors potius oculus claudat, quam aperiat. Sed ad hoc dicendum, quia videre in hoc loco, pro sentire vel experiri dicitur. Iste modus in Scripturis usitatissimus est, ut videre pro sentire vel experiri aliquando ponatur, sicut in Evangelio Dominus dicit: « Si quis diligit sermones meos, mortem non videbit in æternum, » Et ideo quod dicit evangelista, « non esse visurum mortem, » tale est ac si diceret, non esse gustaturum in se vel sensurum mortem.

« Et venit in spiritu in templum. » Non putatur in exstasi raptus venisse in templum, sicut Joannes

in Apocalypsi se in cœlo fuisse testatur (*Apoc.* xii), A sed ab ipso Spiritu commonitus, a quo responsum acceperat, intelligens horam esse impletam qua videret Dominum, corporaliter venit in templum, ut desiderium suum ex visione Domini satiaret, et de eo multa coram testibus prophetaret. Unde et subditur:

« Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, « ut facerent secundum consuetudinem legis pro « eo, et ipse accepit eum in ulnas suas. » Et ecce impleta promissio est Spiritus sancti, quia non solum videre Dominum meruit, sed etiam portare in ulnis, id est in brachiis. Et mira res, portabat senex, a quo portabatur. Magna hic Domini est potestas, sed nec minor ejus claret humilitas, quoniam quem cœlum et terra capere non possunt, unius hominis portabatur in ulnis. B Ille portabat Christum in humanitate, a quo portabatur per divinitatem, ferebat senex Christum infantem, qui illum regebat in senectute degentem. Felix quidem Simeon, qui non solum videre, sed etiam Christum portare meruit in carne; nec minus felices animæ quæ non viderunt et crediderunt. Unde Dominus cuidam se palpanti ait: « Quia vidisti me, credidisti, beati qui non viderunt et crediderunt (*Joan.* xx). » Typice Simeon senex mundum significat, qui cum post quinque millia et eo amplius annos Christum natum agnovit, quasi in senectute puerum portavit. Accepit eum in ulnis, quibus nos onera portare solemus, ut discamus tollere super nos jugum Christi leve, et onus ejus suave. Portat autem spiritualiter Ecclesia in bonis operibus, quem Simeon portavit corporaliter in manibus: quia per C manus et brachia opera intelliguntur, monente Paulo Apostolo ac dicente: « Glorificate et portate Dominum in corde vestro (*I Cor.* vi). » Unde fideles in ista die missarum solemnia celebrantes, luminaria in manibus deferunt, illud ineffabile lumen recolentes, quem Simeon hodierna die portavit in manibus. Figurate autem cum senex portat, innuit nobis ut veterem hominem cum actibus suis exuentes, portemus et induamus novum, id est Christum, ut quodammodo de senectute damnabili ad spiritualem in fantiam redire possimus, juxta illud Apostoli: « Nox, » id est infidelitas, « præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* xiii). » Quam autem magnitudinem cognoverit Simeon in eo quem parvum esse videbat, manifestatur cum subditur: « Et benedixit Deum. » D Benedixit autem Deum, non quod hominis benedictio aliquid Deo conferre possit, a quo omnis benedictio procedit, dicente Apostolo: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo (*Ephes.* i), » sed sic dicitur, » benedixit Deum, » quasi dicatur: Bene laudavit Dominum, vel bene de eo dixit, sive digne de illo et bene prophetavit; nam consuetudo sanctorum est Deum semper benedicere, sive in prosperis, sive in adversis, dicentes cum Psalmista: « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. » Quid autem benedicens dicat audiamus:

« Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum « verbum tuum in pace. » In quibus verbis ostendit quia non ob aliud manere volebat in sæculo, nisi ut Dominum videret natum, quem mox ut vidit, mox ut portavit, ut ore laudavit, exsiliens gaudio, quasi licentiam de mundo egrediendi postulans, benedixit: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. » Ac si diceret: Quia video pacem, dimitte me in pace, in illam scilicet quam commendaturus erat discipulis, dicens: « Pacem do vobis, pacem relinquo vobis (*Joan.* xiv). » Sciebat enim se de laboriosa vita ad locum pacis et quietis transiturum, ex quo post Domini resurrectionem perventurus esset ad cœlestem regionem. Nec solum Simeon ab hac vita ad aliam transire concupivit, sed etiam plures sanctorum ad hanc perfectionem pervenerunt, ut sarcinam carnis deponerent, quatenus in sinu Abrahæ, id est ad requiem optarent transire, et adventum ejus postularent, qui ejus januam vitæ cœlestis aperiret, sicut Idithun transilitor cupiditatum, cum mala mundi crescere cerneret, incalescens animo, ait: « Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est ut sciam. » Et iterum: « Ecce veteres posuisti dies meos. » Et David: « Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generatione et generationem, etc. Jam vero Novi Testamenti patres tanto securius ab hac vita exeunt, quanto sibi aliam vitam præparatam esse certius credunt, quod perfectorum est agere. Qualis erat Paulus apostolus, qui pro bonis operibus securus dicebat: « Cupio dissolvi et esse cum Christo. » Dissolvi enim et cum Christo esse, multo melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos, id est propter discipulos. Et iterum: Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* v). » Quare autem Simeon dimitti se optaret manifestat, adjungens:

« Quia viderunt oculi mei salutare tuum. » Salutare Dei Jesu est; nam ubicunque apud nos salvator sive salutaris legitur, in Hebræo Jesus habetur. Quod vero subditur:

« Quod parasti ante faciem omnium populorum. » Manifestum est quia salutare Dei, id est Christum, omnes populi in carne videre non potuerunt, quia tantummodo in Judæa per semetipsum prædicavit; sed ante faciem omnium populorum præparatum dicitur, quod per prædicationem apostolorum ad notitiam pervenit omnium populorum, sicut scriptum est in Evangelio: « Illi autem profecti prædicaverunt ubique (*Marc.* xv), » impleta prophetia, quæ dicit: « In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* xv). » Et iterum: « Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. » Sive aliter ante faciem omnium populorum salutare Dei paratum dicitur, quia in judicio omnibus apparebit, non solum justis, sed etiam injustis, sicut scriptum est: « Et videbit omnis caro salutare Dei nostri (*Luc.* iii). » Et Joannes in Apocalypsi: « Et videbit eum omnis oculus,

et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ. » Ad quid autem Dominus in primo adventu venerit, declaratur cum subinfertur:

« Lumen ad revelationem gentium, et gloriam « plebis tuæ Israel. » Salutare quippe Dei lumen gentium fuit, quia gentes quæ sedebant in tenebris et umbra mortis, per ejus adventum illuminatæ sunt, impleta prophetia Isaiæ dicentis : « Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam (*Isa.* IX). » Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis : unde ipse in Evangelio dicit : « Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. » Gloria quoque Israeli salutare Dei fuit, qui aliis, qui ex Israel credere in eum voluerunt; magna gloria facta est, quando ex eorum stirpe Dei Filius carnem assumere dignatus est, quia inter eos docuit, et suis miraculis eos sacravit : sed quia rari ex Judæis, et multi ex gentibus in eum crredituri erant, ante gloriam Israel, revelationem gentium præmisit. Quod etiam Psalmista fecisse legitur, qui cum Domini adventum in carne prophetasset, dicens : « Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam, » subjecit dicens : « Recordatus est misericordiæ suæ et veritatis suæ domni Israel (*Psal.* LXVII). »

HOMILIA XV.

IN EPIPHANIA DOMINI.

(MATTH. II). « In illo tempore, cum natus esset « Jesus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis regis, » et reliqua. In capitulo hujus lectionis, tria sunt quæ nobis beatus Matthæus evangelista commendat, personam scilicet nascentis, locum nativitatis et tempus. Decebat enim ut in illa Domini nativitate nihil auctoritatis deesset. Personam ergo ostendit, cum ait : « cum natus esset Jesus; » locum, cum subjunxit : « in Bethlehem Judæ ; » tempus, cum infert : « in diebus Herodis regis, » Bene autem, postquam dixit Bethlehem, addidit Judæ, ad distinctionem alterius Bethlehem, quæ esse in Galilæa, ex libro Jesu Nave comprobatur. Pulchre ergo Dominus in Bethlehem nasci voluit. Bethlehem quippe domus panis interpretatur, eo quod ibi paverit Jacob patriarcha pecora sua, imponens ei nomen Bethlehem, ob futuræ significationis mysterium, quæ prius Ephrata vocabatur. Locus namque in quo Dominus nasciturus erat, ante Bethlehem vocatus est, quia futurum profecto erat ut verus panis ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes æterna satietate reficeret, ipse scilicet qui ait in Evangelio: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi ; » et de quo per Psalmistam dicitur : « Panem de cœlo dedit eis, » et : « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII). » De quo etiam pulchre Sedulius cecinit, dicens :

Christus erat panis, Christus petra, Christus in undis

Recte etiam in diebus Herodis nasci voluit, ut impleretur prophetia Jacob, dicentis : « Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium (*Gen.* XLIX). » Ex quo enim de Ægypto ascenderunt, suæ gentis principes, reges et duces habuerunt. Jam vero deficientibus principibus ex Juda, primus ex alienigenis Herodes regnum Judæorum arripuerat. Cujus quia se mentio intulit, qualiter ad Judaici regni apicem pervenerit, breviter commemorandum videtur. Cum enim hi qui de Mathathiæ stirpe descenderant, per aliqua annorum spatia ducatum regni Judæorum tenuissent, pervenit tandem potestas ad quemdam virum, ex eorum stirpe genitum, nomine Alexandrum. Qui cum post aliquod tempus obiisset, reliquit uxorem cum duobus filiis parvulis, quorum unus Aristobolus, alter Hyrcanus vocabatur. Qui cum adulti essent, desiderio regnandi jurgia inter se habere cœperunt. Erat tunc quidam vir nomine Antipater, fortis viribus, facultate ditissimus, ex Herode quodam genitus, qui in templo Apollinis ædituus erat. Hunc ergo sibi Hyrcanus in amicitiam et societatem contra fratrem vocavit. Cumque eum non solum armis, sed etiam in facultatibus adjuvaret, etiam ut Romanorum ducum auxilium peteret, perdocuit, eo quod tunc Romani præ cæteris hominibus, in ordinandis regni negotiis, fide et sapientia atque fortitudine præcellerent. Et quia longum est ire per singula, cum Aristobolus a Romanis captus, Romam sub custodia duceretur, ducatus regni Judaici ad Hyrcanum pervenit. Tunc memor beneficii ab Antipatro sibi collati, eum in amicitiam et socium coluit, intantum ut procurationem alicujus partis Judaici regni ei sub se committeret. Habuit vero idem Antipater uxorem Cipridem nomine, ex Arabia generatam, ex qua sumpsit filios, quarum unum Phaselum, alterum Herodem nominavit. Cumque longo confectus senio, vitam finisset præsentem, potestatem quam ab Hyrcano in Judæis acceperat, Herodi filio suo reliquit. Qui cum callidus et cautus animo strenue ea quæ ad se pertinebant agere cœpisset, Hyrcani neptem Aristobuli filiam in conjugium suscepit. Cum vero post aliquod tempus Hyrcanus in prælio quod contra Arabas sumpserat, captus esset, etiam exsilio detentus est. Et tunc primum Herodes, quasi vice illius, potestatem illius obtinuit. Sed cum post aliquod tempus Hyrcanus amputatis auribus Judæam reverteretur, simulavit se idem Herodes eum in pace suscipere : sed postea cum eum fraude necasset, fraudulenter potestatem illius obtinuit, et primum a Cassio Romanorum duce, postea ab ipso imperatore potestate accepta, regnum Judæorum sibi subjugavit. Hac igitur fraudulentia primus ex alienigenis Herodes, regnum sub sua potestate Judæorum accepit, quo regnante Dominus Jesus Christus secundum prophetas prædictus, natus in Bethlehem oppido Judæ. Quia enim deficientibus principibus ex Juda, alienus et extraneus atque falsus regnum Judæorum arripuerat, instabat tempus quo verus Rex nasceretur, cujus ter-

tia decima die nativitatis magi ab oriente venerunt Hierosolymam.

« Dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæorum? « Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus « adorare eum. » Et bene ab oriente veniebant qui orientem quærebant, ipsum scilicet de quo scriptum est : « Ecce vir, Oriens nomen ejus, » et iterum : « Visitavit nos Oriens ex alto (*Luc.* I). » Non autem casu, sed divina dispensatione actum est, ut magi regem natum primum Hierosolymæ quærerent, quæ est metropolis civitas Judæorum, ut scilicet ipsi locum nativitatis a Judæis discerent, et Judæi ab ipsis regem suum natum audirent : et si cum ipsis ad adorandum pergerent, salvarentur : si autem pergere nollent, inexcusabiles essent. Sed ipsi locum nativitatis ex suis libris aliis ostenderunt sed tanquam stulti et cæci in tenebris permanserunt. Factique sunt illis quasi lapides in milliario qui itinerantibus viam ostendunt, sed tamen eis pertranseuntibus stolidi et immobiles permanent ; ita quidem et Judæi aliis locum nativitatis Christi ostenderunt, sed in se stupidi remanserunt. Quæ autem hic ab Evangelista Hierosolyma vocata est, ipsa est civitas quæ a Sem filio Noe ædificata, primum dicta est Salem, postea vero propter habitatores Jebusæorum appellata est Jebus. Unde et ex utrisque compositum est nomen ejus Jerusalem. Temporibus vero Salomonis regis, ejus sapientia et decore ampliori honore exaltata, dicta est Hierosolyma, quasi Hierosolomonia. Unde quidam metricorum ait : « Hiero quem genuit Salomonia regem. » Suis quoque verbis magi eum quem quærebant, hominem regem pariterque Deum fatebantur. Hominem quippe quærere se ostendunt, cum dicunt : « Ubi est qui natus est? » regem, cum subjungunt, « rex Judæorum. » Eumdemque Deum esse confitentur. cum subjiciunt : « Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. » Sed forte quærit aliquis quæ ista sit differentia, ut magis in oriente nativitatis Domini index stella apparuit, cum angelus in Judæa eamdem nativitatem pastoribus nuntiaverit. Ad quod respondendum est, quia dignum fuit ut pastoribus, qui Israelitæ erant et Deum cœli cognoscebant, rationalis creatura, id est angelus appareret, qui eos de nativitate Domini instrueret; magis vero, tanquam gentilibus et ratione carentibus, irrationalis creatura stella appareret, quæ insolito fulgore coruscans in cœlo, regem cœli in terris natum ostenderet, et ita fieret ut et illi per angelum, et isti per stellam admoniti, ad angularem lapidem currerent, et ex utroque populo unum parietem facerent, ab illo conjuncti, de quo ait Apostolus : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem copulavit, dissolvens inimicitias in carne sua, et veniens evangelizavit pacem his qui longe et qui prope sunt (*Ephes.* II.) » Sed forte interrogat aliquis utrum hæc stella in cœlo sidereo permaneret, sicut et cæteræ, vel per aerem an per terram discurreret. Ad quod dicendum quia neque in cœlo sidereo fixa erat, ne-

A que in terra, sed per aera discurrebat, ut dux et prævia magorum usque ad natum puerum esset. Sed neque antea fuisse creditur, neque postea permansisse, sed cum novus homo natus est in mundo, novum sidus apparuit in cœlo. Omnia enim elementa Creatorem suum in mundo venisse cognoverunt. Cœlum cognovit, quia mox eo nato stellam novam misit ; mare cognovit, quia sub plantis ejus se calcabile præbuit ; sol cognovit, quia in ejus morte radios sui luminis abscondit : saxa et lapides cognoverunt, quia eo moriente scissæ sunt; terra cognovit, quia eo resurgente contremuit (*Matth.* XXVII). Sed quem irrationales creaturæ cognoverunt, dura et stulta corda Judæorum adhuc non cognoscunt. Sed illud prætermittendum non est, quia fuerunt

B Priscillianistæ hæretici, qui dixerunt unumquemque hominem sub fato stellarum nasci, hoc in adjutorium sui erroris assumere volentes, quia mox ut Dominus natus est, ejus stella in oriente apparuit. Quibus e diverso nos respondemus quia non puer ad stellam, sed stella ad puerum venit : si liceret dici ullo modo, magis puer fatum stellæ, quam stella fatum pueri crederetur. Dicebant autem quod qui sub signo nascebantur Libræ, trapezitas esse futuros, plurimæ autem gentes sunt, quæ trapezitas non habent, et tamen sub eodem signo multi homines, sicut in aliis regionibus, nascuntur. Dicebant etiam eos qui sub signo Aquarii nascebantur piscatores esse futuros, cum sine dubio multi homines sub eodem sidere, sicut in cæteris regionibus, nascantur, qui piscatores non sunt. Nam in

C Francia plurimarumque gentium regnis, reges ex origine succedere solent, et nullus ignorat quia sub eodem signo et eadem hora qua filius regis nascitur, multi ex servili conditione in eodem regno sub eodem sidere nascuntur, et tamen filius regis, cum adultus fuerit, regni dignitate sublimatur, cum illi qui cum eo nati sunt usque ad mortem in servitute permaneant. Sed ne parva hæc ad Priscillianistarum hæresim destruendam videantur, etiam Scripturæ sacræ auctoritatem adhibeamus. Legimus enim quia una eademque hora, ex iisdem visceribus Rebecca mater duos filios habuit, Esau scilicet et Jacob, et tamen unus electus, alter vero reprobatus, dicente Domino : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Rom.* IX). » Si autem fatum esset, aut uter-

D que electus, aut uterque esset reprobatus. Ex quibus omnibus cognoscimus, quia non fatalis accidentia, sed divina providentia hominum vitam ordinat aque disponit ; sed solent ad hæc mathematici objicere quia constellatio fatalis in ictu pungentis fiat. Quibus nos econtrario respondemus quia homo non in ictu nascitur, sed nascendi moras agit. Et si fatum credendum esset, tot cogerentur credi fata quot sunt hominis membra. Non ergo stella quæ in oriente apparuit natum puerum aliquid juvit, sed indicium nascentis fuit, atpue sua coruscatione magorum mentes ad quærendum eum qui natus fuerat illuminavit. Forte etiam quærit aliquis, qui isti

magi fuerunt, vel ex qua gente venerunt, qui natum A puerum tam sollicite ad adorandum quæsierunt. Cui nos diversorum opiniones de his adhibemus, ut eligat quod salubrius judicaverit. Nonnulli enim dixerunt eos ex Tharso vel Arabia advenisse, et in his impletam volunt esse prophetiam ad litteram, quæ dicit: « Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent; » et iterum: « Omnes de Saba venient aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. » Alii dixerunt ex Persarum regione eos venisse, sicut quidam de sapientibus dicit:

Tunc jubet et Persas celeres pertendere gressus.

Plerique autem arbitrati sunt eos Chaldæos fuisse, quia Chaldæi stellas cœli deos esse putaverunt, et in arte astronomica peritissimi fuerunt. Alii etiam dixe- B runt ex stirpe Balaam prophetæ eos descendisse, qui mox ut novam stellam viderunt, regem natum intellexerunt, et recolentes prophetiam Balaam, dicentis (*Num.* xxiv): « Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel, et dominabitur gentium; » primi cum muneribus ad adorandum eum festinaverunt. Sed tamen qui quilibet horum fuerint, sciendum est quia primitiæ gentium fuerunt, et gentes in Christum credituras signaverunt. Bene autem tres magi fuisse dicuntur, quia gentilis populus ad fidem veniens, individuam trinitatem Deum confiteri didicit. Sive tres fuerunt, quia qui Deum adorant, tres principales virtutes habere debent, fidem, spem, charitatem; sive certe tres fuerunt, quia qui Deum videre desiderant, cogitationem, locutionem et operationem suam observare debent a malis, et me- C moriam, intellectum et voluntatem occupare in bonis. Vel certe tres magi cum tribus muneribus venerunt, quia gentilis populus ad fidem veniens, tres naturales virtutes secum detulit, physicam scilicet, ethicam et logicam, id est naturalem, moralem et rationalem.

« Audiens autem Herodes rex, turbatus est et « omnis Hierosolyma cum illo. » Herodes (ut diximus), qui fraudulenter et callide regnum obtinebat Judæorum, mox ut regem Judæorum audivit natum, metuens successorem, conturbatus est animo, timens ut quod injuste tenebat, juste amitteret, non intelligens quia ille non venerat ut tolleret regnum terrenum, sed ut credentibus conferret æternum. Sed quia non solum Herodes, sed etiam omnis Hie- D rosolyma cum illo turbata esse dicitur: sciendum est quia ex una magorum interrogatione non omnes uno modo turbati dicuntur: alii enim turbabantur propter invidiam, sicut Herodes; alii propter timorem, ut Judæi, qui audientes regem quæri Judæorum, occasionem sibi aliquam nascendam metuebant, tam ex parte Herodis quam etiam ex Romanorum; alii vero nec propter invidiam, nec propter timorem, sed pro solo gaudio turbabantur. Qualis erat Simeon senex, et Anna vidua, et cæteri tales, qui, Spiritu sancto revelante, didicerant vicinam esse Christi nativitatem. Sed cum audissent factum, quod totis votis desiderabant, præ nimia lætitia turbabantur. Quod enim præ magno gaudio humana mens soleat conturbari, exemplo Petri discimus, qui cum vidisset Dominum in monte clarificatum, conturbatus est, nesciens quid diceret.

« Et convocans omnes principes sacerdotum et « scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus « nasceretur. » In eo autem quod Herodes, novi regis nativitate audita, sacerdotes et Scripturarum magistros interrogavit, imitabile nobis exemplum reliquit, ut quoties aliquid novum in Ecclesia oritur, semper ad auctoritatem Scripturarum recurramus, propter illud quod scriptum est: « Omnia cum consilio fac, » et ea respondeamus quæ patres nostros respondisse vel tenuisse cognoverimus, et juxta vocem Salomonis: « Non transgrediamur terminos antiquos, » quos posuerunt patres nostri, sed impleamus illud quod per Jeremiam prophetam dicitur: « State super vias, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit bona via, et ambulate in ea (*Jerem.* vi). » Sed sacerdotes et scribæ requisiti ab Herode ubi Christus nasceretur, quod legerant et didicerant responderunt, dicentes:

« In Bethlehem Judæ, » confirmantes hoc auctoritate prophetica, discentes:

« Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima « es in principibus Juda. » Non solum enim quia Christus nasceretur noverant, sed etiam ubi Christus nasceretur. Quoniam Spiritus sanctus, ut omnem occasionem non credendi auferret, non solum Christum per prophetas nasciturum prædixit, sed etiam locum ubi nasciturus erat designavit, dicens per Michæam: « Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es, » etc., ac si diceret: O Bethlehem quæ es in terra Juda, videris in multitudine populi minor, in amplitudine murorum angustior, altitudine turrium humilior, sed nequaquam minima eris. Quare? quia « ex te exiet dux, qui regat po- « pulum meum Israel. » Unus jam ex te egressus est, sed alter egredietur. Egressus est David filius Jesse, temporaliter nascens, et temporaliter moriens: egredietur Filius Dei ex Mariæ virginis utero temporaliter nascens, sed æternaliter permanens: egressus est David decorus et pulcher, sed egreditur speciosus forma præ filiis hominum: egressus est David, regnum Israel rationabiliter ad tempus gubernans: et egredietur Filius Dei, qui Israel videntem Deum, et hic ab incursione dæmonum spiritualibus armis defendet, et in futuro ad cœlestis regni pascua perducet.

« Tunc Herodes clam vocatis magis, diligenter « didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. » Postquam Herodes locum nativitatis Christi auctoritate Scripturæ didicit, ad callidas insidias animum convertit, tractans quomodo occulte eum perdere posset, quem palam audierat quærere. Vocatisque clam magis, id est occulte, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. Quod scilicet ideo fecit, ut si magi ad eum non redirent, quod postea

contigit, ab illo tempore quo regem Judæorum natum audierat, omnes pueros in Bethlehem interficiens, eum quem metuebat interficere posset, non intelligens stultus quia non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.

« Et mittens illos in Bethlehem, dixit : Ite et in« terrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, « renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. » In eadem calliditate quæ Herodes fraudulenter regnum Judæorum arripuerat, etiam in Domini nece perseveravit, promittens se adorare, quem disponebat occidere. Cujus exemplum simulatores, id est hypocritæ modo sequuntur, qui dum speciem sanctitatis ostendunt exterius quam non habent interius, Deum, quem ficto corde quærunt cum Herode, invenire non merentur : quia sicut prope est Dominus omnibus invocantibus se in veritate, ita longe est a peccatoribus salus. Unde bene idem Herodes *pellicens* sive *pellis gloria* interpretatur, quia cum hypocritæ exterius quasi de bono opere gloriari appetunt, interiori vorsutia fœdi pariter et sævi sunt, juxta illud quod ait Dominus : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII). »

« Qui non audissent regem, abierunt. « Non casu contigit, sed nutu Dei actum est, ut stella quæ magorum prævia fuerat, appropinquantes eos ad Herodem relinqueret, quatenus ipsi Judæis Christum natum nuntiarent, et ab eis locum nativitatis auctoritate Scripturæ discerent. Sed cum ab Herode recessissent, « ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos sicut prius, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. » Discimus ergo per hanc stellam gratiam Domini non incongrue figurari, et per Herodem diabolum. Ingredientibus ergo magis ad Herodem, stella eos reliquit : quia eos qui servitio diaboli se subdunt, divina gratia deserit. Sed si ab Herode egressi fuerint, si per pœnitentiam jugum diaboli a cervicibus suis excutientes, Deum quærere cœperint, iterum divina gratia eis apparebit, iterum eos illuminabit, iterum viam qua Dominus inveniatur, demonstrabit. Et solet contingere, ut majori lætitia exultet anima, cum gratiam Dei receperit post peccatum, quam gauderet in ejus perceptione ante peccatum, sicut Dominus in Evangelio de ove perdita et inventa similitudinem exponens, ait : « Dico vobis, gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia (*Luc.* XV). » Et de reversione prodigi filii, cum major filius contristatus esset, voce patris audieit : « Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat, et revixit : perierat et inventus est (*Luc.* XV). » Unde bene nunc de magis dicitur :

« Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio ma« gno valde : et intrantes domum, invenerunt pue« rum cum Maria matre ejus. » Nulli dubium est quod stella in oriente magis regem Judæorum natum

A ostenderat, certum signum et indicium stando supra domum ubi erat puer, dederit, scilicet ut ipsum sine dubio esse agnoscerent, quem in oriente positi natum in Judæa didicerant. Nam quam magnum cum in corde tenuerint, quem videbant esse parvum, manifestatur cum subjungitur : « Et procidentes adora« verunt eum. » Quem enim demissis in terram vultibus adoraverunt, sine dubio eum Deum crediderunt. Et quia cum pro nobis hominem factum mortalem intellexerunt, mysticis muneribus hunc Deum, regem, pariterque hominem prædicabant. Unde et subditur : « Et apertis thesauris suis, obtu« lerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. » Aurum regi convenit, thus in Dei sacrificio offertur, myrrha mortuorum corpora condiuntur. Omnia enim

B hæc sancta fides veraciter Christo offerre non desinit, dum unum eumdemque verum Deum, verum regem, verumque hominem credit, et vero pro nobis mortuum veraciter recognoscit. Cum ergo magi unum eumdemque puerum Deum regem pariterque hominem credebant, simul ei aurum, thus et myrrham offerebant. Fuerant autem nonnulli hæretici qui ei aurum et thus obtulerunt, sed myrrham offerre noluerunt, quia Deum ubique regnantem crediderunt, sed hominem factum credere despexerunt. Iterum fuerunt alii, qui ei solummodo myrrham obtulerunt, aurum et thus offerre noluerunt, quia purum hominem tantum crediderunt, sed divinitatem in eo non intellexerunt. Sed nos istorum exempla refugientes, offeramus regi nostro aurum, ut eum ubique regnantem credamus : offeramus et thus, ut eum

C verum Deum et creatorem omnium, sine initio existentem confiteamur : offeramus eidem et myrrham, et propter salutem nostram mortale corpus eum assumpsisse non dubitemus. Aliter, apertio thesaurorum præcordia significat sanctorum. Per aurum enim nitor eloquii designatur, Salomone dicente : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (*Prov.* XXI) ; » per thus quod in sacrificio Dei offertur, oratio munda cum compunctione cordis ; per myrrham, qua mortuorum corpora condiuntur, vitiorum mortificatio exprimitur. Nos igitur toties regi nostro munera offerimus quoties secretum præcordiorum nostrorum in ejus laudibus occupamus, sicut per Psalmistam dicitur : « In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi (*Psal.* LV). »

D Apertis autem thesauris aurum ei offerimus, cum omne quod digne sapimus et loquimur, in ejus gratia reputamus. Quasi thus offerimus, cum in oratione nostra cor contritum et spiritum humiliatum exhibemus, dicentes cum Psalmista : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL). » Quasi myrrham offerimus, cum pro ejus amore carnis nostræ desideria mortificamus, implentes illud quod ait Apostolus : « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, » id est, « fornicationem, immunditiam, avaritiam » et his similia (*Coloss.* III).

« Et responso accepta in somnis, ne redirent ad « Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem

« suam. » Ne suam crudelitatem Herodes callide in puerum implere posset, ejus insidias prævenit angelus, monens magos in somnis ne redirent ad Herodem. Sed imitabile nobis exemplum magi in suis actibus reliquerunt, cum per aliam viam in regionem suam reversi fuerunt. Regio enim nostra propria paradisus est, quia ad hoc conditi fuimus, ut si primus homo non peccasset, sine morte corporis paradisi gaudiis frueremur. Qui ergo ab illa per peccatum cecidimus, necesse est ut per pœnitentiam quasi per aliam viam ad eam redeamus, ut qui cecidimus superbiendo, inobediendo, vetita gustando, per aliam viam ad eam redeamus, id est humiliando nosmetipsos, obediendo, et non solum ab illicitis, sed etiam a licitis abstinendo, quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

(JOAN. I.) « In illo tempore, vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, » et reliqua. In hujus lectionis brevitate considerandum est quam latissime Trinitatis essentia inseparabilis nobis commendetur. Cum enim Filius baptizatur, Patris vox auditur, Spiritus sanctus in specie columbæ videtur, una deitas in substantia, trina in personis declaratur. In quo loco etiam præcursoris Domini sanctitas commendatur, qui homo ex hominibus natus, per divinam gratiam ad tantam celsitudinem est perductus, ut non solum Filium Dei in forma hominis baptizaret, sed etiam Patris vocem desuper intonantem audiret, et Spiritum sanctum in specie columbæ videret. Sed cuncta per ordinem videamus. « Vidit, inquit, « Joannes Jesum venientem ad se. » Visio enim ista non solum ad corporales oculos pertinere putanda est, sed etiam ad spirituales. Vidit ergo cum corpore ambulantem, sed intellexit in eo divinitatem manentem; et ideo exclamavit, dicens: « Ecce Agnus Dei, « ecce qui tollit peccata mundi. » Ac si diceret: Ecce innocens inter peccatores, justus inter reprobos, inter impios pius; quia etsi veram humanam carnem traxit ex Adam, nullum tamen peccatum ex origine sumpsit Adæ, ideo potens est tollere peccata mundi; quia cum esset homo inter homines, in eo vestigium peccati nullum potuit inveniri, quoniam ut ait Petrus apostolus: « Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. » Agnus enim Dominus dictus est, non per naturam, sed per figuram, quia sicut agnus pro peccatis populi in sacrificio offerebatur, ita offerens se pro nobis hostiam Patri in odorem suavitatis, peccatorum nostrorum maculas suo sanguine lavit, sicut per Joannem dicitur in Apocalypsi: « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (*Apoc.* I). » Cujus typum et figuram ille agnus paschalis in Veteri Testamento tenuit, qui ob recordationem liberationis Israel, per singulos annos in pascha jussus est immolari, illum nimirum agnum significans, cujus sacram passionem

A Isaias prædicens, ait: « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum (*Isa.* LIII). » Iste est enim ille agnus, de quo Joannes ait in Apocalypsi: « Vidi agnum quasi occisum, habentem cornua septem et oculos septem (*Apoc.* V). » Et iterum: « Vidi supra montem Sion agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. » Quo autem ordine agnus iste peccata mundi tollat, Petrus apostolus insinuat, cum dicit: « Non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Christi (*I Petr.* I). » Nec tunc solum Dominus peccata mundi tulit, cum se singularem
B hostiam pro mundo obtulit, sed etiam quotidie tollit peccata mundi, cum per communionem corporis et sanguinis sui, fidelium animas a peccatorum maculis abluit, juxta quod ipse ejusdem corporis et sanguinis sui mysterium discipulis tradens, ait: « Hic est calix sanguinis mei Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem (*Marc.* XIV). » Sed quale testimonium suus præcursor Domino perhibeat, audiamus:

« Hic est enim de quo dixi: Post me venit vir, « qui ante me factus est. » In quibus verbis humanam pariter et divinam naturam ostendit, cum ait: « Post me venit vir, qui ante me factus est. » Ac si diceret: « Post me venit, » quia post me na-
C tus, post me prædicare incipiet. « Ante me factus est, » quia mihi dignitate prælatus est; ante enim in Scripturis non semper ad tempus refertur, sed aliquando ad dignitatem, sicut de Joseph filiis legitur: « Posuit Ephraim ante Manassen (*Gen.* XLVIII), » id est amplioris gratiæ et dignitatis eum futurum ostendit: sive certe quod ait: « Post me venit vir, » ordinem humanæ naturæ insinuat. Quod vero subjungit: « Ante me factus est, » excellentiam divinæ potentiæ ostendit. Ac si diceret: Cum post me natus sit, inde me superat, quia nativitatis tempora in divinitate eum non augustant. Unde bene subjungit: « Quia prior me erat, » Illum in his verbis insinuat, de quo Joannes in exordio Evangelii sui ait: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,
D et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Et pulchre Dominus a præcursore suo vir appellatur; vir enim a viribus dictus est. Et hoc nomen specialiter illi congruit, qui velut agnus mansuetus et humilis, leonis sævitiam solus potuit superare. De quo scriptum est: « Ecce vir, Oriens nomen ejus (*Zach.* VI) »

« Et ego nesciebam eum. » Cum omnibus fidelibus manifestum sit quia sciebat Joannes Dominum, quem clauso matris utero senserat, et cui testimonium perhibuerat, dicens: « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me (*Matth.* III)? et multa talia, quid est quod nunc dicit: « Ego nesciebam eum? » sed ad hoc dicendum, quia cum eum baptizaret, tantum

in ejus cognitione crevit, ut ad comparationem ejus cognitionis nihil se esse putaret quod prius de illo cognoverat, et ideo dicit: « Et ego nesciebam eum; » ac si diceret, tam perfecte nesciebam eum, in quo tantam excellentiam divinitatis nondum esse compereram. Cum enim baptista Domini Patris vocem desuper intonantem audivit, et Spiritum sanctum in specie columbæ descendentem vidit, non est dubitandum ex hoc visu et auditu in divina cognitione eum multum profecisse. Sed quia ad hoc Deus Pater Filium suum revelavit Joanni, ut per ejus prædicationem aliis ostenderetur, recte subjungitur: « Sed « ut manifestetur Israel, propterea veni ego in aqua « baptizans: » quod est aperte dicere : Non ideo missus sum ante illum in aqua baptizare, ut baptizando peccata tollere possim, sed ut in eo baptismo illius baptismum præcurem, qui post me venturus in Spiritu sancto erat baptizaturus. Ille autem solus baptizat in Spiritu sancto, qui per Spiritum sanctum peccata in baptismo dimittit, qui ait in Evangelio : « Nisi qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* III). » De quo baptismo ascensurus in cœlum, discipulis ait : « Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies (*Act.* XI). » Quod quia invisibiliter et non visibiliter fit, Dominus alibi manifestat (*Joan.* III) : qui cum de eodem spiritu dixisset : « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat, » continuo adjunxit: « Dic omnis qui natus est ex spiritu. » Et quoniam omnis qui divinam notitiam accipit, aliis annuntiare debet, recte de eodem Joanne subditur :

« Et testimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia « vidi Spiritum descendentem quasi columbam de « cœlo, et mansit super eum. » In quibus verbis non solum quærendum est quare aliquando Spiritus sanctus in specie columbæ, aliquando in linguis igneis visus esse legatur, sed etiam illud sollicite investigandum cur super Dominum in specie columbæ, et super apostolos in igne apparuit, ita ut nec super Dominum in igne, nec super apostolos in specie columbæ visus sit. Per singula, ergo hæc manifestanda sunt. Quia enim columba simplex est avis, recte Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit ut ostenderet quia illorum corda inhabitat, qui mansueti et humiles corde unanimem concordiam cum fratribus servant, et pacem sequuntur cum omnibus et sanctimoniam, juxta illud quod scriptum est : « Super quem requiescet Spiritus sanctus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos? » quam significant oscula columbarum. Quia vero ignis quod tangit accendit et illumina recte, idem spiritus in ignis visione apparuit, quia cor quod tangit et in amorem inflammat ad videndum ejus voluntatem illuminat. Hic est ille ignis de quo Salvator in Evangelio ait : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat (*Luc.* XII)? » De hoc igne per Moysen dicitur : « In dextera ejus ignea lex

A (*Deut.* XXXIII) ; » et per Apostolum : « Etenim Deus noster ignis consumens est (*Hebr.* XII). » Hoc igne illorum corda calefacta fuerant, qui dicebant : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis (de Jesu) dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? « (*Luc.* XXIV.) Quod super Dominum in columbæ specie, et super apostolos insigne apparuit, cito cognoscimus, si uniuscujusque personæ qualitatem subtilius consideremus. Quia enim columba (ut diximus) simplex est avis, recte Spiritus sanctus super Dominum in columbæ specie apparuit, quia in primo adventu suo peccata nostra non per zelum venit punire, sed per mansuetudinem dimittere. Quia vero apostoli, ut puri homines, non solum a peccatorum rubigine excoquendi erant, sed etiam ad prædicandum B Evangelium zelo rectitudinis ascendendi, recte idem Spiritus super eos in linguis igneis apparuit. Sed quia ex hodierna lectione Spiritum sanctum in columbæ specie apparuisse audivimus, ad considerandum naturam columbæ diligentius redeamus, ut si Spiritum sanctum accipere volumus, hoc servemus in mente quod columba habet in corpore. Septem quippe naturales differentias in se columba habere traditur unam, quia felle amaritudinis caret; aliam, quia pro cantu gemitus edere solet; tertiam, quia gregatim volat, vel gemit; quartam, quia juxta fluenta aquarum residere delectat, ut facilius adventum accipitris præcavere possit; quintam, quia nihil vivum comedit ; sextam, quia non cum ungulis, nec cum rostro, velut cæteræ aves, se defendit, sed sese defendendo alis percutit : septimam, quia C in petris nidificat. Columba ergo felle amaritudinis caret : et nos, juxta admotionem Petri apostoli, deponamus omnem iram et simulationem et invidiam (*I Petr.* II). Columba pro cantu gemitus habet : et nos in convalle lacrymarum positi, non solum pro remittendis peccatis, sed etiam pro perceptione vitæ æternæ miseri sumus, et lugeamus in exemplo illius qui ait: « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo (*Pal.* VI), » ut impleatur in nobis quod Dominus ait : « Beati, qui nunc fletis, quoniam ipsi ridebitis (*Luc.* VI). » Columba gregatim volat: et nos unanimitatem diligamus, et non solum amicis, verum etiam inimicis bonum quod possumus, propter Dominum impendamus, ut in eorum numero computemur, de quibus D dicitur : « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IX) ; » et iterum : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare frates in unum (*Psal.* CXXXII). » Columba juxta fluenta aquarum residere solet, ut adventum accipitris facilius cavere possit : et nos ut diaboli insidias prævidere et cavere possimus, in meditatione Scripturarum delectabiliter insistamus, ut impleatur in nobis in quod laude Ecclesiæ dicitur : « Oculi tui, oculi columbarunt (*Cant.* V), » quæ lacte sunt lotæ, et resibent juxta fluenta plenissima ; et iterum : « Oculi tui, oculi columbrarum (*Cant.* IV), » absquee eo quod intrinsecus latet. Columba nihil vivum comedit : et nos,

juxta Apostoli sententiam (*Coloss.* III), mortificemur membra nostra quæ sunt super terram, id est fornicationem, immunditiam, avaritiam, quod est idolorum servitus. Columba non cum ungulis vel cum rostro se defendit: et nos quotiescunque ab injustis persecutionem patimur, non ad vindictam commoveamur, sed potius exempla sanctorum sequentes, patientiam diligamus, ne efficiatur lingua nostra, arma, et sagitta, et glaudius acutus, timentes illud quod Paulus apostolus ait: « Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini (*Gal.* v), » ut impleatur illud: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* v). » Columba in petris nidificat: et nos omnem spem nostram et fortitudinem in petra quæ est Christus, ponamus, dicentes cum Psalmista: « In petra exaltasti me, deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici (*Psal.* LX). » In hujus petræ foraminibus nidum suum Moyses posuerat, quando a Domino meruit audire: « Est locus apud me, et stabis ibi in foramine petræ (*Exod.* XXXIII). » Si ergo Spiritum sanctum in cordibus nostris habitatorem habere volumus, has spirituales virtutes sollicite teneamus, ut ad nos pertineat specialiter, quod in laude totius Ecclesiæ in Canticis canticorum voce spondi dicitur: « Veni, sponsa mea, electa mea, columba mea, in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis (*Cant.* II). » Tales quippe Dominus suos discipulos esse volebat, quibus dicebat: « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* x). » Et pulchre septem naturæ enumerantur columbæ, quia Spiritus sancti, qui hodierna die super Redemptorem mundi apparui, septem dona sunt principalia, de quibus per Isaiam dicitur: « Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Mirabili autem concordia Scripturæ Veteris ac Novi Testamenti sibi conveniunt. Legimus enim quia, cum vellet Noe scire utrum cessassent aquæ diluvii, misit columbam, quæ vespere reversa est ad eum portans ramum olivæ virentibus foliis in ore (*Gen.* VIII). Nunc autem baptizato Domino, suo præcursori apertis cœlis in specie columbæ apparuit. Sicut enim per diluvium baptismum figuratur, ita et per columbam, quæ ramum olivæ virentibus foliis in ore tulit, unctio Spiritus sancti exprimitur, quæ fidelibus in baptismo tribuitur, de qua per Joannem dicitur: « Unctio ejus docet vos de omnibus (*I Joan.* II). » Quod vero voce baptistæ subditur:

« Et ego nesciebam eum, » sic intelligendum est ut supra diximus, quia ad comparationem quod postea cognovit, parum prius de illo cognoverat: unde certum signum ejus cognitionis datur, cum subinfertur: « Sed qui misit me baptizare in aqua, « ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descen« dentem et manentem super eum, hic est qui ba« ptizat in Spiritu sancto. » Ubi quæritur, quare Pater ad cognoscendum unigenitum Filium suum tale signum dare voluit, cum idem Filius discipulis suis repromittit, dicens: « Rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis qui a Patre procedit, quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit (*Joan.* XIV). » Si ergo et in discipulis manet Spiritus, qui magnum si super unigenitum Filium Dei descendit et mansit? Sed facilis ad hæc patet responsio, quia aliter acceperunt illi, et aliter ille. Illis enim ad mensuram datus est Spiritus, in illo autem habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II). Et illi ex tempore acceperunt Spiritum: ille vero ex quo obrumbrante Spiritu sancto intra uterum virginis conceptus est, ejusdem Spiritus plenitudinem habuit, sicut per Psalmistam dicitur; « Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » Possumus et hoc dicere, quia in mentibus fidelium idem Spiritus ad aliquid semper manet, et ad aliquid recessurus venit. Manet enim cum illis, ut sobrie, et juste, et pie vivant in hoc sæculo: recedit vero ab illis, ne semper corporales virtutes faciant. Et illis quidem ita venit ut si a bono proposito voluntatem mutaverint, ab illis recedat: in Domino autem, non ex tempore baptismi major ejusdem Spiritus gratia esse cœpit; sed in ejus baptismo visibiliter apparuit, ut intelligant fideles per baptismum ejusdem Spiritus sancti se dona percipere. Quam veraciter autem et absque ulla dubietate credenda sint, quæ in hac lectione commemorantur, præcursor Domini manifestare curavit, cum subjunxit:

« Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic « est Filius Dei. Ubi considerandum quia in brevi lectione duorum hæreticorum dogmata destruuntur, Manichæi scilicet et Photini, quorum unus negavit eum fuisse verum hominem, alter verum Deum. Erubescat ergo Manichæus, cum audit: « Post me venit vir. » Erubescat et Photinus, cum præcursor Domini clamat: « Ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. » Audiant ergo mansueti et lætentur, credentes sine dubio, quia hic est Filius hominis, qui ut homo baptizatus est, idem ipse est Filius Dei, et confiteantur cum Petro: « Tu es Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). »

HOMILIA XVII.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

(LUC. II). « In illo tempore, cum factus esset Jesus « annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, » et reliqua. Rationabiliter magistri ecclesiasticæ institutionis et divinæ Scripturæ traditores, Lucam evangelistam inter quatuor animalia speciem vituli tenere describunt, sicut in Ezechiel et in Apocalypsi Joannis habetur. Quoniam sicut vitulus in

templo Domini in sacrificio a sacerdotibus offerebatur, ita ille, præ cæteris evangelistis, specialius ea quæ Dominus in templo vel circa templum gessit, commemorare curavit. De quibus exordium sui Evangelii a Zacharia sacerdote cœpit, dicens (Ipsi enim sacerdotes in die ordinationis suæ vitulum offerebant) : « Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, et uxor illius de filiabus Aaron. Et factum est, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini. » Post hæc Mariam virginem in domum ejusdem sacerdotis venisse, tribusque mensibus eam apud cognatam suam Elizabeth mansisse refert. Dominum quoque non solum octava die circumcisum, sed etiam tricesima tertia in templo præsentatum narrat, atque pro eo munera oblata, et a Simeone propheta susceptum et benedictum fuisse. Genealogiam vero Salvatoris non per Salomonem regem, sed per Nathan prophetam ac sacerdotem filium David deducit. In præsenti ergo lectione Salvatorem cum duodenarius esset, cum parentibus ad templum venisse, et illis nescientibus, in eo remansisse describit. Nam et in fine Evangelii sui ostendit Dominum Jesum Christum, quasi verum sacerdotem discipulos benedicentem in cœlum ascendisse, dicens : Elevatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum, et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum. Quanto autem studio parentes Salvatoris legem observarent, cito cognoscimus, si hujus Evangelii superiora parumper attendamus. Ait enim Evangelista :

« Et ibant parentes Jesu per omnes annos in Je- « rusalem in die solemni paschæ. » Sed Dominus non solum legem voluit observare, quam non venerat solvere, sed adimplere, sed etiam tales elegit parentes, qui legis essent observatores. Præceperat enim ipse in lege ut ter in anno appareret omne masculinum eorum coram Domino, in loco quem elegerat Deus. Ubi apparet cum quanto studio majora præcepta legis observabant, qui nec minora prætermittebant. Consuetudo namque Judæorum erat, ut per omnes annos ascenderent in Jerusalem (ut diximus) Dominum adoraturi, et munera ei oblaturi, ob recordationem scilicet egressionis de terra Ægypti et immolationem agni. Ascendentibus ergo juxta hanc consuetudinem parentibus Domini ad orationem, cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendit cum illis. Sed cum audis factum, noli dubitare factorem. Factus est enim in forma servi, qui omnia fecerat in forma Dei, sicut scriptum est : « Omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I). » De quo ait Apostolus : « Factus est ex semine David secundum carnem (*Rom.* I). » Et (ut ita dicam) factus est qui cuncta fecerat, ut ille inveniretur, qui bene factus male perierat. Ascendit quippe duodecimo anno in humanitate, qui nullum tempus habet in divinitate. Pulchre ergo duodenarius Dominus, rudimenta suæ infantiæ sacerdotes interrogans voluit demonstrare, ut hoc numero mysterium apostolicæ prædicationis præfiguraret, et notitiam suæ divinitatis mundo innotesceret. Duodenarius enim numerus perfectus est, et in suis partibus divisus, perfectionem significat. Dividitur enim in ternis quaternis et quaternis ternis. Sive enim tria in quatuor, sive quatuor in tria ducas, duodenarium numerum complent. Nam idem numerus ex septenarii numeri partibus constat, scilicet ex primo pari et primo impari, id est, ex tribus et quatuor. Et tres quidem ad individuam Trinitatem pertinent, quatuor ad quatuor libros sancti Evangelii. Septem vero plenitudinem temporis demonstrant, quia præsentis vitæ cursus per septem dies volvitur. Duodecim quoque ad duodenarium numerum apostolorum, vel ad duodecim patriarchas. Quia ergo ad fidem sanctæ Trinitatis et doctrinam quatuor evangeliorum, per prædicationem duodecim apostolorum mundo nuntiaturus erat, recte duodenarius in templum ascendit.

« Consummatisque diebus, cum redirent, reman- « sit puer Jesus in Jerusalem et non cognoverunt « parentes ejus. » Forte movet aliquem, quomodo Jesus tanta diligentia a parentibus nutritus, quippe quem Filium Dei esse non dubitabant, illis nescientibus in Jerusalem potuerit remanere. Sed sciendum est quia hoc, excepto divino mysterio, non ex ignavia parentum, sed ex consuetudine potius Judæorum contigit. Consuetudo enim erat illorum ut ascendentes in templum Domini ad celebrandum solemnitatem, seorsum viri choros ducerent, seorsum feminæ, propter munditiam castitatis : pueri vero minoris ætatis licentiam haberent, cum quo vellent ire parentes, sive cum patre, sive cum matre. Ex hac ergo consuetudine accidit ut, illis nescientibus, puer Jesus in Jerusalem remansisset, quoniam Maria putabat eum esse cum Joseph, et Joseph æstimabat quod esset cum Maria. Et hoc est quod subdidit.

« Existimantes autem illum esse in comitatu, ve- « nerunt iter diei, et requirebant eum inter cogna- « tos et notos. » Nam quantum amoris affectum erga illum haberent, manifestatur, cum subditur :

« Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, « requirentes eum. Et factum est post triduum, in- « venerunt illum in templo. » Non vacat a mysterio quod Dominus post triduum a parentibus in templo reperitur. Tria enim sunt tempora, ante legem, sub lege et sub gratia. Qui ergo non ante legem, nec sub lege, sed sub gratia mundo visibilis apparuit, recte post triduum repertus in templo memoratur. Sive ergo post triduum in templo reperiri voluit, ut ostenderet quia illi ad ejus visionem sunt perventuri, qui fidem, spem et charitatem perfecte habent, et fidem sanctæ Trinitatis puro corde credunt, et opere custodiunt. Sive aliter in templo post triduum reperiri voluit, ut intelligamus quia ad ejus visio-

nem feliciter pervenire merebimur, si cogitationem, locutionem et operationem a malo opere observamus : et memoriam, intellectum et voluntatem in ejus servitio occupamus. Ubi repertus sit, ostenditur, cum dicitur : « In templo in medio doctorum. » Quid ageret manifestatur, cum subinfertur :

« Audientem illos et interrogantem. » Non enim alicubi repertus est vacans otio aut fabulis, sed in templo, audiens doctores et interrogans ; simul quoque exemplum discendæ humilitatis Dominus nobis ostendit, cum in templo non docens, sed discens et interrogans invenitur, implens illud Mosaicum : « Interroga patres tuos, et annuntiabunt tibi : majores tuos, et dicent tibi (*Deut.* xxxii). » Ne enim nos a magistris discere erubescamus, ille doctores interrogat in templo, qui angelos docet in cœlo. In quo facto non solum humana superbia confunditur, sed etiam præsumptio atque temeritas comprimitur. Sunt enim nonnulli qui ante docere volunt, quam annos impleant pubertatis : et ideo magistri fiunt erroris, quia veritatis discipuli non fuerunt. Longo ergo tempore et multis exercitiis ejus tyrocinia sunt reprobanda, qui in culmine regiminis constituendus est, et longo tempore debet discere, qui desiderat docere. Unde per Salomonem dicitur : « Tempus tacendi et tempus loquendi (*Eccli.* iii). » Non enim dicit prius loquendi, et postea tacendi, sed prius tacendi, et post loquendi, ut intelligamus quia prius tacendo discere debemus quod postea loquendo doceamus. Et iterum idem admonet, dicens : « Omni tempore otii tui describe sapientiam, qui autem minorantur, actu percipient eam (*Eccli.* xxxviii). » Econtra vero, si Filius Dei, qui tricesimo anno prædicaturus erat, duodecimo anno non docens, sed audiens et interrogans in templo invenitur, legitimum tempus, sive ad sacerdotium, sive ad magisterium ecclesiasticum ostendens servare. Hac ætate Joseph, id est, tricesimo anno, Dominus Ægypti constitutus est. Hac ætate David, qui in pueritia ora leonum et ursorum confregerat, regni gubernacula suscepit. Hac ætate Ezechiel propheta super fluvium Chobar cœlos apertos vidit. Et quamvis melior sit puerilis simplicitas quam senilis fatuitas, tamen utrumque observandum est ut et morum gravitas, et matura ætas, in eorum actibus concordent, qui ad magisterium ecclesiasticum eliguntur. Unde bene quoque in lege Dominus de Levitis præcepit, ut usque ad quinquagesimum annum cum fratribus suis ministrent in templo, post quinquagesimum autem annum, custodes vasorum fiant. Quid enim sunt vasa sancta, nisi sanctorum animæ? Et quia post quinquagesimum annum calor ætatis deficere incipit, hoc præcepto ostenditur, quia illi ad custodiam animæ sunt eligendi, qui per longa exercitia incentivum libidinis vel cupiditatis ardorem, exstinguere didicerunt. Denique et si Daniel et Jeremias in pueritia ad prophetandum missi leguntur, sciendum est quia miracula Domini in exemplum imitationis non sunt trahenda. Mira enim opera Domini magis sunt veneranda quam imitanda, quoniam ab omnibus fieri non possunt.

« Stupebant autem omnes super prudentia et responsis ejus, etc. » Videntes eum corpore et ætate parvum, sed interrogationibus ac responsis magnum, hominem et non Deum considerantes. Nos autem non cum senioribus Judæorum super prudentia et responsis ejus stupeamus, sed ipsum esse credamus verum Deum, verumque hominem, a quo est omnis sapientia, et cum quo fuit semper, et est ante ævum. Qui etiam in Proverbiis loquitur, dicens : « Ego sapientia in consiliis habito : per me reges regnant. Meum est consilium et æquitas, ego ex ore Altissimi prodii (*Prov.* viii). » Quanto autem animus beatæ virginis Dei genitricis de amissione filii sauciatus esset, hoc loco declaratur :

« Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti « nobis sic? etc. » Quem Virgo mater per triduum anxio dolore quæsierat, post inventionem inter mœrorem et gaudium posita, quasi qui talia facere præsumpsisset, pia correptione increpavit, dicens : « Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. » Patrem ejus Joseph appellat, non quod vere juxta Photinianos ejus pater fuerit, sed quod ad famam Mariæ conservandam ab omnibus pater ejus sit æstimatus. Nam quis verus pater ejus sit ipse manifestat, cum respondens ait ad illos :

« Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia « in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? » In quibus verbis non putandus est exasperasse matrem. Et illud quod prætermittendum non est in hac lectione, utramque suam naturam Dominus nobis commendat, cum inventus in templo dicit : « quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse. » Quasi homo cum parentibus Jerusalem ascendit, sed quasi Deus, illis nescientibus, in templo remansit : quasi homo seniores interrogat, sed quasi Deus ea quæ seniores mirarentur, respondebat : quasi homo in templo invenitur, sed quasi Deus inventus in templo, dixit : « In his quæ Patris mei sunt oportet me esse. » Quia enim domus illa in honore Dei ædificata fuerat, Filium Dei se esse demonstravit, cum inventus in templo dixit : « In his quæ Patris mei sunt oportet me esse. » Patris illius erant templum, prophetæ, divinæ Scripturæ frequens meditatio. Et pulchre in his suis operibus Filium Dei se demonstravit.

« Et videntes admirati sunt. » Quia Dominus non solum humiliter interrogabat, sed etiam subtiliter respondebat.

« Stupebant autem omnes qui eum audiebant, su« per prudentia et responsis ejus. » Proprium est enim filiorum hæreditatem paternam possidere, et in ea manere et esse. Unde Dominus Jesus Christus ideo in templo residebat et habitabat, ut ostenderet non minoris Patre se esse potestatis. Quibus enim una est majestas, non dispar est potestas, sicut ipse dicit : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x) ; » et : « Omnia Patris mea sunt. »

« Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus « est ad illos. » Quia divinæ naturæ arcanum adhuc capere non poterant, ideo verbum quod locutus est ad illos non intellexerunt, scilicet illud quod de Patre dixerat: et quia videbat eos non posse intelligere suam Divinitatem, condescendit illis per humanitatem, ut eorum cor sublevaret ad Divinitatem. Unde et subditur:

« Et descendit cum illis, et venit Nazareth, et erat « subditus illis. » Discant ergo pueri obedire parentibus, a quibus non solum geniti, sed et quorum labore et diligentia sunt nutriti, quia et puer Jesus non dedignatus est parentibus esse subjectus. Honestissimum est enim magnam reverentiam et honorem exhibere parentibus, quia et nos parvulos nutrierunt, et proficientes ætate, sapientia erudierunt. Illis enim humana tantum sapientibus, postquam oculos mentis eorum ad contemplandam Divinitatem elevavit, dicens: « Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Descendit Nazareth, et venit cum illis, et erat subditus eis. » Ut hoc exemplo intelligamus quia non solum subditi esse debemus parentibus, sed etiam eorum senectam vel infirmitatem pia sollicitudine refrigerare vel sustentare, juxta illud quod in divina lege præcipitur: Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi super terram, et longo vivas tempore (*Exod.* xxviii). » Unde Apostolus præcipit filiis obedire parentibus per omnia, hoc bonum et acceptum est coram Deo (*I Tim.* v). Et iterum: « Si quis suorum curam non habet, et maxime fidelium, fidem negavit et est infideli deterior (*Ibid.*). »

« Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in « corde suo. » Omnia scilicet quæ de illo audivit, sive ab angelis, sive a pastoribus, sive a magis, sive a Simeone, vel ab Anna prophetissa, vel etiam quæ ab illo fieri videbat, quasi mundum animal ruminans, in corde suo conservabat, nolens mittere margaritas suas ante porcos, neque dare sanctum canibus, sed exspectans tempus illius perfectæ ætatis quo miracula faciendo Deus ostenderetur, et quo hæc scribendo erant, ut per ordinem cuncta narrentur. Unde idem evangelista paulo superius ait: « conferens in corde suo. » Quia conferebat ea quæ in illo fieri videbat, cum eis quæ de illo in oraculis prophetarum legerat, et tanto verius eum credebat Deum esse, quanto illa quæ de eo legerat, in illo compleri cernebat.

« Et Jesus proficiebat sapientia et ætate. » In hoc brevi versiculo duæ hæreses destruuntur, Manichæorum et Apollinaristarum. Manichæi enim, qui dixerunt Deum veram carnem non assumpsisse, destruuntur, cum dicitur: « Jesus proficiebat ætate. » Apollinaristæ vero, qui dixerunt eum veram animam non habuisse, destruuntur, cum dicitur: « proficiebat sapientia. » Sicut enim ætas ad corpus, sic sapientia in hoc loco pertinet ad animam. Nisi enim veram carnem habuisset, nequaquam ætate proficeret et cresceret. Et nisi rationalem et veram animam

A habuisset, nequaquam sapientia proficeret et crescere valeret. Et quemadmodum corpus per momenta ætatum crescit, ita et anima sapientia crescendo proficit. Qui igitur in nobis corpus et animam liberare venit, verum corpus et animam veram pro nostro salute ex virgine suscepit. Quod vero subditur:

« Et gratia apud Deum et homines. » Singulari gratia a Deo Patre puero Jesu datum est, ut ex eo quo homo esse inciperet, conceptus scilicet de Spiritu sancto, perfectus esset Deus, perfectus et homo. De quo Joannes evangelista ait: « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre (*Joan.* i). » Et bene quidem prius proficere dixit apud Deum, et postea apud homines; non ob aliud, nisi ut ipsi

B Deo, postea hominibus, non ob aliud, nisi ut ipsi placeant Deo, sicut Apostolus ait: « Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (*Rom.* xii). » Et iterum: « Provideamus bona in medio nationis pravæ (*Phil.* ii). » Et Petrus: « Conversationem vestram inter gentes habentes bonam (*I Petr.* ii,). »

HOMILIA XVIII.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

(Joan. ii.) « In illo tempore, nuptiæ factæ sunt in « Cana Galilææ, » et reliqua. Miracula Domini et Salvatoris nostri quandocunque leguntur, non sunt in exempla trahenda, sed potius admiranda atque veneranda. Quotiescunque enim legimus Dominum vel ad nuptias, vel ad convivium vocatum venisse,

C non gulæ illecebris deputare debemus, sicut faciebant Scribæ et Pharisæi, qui dicebant eum vini potatorem et amicum publicanorum (*Matth.* xi), sed ob certi gratiam mysterii, id est, pro lucrandis animabus, eum venisse credere debemus. Sicut enim doctus piscator, et peritus venator in eo loco retia tendit, ubi multitudinem piscium vel avium, sive bestiarum novit convenire, ut cum multi congregentur, aliqui capiantur. ita Dominus ad conviviam vel ad nuptias venire voluit, ut ubi multi conveniebant, reti ejus prædicationis aliqui caperentur. Ob hanc causam invitatus a Pharisæo, in domo ejus discubuisse legitur, et nunc vocatus ad nuptias, non solum venisse, sed etiam eas suo miraculo consecrasse memoratur. Ubi notandum quod cum ad nuptias

D terreno more celebraturus Dominus venit, non solum conjugalem copulam bonam esse ostendit, sed etiam Marcionis et Tationis hæresim destruxit, qui nuptias damnare voluerunt. Si enim nuptiæ bonæ non essent, nequaquam ad eas filius virginis venire, nec eas suo miraculo dignaret consecrare. Et si nuptiæ bonæ non essent, quæ propter amorem filiorum fiunt, nequaquam Dominus in initio masculum et feminam creasset nec dicturus esset. « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una (*Gen.* ii). » Unde et Dominus interrogatus a discipulis in oporteret dimittere uxorem, quacunque ex causa,

ut ostendat bonum esse conjugium legitime celebratum, ait: « Quod Deus conjunxit, homo non separet. Nam qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, mœchatur (*Matth.* XIX). » Hinc et Apostolus, magistri sententiam secutus, ait: « Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Et qui uxorem suam diligit, seipsum diligit (*Ephes.* V). » Et iterum: « Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque uxor suum virum habeat. Vir uxori debitum reddat, similiter et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier (*I Cor.* VII). » Et rursus: « Qui matrimonio conjunctus est, præcipio, non ego, sed Christus, mulierem a viro non discedere: quod si discesserit, innuptam permanere, aut certe viro reconciliari (*Ibid.*). » « Honorabiles enim nuptiæ (ait Salomon) et cubile immaculatum (*Hebr.* XIII), » Fornicatores namque et adulteros judicabit Dominus. Bona est ergo copula conjugalis, melior continentia vidualis, perfectior vero integritas virginalis. Ad comprobandum hæc, Dominus de intemerato virginis utero nascitur: mox natus, ab Anna vidua benedicitur: juvenis factus, a celebratoribus nuptiarum invitatus venisse legitur. Hæc juxta litteram dicta sunt. Spiritualiter vero conjunctionem Christi et Ecclesiæ, in Scripturis vocari nuptias usitatissimum est, sicut illud in Evangelio: « Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo (*Matth.* XXII). » Et iterum: « Cum vocatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco (*Luc.* XIV). » In nuptiis enim duo junguntur sponsus et sponsa. Et sponsus quidem est Christus, de quo per Psalmistam dicitur: « Tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). » Et Joannes evangelista: « Qui habet sponsam sponsus est (*Joan.* III). » Sponsa vero ejus sancta est Ecclesia, cui per Prophetam dicitur: « Desponsabo te mihi in justitia et sanctitate veritatis (*Ose.* II). » Et in Cantico canticorum: « Veni, sponsa mea, electa mea (*Cant.* II). » Thalamus hujus sponsi, uterus intemeratus genitricis fuit. De quo (ut diximus) tanquam sponsus de thalamo suo Christus processit. Venit ergo ad nuptias terreno more celebratas, quia ad conjungendam sibi Ecclesiam, homo inter homines apparuit. Locus nuptiarum primum in Judæa fuit, ubi Dominus, natus non solum docuit, sed etiam virtutes fecit, et de qua apostoli electi sunt. Celebratores autem nuptiarum primum apostoli fuerunt, de quibus Dominus ait in Evangelio: « Non possunt filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus. Veniet tempus quando auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt (*Matth.* IX). » Sed quia ad has spirituales nuptias venire nemo potest, nisi prius zelo Dei tactus mala opera respuere, et bona didicerit amare, recte in Cana Galilææ, factæ fuisse referuntur. Cana quippe viculus Galilææ, *zelus* interpretatur. Galilæa namque transmigratio facta in nostra lingua dicitur. Ex qua interpretatione ostenditur, quia ille feliciter ad has nuptias discumbit, qui zelo amoris Dei tactus, de terreno amore ad cœleste desiderium transmigraverit, qui possit dicere cum Psalmista: « Zelus domus tuæ comedit me (*Psal* LXVIII). » Et cum Apostolo: « Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes, transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu (*II Cor.* I), » Quod et faciebat Psalmista, qui, cum videret impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, omnia transitoria nihil computans, incalescens animo, aiebat: « Transivi, et ecce non erat quæsivi eum, et non est inventus locus ejus (*Psal.* XXXVI). » Et bene die tertia post ea quæ supra Evangelista commemoravit, factæ fuisse referuntur. Tria quippe sunt tempora, ante legem, sub lege et sub gratia. Quia enim ad conjungendam sibi Ecclesiam non ante legem, non sub lege, sed sub gratia Deus visibilis apparuit, recte die tertia ad nuptias venisse commemoratur. De qua conjunctione Paulus apostolus ait: « Æmulor enim vos Dei æmulatione, despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI). » Hinc in laudem Ecclesiæ dicitur (*Cant.* I, II): « Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra; oculi tui columbarum. » Et iterum: « Pulchriores sunt oculi tui vino, et dentes tui lacte candidiores. » Et Joannes in Apocalypsi: « Vidi sanctam civitatem Jerusalem, descendentem de cœlo, tanquam sponsam ornatam viro suo (*Apoc.* XXI). » Vel certe, quia nemo in his nuptiis interesse potest, nisi qui individuam trinitatem Domini fuerit confessus, recte etiam die tertia ad nuptias venisse narratur. Sive aliter, ad hoc die tertia ad nuptias venire voluit, ut ostenderet quia quicunque in Ecclesia per fidem discumbit, memoriam, voluntatem et intellectum observare a malis debet et exercere in bonis: vel quia tres virtutes principales, scilicet spem, fidem et charitatem in suo opere custodire debet, de quibus ait Apostolus: « Maneat in vobis fides, spes, charitas, tria hæc, major autem his est charitas (*Rom.* XIII; *I Cor.* XIII). » Ternarius autem numerus perfectus est, propter fidem sanctæ Trinitatis. Sive ternarius numerus perfectus est, quia legimus quod, Domino dicente ad Jonam prophetam: « Vade in Niniven civitatem magnam, et dices populo huic: Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur (*Jon.* III), » illo prædicante, statim rex de solio suo descendit, et præcepit triduanum jejunium facere populo. Quo facto, cessavit populus a nequitia sua, et conversus est ad Dominum, et exaudivit eum Dominus, et cessavit a plaga. « Et erat mater Jesu ibi. » Mater Jesu spiritualiter Synagogam significat, quæ dum per oracula prophetarum Deum in mundo venturum prædicavit, quasi de quodam spirituali utero legis nobis Dei Filium genuit.

« Vocatus est autem Jesus et discipuli ejus ad « nuptias. » Omnia ergo quæ in serie hujus lectionis referuntur, sic juxta litteram accipienda sunt, ut tamen per significationem aliquid nobis demon-

strent. Jam superius per nuptias conjunctionem Christi et Ecclesiæ figurari diximus. Quod vocatus Jesus dicitur ad nuptias, per hoc declaratur quia sine testimonio legis et prophetarum in mundo non apparuit. Quasi enim patres sancti et prophetæ Dominum ad nuptias vocaverunt, quando non solum eum venturum in mundum prædixerunt, sed etiam ut venire dignaretur pro nostra redemptione, totis votis optaverunt. Vis audire quomodo sit vocatus? audi Isaiam dicentem : « Utinam disrumperes cœlos, et descenderes (*Isa.* LXIV). » Et Psalmista, ejus adventum desiderans, ait : « Domine, inclina cœlos tuos, et descende (*Psal.* CXLIII). » Necnon et ille venerabilis senex jam moriturus, aiebat : « Salutare tuum exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX). » Vocati sunt autem cum eo et discipuli ejus, quia ut firmior auctoritas esset, non solum Domini incarnatio, sed etiam eorum prædicatio prædicta fuit. Sic enim ait Isaias in persona Domini : « Ecce ego et pueri mei, quos mihi dedit Dominus in signum et portentum Israeli (*Isa.* VIII). »

« Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum : « Vinum non habent. » Nec fortuitu nec casu accidisse putandum est, ut Domino veniente ad nuptias vinum deficeret, sed ideo magis ut occasio miraculi fieret, ut dum aquas in vinum converteret, Deus qui in homine latebat, appareret, ipse scilicet, qui educit panem de terra, et vino lætificat cor hominis. Unde intelligens sancta ejus genitrix jam tempus esse perfectæ ætatis, quo per miracula seipsum Dominum mundo innotesceret, et non filius Joseph, sed Dei et Mariæ virginis crederetur, ait : « Vinum non habent. » Spiritualiter autem veniente Domino ad nuptias, vinum defecit, quia meraca illa legis, a prisca sua suavitate et dulcedine desipuerat. Quasi enim vinum sapuit lex temporibus Moysi, Josue, Samuelis et David, et cæterorum qui eam intellexerunt et tenuerunt. Jam vero tempore quo Dominus in mundo apparuit, superstitiosus [*F.*, superstitionibus] Pharisæorum excrescentibus, et ab amore Dei Judæorum populis frigescentibus, ab antiquo suo sapore defecerat, sicut Dominus Judæis improperando dixit : « Vos estis qui reliquistis mandatum Dei propter traditiones vestras (*Matth.* XIX). » Quod autem ait mater Jesu ad eum : « Vinum non habent, » vox Synagogæ est Christum ad miracula provocantis.

« Dicit ei Jesus : Quid mihi et tibi, mulier? » Non putandus est Dominus inhonorasse matrem, qui jubet honorare parentes, sed illi altiora quærenti quam sola humanitas habeat, ad virtutem Divinitatis contemplandam, ejus mentis oculos sublevavit. Ac si diceret : « Quid humanitati tuæ cum miraculo, quod quæris, commune est, cum virtutes operari divinæ virtutis sit? » — « Nondum venit hora mea. » Quo verbo, non hora fatalis (ut hæretici voluerunt) significatur, sed hora passionis. Ac si diceret : Nondum venit hora passionis, qua vere manifestem quid humanitas possit, quam ex te assumpsi. Quæ hora tunc impleta est, quando pandens in cruce, dixit : « Mulier, ecce filius tuus (*Joan.* XIX). » Ac si diceret : Ecce quod ex te assumpsi, pati et mori potest ; miraculum quod quæris, sine divinitate operari non potest. Sed cum Dei genitricem mulierem audis appellatam, noli dubitare de ejus virginitate, quia usus Scripturæ est, omnes feminas, non solum nuptas, sed etiam innuptas, mulieres appellare, sicut de prima matre omnium Eva, cum formaretur, dictum est : « Ædificavit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem (*Gen.* II). » Hanc consuetudinem secutus Apostolus, Dei genitricem, quæ virgo ante partum, virgo post partum permansit, mulierem appellavit, dicens : « Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege (*Galat.* IV), » cum sine dubio ex virgine natus credatur. Non enim hoc nomine corruptio, sed sexus designatur. Ut autem intelligatur, non pietatem a Domino matri negatam, sed ordinem passionis prænuntiatum, recte subditur :

« Dicit mater ejus ministris : Quodcunque dixerit « vobis facite. » Intellexit enim in illis Domini verbis, se non esse exasperatam ; et ideo fiducialiter ministris imperavit, ut præcepta implerent filii jubentis.

« Erant autem lapideæ hydriæ sex positæ secundum « purificationem Judæorum, capientes singulæ me« tretas binas vel ternas. » Hydriæ dicuntur vasa, aquæ receptui præparata, tracto vocabulo a proprietate Græci sermonis, quoniam aqua Græce ὕδωρ vocatur. Quoniam autem secundum purificationem Judæorum positæ referuntur, traditio habebat Judæorum, et maxime Pharisæorum, ut in conviviis et nuptiis vasa cum aqua haberentur, propter purificationem Judæorum, vel lavationem manuum, vel quidquid necesse esset. Quod ille Pharisæus in Evangelio indicat, qui ipsum fontem aquæ vivæ Dominum reprehendere ausus est, quare non esset lotus ante prandium (*Marc.* VII). Sed quia jam tempus instabat ut ille qui homo purus videbatur, verus Deus esse ostenderetur, recte subjungitur :

« Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua. Et im« pleverunt eas usque ad summum. » Quæ in vinum conversæ sunt. Et quidem poterat Dominus vacuas hydrias implere vino, quoniam antequam essent, creavit ex nihilo, sed prius jussit eas implere aqua, et sic convertit in vinum ; quia veniens non aliam legem dedit, quam per servum suum Moysen dederat, sed ipsam spiritualiter interpretando, in melius commutavit, quia spiritualem intelligentiam, quæ in ea latebat, aperuit, sicut ipse ait in Evangelio : « Non veni solvere legem, sed adimplere (*Matth.* V). » Quasi ergo spiritualiter aquam in vinum convertit, quando post suam resurrectionem, cum discipulis ambulans, aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas. Et incipiens a Moyse et prophetis, interpretabatur illis Scripturas in omnibus quæ de illo erant. De cujus suavissimo gustu tantum inebriati sunt, ut postea dicerent : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis » de Jesu, « dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas (*Luc.* XXIV). ? » Spiri-

tualiter autem hydriæ corda significant sanctorum, quæ continent in se aquam, id est scientiam Scripturarum. Quod enim aqua scientiam Scripturarum significet, testis est Salomon, qui ait : « Aqua profunda sermo ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ (*Prov.* XVIII). » Quæ bene lapidæ esse referuntur, quia contra tentationes diaboli firma et fixa sunt præcordia sanctorum, illi lapidi adhærentium, de quo dicit Petrus apostolus : « Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales (*I Petr.* II). » Quoniam petra (ut ait Apostolus) Christum significat (*I Cor.* X). Bene autem sex fuisse referuntur, quia sex sunt mundi hujus ætates, in quibus Deus omnipotens hydrias spirituales, id est sanctos viros ad nostram eruditionem et ablutionem mittere dignatus est. Prima mundi ætas fuit ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David, quarta a David usque ad transmigrationem Babyloniæ, quinta a transmigratione Babyloniæ usque ad adventum Christi in carne, sexta a primo adventu Domini, quo venit redimere mundum, usque ad secundum ejus adventum, quo venturus est mundum judicare. In his ergo ætatibus Deus omnipotens sanctos viros mittere non destitit, qui Spiritu sancto inspirati, aquam divinorum eloquiorum ad aliorum eruditionem effunderent. In prima ætate mundi legimus, quia fecit Deus hominem de limo terræ, ad imaginem et similitudinem suam. Ad cujus solatium vel adjutorium cum vellet facere mulierem, immisit soporem in eo, et tulit unam de costis ejus, et ædificavit eam in mulierem, et posuit eos in paradiso voluptatis, præcepitque eis, dicens : « De omni ligno paradisi comedite, de ligno autem scientiæ boni et mali ne tetigeritis. Quocunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini (*Gen.* II). » Postea vero seducti a serpente, qui erat callidior cunctis animantibus, interdictum fructum ligni non solum tetigerunt, sed etiam comederunt. Et aperti sunt oculi eorum, et ut cognoverunt se esse nudos, fecerunt sibi perizomata de foliis ficorum. Et dum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus inter ligna paradisi. Cumque requireret eum Deus, dicens : Adam, ubi es? Respondit : Audivi, Domine, vocem tuam, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me. Dixitque ei Deus : Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quia de ligno de quo præceperam tibi ne comederes comedisti? Propterea maledicta terra in opere tuo. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi, et in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia terra es, et in terram ibis ; pulvis, et in pulverem reverteris (*Gen.* III). Quicunque ergo hæc audiens, timuerit transgredi præceptum Dei, reputans apud semetipsum, et dicens : quia si illis rudibus ac novellis non pepercit Deus, forte nec nobis parcet, si post multos aliorum casus, nostram neglexerimus salutem, invenit in prima ætate hydriam aqua plenam. At vero, si aliquid altius intellexerit, ut intelligat per Adam qui ex immaculata terra factus est, Dominum Jesum Christum, per Evam, quæ de latere Adæ dormientis formata est, sanctam Ecclesiam, quæ de latere Christi pendentis in cruce formata est, quando « unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX) ; » hydria, quam plenam invenerat aqua, conversa est in vinum. Videamus adhuc in ipsa ætate aliam hydriam aqua plenam. Legimus enim (*Gen.* IV) quia idem primus homo post peccatum duos filios genuit, Cain scilicet et Abel. Fuit Abel pastor ovium, et Cain agricola. Tollensque Abel de ovibus suis et de adipibus earum, obtulit holocaustum Domino, Cain autem de frugibus terræ. Et respexit Dominus ad Abel, et ad numera ejus ; ad Cain autem et ad numera ejus non respexit. Unde irratus Cain et invidia ductus, dixit ad fratrem : Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit adversus fratrem suum, et occidit eum. Dixitque ei Deus : Ubi est Abel frater tuus? Qui non solum mendose, sed etiam proterve negavit, dicens : Nescio. Nunquid custos fratris mei sum? Dixitque ei Deus : Quid fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Vagus et profugus eris omnibus diebus vitæ tuæ. Quicunque ergo hæc audiens, elegerit innocenter et simpliciter vivere cum Abel, timuerit invidiam vel odium habere erga fratrem, ne forte in maledictione reputetur, cum Cain invenit in prima ætate aliam hydriam aqua plenam. At vero si ad spiritualem intelligentiam animum suum convertit, ut intelligat per Abel Dominum Jesum Christum ; per ejus occisionem Domini passionem, per terram, quæ aperuit os suum et suscepit sanguinem ejus, sanctam Ecclesiam, quæ quotidie in confessione Domini aperit os ; per Cain vero homicidam, populum Judæorum, qui propter invidiam sanguinem Domini fundere non timuit, et propterea vagus et profugus est reputans : hydria, quam plenam invenerat aqua, conversa est ei in vinum. In secunda ætate legimus quod, prævaricantibus his qui de stirpe Adæ descenderant præceptum Domini, inventus est Noe vir justus, cui dixit Dominus : « Finis universæ carnis venit coram me, et non permanebit spiritus meus in homine in æternum, eo quod sit caro. Delebo (inquit) diluvio omnem carnem. Fac ergo tibi arcam de lignis levigatis, et ingredieris eam tu et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum, ut possitis vivere. Te enim inveni justum in generatione hac (*Gen.* VI). » Qui Domini implens jussionem, per centum annos in arcæ fabrica desudavit, et in articulo diei illius ingressus est in arcam ipse et filii ejus, uxor ejus, et uxores filiorum ejus. Pluitque Dominus quadraginta diebus et quadraginta noctibus super terram, et factum est diluvium, mortuaque est omnis caro, in qua erat spiritus vitæ.

Postea vero volens scire Noe utrum cessassent aquæ, A emisit corvum qui non est reversus ad eum. Ac deinde emisit secundo columbam quæ vespere reversa est ad eum, portans ramum olivæ virentibus follis in ore suo. Quisquis ergo hæc audiens, elegerit magis salvari cum electis paucis, in exemplum Noe, quam perire cum multis reprobis, invenit in secunda ætate hydriam aqua plenam. Quod si hanc historiam spiritualiter interpretari didicerit, ut intelligat per Noe fabricatorem arcæ, Dominum Jesum Christum fabricatorem et rectorem Ecclesiæ; per diluvium quod peccatores homines delevit, baptismum, in quo peccata delentur; per corvum qui egressus est et non est reversus, hæreticos qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis per columbam; quæ ramum olivæ virentibus foliis detulit, unctionem Spiritus sancti, quæ B fidelibus in baptismo datur: hydria aqua plena, quam habebat, mutata est ei in vinum. In tertie ætate legimus fuisse Abraham virum justum, cui dixit Deus: « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi (*Gen.* XII). » Qui obediens Deo statim exivit, nesciens quo pergeret, et cum magis ac magis fide et dilectione in Deum proficeret, dedit ei Deus unigenitum filium per repromissionem in senectute sua, nomine Isaac. Dixitque ei Deus postea (*Ibid.*): « Tolle unigenitum filium tuum quem diligis Isaac, et vade in terram visionis, atque offeres eum ibi in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi (*Gen.* XXII). » Qui « cousurgens, statim stravit asinum suum, ducens secum duos pueros, et Isaac filium suum. » Cumque die tertia elevatis oculis vidisset lo- C cum procul, quem ostenderat ei Deus, dixit pueris suis: « Exspectate hic cum asino; ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. » Et cum imposuisset ligna supra Isaac filium suum, imposuit eum super aram, « extenditque manum et arripuit gladium ut immolaret filium. Et ecce angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum. Dixitque ei: Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam. Nunc cognovi quod timeas Deum, eo quod non pepercisti filio tuo unigenito, propter me. Benedicens benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris. » Coaversusque retrorsum, « vidit arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens, D obtulit holocaustum pro filio. » Quicunque ergo, hæc audiens, cogitaverit in corde suo cum quanto studio debeat Deo obedire, quando Abraham magis voluit Deo obedire quam filio suo unigenito parcere, habet in tertia ætate hydriam aqua plenam. Si vero in hoc facto Abrahæ spiritualem intellectum quæsierit, ut intelligat per Abraham Deum Patrem, et per Isaac unigenitum filium ejus, Dominum Jesum Christum, qui est unigenitus Filius Patris, per immolationem Isaac Domini passionem, qui pro nobis passurus, lignum in quo pateretur ipse portavit, in eo vero quod Isaac Domini voce liberatus, et aries pro eo est immolatus, intellexerit Domini humanitatem passionem sustinuisse, sed divinitatem impassibilem permansisse: hydria, quam plenam habebat aqua, mutata est in vinum. In quarta ætate legimus (*I Reg.* XIX) fuisse David, non solum virum fortem, sed etiam humilem et misericordem. Qui eum, reprobato Saul, electus a Deo esset ad regnandum, persecutionem passus est a Saule in tantum ut eum frequenter occidere vellet. Et cum tradidisset eum Dominus in manus ejus, et posset eum occidere, non solum semel, sed etiam his tertioque pepercit ei propter Dominum, dicens: « Absit a me, ut mittam manum meam in christum Domini (*I Reg.* XXVI). » Propter quod regnum Saul destructum est, et regnum David super Israel elevatum. Quod si tu hæc audiens, volueris imitari humilitatem et mansuetudinem David, ut cum inimicis tuis nocere possis, propter Deum dimittas, invenisti in quarta ætate hydriam aqua plenam. At vero si Saul reprobum et invidum, populum Judæorum, qui Dominum persecutus est, intellexeris, per David Dominum Jesum Christum, qui est fortis et potens in prælio, et Dominus virtutum, et qui pro persecutoribus Judæis exoravit, dicens (*Luc* XXIII): « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, » et ideo regnum eorum dissipatum est: regnum autem Domini manet in æternum; quarta hydria, quam plenam inveneras aqua, mutata est tibi in vinum. In quinta ætate legimus (*IV Reg.* XXV) quod populus Judæorum prævaricatus est mandatum Domini, derelinquens Deum patrum suorum et adorans idola, et ideo tradidit eum Dominus Nabuchodonosor regi Chaldæorum, qui duxit eum captivum in Babyloniam, et Jerusalem civitatem destruxit, ubi, propter vindictam peccati, per septuaginta annos in grandi afflictione fuit. Postea vero misertus eidem populo Deus, suscitavit Jesum filium Josedech sacerdotem magnum, et Zorobabel principem Judæorum, qui eumdem in Jerusalem reduxit, templumque Domini restauravit. Quod si tu hæc audiens, timueris peccare, ne forte aut captivitas, aut qualiscunque temporalis tribulatio propter peccatum tibi accidat, invenisti in quinta ætate hydriam aqua plenam. Si vero ad altiorem intellectum mentem tuam transtuleris, ut intelligas per populum Israeliticum genus humanum; per Nabuchodonosor, qui populum captivavit, diabolum figurari, per Babyloniam, quæ confusio interpretatur, infernum; ubi diabolus genus humanum post prævaricationem captivum traxit; per Jerusalem, quæ visio pacis interpretatur, cœlestem patriam: per Jesum sacerdotem magnum, Dominum nostrum Jesum Christum, qui factus est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX), qui electos suos de captivitate Babyloniæ ad cœlestem patriam revocavit: hydria tua, quæ prius aquam habebat, conversa est tibi in vinum. In sexta ætate legimus (*I Tim.* II), quod ipse auctor et redemptor omnium Dominus Jesus Christus, pro hominibus homo factus, octava die circumcisus est, et tricesima tertia post hæc die in

templo præsentatus, atque legalis hostia pro eo est oblata, nulla tamen necessitate cogente, sed spontanea voluntate, tantum ut legem adimpleret. Quod si hæc tu audiens cogitaveris cum quanta sollicitudine et studio Evangelii debeas observare præcepta, quæ per ipsum dicta sunt, quando ipse legem quam per servum dederat, cum tanta diligentia dignatus est observare, invenisti in sexta ætate hydriam aqua plenam, uberiorem et mundiorem omnibus, de qua non solum abini, sed etiam satiari potes. Si autem alius aliquid in hoc Domini facto intellexeris ut intelligas in eo quod ipse noluit prius in templo materialis ædificii constructo præsentari, quam circumcideretur, et diem purificationis exspectare, cum non indigeret: quia nos non possumus spiritualiter Ecclesiæ Dei sociari, nec corporis et sanguinis Christi participes fieri, nisi prius per baptismum fuerimus ab originali peccato mundati: hydria quam aqua plenam habebas, mutata est tibi in vinum bonum. Quod si adhuc aliquid sacratius perscrutari volueris, ut intelligas in eo quod Dominus Jesus Christus prius voluit circumcidi quam in templum intraret: quia nos in templo æternæ beatitudinis, quod est in cœlo, ubi sine fine laus Dei canitur, nequaquam intrabimus, nisi in præsenti vita per confessionem, eleemosynas et cætera bona opera fuerimus purificati, et omni custodia cor nostrum servaverimus, ut dignam Deo hostiam in cœlo offerre mereamur: hydria, quæ versa erat in vinum bonum, commutata est in vinum meracissimum, in tantum ut, hujus suavissima dulcedine spiritaliter inebriatus, cum propheta dicere possis: « Et calix tuus inebrians quam præclarus est! » (*Psal.* XXII). Et iterum: « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV). » Et rursus: « Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, et inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV). » Hoc vinum desiderabat ille qui dicebat in Canticis canticorum: « Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis (*Cant.* I). » Quicunque ergo per singulas ætates exempla sanctorum considerans, bene vivere et spiritaliter didicerit intelligere eorum doctrinam, in singulis ætatibus inveniet hydrias, de quarum haustum et ablui et satiari possit. Pulcherrime autem mentibus sanctorum convenit, quod de iisdem hydriis dicitur: « Capientes singulæ metretas binas vel ternas. » Μέτρον enim Græce, Latine mensura dicitur trium modiorum. Non enim dicit, quia aliæ capiebant binas, et aliæ ternas, sed singulæ capiebant metretas binas vel ter as. Cum enim sancti viri, Patris et Flii mentionem tantum faciunt, quasi binas vel ternas metretas capiunt. At vero cum Patris et Filii et Spiritus sancti simul mentionem faciunt, iidem ipsi ternas metretas capiunt. Quasi enim binas metretas David spiritualis hydria capiebat, cum de Patre et Filio loquebatur, dicens: « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CIII). » Quasi ternas idem ipse capiebat, cum dicebat: « Verbo Domini cœli firmatis sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXV) » Binas metretas Dominus ostendit in Evangelio, cum dicit: « Ergo et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Ternas ostendit, cum alibi ait: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Doctores autem sancti, id est spiritales hydriæ, ternas accipiunt metretas, cum individuam Trinitatem aliis prædicant credendam; binas, quando dilectionem Dei et proximi suis auditoribus commendant. Ministri autem qui eas implesse dicuntur, apostolos significaverunt vel doctores Ecclesiæ, per quorum doctrinam haustum sapientiæ mundus accepit, de quibus bene dicitur: « Et impleverunt eas usque ad summum. » Quia nullum tempus ab initio sæculi vacuum fuisse ostenderunt ab eruditione fidelium, quo sine verbis, sine exemplis spiritualem doctrinam non patefacerent. Sive certe eas usque ad summum impleverunt, quia majorem perfectionem ostenderunt esse per gratiam Novi Testamenti quam per Vetus, quoniam doctrina Evangelii, quam illi prædicaverunt, totum mundum complevit: vel quia in operibus sanctorum nihil de imperfectione ad ostendendum nobis magistri Ecclesiæ reliquerunt.

« Et dicit eis Jesus: Haurite nunc et ferte architriclino. Et tulerunt. » Architriclinus dicitur princeps triclinii, quia ἀρχὸ Græce, Latine dicitur princeps; triclinium autem est domus tres ordines habens. Possumus quoque ad litteram hunc architriclinum, aliquem ex majoribus Judæorum accipere, qualis erat Nicodemus vel Gamaliel, sive discipulus ejus tunc Saulus, postea vero Paulus. Spiritaliter vero sicut per architriclinum magistri Ecclesiæ designantur, sic per triclinium ipsa Ecclesia exprimitur, quæ tres habet ordines, conjugatorum, continentium atque virginum. Jussit autem Dominus architriclino vinum ex aqua factum dare, quia illis spiritualis doctrina commendatur, quia sciunt discernere inter Vetus et Novum Testamentum, id est inter legem et Evangelium.

« Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum « factam, et non sciebat unde esset: ministri autem « sciebant qui hauserant aquam, vocat sponsum ar- « chitriclinus. » Iste sponsus, juxta litteram, ut quidam tradunt, accipitur Joannes apostolus: qui cum nuptias fecisset, viso miraculo Domini, relinquens nuptias, virgo eum secutus est, unde et dilectus Domini dicitur. Spiritaliter vero idem sponsus ipse Christus intelligitur. « Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. » Doctorum est discernere, quantum distet inter legem et Evangelium, et inter litteram occidentem et Spiritum vivificantem, et inter bonum et malum, sic architriclinus inter vinum discretionem habuit et aquam. Quoniam quantum distat inter aquam et vinum, tantum distat inter legis litteram et spiritualem Evangelii Gratiam. In Domini ergo præsentia ipsa elementa mutata sunt, quando lex

carnalis ipso interpretante spiritaliter est intellecta, in tantum, ut quicunque hanc dulcedinem gustaverit, admiretur et dicat: Omnis homo primum bonum vinum ponit.

« Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ. » Pulchre ergo Dominus initium signorum suorum hoc miraculo voluit consecrare, ut aquas mutaret in vinum, ut discant fideles quia non aliam legem venit docere, nisi quam per servum suum Moysen dederat, sed ipsam spiritualiter interpretando in melius commutare. Bene autem dicitur: « Et manifestavit gloriam suam. » Manifestavit, videlicet per hoc signum quod ipse esset rex gloriæ et Dominus virtutum, et ipse esset sponsus Ecclesiæ: manifestavit quod ipse esset qui cuncta ex nihilo potuit creare, qui etiam quando voluit, elementa potuit immutare. Quod vero sub litur: « Et crediderunt in eum discipuli ejus. » Non putandum est quod tunc primum in eum crediderint, maxime cum ab illo ad nuptias vocati esse dicantur: sed qui prius crediderant, viso miraculo, firmius crediderunt, et quem antea hominem credebant, hoc signum videntes, Deum verum et hominem esse crediderunt.

HOMILIA XIX.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

(Matth. viii.) « In illo tempore, cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, » et reliqua. Superius evangelista narravit qualiter Dominus sedens in monte, ordine mocto beatitudinum tradidit, dicens: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v), » et cætera quæ sequuntur. Et ut vera esse crederent quæ in verbis audierant, consequenter miraculum adjungere curavit, dicens: « Et descendente eo de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. » Ubi spiritualiter montem, in quo Dominus sedit, cœlum intelligere possumus, in quo cum Patre mansit, et manet semper æqualis. Tunc autem de monte descendit, quando propter nos et propter nostram salutem in convalle plorationis veniens, humanitatem nostram assumpsit, ut qui invisibilis erat in suis, visibilis appareret in nostris: et quem non poteramus videre in sua altitudine, saltem cognosceremus in nostra infirmitate. Unde juxta congruam rationem, soli discipuli in monte ad eum accesserunt, sed, eo decendente de monte, multæ turbæ secutæ sunt eum: quia ante suam incarnationem notus in Judæa tantum erat Deus, et Israel magnum nomen ejus: at vero, postquam usque ad nostram humanam naturam assumendam descendit, protinus per fidem multæ turbæ eum secutæ sunt nationum. De quibus olim Isaias prædixerat, dicens: « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et sublimis erit valde. Et venient ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Dei nostri (*Isa.* ii). » Et Psalmista: « Omnes gentes quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te,

A Domine, et glorificabunt nomen tuum in æternum (*Psal.* lxxxv). » Hanc quoque turbam videbat Joannes in Apocalypsi, qui cum ex singulis tribubus Israel duodecim millia signatos describeret, adjunxit: « Post hæc vidi turbam magnam quam nemo poterat dinumerare, ex omnibus populis, tribubus et linguis (*Apoc.* xii). » Sequuntur autem turbæ Dominum, quando ejus vestigia humanitatis imitantur fideles. Sequi enim Dominum, imitari est, sicut ipse dicit: « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* xii). » Et iterum: « Qui vult venire post me abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Luc.* ix). »

« Ecce Leprosus veniens adorabat eum, dicens: « Domine, si vis, potes me mundare. » Si quis in B hoc loco solam litteram attendat, non parvam fidem habuisse leprosus iste cognoscitur. Deum enim non dubitavit, quem supplex adoravit. Nec de ejus dubitavit potestate, cum solam requisivit voluntatem, dicens: « Domine, si vis, potes me mundare. » Unde fides protinus effectum consecuta est, nam sequitur,

« Et extendens Jesus manum, tetigit eum dicens: « Volo, mundare. » Ubi cum magna appareat Domini potestas, non minor ejus declaratur humilitas. Leprosum enim, quem lex extra castra ejiciebat, quem scribæ et Pharisæi vix respicere dignabantur, ille tangere non recusavit, qui eum mundare poterat sine tactu, ostendens quia ejus tactus salus est credentibus. Quæritur quare Dominus leprosum tetigerit, cum lex præcipiat eum non tangere? Primum, ut humilitatis et compassionis exemplum nobis ostenC deret, nec despiciendos proximos propter debilitates aliquas declararet. Deinde, ut non servum, sed Dominum legis se esse ostenderet, qui cum secundum legem ambularet, etiam supra legem quoscunque vellet, mundaret. Quod autem ait: « Volo, mundare, » non simul jungendum est et legendum, Volo mundare, ut quidam Latinorum putaverunt, sed prius dicendum « Volo, » deinde inferendum est « mundare. » Ad singula ergo verba leprosi singula Dominus respondit. Leprosus enim dixerat: « Domine, si vis. » Dominus respondit: « Volo. » Leprosus dixerat, « Potes mundare. » Dominus respondit, « Mundare, » imperativo scilicet modo. « Et confestim mundata est lepra ejus. » Inter dicere autem Domini et facere, nulla est differentia: « Dixit enim et facta D sunt, mandavit et creata sunt (*Psal.* xxxii). » Allegorice autem leprosus iste genus designat humanum, quod tunc lepram peccati incurrit, quando præceptum Domini in paradiso contempsit. Unde bene, juxta evangelistam, non solum leprosus, sed etiam plenus lepra fuisse describitur: quoniam veniens Dominus in carne, invenit genus humanum variis erroribus et iniquitatibus inquinatum. Sed Domino de monte descendente, id est in carne apparente, leprosus ei occurrit: quia intellexit genus humanum tam ex Judæis quam ex gentibus iniquitatis lepra pollutum, aliter mundationem animæ se non posse accipere, nisi per ejus fidem qui peccatum non fecit, nec in-

ventus est dolus in ore ejus, teste Apostolo qui ait: « Non est distinctio Judæi et Græci. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu (*Rom.* x). » Sed Dominus, qui salutem conferre venerat, non dedignatus est tangere leprosum, ut eum ad salutem proveheret. Quasi enim leprosum tangendo curavit, quando per hoc, quod nostræ carnis similitudinem assumpsit, a peccatis animæ nos liberavit. Et qui verbo leprosum curare poterat, tangendo curare maluit: quia per hoc quod morticinum nostræ carnis suscepit, a peccatorum contagione nos purificavit, ostendens seipsum esse de quo per Isaiam fuerat prophetatum: « Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem, et desideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, attritus est propter scelera nostra (*Isa.* LI). » Hinc et apostolus Petrus ait: « Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus (*I Petr.* II). »

« Et ait illi: Vide nemini dixeris, sed vade, ostende « te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses « in testimonium illis. » Quid est enim quod Dominus, qui alibi sanato homine a legione dæmonis præcepit, dicens (*Marc.* v): « Vade in civitatem ad tuos, et annuntia eis quanta tibi fecerit Deus, » nunc autem leproso curato dicit: « Vide nemini dixeris? » Nos nimirum in hoc facto instruit, quos frequenter inanis gloria tentat, ostendens etiam in bono opere jactantiam esse fugiendam. Si enim ille, qui ut Filius Dei jactantiam non timebat, miraculum suum occultare præcepit, multo magis nos quos vana gloria subrepit jactantiam cavere debemus, ut secundum quod ipse ait: « Nesciat sinistra tua quid faciet dextera tua (*Matth.* VI). » Hinc iterum admonet, dicens: « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et, clauso ostio, ora Patrem tuum, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (*Ibid.*). » In eo vero quod ait « Vade, ostende te sacerdoti, » considerandum est, quod nullos alios Dominus, quibus corporaliter sanitatem præstitit, ad sacerdotes misisse legitur, nisi tantum leprosos, quod non solum hic fecisse legitur, sed etiam alibi, quando decem viris leprosis sibi occurrentibus et clamantibus « : Jesu præceptor, miserere nostri, » præcepit, dicens: « Ite, ostendite vos sacerdotibus (*Luc.* XVII), » quod ob varias causas eum fecisse credimus. Primum ut sacerdotibus honorem deferret: secundo, ne contradictor legis videretur: quia legis præceptum erat, ut si quis a lepra mundatus esset, veniret ad sacerdotem: tertio, ut sacerdotum animos ad suam crudelitatem provocaret, et non credentibus omnem excusationem auferret. Et videntes leprosum mundatum, si

A crederent in mundatorem, salutem invenirent: si autem credere nollent, inexcusabiles essent. Unde bene dicitur: « In testimonium illis, » id est sacerdotibus. Aliter per montem, in quo Dominus discipulos docuit, sublimior doctrina accipitur, ubi soli discipuli accesserunt: quia illi in spiritualibus rebus sunt instruendi, qui per diuturnam meditationem eas capere possint. Qui autem parvuli sunt in sensu et terreni in fide, quasi in convallibus sunt instruendi, id est in apertioribus sententiis monendi. Unde cum in montibus discipulos docuit, et in convallibus leprosum curavit, ostendit in prædicatione juxta capacitatem auditorum, formandam esse sermonem doctorum. Non enim propter perfectos deserendi sunt imperfecti, sed potius cum illis corrigendi atque B tolerandi. Qui enim tales sunt, ut cum apostolis audire possint: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei (*Luc.* v), » altius et profondius in allegoriarum typis et figuris sunt instruendi. Qui autem parvuli sunt sensu, sola littera sunt instruendi, quod etiam Dominus alibi suo exemplo nos instruit, quando cuidam dicenti (*Matth.* XIX): « Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?» quasi in convalle posito respondit, dicens: « Mandata nosti: Non occides. Non adulterabis. Non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui,» etc. Sed illo respondente: « Hæc omnia custodivi a juventute mea, » protinus montem perfectionis ostendit, subjiciens: « Adhuc unum tibi deest: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni C sequere me. » Et quia hunc montem difficile ascendunt, qui amore divitiarum sunt onerati, abiit ille tristis, eo quod multas haberet possessiones. Hujus quoque exemplum Paulus Apostolus secutus, quasi cum quibusdam in convallibus morabatur, quibus dicebat: « Ego vobis, fratres, non potui loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III). » Quasi cum aliis montem ascenderat quibus dicebat: « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* II). » Moraliter autem leprosus iste qui Domino de monte descendente occurrit, unumquemque significat peccatorem. Sicut enim lepra varium exprimit colorem in cute, sic peccatum varias habet species in mente. Qui enim adulterium, homicidium, D furtum, rapinam, sacrilegium, et his similia perpetrat, quasi leprosam in anima cutem demonstrat. Talis si vult mundationem recipere, debet Domino occurrere, id est, cum lacrymis et gemitibus se peccatorem cognoscere, et Domini misericordiam compuncto corde exorare, dicens cum Propheta: « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi et malum coram te feci (*Psal.* L): » Et iterum: « Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non abscondi. Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impie-

tatem peccati mei (*Psal.* XXXI). » Nec debet desperare veniam, si dignam non neglexerit agere pœnitentiam. Nam quantum misericors sit Dominus erga peccatores conversos, manifestatur cum subditur : « Et extendens Jesus manum tetigit eum, dicens : « Volo, mundare. » Et quia verus est medicus, qui non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Matth.* IX), recte leprosum tetigisse dicitur. Manus enim Domini in Scripturis aliquando majestatis suæ potentiam, aliquando Incarnationis mysterium significat. Potentiam majestatis significat, ut ait Psalmista : « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum (*Psal.* XXX). » Incarnationis mysterium, ut idem alibi ait : « Emitte manum tuam de alto (*Psal.* CXLIII). » Vult enim Deus mundare leprosum, quia, ut ait Apostolus, « Neminem vult perire, sed omnes ad agnitionem veritatis converti (*I Tim.* II). » Unde ipse per Prophetam ait (*Ezech.* XVIII) : « Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. » Et iterum : « Peccator quacunque die conversus fuerit, » et reliqua. Et in Evangelio : « Dico vobis, gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV). » Nec eget Dominus spatio annorum vel longitudine temporum in pœnitentia, sed cor contritum et humiliatum Deus non spernit : quia non nocent mala præterita, si non placent. Primum autem tetigit leprosum, et postmodum mundavit, quia prius mentem nostram per suam gratiam ad pœnitentiam agendam inflammat, et postmodum digne petentibus, quod peccavimus per misericordiam relaxat. Sed quia ipsa peccata vice Domini sacerdotibus confiteri debemus, et ad eorum consilium pœnitentiam agere, recte subjungitur : « Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, » etc. Forte etiam sunt nonnulli, qui sufficere sibi credunt, quod soli Deo compuncto corde peccata sua confiteantur, nec ea esse necesse sacerdotibus confiteri, tantummodo ut a malis suis operibus cessent. Quorum opinio si vera esset, nequaquam Dominus leprosos, quos per semetipsum mundaverat, ad sacerdotes misisset. Denique si peccata non essent sacerdotibus confitenda, et ad eorum judicium excutienda, Paulum quem in via fuerat allocutus, nequaquam Ananiæ sacerdoti destinaret, dicens : « Vade in civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere (*Act.* IX). » Quod enim confitentibus peccata sua sacerdotibus multum prosit, probat Jacobus apostolus, dicens : « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini (*Jacob.* V). » Et Joannes : « Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est Deus, ut dimittat peccata nostra, et emundet nos ab omni peccato (*I Joan.* I). » Quod etiam in Veteri Testamento figurate demonstratur, quando tale de leprosis præceptum Moysi a Domino dicitur, sic enim scriptum est : Et locutus est Dominus ad Moysen (*Lev.* XIII) : Vir in cujus cute varius color apparuerit, veniat ad sacerdotem et ostendat se illi : qui recludet eum in domo separata seorsum per septem dies, et post septem dies intuitus eum, si viderit crevisse lepram, addat alios septem dies. Post quatuordecim vero dies iterum intuitus eum, si viderit adhuc crescere lepram, sciat quia lepra perseverans est, et tunc judicet eum leprosum, et ejiciat eum extra castra ; qui manebit intonsa barba, operto capite, scissa veste, aperto ore, immundum se judicans omni tempore separationis suæ. Si autem mundatus fuerit, qui hujusmodi sustinet passionem, veniat ad sacerdotem et offerat pro emundatione sua tortam panis et sextarium olei ad luminaria concinnanda, et offerat duos passeres vivos, unum pro peccato et alterum in holocausto. Quæ omnia qualiter nunc in Ecclesia spiritualiter fieri conveniant, breviter nunc commemoranda sunt. Lepra enim (ut diximus) peccatum significat ; in cujus ergo cute lepra apparuerit, id est, in cujus anima peccatum fuerit, veniat ad sacerdotem, locum lepræ ostendens, id est, peccata sua humiliter ei confiteatur. Qui sacerdos recludat eum in domo separata seorsum per septem dies, id est omni tempore vitæ suæ, quæ per septem dies volvitur, pœnitendum insinuet : et post septem dies intuitus eum, si viderit crevisse lepram, addat alios septem, id est, ubi iteratur peccatum, augeatur pœnitentiæ modus. Quoniam districtius judicandi sunt, qui per consuetudinem peccant, quam illi qui subito cadunt. Post quatuordecim vero dies iterum intuitus eum, si viderit adhuc crescere lepram, id est, si peccatum in consuetudinem viderit venire, sciat quia lepra perseverans est. Maneat autem extra castra, vel corpore ab Ecclesia separatus, vel a consortio sanctorum se in mente indignum judicet Habeat intonsam barbam, ut sic squalorem pœnitentiæ etiam in ipso vultu ostendat. Operto capite, quia ab officio prædicationis cessare debet, qui publice pœnitet. Maneat autem aperto ore, scissa veste, id est, per confessionem suam patefaciat conscientiam. Si autem sanatus fuerit, qui hujusmodi sustinet passionem, veniat ad sacerdotem, et offerat pro emundatione sua tortam panis, videlicet dulcedinem charitatis quibuscunque potest impendat, non solum amicis, sed etiam inimicis. Et pulchre per tortam panis dulcedo charitatis designatur, quia, sicut in vita hominis principalis est panis : sic inter omnes virtutes principalis est charitas. Offerat etiam et sextarium olei, id est misericordiæ viscera indutus, in se peccantibus clementer ignoscat : et hoc ad luminaria concinnanda, ut sicut plures peccando suo destruxit exemplo, ita emendatius vivendo, sua satisfactione multos reædificet. Offerat quoque duos passeres vivos, id est, corpus et animam suam divinæ servituti subjiciat, ut sicut exhibuit membra sua servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita serviat justitiæ in sanctificationem. Sive certe offerat duos passeres vivos : id est, duo genera compunctionis, timoris scilicet et amoris. De quibus recte dicitur : Unum pro peccato, et alterum in holocausto, id est in sacrificio, quod offerebatur pro peccato, unum : et in gratiarum actione : ubi non pro timore peccati,

sed pro amore Dei et desiderio offerebatur: alterum, A quia omnis peccator prius timore compungitur, et post amore.

« Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad « eum centurio, rogans eum, et dicens : Domine, « puer meus jacet in domo paralyticus, et male tor- « quetur. » Post curationem leprosi venitur ad aliud miraculum, in quo non solum Domini virtus apparet miranda, sed etiam centurionis humilitas imitanda. Sed primum quærendum est quare dicat Matthæus centurionem ad Dominum accessisse, cum Lucas referat quod non ipse venerit, sed seniores Judæorum pro se miserit. Sic enim scriptum est in Luca (*Luc.* VII) : Centurionis cujusdam servus erat moriturus, qui erat ei pretiosus. Et cum non auderet accedere ad Jesum, misit seniores Judæorum, qui veni- B rent ad eum, dicentes : Domine, dignum est, ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, nam et synagogam ipse ædificavit nobis. Non ergo putandi sunt contraria evangelistæ sensisse, sed unus describit voluntatem, alter opera. Quod enim Matthæus ipsum accessisse dicit, intentionem illius descripsit, quia voluntate accessit. Quod vero ait Lucas, quod non ipse venerit, sed seniores Judæorum pro se miserit, humilitatem ostendit centurionis, et quemadmodum secundum litteram factum sit. Quia cum esset gentilis, non per seipsum ad Dominum corporaliter ausus est accedere. Sed quid ei Dominus responderit, audiamus :

« Et ait illi Jesus : Ego veniam et curabo eum. » In quibus verbis nostra superbia confunditur, si ad C hanc lectionem cum alia Evangelii conferamus. Legimus enim alibi in Evangelio secundum Joannem (*Joan.* IV), quod erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum. « Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit et rogavit eum, ut descenderet et sanaret filium ejus. Incipiebat enim mori. Et dixit ei Jesus : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Et ille : Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Cui dixit Jesus . Vade, filius tuus vivit. » Quid est ergo quod Dominus ad filium reguli rogatus ire noluit, et ad servum centurionis etiam non rogatus ire paratus fuit? Quis enim ignorat majoris potestatis regulum quam centurionem? Nostra in hoc facto, ut diximus, superbia confunditur, qui in hominibus non naturam, D sed potentiam consideramus. Quos enim potentes cernimus, metuimus, veneramur et honoramus. Quos autem pauperes, contemnimus, negligimus et despicimus. At vero Filius Dei, qui de cœlo venit in terram ut superbiam fugiendam, et humilitatem amandam, atque naturam hominis diligendam ostenderet, ad filium reguli rogatus ire noluit, et ad servum centurionis, etiam cum non rogaretur, ire paratus fuit. Excelsus enim Dominus humilia a prope respicit : alta autem, id est superba, a longe contemnit (*Psal.* CXXXVII), quoniam, sicut Petrus apostolus de eo testatur, « Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* X). »

« Et respondens centurio, ait : Domine, non sum « dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum « dic verbo, et sanabitur puer meus. » Magna hæc centurionis declaratur fuisse fides, sed non dispar comprobatur humilitas. In opere hujus centurionis, tres imitabiles virtutes nobis ostenduntur, humilitas scilicet, fides et prudentia. Magnam enim habet humilitatem, qui, dicente Domino : « Ego veniam et curabo eum, » indignum se judicans, respondit : « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. » Perfectam autem habuit fidem, quia, cum esset gentilis, solo verbo Dominum credidit posse puero reddere sanitatem, dicens : « Tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. » Nisi enim illum omnipotentem fidenter crederet, nequaquam pro servuli sui prosperitate rogaturus, ad eum accessisset. Habuit etiam non parvam prudentiam, cum eum quem corporaliter ambulantem vidit, ubique per divinitatem esse præsentem intellexit. Nec charitas in eo defuisse credenda est, quia cum multi pro sua, suorumque filiorum ac charorum salute ad Dominum rogaturi accederent, ille pro servi tantum sanitate. Unde adhuc in fidei constantia perseverans subjunxit, dicens :

« Nam et ego homo sum sub potestate, habens sub « me milites, et dico huic : Vade, et vadit : et alio « Veni, et venit : et servo meo : Fac hoc, et facit. » Ac si diceret : Si ego qui homo sum sub potestate principis, habeo sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit : et alio, Veni, et venit : et servo meo, Fac hoc, et facit : quanto magis tu, cum sis Deus, ubique totus, ubique præsens, ubique potens, si dixeris infirmitati, Recede, nonne recedet? Si dixeris sanitati, Veni, nonne veniet? Et ideo non est te necesse corpore eundo fatigari, qui solo verbo potes curare. Spiritualiter autem per hos subjectos centurionis naturales virtutes, in quibus quidam gentilium pollebant, intelligere possumus, ut est, non adulterari, non furtum facere, non rapere, non occidere, inopis misereri, miseris subvenire, et his similia. Unde de Cornelio gentili legimus (*Act.* X), quod erat vir justus et bonus, faciens eleemosynas cum omni domo sua plebi, ac timens Deum. Vel certe per hos subjectos centurionis, bonas malasve cogitationes, quæ cordi nostro non desunt, possumus accipere, quas nobis subjectas habere debemus : ut si dixerimus malis, Recedite, recedant : bonis, Venite, et veniant, et cum illis condelectemur. Servo autem nostro, id est corpori, dicamus, Fac hoc et faciet, id est, imperemus ut ea quæ sunt Spiritus Domini perficiat, juxta illud Apostoli : « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX). »

« Audiens autem Jesus, miratus est. » Admirabatur Dominus fidem centurionis, quam cordi ejus mirabiliter administrabat, non quod aliquid ei mirandum esset, qui cuncta operatur mirabiliter, sed ut eumdem nos mirari debere doceret. Cujus

fidem Dominus admirans, pariter et collaudans :

« Sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non in- « veni tantam fidem in Israel. » Quod non de patriarchis et prophetis dicit, quondam se videntibus, et si Israel videns Deum interpretatur : sed de Israel carnali, id est populo Judæorum, vel de illis qui præsentes erant, inter quos signa et miracula faciebat, quibus verbum vitæ annuntiabat, quod etiam recipere nolebant. Quia non sic cito crediderunt, quomodo centurio. Unde pulchre in centurione non solum fides gentium collaudata est, sed etiam præfigurata, cum dicitur :

« Dico autem vobis quod multi venient ab oriente « et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac « et Jacob in regno cœlorum. » Per orientem et occidentem quatuor mundi partes designantur, a quibus ex omnibus gentibus erant in fide, non solum per prædicationem apostolorum, sed etiam eorum successorum. De quibus per Psalmistam dicitur : « Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, de regionibus congregavit eos ; a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari (*Psal.* CVI). » Quod autem per prædicationem apostolorum multi ad fidem, ut diximus, vocati sunt, idem Psalmista alibi demonstrat, cum dicit : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Rom.* X). » Et iterum. « Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum (*Psal.* XVIII). » Vel certe, ut quidam volunt, ab oriente venerunt Hebræi, quia primi Dominum cognoverunt, ab occidente gentiles, quia ultimi Dominum perceperunt. Aliter, ab oriente venerunt, quia, Deo protegente, nulla criminalia peccata commiserunt : ab occidente, qui, post multa flagitia perpetrata, ad omnipotentem Deum convertuntur. Vel, ab oriente, qui ab ipsa infantia vel pueritia Deo servit : ab occidente, qui in senectute vel decrepita ætate ad Dei servitutem convertitur. Recumbere autem cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum, est in fide patriarcharum gentes requiescere, et illum credere venisse, quem sancti patriarchæ venturum prophetaverunt. Terribilis autem de Judæis prædicitur sententia, cum dicitur :

« Filii autem regni hujus ejicientur in tenebras « exteriores. » Filios regni Judæos dicit, qui merito filii regni appellantur, quia pro amore regni terreni, cœlestem regem credere noluerunt, dicentes Pilato : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX). » Et iterum regnum terrenum eligentes, et cœleste respuentes, dixerunt : « Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit ? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem (*Joan.* XI). » Nam Judæi sub potestate Romanorum erant constituti, et ideo hac occasione decepti, timebant, ut si a Romanis rex novus in Judæa regnare audiretur, debellarentur et a regno ejicerentur. Ergo quia Judæi magis terrenum regem quam cœlestem dilexerunt, non solum cœlestem, sed etiam terrenum perdiderunt. Quo-

A niam dispersi de gente in gentem, et de regno ad populum alterum, relicti sunt sine Deo, sine lege, sine duce, sine sacerdote. Sicut enim filii Dei vocantur, qui magis Deum quam mundum diligunt, sic filii regni dicuntur, qui in amore terreni regni radices cordis perseverabiliter plantaverunt. Ubi autem tales mittendi sint, manifestatur, cum subjungitur : « Ejicientur in tenebras exteriores. » In quo loco considerandum, quia, cum tenebræ semper sint interiores et non exteriores, in tenebras exteriores mittuntur post mortem, qui in tenebras interiores, id est in cæcitate mentis, se concluserunt dum viverent. Quæritur autem quare dicantur tenebræ exteriores, cum semper sint interiores, sicut clauso ostio domus intrinsecus tenebræ sunt, extrinsecus autem lux. Ad

B quod dicendum, quia tenebræ interiores cæcitas mentis dicuntur : exteriores vero pœnæ infernales, quæ extra nos sunt. Nam in inferno interiores sunt, sed illi qui illic patiuntur, in tenebras exteriores, id est in infernales pœnas mitti dicuntur. Quid autem ibi missi patiantur, demonstratur, cum subinfertur : « Ibi erit fletus et stridor dentium. » Oculi enim præ nimio fumo solent lacrymari, et dentes præ nimio frigore stridescere. Cum ergo ait : « Ibi erit fletus et stridor dentium, » ostendit per metaphoram membrorum, quia reprobi in pœna et frigus inæstimabile, et calorem intolerabilem sustinebunt, sicut per beatum Job dicitur : « Ad calorem nimium transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius. Obliviscatur ejus misericordia. Dulcedo illius vermes (*Job.* XXIV). » Si quis autem de resurrectione sui

C corporis dubitat, ipsam per hunc locum fieri intelligere valet. Oculi enim carnei sunt, et dentes ex ossibus. Igitur cum dixit, « ibi erit fletus et stridor dentium, » in eadem effigie, qua in præsenti sæculo manemus, ostendit nos in futuro resurrecturos. Unde alibi beatus Job dicit : « Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt (*Job.* XIX), » id est, non alia figura pro me, sed ego ipse eum videbo. Quam etiam Dominus, cum post suam resurrectionem loqueretur discipulis, ostendit, dicens (*Luc.* XXIV) : « Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. » Et iterum : « Palpate et videte quia spiritus

D carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. »

« Et dixit Jesus centurioni : Vade, sicut credidisti « fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora. » Hic considerandum est quantum unumquemque propria fides adjuvet, quando tantum profuit aliena. Propter fidem enim centurionis, reddita est puero sanitas. Fides namque magna est virtus, et, ut ait Apostolus, « sine qua impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI). » De qua etiam per Habacuc prophetam dicitur : « Justus autem meus ex fide vivit (*Hab.* II), » quam Dominus discipulis commendans, ait : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis monti huic, Transi hinc, et transiret : arbori moro, Eradicare et

transplantare in mare, et obediret vobis (*Luc.* XVII). Et quia in centurione gentili, gentium fides est præfigurata, recte iste qui sic perfecte credidit, centurio ab evangelista appellatur. Centurio enim dicitur, quod sub se centum habeat milites. Centenarium quippe numerus perfectus est, qui de læva transit in dexteram, et circulum exprimens, fit in modum coronæ, illam coronam exprimens, quam milites Christi pro spirituali certamine percepturi sunt, quorum unus loquebatur, dicens: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo, reposita est mihi corona justitiæ (*II Tim.* IV). »

HOMILIA XX.

DOMINICA QUARTA PORT EPIPHANIAM.

(MATTH. VIII.) « In illo tempore, ascendente Jesu « in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce « motus magnus factus est in mari, et reliqua. » In hujus lectionis serie utriusque suæ naturæ veritatem Dominus Jesus Christus dignatus est commendare, divinam scilicet et humanam. Quasi enim homo navem ascendit, sed quasi Deus mare conturbavit: quasi homo in nave dormivit, sed quasi Deus ventis et mari imperavit. Nec ideo navis officium assumpsit, ut non posset mare siccare, sicut quondam coram filiis Israel fecerat: vel super fluctus maris ambulare, qui etiam Petro, ut super fluctus ambularet, tribuit: sed quæ hominis sunt egit, ut verum hominem pro nobis factum se esse insinuaret. Allegorice autem navis, quam Dominus ascendit, vexillum crucis significat. Quasi enim navem ascendit, quando pro nostra liberatione in ligno crucis se elevari permisit, sicut ipse Judæis dixit: « Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc scietis quia ego sum (*Joan.* VIII). » Unde bene Marcus prope solis occasum eum navem ascendisse commemorat, ut passionis ejus sacramentum insinuaret, de quo per prophetam dicitur: « Sol cognovit occasum suum (*Psal.* CIII). » Secuti sunt eum discipuli ejus, quia vestigia ejus passionis sunt imitati. Sequi enim Dominum, imitari est, sicut ipse dicit: « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). » Et iterum: « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Luc.* IX). » Sed Domino navem ascendente.

« Motus magnus factus est in mari, » quia, illo in cruce pendente, commotio facta est in populo Judæorum. Quasi enim mare tumebat, quando Judæorum populus fremendo clamabat: « Crucifige, crucifige (*Joan.* XIX) » talem. Tantum autem motus maris prævaluit, « ut navicula operiretur fluctibus. » Quia in tantum excrevit persecutio Judæorum, ut ipse princeps apostolorum Christum negaret, et ipse et alii propter metum Judæorum in conclavi residerent. « Ipse vero dormiebat: » quia resurrectionis suæ potentiam usque in triduum differebat. Et pulchre mors Christi somno comparatur, quia nemo tam facile excitatur a somno, quam ille resurrexit

A de sepulcro. De qua dormitione ipse per prophetam dicit: « Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi (*Psal.* III). »

« Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscita« verunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. » Non ut aliquid in resurrectione eum juvare possent, qui se propria virtute resuscitavit, sed quasi ipsi eum suscitaverunt, qui de ejus resurrectione ex parte dubitaverunt, recte dicitur:

« Et dixit eis: Modicæ fidei, quare dubitastis? » Modicæ fidei est, qui ex parte credit, et ex parte non credit. Nam qui ex toto dubitat, infidelis est. Modicæ ergo fidei appellati sunt apostoli, quia in ejus resurrectione ex parte dubitaverunt, teste Matthæo, qui ait: « Undecim discipuli abierunt in

B Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus, et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt (*Matth.* XXVIII). » Unde merito juxta Marcum evangelistam novissime increpatur illorum incredulitas, et duritia cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. De hac modicitate fidei arguebantur illi, qui a Domino audierant: « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ (*Luc.* XXIV). » — « Tunc surgens « imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas « magna. » Surgens enim Dominus, ventis et mari imperavit, quando suam resurrectionem manifestans discipulis et eorum mentibus dubitationem quiescere fecit, et frementis Judæorum populi sævitiam compressit, impleta prophetia quæ dicit: « Terra tremuit et quievit, cum resurgeret in judicio Deus, ut

C salvos faceret omnes mansuetos terræ (*Psal.* LXXV). »

« Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est « hic, quia venti et mare obediunt ei? » Non hoc apostoli dixisse putandi sunt, sed nautæ et cæteri qui erant in navi. Sed si quis contentiose hoc apostolos dixisse defendat, noverit eos homines esse appellatos, quia adhuc humana sapiebant. Nam si quis divinitatis naturam consideret, non est hoc mirum, si ventis et mari potuit imperare, qui cuncta ex nihilo potuit creare. Ipse enim erat in navi, qui in principio terminum constituit maris, dicens: « Hucusque venies, et non procedes amplius et hic confringes tumentes fluctus tuos (*Job.* XXXVIII). » Possumus quoque et hanc Domini navigationem ad generalem Ecclesiæ referre persecutionem, quoniam

D navis aliquando Ecclesia designatur, sicut per prophetam dicitur: « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo (*Psal.* CVI). » Qui ergo pelagus mundi transire desiderat, hujus navis gremium necesse ascendat, id est, Ecclesiæ membris se fide et opere societ. Quasi enim Dominus navem ascendit, quando prædicantibus discipulis ad Ecclesiam venit. « Sed motus magnus factus est in mari. » Quia persecutio paganorum, instigante diabolo, contra Ecclesiam consurrexit, in tantum « ut navicula operiretur fluctibus. » Videlicet, ut crescente persecutione, Ecclesia in paucis fidelibus

vix latere posset: nec auderet publice nomen Chisti confiteri, nisi qui paratus esset illico pro Christo mori : quod factum historiæ referunt temporibus Diocletiani et Maximiani, et aliorum qui Ecclesiam non mediocriter persecuti sunt. « Ipse vero dormiebat, » quia virtutis suæ potentiam non ostendebat. Quasi enim dormiebat in navi, quando contra pios reprobos prævalere permittebat, ut electi de patientia sublimius coronarentur, et reprobi de crudelitate acrius damnarentur. » Et accesserunt, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus. » Quando fideles et ecclesiastici viri, intelligentes se illam persecutionis procellam sua virtute nec tolerare nec superare posse, totis desideriis ad eum confugerunt, qui ait in Evangelio: « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XVI), dicentes illi cum Propheta (*Psal.* XLIII) : « Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem. » Et illud: « Exsurge, Domine, adjuva nos et libera nos propter nomen tuum. » — « Tunc surgens imperavit ventis et mari. » Surgens enim Dominus, ventis et mari imperavit, quando persecutiones paganorum a diabolo excitatas quiescere fecit, nonnullos eorum ad suam fidem convertens, aliquos in incredulitate perseverantes corporaliter puniens. « Et facta est tranquillitas » Ecclesiæ, in tantum ut ipsi imperatores, reges et principes jugo Christianæ fidei colla submitterent, et ipsos postmodum honorarent in quorum persecutionem prius exarserant, et in tantum, ut homines mirarentur, dicentes : « Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei? » Sed quod generaliter ad universalem Ecclesiam diximus pertinere, potest moraliter ad unamquamque animam justi viri referri. Qui enim abrenuntians impietatem et sæcularia desideria, membra sua crucifigit cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V), quasi cum Domino navem ascendens, mare hujus sæculi transire desiderat. Sed statim motus magnus consurgit in mari, quia procella tentationis ex invidia diaboli orta, mentem viri justi a bono proposito commovere optat, aliquando pravorum persecutionibus exterius, aliquando impulsu malarum cogitationum interius, nonnunquam etiam ex propria fragilitate carnis, stimulis ortis tentationum. Discipulis ergo cum Domino navem ascendentibus, fit commotio magna in mari: quia quanto magis quisque in Deum proficit, tanto magis invenit in sæculo, quod durius portet, exemplo Israelitarum, qui tunc a Pharaone duplici vexati sunt afflictione, cum eos a Moyse monitos ad divinum contigit auxilium confugisse, quando per Moysen et Aaron ad terram repromissionis sunt vocati. Quod Dominus etiam suo exemplo ostendit, quando post jejunium diaboli tentationes pertulit. Sæpe enim post conversionem nos diabolus acrius tentat, quos a sua servitute recedere dolet. Sed ille qui non dormit, neque dormitat, custodiens Israel, quasi dormit in navi, cum mentem viri justi inter procellas tentationum durius permittit fatigari: cumque sentit non solum diaboli tentationes, sed nec propriæ carnis stimulos sua virtute superare se posse, accedit et suscitat Dominum, cum per mentis devotionem illi appropinquans, et suam fragilitatem humiliter recognoscit, et divinam potentiam devotissime deprecatur. Si autem senserit sua desideria a Domino differri, tandiu jungit preces precibus, quoadusque assiduis gemitibus in sui adjutorium divinum excitet auxilium. Unde bene subjungitur : « Tunc surgens imperavit ventis et mari. » Surgens Dominus, ventis et mari imperat, quando tumultus malarum cogitationum in anima fideli conquiescere facit. Fit autem tranquillitas magna, quia, expulsis malarum cogitationum radicibus, virtutes animæ, quas prius cum formidine observabat, velut naturaliter ex bona consuetudine incipit custodire, gaudens cum propheta, et cantans: « Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei (*Psal.* CXVIII). » — « Ascendente Jesu in naviculam. » Solet enim in Scripturis sacris una eademque res duplicem vel triplicem habere significantiam, utpote navis, quæ aliquando vexillum crucis, aliquando uterum intemeratæ virginis, aliquando sanctam Ecclesiam significat. Sanctam Ecclesiam, ut est illud : « Ascendente Jesu in naviculam (*Matth.* VIII). » Et, « Sedens docebat de navicula turbas (*Luc.* V). » Uterum intemeratæ virginis, sicut alibi legitur : « Ascendens Jesus in navem, transfretavit et venit in civitatem suam (*Matth.* IX). » Vexillum sanctæ crucis, sicut in hoc loco : « Ascendente Jesu in naviculam (*Matth.* VIII). » In unoquoque eodemque miraculo utraque Domini natura, divina scilicet et humana, nobis commendatur. Quasi enim homo navem ascendit, sed quasi Deus mare conturbavit : quasi homo in nave dormivit, sed quasi Deus ventis et mari imperavit, et quiescere fecit. Ut quid autem mare transnavigaturus, navem ascendere voluit? Nunquid non supra mare transire poterat, qui Petro præstitit super undas maris ambulare? Aut non poterat suis coram vestigiis mare siccare, qui coram filiis Israel, dudum ex Ægypto egredientibus, mare Rubrum siccaverat, et sicco vestigio eos transire fecerat? Poterat utique, sed ideo ministerium navis assumpsit, nimirum ut omnia quæ sunt hominis faciens, se verum hominem esse ostenderet. Postquam enim mirabiliter miracula in terris nostris fecit, ad mare transit, ut ingens ibi miraculum faceret, et Filium Dei se esse demonstraret, qui facit prodigia magna, et mare et flumina producit. Qui educit ventos de thesauris suis. Ipse est enim qui fecit mare et aridam, qui imposuit terminum mari, dicens : « Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos (*Job.* XXXVIII). Typice autem per hanc naviculam, ut diximus, vexillum crucis accipitur. Navis quippe concavum est lignum, ad onera super aquas deportanda utilissimum, maxime illis in locis, ubi vada non reperiuntur, necessarium. Dominus autem fluctus marinos transnavigaturus, navem ascendit, quia, calcatis hujus sæculi fluctibus, passurus crucem erat

ascensurus. Dignum quippe erat, ut quia primus homo per lignum vetitum inobediendo mortem repererat, per lignum sanctæ crucis Deo obediente vitam reciperet. « Secuti sunt autem eum discipuli ejus. » Quia sicut ipse pro redemptione generis humani pati, crucifigi et mori dignatus est, sic et discipuli ejus pro nomine illius sibique ovibus commissis, multa tormenta pati non distulerunt. Nam et Petrus et Andræas uterque crucifixus extitit. Paulus vero decollatus, cæteri quoque varia perpessi sunt tormenta. Sive cum secuti sunt, quia bonis operibus insistendo, ejus vestigia sunt imitati. Sequi enim Dominum, imitari est, sicut ipse dicit : « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). » Et iterum : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum (*Luc.* IX), » et reliqua. Unde et in lege præcipitur : « Post Dominum Deum tuum ambulabis. (*Deut.* X). » Hinc et in Canticis canticorum, voce Ecclesiæ sponso dicitur : « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I). » — « Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. » Si enim per navem, quam Dominus ascendit, vexillum crucis accipitur, nihilominus et in hoc loco per mare populus Judæorum, qui magna seditione concutitur. Turbati enim sunt Judæi, et discipuli ejus fugati. Numquid non mare fluctuabat, quando, Pilato dicente (*Joan.* XIX), « Nullam causam mortis invenio in eum ; » populus acclamabat, dicens: « Tolle, tolle, crucifige eum, » et : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris? » Fluctuabat mare, quando alii dicebant : « Nisi hic homo malefactor esset, nequaquam tibi eum tradidissemus (*Joan.* XVIII), » et alii dolentes aiebant : » Vere Dei Filius erat iste (*Marc.* XV). » — « Ipse vero dormiebat. » Dormitio Christi mortem significat. Tunc enim obdormivit, quando pendens in cruce dixit : « Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum (*Joan.* XIX). » Recte enim mors Christi somno comparatur, quia nemo tam facile a somno surgit, quam velociter Christus a morte surrexit. Quia excitatus est tanquam dormiens Dominus, ut ait Psalmista (*Psal.* LXXVII), et tanquam potens crapulatus a vino. Qui etiam per eumdem dicit : « Ego dormivi et somnum cepi, et surrexi (*Psal.* III). » Et iterum : « In pace in idipsum dormiam et requiescam (*Psal.* IV). » Dormitio ergo Dommini non ad Divinitatem, sed ad humanitatem pertinet. Quia dormit per humanitatem, qui nunquam dormivit per Divinitatem, Psalmista testante, qui ait : « Non dormiet neque dormitabit, qui custodit Israel (*Psal.* CXX). » — « Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus. » Accedentes discipuli Dominum suscitaverunt, qui intellexerunt sævitiam Judæorum se non posse superare, nisi ejus resurrectione (quam citissime fieri optaverunt) fuissent confirmati et lætificati. Vel, accesserunt ad eum suscitandum, quia in ejus omnipotentia confisi, mente et desiderio ei adhæserunt, juxta illud Psalmistæ : « Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur (*Psal.* LIII). » Vel, ad eum accesserunt, quia toto nisu mentis ejus resurrectionem fieri optaverunt, quod Lucas Evangelista manifestat cum dicit : « Gavisi sunt discipuli viso Domino (*Luc.* XXIV). » — « Et dicit eis : Quid timidi estis, modicæ fidei ? » Qui non credit infidelis dicitur : qui perfecte credit, magnæ fidei nominatur. Qui autem ex parte credit, magnæ fidei nominatur. Qui autem fidei appellatur. Discipuli ergo modicæ fidei fuerunt quando Omnipotentem præsentem dubitaverunt : et cum Creator præsens esset, creaturam timuerunt. Non solum autem hic, verumetiam aliis in locis de modicitate fidei redarguuntur. Nam in ipsa passione Domini modicam fidem habuerunt, qui dudum dicebant : « Eamus et nos, et moriamur cum illo (*Joan.* XI). » Videntes autem eum comprehendi, ligari, flagellari, relicto eo, fugerunt (*Matth.* XXVI). Petrus autem modicam fidem habuit, quia, cum prius Domino dixisset (*Ibid.*) : « Si oportuerit me mori tecum, non te negabo, » etiam ad vocem unius ancillæ eum negavit. Nec tantum in passione, sed etiam in resurrectione modicam fidem habuisse comprobantur, quia eum resurrecturum dubitabant. Unde cum post resurrectionem ejus in conclavi, id est, in domo clausa sedentibus apparuisset, conturbati et exterriti æstimabant se spiritum videre. Ad quorum fidem confirmandam, ostendit eis manus et pedes, dicens (*Luc.* XXIV) : « Videte manus meas et pedes, quia ipse ego sum. » Et iterum : « Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Nec ab hac fidei modicitate Thomas alienus exstitit, qui discipulis narrantibus, « Vidimus Dominum, si non credidit, dicens : « Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. » Ad cujus fidem constipulandam sese palpabilem præbuit, dicens : « Infer digitum tuum huc in locum clavorum, et affer manum tuam in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis (*Joan.* XX). » — « Tunc surgens imperavit ventis et mari, » scilicet quando tertia die resurgens, non solum corda discipulorum confirmavit et lætificavit, sed etiam sævitiam ac seditionem Judæorum conquiescere fecit, et eorum lætitiam in tristitiam convertit : in tantum ut militibus sepulcrum Domini custodientibus, et ejus resurrectionem narrantibus, pecuniam spopondissent, dicentes : « Dicite quia venerunt discipuli ejus nocte, et furati sunt corpus ejus (*Matth.* XVIII). » — « Et facta est tranquilitas magna. » Quia pars eorum qui in nece Domini consenserant, per prædicationem apostolorum ad fidem Christi conversa est, sicut Petro prædicante una die tria millia, alia vero quinque millia crediderunt. « Porro homines mirati sunt, dicentes : Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei ? » Non hoc apostoli dixerunt, sed nautæ qui erant cum Domino in navi. Nam apostoli jam dicere noverant, quia hic est Christus Filius Dei vivi. Cæteri vero qui humanitatem Domini tantum videbant, et Divinitatem non intelligebant, non interrogando, sed

admirando dixerunt : « Qualis, » et reliqua. Unde A bene homines dicuntur, quia humana sapiebant, ac si dixissent: Iste major est patribus nostris, qui cum Moyses baculo aquas maris diviserit, et Elias pallio aquas Jordanis; hic solo verbo maria et tempestates quiescere facit. Sed hæc lectio, quamvis specialiter ad apostolos videatur pertinere, possumus tamen eam ad universalem Ecclesiam referre. Nam postquam Christus per trophæum sanctæ crucis mortem devincens cœlestia petiit, quasi mare fluctuavit: quia quanto magis Ecclesia fide electorum crevit, et numerus credentium multiplicatus est, eo amplius majorem persecutionem pravorum, et duriorem perfidiam hæreticorum in seipso consurrexisse senserunt. Ipse vero, quia tam validam persecutionem contra electos sævire permittebat, postquam sanB ctorum precibus est excitatus, surgens imperavit ventis et mari : quoniam ipsam persecutionem et perfidiam quiescere fecit, et pacem ac quietem sibi electis concessit. Facta est autem tranquillitas magna, quia postquam principes et potentes per eorum prædicationem ad fidem Christi venerunt, tanta requies Ecclesiæ data est, ut etiam ipsi, qui eam destruxerant, propriis manibus reædificarent. Et quamvis mare fluctuaret, et procella excresceret, non est mersa navis, in qua Dominus dormiebat; quia etsi Ecclesia potuit adversis persecutionibus conturbari, non tamen a fide rectitudinis, Domino gubernante, recedere. Fundata enim erat supra firmam petram, de qua Apostolus ait : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* x). » Quod autem in apostolis et in universa Ecclesia impletum est, solet C moraliter fieri in quolibet viro sancto. Qui enim crucifigit membra sua cum vitiis et concupiscentiis, et cui crucifixus est mundus et ipse mundo, Christum in se habitatorem habet. Jesus autem nave ascendit, cum mentem viri sancti inhabitat, quia, sicut sapientissimus Salomon ait, Anima justi sedes est sapientiæ. Cum enim is a vitiis et peccatis se subtrahere voluerit, ut soli Deo vacare, id est, intendere possit, tentationes diaboli contra se insurgere sentit, et ejus persuasiones mentem suam contraire: et quo magis Deo appropinquare voluerit, eo amplius invenit quod durius portet. Qui enim pie in Christo volunt vivere, persecutiones patiuntur (*II Tim.* III), in exemplo videlicet Israelitarum, qui tunc durius sunt afflicti a Pharaone, quando per Moysen D et Aaron ad terram repromissionis sunt vocati. Unde nos quidam sapiens, Salomon scilicet, admonet, dicens: « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II). » Jesus autem dormit, quando delectationes carnis, et persuasiones diaboli contra mentem viri sancti insurgere permittit. Sed cum ipse vir intelligit se eadem testamenta sua virtute superare non posse, ad omnipotentiam Dei recurrit. Unde et subditur : « Et accesserunt, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus. » Quia totis viribus mentis misericordiam Dei implorare non cessat, dicens cum Psalmista (*Psal.* XLIII): « Exsurge, quare obdormis, Domine? » Et iterum. « Exsurge, Domine, adjuva nos, » et reliqua. « Et surgens imperavit ventis et mari, » quando testamenta diaboli contra mentem viri sancti insurgentia conquiescere facit, et cum sibi libere servire permittit. Fit autem tranquillitas magna, quia ea quæ prius habuit, non sine formidine observabit postmodum, sicut naturaliter per bonam consuetudinem custodire incepit, dicens cum Psalmista : « Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei (*Psal.* CXVIII). » Sicque transnavigato mari, et hujus sæculi fluctibus calcatis, ad portum feliciter pervenit. De talibus per prophetam dicitur : « Qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo (*Psal.* CVI). » Ad mare descendunt, id est, in hoc sæculum : in navibus, scilicet in animabus : facientes operationem, scilicet bonam, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis confringentes, et ad cœlestia suspirantes : in aquis multis, scilicet in populo multo, inter quos manentes, in omnibus se provident, ne in aliquo maculentur. Sed sicut homo in navi per mare navigans non tangitur mari, sic justi in hoc sæculo, inter populum habitantes, eorum malignitatibus non adhærent.

HOMILIA XIX.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

(MATTH. XX.) « In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, » et reliqua.

Regnum cœlorum vel regnum Dei in Evangelio cum legitur, non semper unam eamdemque habet significationem, sed aliquando Dominum Jesum Christum, aliquando Scripturam sacram, aliquando cœlestem patriam, aliquando præsentem significat Ecclesiam. Dominum Jesum Christum significat, sicut ipse dicit : « Regnum Dei intra vos est (*Luc.* XVII). » Scripturam sacram, veluti Judæis non credentibus dicitur : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). » Cœlestem patriam, ut est illud : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » Præsentem Ecclesiam, sicut alibi ait : « Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum (*Matth.* XIX). » Ergo regnum cœlorum in hoc loco præsentem significat Ecclesiam, quod simile dicitur patrifamilias, ut per rem cognitam, incognitam credere discamus : et per visibilia ad invisibilia mens nostra rapiatur. Nam quia parabola est, quid paterfamilias, et ejus vinea, et operarii, remuneratioque eorum allegorice significent, attendamus. Paterfamilias autem iste figuram Dei tenet omnipotentis, qui similis patrifamilias dicitur : quia, sicut paterfamilias subjectos in domo, sic Deus omnipotens homines ordinat

regit atque disponit in mundo. Hujus ergo patrisfamilias vinea, sancta est Ecclesia, quæ ab initio mundi usque ad finem sæculi, quot sanctos profert, quasi tot palmites generat. Hæc vinea primum in populo Judæorum fuit plantata, sed post Domini incarnationem usque ad fines terræ est dilatata, sicut per Psalmistam dicitur: « Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu ejus, et plantasti radices ejus, et implevit terram. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei. Extendit palmites suos usque ad mare et usque ad flumen propagines ejus (*Psal.* LXXIX). » Hæc est enim illa vinea, de qua in Canticis canticorum voce Sponsi dicitur: « Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt (*Cant.* VII). » Et item: B « Vinea facta est pacifico in ea quæ habet populos. Tradidit eam custodibus, vir aufert pro fructibus ejus mille argenteos (*Cant.* VIII). » De qua etiam vinea per Isaiam dicitur: « Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ: Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam. Et torcular exstruxit in medio ejus, et maceria circumdedit eam. Et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas (*Isa.* V). » Quæ autem sit ipsa vinea, idem propheta subdendo manifestans ait: « Vinea enim Domini sabaoth domus Israel est, et viri Juda germen delectabile (*Ibid.*) » In hac autem vinea tanto quisque fidelius laborat, quanto firmius Deum credit, et ejus mandata sollicitius custodit, terrena deserens et cœlestia anhelans. Et tanto in ea laborans uberiores fructus reddit, quanto non sua, sed aliena lucra quærit. Qui enim quæ sua sunt quærit, non quæ Jesu Christi, non laborat in vinea Christi. Ad hanc ergo vineam excolendam paterfamilias primo mane exiit: quia ab initio sæculi Deus omnipotens sanctos viros mittere non destitit, qui non solum bene vivendo hanc vineam excoluerunt, sed etiam bene docendo, in ejus culturam plurimos vocaverunt. Quod autem mercedem recepturi sint, qui in hac vinea, id est, in Ecclesia fideliter laborant, manifestatur cum subditur:

« Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. » Per denarium qui laborantibus in vinea promittitur, vitæ æternæ remuneratio figuratur. Et apte satis: nam in denario imago regis exprimitur, homo autem ad imaginem et similitudinem Dei factus est, ipso Domino dicente: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* II). » Sed hanc imaginem tunc violavit, quando peccavit. Conventionem ergo cum operariis paterfamilias ex denario diurno facit, quia illam gloriam bene operantibus promittit post laborem, quam primus homo, si non peccasset, habiturus fuerat sine labore. Sed quia post peccatum humana conditio in præsenti sæculo diu permanere non potest, electis per successionem succedentibus, per varia tempora operarios

A in culturam vineæ vocavit. Unde et subditur:

« Et egressus circa horam tertiam, invenit alios « stantes in foro otiosos, et illis dixit: Ite et vos in « vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. « Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sex- « tam et nonam horam, et fecit similiter. Circa un- « decimam vero exiit, et invenit alios stantes, et « dixit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt « ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et « vos in vineam meam. » Varietas horarum quibus operarii in vineæ culturam mittuntur, varia significat tempora, in quibus sancti operarii, utique fideles, ad spiritualem vineam excolendam missi sunt: Mane quippe mundi fuit ab Adam usque ad Noe. Tertia, a Noe usque ad Abraham. Sexta, ab Abraham usque ad Moysen. Nona, a Moyse usque ad adventum Domini. Undecima, ab adventu Domini usque ad finem sæculi. Ut autem ex multis paucos referamus, aliquos sub exemplo ponamus. Operarii ergo primo mane, id est prima hora diei fuerunt Abel et Enoch, et cæteri alii, qui in illa ætate Deo placuerunt. Tertia hora, operarius fuit Abraham, Isaac et Jacob, et duodecim patriarchæ. Nona hora, operariorum numerus crescere cœpit, quando missus est Moyses et Aaron, Josue, Samuel, David, Isaias, Jeremias et plures alii. Undecima vero hora, operarii ad excolendam vineam, id est Ecclesiam, missi sunt sancti apostoli, qui tanto studiosius atque diligentius hanc vineam coluerunt, quanto perfectius ab ipsa veritate instructi fuerunt. Unde unus eorum loquebatur, dicens: « Nos sumus, in quos fines sæ- C culorum devenerunt (*I Cor.* X). » Si autem hanc similitudinem ad utrumque populum, Judæorum scilicet et gentium, referamus, operarius horæ primæ, tertiæ, sextæ et nonæ, Judæorum populus in antiquis suis patribus fuit, et velut spiritualis una in electis suis floruit. Ad undecimam vero gentiles vocati sunt, quia post ascensionem Domini prædicantibus apostolis crediderunt, de quibus dicitur: « Quid hic statis tota die otiosi? » Tota die quippe otiosi stabant, qui ab ipso mundi primordio usque ad Domini incarnationem, a cultura Dei alieni permanebant. Nullus enim ad eorum eruditionem patriarcha, nullus propheta missus fuerat, unde excusantes dicunt: « Quia nemo nos conduxit. » Quid est dicere: Nemo nos conduxit, nisi quia nemo ad D culturam spiritualis vineæ nos vocavit? In quibus verbis nos nostras conscientias commovere debemus, et considerare diligentius quid in nostra excusatione in die judicii dicturi sumus, si a bono opere torpentes inventi fuerimus, qui, ex Christianis parentibus nati, et pene ab ipsis cunabulis verbum vitæ accepimus, et cum lacte carnis lacte Scripturarum nutriti sumus. Tanto ergo sollicitiores esse debemus in bono opere, quanto minus ignorantiam prætendere in nostra excusatione poterimus, scilicet quando inexcusabiles erimus, de vocatione atque Dei cognitione metuentes: quia non pari modo coarctantur, qui scienter et ignoranter

A peccant, sicut Dominus ait in Evangelio : « Servus qui nescit voluntatem domini sui,et non facit digne, plagis vapulabit paucis : sciens autem, et non faciens digne, plagis vapulabit multis (*Luc.* XII). » Moraliter autem possumus has varietates horarum ad nostræ ætatis momenta referre. Mane quippe, hominis pueritia est : tertia,adolescentia.Quia sicut sol hora tertia ad superiora ascendens, radios suæ claritatis aperire incipit, ita in adolescentia calor naturalis sanguinis crescit.Hora sexta juventus est: quia sicut sol hora sexta in medio cœli positus,non solum spendidiores, sed etiam ferventiores radios emittit, ita juventus habilis, prompta, apta atque robusta ab bonum opus faciendum invenitur. Nona vero hora, senectus est : quia sicut sol hora nona inclinare incipit ad occasum, ita in senectute non solum calor sanguinis, sed etiam naturalis et genuina virtus hominis deficit. Undecima quoque hora, ea ætas est, quæ in nostra lingua decrepita vocatur, ut senectutem transcendisse intelligatur. Unde Græci,valde seniores non πρεσύτας, sed γέροντας, appellant, ut plusquam senes eos esse intelligant,quos tali vocabulo nuncupant. Diversis ergo horis operarii in vineam mittuntur,quia in diversis ætatibus homines per divinam gratiam ad bona operandum vocantur. Qui enim ab ipsa pueritia devota mente Deo serviunt, quasi primo mane in vineam conducuntur.Sunt vero alii, qui dum in adolescentia ad Dei servitutem convertuntur, quasi hora tertia ad culturam vineæ vocantur. Alii autem in adolescentia carnaliter viventes,si in juventute ad Dominum conversi, torporem et desidiam a se excutientes, mores suos deserentes, bona opera servent,quasi sexta hora ad vineam mittuntur.Si autem aliquis in pueritia et adolescentia et juventute a bono opere torpuit, necesse est ut in senectute quasi hora nona, ad Dei servitutem convertatur, et pudeat eum fuisse otiosum in servitio Dei, cum non multum laboraturus est, considerans quod ait Apostolus : « Nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit (*Rom.* II) ?» cavens et hoc quod subdit : « Propter duritiam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ (*Ibid.*). » Si quis vero ita negligens et desidiosus fuerit,ut etiam in senectute a bono opere torpeat,saltem in decrepita ætate jam resipiscat,et a laqueis diaboli,quo captivus tenebatur, ad eum convertendo se abstrahat et præterita mala fletibus diluat et, prout potest,bonis operibus invigilet. Quia si hora undecima convertatur,et tunc non metuat laborem suscipere,quando pro Deo parum potuerit laborare : et sicut censuram metuit districti judicis, sic in illius pietate confidat,qui non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Piissimus et misericordissimus Deus,etiam in senectute conversos non respuit,nec contemnit,sed benignissima pietate suscipit et amplectitur.Non enim mentitus est ille qui ait : « Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII). » Et iterum(*Ibid.*) :» Peccator quacunque die conversus fuerit et ingemuerit,omnia peccata ejus in oblivionem tradentur.» Sed quoniam calliditas antiqui hostis in hac parte tepidos decipere solet Christianos, ut quibus suadet culpam,longam promittat vitam, quasi in senectute vel decrepita ætate pœnitendo diluant, quod in adolescentia vel in juventute commiserunt,necesse est tamen,ut quia horam nostræ vocationis ignoramus, omni tempore in bono opere simus parati, et huic deceptioni opponenda est varietas humanæ conditionis. Et quia ignoramus quis ex nobis in pueritia, quis in adolescentia, quis in juventute,quis in senectute,et quis in decrepita ætate ab hac vita vocandus sit, sicut omnibus incertus est exitus, sic certus debet esse in bono opere animus,propter id quod Dominus ait: B « Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominus veniet (*Luc.* XII ; *Matth.* XXIV). » Nam sicut variis horis operarii (ut diximus) in vineam mittuntur,sic diversis ætatibus homines ab hac vita vocantur.Alii quidem primo mane, id est in pueritia : alii hora tertia, id est in adolescentia : alii sexta, id est in juventute :alii nona, id est in senectute : atque alii in undecima, id est in decrepita ætate, quæ veterana dicitur. Et quia incerta est omnibus in his ætatibus hora vocationis suæ, paratus unusquisque debet esse in bona operatione, ne forte si quando potest,non vult bonum operari, tunc incipiat velle, quando non erit posse. Unde pius Dominus nos admonet,dicens : «Currite dum lucem vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant (*Joan.* XII). » Et Salomon : « Quod- C cunque potest manus tua facere, instanter operare (*Eccli.* XVIII). » Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia,nec scientia erunt apud inferos. Et iterum : « Ne tardes converti ad Deum,neque differas de die in diem,quia subito veniet ira Dei, et in novissimo disperdet te (*Eccli.* V). » Et Isaias : « Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate cum dum prope est (*Isa.* LV). » Multum enim juvat ad vincendam delectationem peccati recordatio mortis,sicut per quemdam sapientem,scilicet Salomonem, dicitur :« In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (*Eccli.* VII).»

« Cum sero autem factum esset, dicit Dominus « vineæ procuratori suo : Voca operarios et redde « illis mercedem. »Sero est finis diei,juxta superio- D rem intelligentiam.Sero in hoc loco,tempus Dominicæ incarnationis significat,sicut per Paulum dicitur : « Nos sumus in quo fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X). » Et sicut Joannes ait : « Filioli, novissima hora est (*I Joan.* II). » Sicut autem paterfamilias Deus omnipotens intelligitur,et ejus vinea sancta Ecclesia, sic procurator Dominus Jesus Christus, qui ait in Evangelio :« Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola, et vos palmites (*Joan.* XV).» Ad reddendam ergo mercedem operariis paterfamilias procuratorem vocat,quia Deus omnipotens per Filium nos creavit, per Filium nos redemit,per ipsum nos remuneraturus est,sicut ipse Filius dicit:

« Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v). » Quantum autem divitias bonitatis suæ in nobis, qui post ejus incarnationem credimus, fecerit abundare manifestatur, cum dicitur : « Incipiens a novissimis usque ad primos. » Hoc est, ab operariis horæ undecimæ, usque ad operarios horæ primæ.

« Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. » In quibus verbis quantum nobis incarnatio Domini prosit, qui post ejus resurrectionem credidimus, manifestatur. Non solum enim eumdem denarium acceperunt qui novissimi venerunt quod primis promissum fuerat, sed etiam ante acceperunt quam illi. Quoniam sancti Patres qui adventum Domini præcesserunt, licet juste et pie viverent, non statim a carne soluti januam regni cœlestis intraverunt, sed infernalibus tenebantur locis, quanquam non in pœnalibus, teste beato Jacobo, qui ait : «Deducetis canos meos cum dolore ad inferos (*Gen.* XLII), » Et iterum :« Descendam lugens filium meum in infernum (*Gen.* XXXVII). » Hinc et per beatum Job (*cap.* XXX) dicitur : Scio, Domine, quia morti me traditurus es, ubi constituta est omnis domus viventium. Et, si in infernum descendero, inde me liberabis. Nobis autem, qui post Domini incarnationem credidimus, magno munere donatum est, ut si perfecte vivamus, absque ulla dilatione carne soluti, vitam æternam percipiamus. Et hoc est denarium accepisse primos, qui venerunt novissimi.

« Venientes autem et primi arbitrati sunt quod « plus essent accepturi. Acceperunt autem et ipsi « singulos denarios, et accipientes, murmurabant « adversus patrem familias, dicentes : Hi novissimi « una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui « portavimus pondus diei et æstus. » Quia ergo supra denarium remunerationem vitæ æternæ diximus significari, quæritur quare isti denarium accepisse et murmurasse dicantur, cum regnum Dei nullus murmurans accipiat, nullus qui acceperit postea murmurare possit ? Sed ad hoc dicendum est, quia murmuratio in hoc loco non malitiosam intentionem contra Deum sonat, sed piam querelam sanctorum ad Deum significat. Quia enim antiquos patres diu in præsenti vita contigit vivere, necesse fuerit ponderi diei et æstui in carnis passionibus diu subjacere. Quasi ergo illorum actiones murmurasse fuit, quando eos, qui post Domini incarnationem crediderunt, post brevem tribulationem remunerationem percipere videntur, quam illi cum longa tribulatione exspectaverunt. Quod ut facilius intelligatur, ex multis unum ad medium deducere visum est, videlicet Abraham patriarcham. Quasi enim illius actionem murmurasse fuit, quando (*Matth.* XXVII) latronem ab ipsis mortis faucibus per divinam gratiam liberatum, ante paradisum quam se intrare vidit. Annon latro undecima hora venit, qui Christum in cruce confessus est, et tamen ante denarii remunerationem accepit, quam Abraham, qui hora tertia vocatus pro ipsa tribulatione diu pondus diei et æstus toleravit ? In cruce enim latro Christum confessus est, sed de cruce paradisum ascendit, dicente Domino : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIX). » Possumus etiam et ita intelligere, quemadmodum nunc Christiani ante cœlum ascendant, quam fecissent illi, qui ante adventum Domini fuerunt : quia illi postquam egressi erant de corpore, per longum tempus in inferno stabant : Isti autem sine mora, postquam egrediuntur de corpore, si justi sunt, in cœlum ascendunt, et hoc est ante ascendere post egressionem Christianorum de corpore, quam illi ascendissent post egressionem ab illorum corpore. Et quia vita æterna nulli per debitum redditur, sed per gratuitam misericordiam datur, recte paterfamilias vocans unum eorum, ait :

« Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario « diurno convenisti mecum ? Tolle quod tuum est, et « vade. » Quod ad Judæorum et gentium populum pertinere, ut diximus, manifestum est. Nam multi Judæorum, qui post Domini ascensionem crediderunt, nolebant gentiles ad suam societatem vel æqualitatem admittere, sed proselytornm loco eos habendos judicabant, dicentes indignum esse ut gentes post idolorum culturam eis coæquarentur, quorum patribus Deus locutus fuerat (*Exod.* XVI), et multa mirabilia ostenderat, et quibus legem dederat, et ex quibus carnem assumpserat. Et hoc est quod illi, qui priores in vineam venerant, murmurantes contra novissimos, dicebant : Hi novissimi una hora fecerunt, etc. Sed quia Dominus Jesus Christus sinum misericordiæ suæ usque ad colligendas gentes extendit, recte uni eorum dicitur : Amice, non facio tibi injuriam, etc. At vero, ille (*Rom.* VI) qui non est personarum acceptor, sed in omni gente qui operatur justitiam, acceptus est illi, recte dicit : « Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. » Nam per ejus gratiam, qui (*Matth.* IX) non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, non solum Judæis gentiles æquati sunt, sed etiam promptiores ad credendum inventi sunt.

« An non licet mihi quod volo facere ? An oculus « tuus nequam est, quia ego bonus sum ? » Unde Apostolus querelas hominum contra Deum compescens, ait : « O homo, tu quis es qui respondeas Deo ? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit. Quare me fecisti sic ? Aut non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud vero in contumeliam (*Rom.* IX)? » Habet utique : Deus enim nulla necessitate constrictus, sed sola bonitate quibus vult vitam tribuit, Unde et subditur:

« Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. » Primi enim quondam Judæi fuerunt, quando olim Deo cœli crediderunt, et secundum legem vixerunt. Novissimi autem (*Deut.* XXVIII) gentiles erant, propter incredulitatem extranei a cognitione Dei et testamento legis. Sed Domino veniente, qui videbantur esse primi, non credendo facti sunt novissimi, et illi qui novissimi erant, in credendo facti sunt

primi; et qui erant capite, facti sunt in cauda; et qui erant in cauda, facti sunt in capite, juxta illud quod Dominus ait: « In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant (*Joan.* IX). » Unde rara Judæorum fides reprobatur, cum adhuc subjungitur: « Multi enim « sunt vocati, pauci vero electi. » Quod specialiter ad Judæorum populum pertinet, ex quibus multi vocati, sed qui Domino crederent, pauci sunt inventi. Nam de gentium vocatione alibi dicitur: « Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII). » Quia ergo horarum varietates, quibus operarii in vineam vocantur, ad ætatum diversitates diximus pertinere, libet intueri, quemadmodum in Ecclesia fiat, quod in duobus populis factum esse commemoravimus. Ait enim evangelista: « Cum sero factum esset, et reliqua. » Sed qui in hac parabola duplicem intelligentiam sequimur, moraliter sero unicuique nostrum fit terminus vitæ præsentis, et licet nonnulli, antequam ad maturam ætatem perveniant, ab hac vita vocentur, si non habent sero per ætatem, habent tamen per exitum. Sero ergo operarii ad recipiendam mercedem vocantur, quia pro bonis operibus tunc electi remunerationem accipiunt, cum ab hac vita vocantur, teste Psalmista, qui ait: « Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini (*Psal.* CXXVI). » Dupliciter autem nos Deus vocat, in præsenti ad laborem, in futuro ad requiem. Unde necesse est, ut quicunque futuram desiderat remunerationem, in præsenti non refugiat laborem. Quia illi qui pro Deo fideliter suscipiunt laborem, fideliter pervenient ad remunerationem, quando audituri sunt: « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Et quia solet contingere, ut nonnulli tardius conversi, ab hac vita vocati, prius remunerationem accipiant, quam illi qui prius laborare cœperunt, recte voce patrisfamiliæ procuratori dicitur: « Incipiens a novissimis usque ad primos, etc. » Quorum actiones quasi murmurasse est contra tardius conversos, cum illos prius, quam se remunerari vident. Quod vero subditur: « Venien« tes autem et primi, acceperunt singulos denarios, et « accipientes, murmurabant adversus patremfami« lias, dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, et pa« res illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et « æstus. » Hoc namque solet contingere in Ecclesia, et maxime in monastico ordine. Pondus enim diei et æstus illi sustinent, qui ab ipsa pueritia in regularibus disciplinis nutriti, in vigiliis, in jejuniis, in labore manuum desudare coguntur. Sunt vero alii, qui usque ad senectutem vel decrepitam ætatem carnaliter in sæculo vivunt, sed circa finem vitæ conversi, post brevem tribulationem cito perveniunt ad remunerationem, et cum post brevem laborem vocantur ad requiem, quasi ad istorum acceptiones murmurant, qui pondus diei et æstus sustinent, cum illos vident remunerari, qui novissimi ad spiritualem militiam accesserunt, se autem in certamine reliqui. Sed non est murmurandum contra Dei bonitatem, quoniam in tali dilatione non minuitur præmium, sed augetur, quia electis justus judex Deus reddet unicuique secundum opera sua; et tanto majorem remunerationem accipient, quanto ejus exspectatione majorem laborem sustinent, Apostolo teste: « Unusquisque mercedem secundum suum laborem accipiet (*I Cor.* III), » unum enim accipient omnes denarium, quia unum omnibus electis præparatum est regnum, et tamen pro diversitate meritorum, diversa sunt præmia parata in regno cælorum, dicente Domino: « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). » Unde mentitus fuisse convincitur Jovinianus hæreticus, qui dixit nullam differentiam futuram esse inter justum simplicem et justum sapientem, inter virginem et corruptam, inter eum qui minoris fit meriti, et eum qui majoris; cui contradicit Apostolus, ostendens diversis meritis diversa præmia in resurrectione esse præparata, dicens: « Alia est enim claritas solis, alia est claritas lunæ, alia claritas stellarum. Et stella a stella differt in claritate, sic erit in resurrectione mortuorum (*I Cor.* XV). » Hinc et Daniel, cum de terræ pulvere multos consurrecturos prædiceret, ut ampliorem remunerationem ostenderet eos percepturos. qui et bene vivunt, et lucrandis animabus invigilant, dixit: « Qui autem docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan.* XII). » Quod enim nulli contra Dei justitiam sit murmurandum, sed de ejus bonitate omnibus gaudendum, manifestatur, cum subditur: « Amice, non facio tibi injuriam. « Nonne ex denario diurno convenisti mecum? Tolle « ergo quod tuum est et vade, » et cætera. Quasi enim injuriam Deus facere videretur, si quod ex debuo deberet, ex præmio non redderet; cum vero nullis per debitum, sed solummodo per gratuitam misericordiam, quibus vult, tribuit, nullus contra justitiam Dei murmurare potest, quoniam cui vult miseretur, et quem vult indurat, miseretur sola bonitate, indurat nulla iniquitate: quia etsi judicia ejus aliquando sunt occulta, non tamen injusta. Quod vero subditur: « Sic erunt novissimi primi, et primi « novissimi, » quotidie in Ecclesia fieri cernimus, quia nonnulli tardius ad Dominum conversi, per mentis fervorem et piam devotionem plures eorum antecedunt, qui tepide et negligenter vivunt. Quod autem finita similitudine dicitur: « Multi sunt vocati, « pauci vero electi, » magis timendum est quam exponendum. Omnes enim, quod vocati sumus, novimus, utrum vero electi, adhuc ignoramus. Multis enim modis nos vocat Deus, per fidem. per baptismum, per pœnitentiam, per prospera, per adversa, per somnia et revelationes. Sunt autem nonnulli, qui cum fide polleant et doctrinæ verbis luceant, tamen quia a bono opere torpent, ab electione Dei repro-

bantur, quia, ut ait Jacobus apostolus: « Fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). » De talibus Paulus apostolus ait: « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I). » Et Dominus in Evangelio: « Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII). » Tales namque in die judicii dicturi sunt: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et virtutes multas fecimus, et dæmonia ejecimus? Quibus respondetur: Amen dico vobis, non novi vos. Discedite a me, operarii iniquitatis. Tanto ergo solliciti esse debemus in bono opere, quanto inexcusabiles nos esse scimus de vocatione, ne tempore judicii, cum fatuis virginibus extra januam remanentes, audiamus: Nescio vos, sed cum prudentibus intra thalamum sponsi recipiamur.

HOMILIA XXII.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

(Luc. VIII.) « In illo tempore, cum turba plurima conveniret, et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat, seminare semen suum, et reliqua. » Prædicante Domino Jesu Christo Evangelium regni cœlestis, multæ turbæ eum sequebantur, sicut diversi corpore, ita diversi mente. Nonnulli propter amorem, nonnulli propter admirationem; quibus Dominus ita suum sermonem temperabat, ut in una eademque parabola, unusquisque suam sententiam audiret, et omnium infirmitati condescendens, suis sanctis sermonibus similitudines de rebus visibilibus adhibebat, ut per rem visibilem invisibili agnoscere discerent. Unde sicut Matthæus ait: « Loquebatur Jesus cum discipulis suis in parabolis, et sine parabolis non loquebatur eis. » Non tamen, ut quidam tradunt, ut aliquando non loqueretur sine parabolis, sed in illi prædicatione, quam Matthæus ibi describit, non aliter quam in parabolis loquebatur. Sicut enim quadripartito modo, ut diximus, eum sequebantur, ita quoque, ut quidam tradunt, quadripartito modo suum sermonem temperabat, loquens eis in parabolis et sine parabolis, per similitudines et dissimilitudines. Aliquando namque Dominus in suis locutionibus aliqua aperiebat, et aliqua claudebat, ut per hoc quod intelligimus non gloriemur, sed potius per ea quæ non intelligimus donum Dei existimemus. Unde cum multæ turbæ convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, hominis qui exiit seminare semen suum similitudinem proposuit. Nam per varietatem terrarum varia corda hominum in illa turba esse insinuavit; alios in quibus semen verbi Dei variis modis læsum periret; alios, in quibus fructum bonum per patientiam afferret. Ubi considerandum, quia hanc similitudinem ideo per semetipsum Dominus dignatus est exponere, ut nobis insinuaret, in aliis similitudinibus, quas non exposuit, sensus allegoricos esse quærendos. Ostendit enim quid sit ager, quid semen, quid terra bona significet, quid petrosa et quid spinosa. Sed unum est, quod nobis ad inquirendum reliquit, videlicet satorem, quem nullum melius quam ipsum Dominum Jesum Christum intelligere debemus, qui homo factus, semen verbi Dei in cordibus hominum seminavit, juxta quod ipse in alia parabola dicit: Qui seminat bonum semen est Filius hominis. Unde bene hanc similitudinem dicturus, juxta alios evangelistas, de domo exiisse, mare adiisse, navem ascendisse commemoratur, ipso situ corporis demonstrans quod ore promebat. Sicut enim prudens agricola post eradicationem veprium et spinarum, post excultum agrum aratri vomere, de domo egrediens, semen secum defert et in terram spargit, ut multiplicatum illud recipiat; ita Dominus Jesus Christus post excultum agrum, id est cor Judæorum, per patriarcharum et prophetarum prædicationem, de domo exiit, id est mundo visibilis apparuit: navem ascendit, quia in Ecclesia per fidem habitavit, et semen spirituale, id est verbum Dei, in cordibus auditorum seminavit: non quod ipse non haberet unde colligeret, sed ut nos in horreum Patris congregaret. Nam et hodie, cum prædicatores et doctores verbum Christi prædicant, quasi ipse Christus semen seminat: quia « nisi Dominus ædificaverit civitatem, in vanum laborant qui ædificant eam (*Psal.* CXXVI), » et nisi Dominus cor illustraverit auditorum, in vacuum laborat sermo doctorum. Unde Paulus suam prædicationem et discipulorum obedientiam nihil sibi reputans, dicebat: « Ego plantavi, Apollo rigavit. Deus autem incrementum dedit (*I Cor.* III). » Sed quia non omnes uno modo ejus prædicationem acceperunt, manifestatur, cum subditur: « Et dum seminat aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. » Solet contingere, ut dum homo agrum serit, via juxta sit, et pars quædam seminis in eam cadat: sed semen quod in via ceciderit, duplici læsura perit: aut a viantibus conculcatur, aut a volucribus cœli rapitur. Via enim dicitur, eo quod aliquid transeuntes per eam vehant. Via enim significat cor malarum cogitationum calle attritum: semen quippe verbi Dei, quod in tali corde cadit, aut a viantibus, id est immundis cogitationibus, opprimitur, aut a volucribus cœli, id est ab immundis spiritibus, aufertur: qui dupliciter volucres cœli nominantur, sive quod per superbiam de cœlo lapsi sint, sive per hoc quod per aerium cœlum discurrant.

« Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem. » Petra enim in hoc loco significat cor durum et indocile, quod vomere verbi Dei facile non scinditur: semen autem verbi Dei, si in tali corde ceciderit, et si germinat, tamen ad maturitatem non pervenit, quia in humore perseverantiæ radicem non ligat. Hoc autem significat defectio humoris ad radicem seminis, quod juxta aliam parabolum, defectus olei ad lampadas virginum ornandss.

« Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. » Spinæ vitia et pec-

cata significant, de quibus primo homini dictum est: «Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi. » Mens ergo vitiis dedita semen verbi Dei fructificare non potest.

« Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit « fructum centuplum. » Terra bona cor est hominis bonum, non solum ad audiendum verbum Dei paratum, sed etiam ad operandum quod audit, devotum : et ideo facit fructum centuplum, id est perfectum, quia centenarius numerus in Scripturis pro perfectione ponitur : sicut de eo, qui omnia sua propter Deum dereliquit, dicitur : « Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit : « non quod is qui unam uxorem reliquit, centum sit recepturus, sed quia talem perfectionem accipiet in præsenti, ut ea quæ dereliquit, iterum non repetat, et in futuro vitam æternam possideat, talem terram centies fructificantem significabat Isaac, de quo legitur : « Sevit Isaac, et in ipso anno invenit centuplum (*Gen*. XXVI). » « Hæc dicens, clamabat. » Sed quid clamet, audiamus. « Qui habet aures audiendi, audiat. » Quoties hæc admonitiuncula in Evangelio vel in Apocalypsi interponitur, mysticum aliquid ad requirendum insinuat. Omnes enim qui in illa turba erant, aures corporis habebant : et qui cunctis aures corporis habentibus dicit : Qui habet aures audiendi, audiat, alias aures, id est corda requirit. Est enim spiritualis auditus, cum anima ferventissimo amore verbum Dei audire desiderat, talem auditum se habere manifestavit Job, cum dicebat : « Auditu auris audivi te, Domine (*Job*. XLII). » Et Isaias : « Dominus Deus dedit mihi aurem. » Finita autem similitudine, inter turbas clamat, ut clamandum in prædicatione doctoribus ostenderet : non tantum altitudine vocis, quantum instantia prædicationis, juxta illud quod per Isaiam dicitur : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum (*Isa*. LVIII). » Et iterum : « Clama in fortitudine, qui annuntias pacem. »

« Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset « hæc parabola. » Non putandum est quod mox finita similitudine, discipuli coram turbis interrogaverint, sed, sicut ait Marcus, cum esset singularis in domo, interrogabant eum quæ esset hæc parabola.

« Quibus ille ait : Vobis datum est nosse myste- « rium regni Dei, illis autem qui foris sunt, omnia in « parabolis fiunt. » Domus autem in qua discipuli Dominum interrogabant, spiritualiter Ecclesiam significavit, quæ domus Dei facta est per fidem, de qua scriptum est : « Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo (*Psal*. V). » Illi autem audiunt mysterium Dei, qui ingrediuntur tabernaculum ejus. Qui ergo vult mysterium Dei cognoscere, domum cum Jesu intret, id est fidelis factus unitatem Ecclesiæ teneat quia ipse facit, sicut per Psalmistan dicitur (*Psal*. LXVII), unanimes habitare in domo. Cæterum illi qui foris sunt, id est pagani, Judæi, hæretici, omnem Scripturam parabolis audiunt, quia ejus mysterium capere non possunt. Cum autem discipuli Domini singulariter interrogaverunt, datur intelligi, magistrum non coram omnibus a discipulis interrogari debere, sed singulariter, ne forte si non habuerit in promptu quod respondere possit, erubescat, sive ut liceat eum quid dicat, considerare. Pulchre autem dicitur: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, » ut ostendat nemini de suis meritis gloriandum, sicut faciebant Pelagiani, qui dicebant hominem justificari posse sine gratia Dei : nec de sua sapientia vel virtute præsumendum, quando apostoli mysterium regni Dei a seipsis non habuerunt, sed datum a Deo acceperunt, juxta quod unus eorum, scilicet Jacobus, loquitur, dicens: « Omne datum optimum, et omne domum perfectum, decursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio (*Jac*. I). » Et sicut ipse Dominus ait: « Sine me nihil potestis facere (*Joan*. XV). » Unde glorificat Patrem, dicens : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te (*Matth*. XI). » In eo vero quod subditur :

« Ut videntes non videant, et audientes non intelligant » Specialiter Judæos percutit. Videntes enim quondam erant et audientes, quando Dei voluntatem cognoscentes, opere complebant. Unde et prophetæ eorum Videntes appellabantur, quia videbant ea quæ cæteri videre non poterant; gentes autem non videntes et non audientes erant, quia Dominum non cognoscebant : sed Domino veniente in mundo, videntes et audientes, propter superbiam cæci et surdi facti sunt, quando in eum credere noluerunt, impleta prophetia Isaiæ quæ dicit : » Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude (*Isa*. VI) : » ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos : non videntes et non audientes credendo illuminati sunt, juxta illud quod Dominus in Evangelio dicit : In judicium ergo in mundum hunc veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant. Exponens autem Dominus parabolam, adjunxit : « Est autem hæc pa- « rabola : Semen est verbum Dei. Qui autem secus « viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabo- « lus, » etc. Pulchre semini verbum Dei comparatur, qui sicut semen, quod in terra seritur, parvum videtur, postea crescens multiplicatur : ita verbum Dei, cum in cordibus auditorum seminatur, parvum videtur, sed cum auditores in bonis operibus creverint, tunc pariter cum ipsis verbum Dei magnum fructum in virtutibus profert. Et sicut ex multiplicato semine pascitur corpus, ita verbo Dei pascitur anima, Domino dicente : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (*Matth*. IV). » Et quemadmodum, cum multiplicatum semen congregat in horreum agricola, gaudet : ita cum homo

ad maturitatem perseverantiæ pervenerit, dignus A efficitur ut in horreum Dei congregetur, ubi non esuriat, neque sitiat, neque percutiat eum æstus aut sol, sed semper gaudeat, semperque lætetur. Quasi enim tempore sationis parvum semen aspiciebat Psalmista, cum dicebat: « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua (*Psal.* CXXV). » Quasi vero idem semen multiplicatum conspexerat, cum aiebat: Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos. Sicut ergo semen in spe fructus seritur, ita et verbum Domini propter solam mercedem vitæ æternæ docendum est. In semine quippe aliud est tempus sationis, aliud messionis: quia in hac vita seminandum est, quod in futuro recipiatur, quando, sicut ait Apostolus: «Quæcunque seminaverit homo, hæc et metet: quoniam qui seminat in B carne, de carne et metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam (*Galat.* VI). » Hoc autem semen Apostolus in cordibus discipulorum esse gaudebat, dicens: «Gratias ago Deo meo semper pro omnibus vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia (*I Cor.* I). »

« Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, « deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eo- « rum, ne credentes salvi fiant. » De hoc semine Marcus ita scribit: «Hi autem sunt qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cum audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum. » Matthæus vero ita: « Om- C nis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus et rapit quod seminatum est in corde ejus.» In quibus verbis Dominicæ expositionis hoc cognoscimus, quia viantes, malas et immundas cogitationes significant. Sunt enim nonnulli, qui verbum Dei audiunt, sed dum immunda desideria in cordibus suis commorari permittunt, semen verbi Dei spiritalem fructum proferre non potest: dumque in eorum cordibus immundam cogitationem immundior sequitur operatio, quasi a viantibus verbum Dei conculcatur, ne fructificari possit, qualibus per prophetam in specie Judæ dicitur: « Et posuisti ut terra corpus tuum, et quasi viam transeuntibus (*Isa.* LI). » Et iterum: Hi dixerunt animæ tuæ: Incurvare ut transeamus: et qui mercedes congregat, misit eas in D sacculum pertusum. Sicut enim sacculus pertusus frustra a superiore parte mercedes colligit, quas inferius fundit, ita frustra verbum Dei audit, qui illud in ventrem memoriæ non retinet. Unde bene in lege (*Lev.* II) omne animal quod non ruminat, immundum reputatur: quia illi a sacrificio Dei sunt alieni, a quorum memoria diabolus verbum vitæ tollit, ne credentes salvi fiant. Et quia diabolus variis modis homines, ne verbum Dei retineant, illudit, variis etiam nominibus ab evangelistis censetur. Ab isto qui hoc Evangelium scripsit, diabolus qui latro sive criminator vel deorsum fluens, Hebraice Belial, quod interpretatur absque jugo, dicitur: a Marco Satanas, id est contrarius: et a Matthæo malus appellatur, mille namque nocendi habet artes. Idem autem qui a Luca diabolus, a Marco Satanas, et a Matthæo malus appellatur, deorsum fluere facit quos decipit, et contrarius est animabus fidelium, et ad perpetuum malum quos deceperit pertrahit, tot enim habet vocabula, quot nocendi ingenia, de quo per beatum Petrum apostolum dicitur: «Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide, scientes eamdem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri *I Petr.* V). »

« Nam qui supra petram, hi sunt, qui cum au- «dierint, cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices « non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore « tentationis recedunt. » Sicut Domino exponente cognoscimus, sunt nonnulli, qui cum verbum Dei prædicari audiunt, totis votis se servaturos quod audiunt, promittunt: sed ubi locus peccandi advenerit, subito, quod prius promiserant, obliviscuntur. Verbi gratia, cum audiunt aliqui Dominum dicentem: «Væ vobis divitibus, qui habetis vestram consolationem (*Luc.* VI), » et: Difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum, avaritiam detestantur: sed ubi hora compunctionis transierit, non solum proprias divitias immoderate retinent, sed etiam alienas res concupiscunt vel rapiunt. Similiter alii, dum audiunt Apostolum dicentem (*I Cor.* VI): Adulteri regnum Dei non possidebunt, carnis immunditiam detestantur, adeo ut et lacrymis plerumque compunguntur: sed ubi carnis pulchritudo eorum oculis apparuerit, obliviscuntur quod prius promiserant, et sic faciles ad peccatum redeunt, quasi prius contra peccatum nihil deliberatum haberent. De quibus per Salomonem dicitur: « Sicut canis revertitur ad vomitum suum, sic stultus ad stultitiam suam (*Prov.* XXVI), » at contra idem ipse nos admonet: « Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat (*Eccle.* IX). » Hinc de sancta muliere dictum est: «Et vultus illius non est amplius in diversa mutatus (*I Reg.* I), » id est qualis fuerat tempore orationis, talem se omni tempore vitæ suæ monstravit. Tales ergo cum verbum Dei audiunt, quasi germinare in eis videtur, sed ad maturitatem non pervenit, quia contra æstum tentationis non pugnant. Unde bene juxta Matthæum evangelistam (*Matth.* XIII), orto solo aruerunt, id est orta tentatione defecerunt. Sol enim in Scripturis, cum in bono ponitur, Dominum Jesum significat, sicut scriptum est: « Vobis qui timetis Deum, orietur sol justitiæ (*Malac.* IV): » cum vero in malo, æstum tentationis, sicut de reprobis dicitur: «Et a sole æstuati sunt. » Alios enim prosperitas inflat, alios adversitas frangit, ne acceptum semen ad maturitatem perducant. Contra utraque damna Apostolus semen quod audierat observare studebat, cum aiebat: «Per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut sedu-

ctores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti (*II Cor.* vi), » etc. Omnes enim æqualiter diligebat. Hos enim omnes in suo opere significavit Balaam ille divinus, qui cum castra Israelitarum cerneret, dicebat: « Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia (*Num.* xxiii); » sed postea æstu avaritiæ tactus, in eorum mortem consilium dedit, quibus se ad mortem fieri similem optavit.

« Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt et a sollicitudinibus et voluptatibus vitæ « euntes suffocantur, et non referunt fructum. » Mirum valde videretur, si quispiam per spinas divitias interpretari voluisset, nisi hoc suis verbis Dominus exposuisset, maxime cum spinæ pungant, divitiæ mulceant, tamen si cum consideratione attendimus, divitiæ spinæ sunt: quia sicut spinæ suis punctionibus corpus laniant et cruentant, turpe ac fœdum in oculis hominum reddunt, sic amor divitiarum animam miseram et infelicem coram oculis Dei facit: et sicut spinæ intractabiles sunt, et vix absque læsione tractari possunt, ita avari et cupidi, quia amore divitiarum tenentur, non solum extraneis, sed etiam propriis asperi, amari et intractabiles sunt, juxta illud quod per Salomonem dicitur: « Benefacit animæ suæ vir misericors, avarus autem etiam propinquos abjicit (*Prov.* xi). » Unde bene juxta alium evangelistam, scilicet Matthæum, non solum divitias, sed etiam fallaces divitias Dominus appellat, dicens: « Fallacia divitiarum suffocantur, et non referunt fructum (*Matth.* xiii). » Fallaces enim sunt, quia diu nobiscum permanere non possunt. Aut enim nos eas deserentes expendimus, aut ipsæ nos manentes rejiciunt. « Unde per apostolum Paulum Timotheo præcipitur: « Præcipe divitibus hujus sæculi non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in operibus bonis (*I Tim.* vi), » etc. Sive certe fallaces sunt, quia mentis inopiam non exstinguunt, sed quanto magis acquisitæ fuerint, tanto magis in acquisitione animum possessoris accendunt, Salomone testante, qui ait: « Avarus non implebitur pecuniis, nec anima illius satiabitur bonis (*Eccle.* v). » Solæ autem veræ divitiæ sunt quæ hic nos in fide divites faciunt, et postmodum hæredes regni cœlorum constituunt; has quærere, has amare Dominus monebat, cum dicebat: « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum (*Matth.* vi). » Si enim vere divites esse cupitis, veras divitias amate: si culmen veri honoris quæritis, ad illam cœlestem patriam quantocius properate. Cæterum istæ divitiæ sunt fallaces, quæ sine peccato aut vix aut nullo modo acquiri possunt, juxta illud quod ait Apostolus: « Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem (*I Tim.* vi). » Unde timendum est divi-

A tibus valde, quod Dominus terribiliter clamat, dicens: « Væ vobis divitibus, qui habetis vestram consolationem (*Luc.* vi). » Et iterum: « Difficile, qui pecunias habent, in regnum cœlorum intrabunt (*Luc.* xviii). » Et « iterum: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum (*Marc.* x). » Hinc et Jacobus apostolus: « Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis quæ supervenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum vobis in testimonium erit, et manducabunt carnes vestras sicut ignis (Jacob. v). » Et Isaias: « Væ qui conjungitis domum, ad domum, et agrum ad agrum copulatis usque ad terminum loci (*Isa.* v). » Notandum autem, quia duo sunt quæ B divitias conjungunt, sollicitudines et voluptates. Quia enim cum voluptate sollicitudo non convenit, sciendum est quia alio tempore amor divitiarum per sollicitudinem mentem stimulat, alio vero in voluptate relaxat. In acquirendo quippe et sollicitudinem habet, ne ipsas perdat, velut negotiatores de regno ad regnum diversis temporibus discurrentes, ut eas acquirere possint, in tantum ut si quis eis ipsas auferre voluerit, arma contra eum erigant. Voluptatem vero habet in possidendo, quia illis divitiis satiatus animus eorum, tam in luxuria, quam in aliis rebus iniquis et voluptariis erigitur. Quisquis ergo tale cor habet, verbum Dei in eo fructificare non valet: quia sicut densitas spinarum rorem cœli et calorem solis ad radicem seminis pervenire non patitur, ita amor divitiarum spiritalem pinguedinem in mente accedere C non permittit. Et ideo si in prædicto semine volumus fructificari, appetitum divitiarum mortificare debemus. Quia sicut Apostolus dicit: « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* ii). Sed his de tribus terræ generibus dictis, quid de bona terra Dominus proferat, audiamus.

« Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in « corde bono et optimo audientes verbum retinent « et fructum afferunt in patientia. » Bona ergo terra, bonum est cor hominis: bona quippe terra tribus terræ generibus contrarium facit: et bona terra bonum fructum facit, quod bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. Sed quia non omnes fideles æqualiter fructificant, nec omnibus æqualis datur gratia, recte dicitur: « Hi sunt qui in corde bono D et optimo audientes verbum, retinent illud. » Majus est enim optimum esse quam bonum: quia omnes in Ecclesia pene verbum audiunt, sed non omnes æqualiter proficiunt: sed alius plus proficit, alius minus. Qui enim temporalem substantiam bene disponit, bonum fructum facit: qui vero omnia temporalia pro amore perfectionis reliquerit, optimum fructum facit. Sive certe bonum fructum facit, quia pro amore filiorum legitimo utitur conjugio: qui vero continentiam vel virginitatem Domino vovit, optimum facit. Unde bene Matthæus evangelista, ut inter ipsos justos differentiam ostenderet, de jactato in bona terra semine dicit: « Et ortum fecit fructum, aliud tricesimum

aliud sexagesimum, aliud centesimum (*Matth.* XIII). » Et Marcus. « Afferebat unum tricessimum, et unum sexagesimum, et unum centesimum (*Marc.* IV). In tribus ergo frugum generibus, tres ordines in Ecclesia ostendit, conjugatorum, continentium et virginum. Tricesimus enim fructus ad conjugatos pertinet, qui castum inter se amorem servantes, sobrie, juste et pie vivunt, quod ab ipsa digitorum junctione sub quadam figura demonstratur, quemadmodum in trigenario numero digito digitus junctus castam conjunctionem inter virum et uxorem significat, de qua scriptum est : « Et erunt duo in carne una (*Gen.* II). » Sexagesimum vero fructum viduæ et continentiæ proferunt, dum voluptatem carnis experti, longiorem tribulationem sustinent, quod etiam in ipsa digitorum computatione ostenditur, quemadmodum in sexagesimo numero digitus a digito premitur, eorum tribulationem, quam experti sunt, demonstrans, sicut ait Apostolus : « Tribulationem carnis habebunt hujuscemodi (*I Cor.* VII). » Centesimum vero fructum virgines proferunt, dum carnis incorruptionem Domino promittunt, tanto magis præmium percepturi, quanto uberiorem et graviorem Deo fructum proferunt : cujus perfectio in ipsa digitorum computatione demonstratur, quemadmodum centenarius numerus de læva transit in dexteram, et circulum exprimens, fit in modum coronæ, illam immarcescibilem coronam virginis ostendens, quam per prophetam Dominus pollicetur, dicens : « Hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint præcepta mea, et elegerint quæ volui, dabo eis in domo mea et in muris meis locum (*Isa.* LVI). » Locum nominatum dabo eis et nomen sempiternum, quod non peribit. Qui etiam, si pollutionem non solum mente, sed etiam corpore fugerint, audiant quod Joannes ait in Apocalypsi : « Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt (*Apoc.* XIV). » Vel certe tricesimum fructum proferunt, qui fidem sanctæ Trinitatis confitentur. Sed quia fides sine operibus mortua est, tricesimum adjungunt sexagesimo, cum in confessione fidei bona opera addunt. Quia enim sex sunt dies in quibus licet operari, per sexagenarium fructum bona opera figurantur. Sed quia qui recte credit et bene vivit, futuram mercedem exspectat, centesimum tricesimum proferunt, quemadmodum gloriam æternam percipiant. Sed quoniam in omni opere bono patientia necessaria est, recte subditur : « Et fructum afferunt in patientia. » Bona igitur terra per patientiam profert, quia nulla sunt bona quæ agimus, si pessimorum mala æquanimiter non toleramus. Patientia enim vera est, quæ nullo furore vincitur, nulla tribulatione separatur, nulla persecutione turbatur : quæ non solum in divinis flagellis necessaria est, sed etiam ad proximorum persecutionem, ut in omnibus animus perseverantis fructum afferat in patientia : quia bonus non fuit, qui malos tolerare recusavit. Hæc virtus qualis sit, etiam Dominus alibi manifestat, cum dicit : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* XXI). » Et iterum : « Beati

A pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* V). » Et alibi : « Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos (*Marc.* IX). » Unde Paulus exemplum magistri secutus, discipulis præcepit, dicens : « Pacem sequimini (*Hebr.* XII). »

HOMILIA XXIII.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

(LUC. XVIII.) « In illo tempore, assumpsit Jesus « duodecim discipulos suos, et ait illis : Ecce ascen-« dimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia « quæ scripta sunt per prophetam de Filio homi-« nis, etc. » Superior textus evangelicæ lectionis retulit, quomodo Dominus temporales divitias fugiendas et spontaneam paupertatem esse amandam docuerit, dicens : « Quia difficile qui pecunias habent, in-

B trabunt in regnum cœlorum (*Luc.* XVIII) : facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei (*Marc.* X). » Et dixerunt qui audiebant : Qui potest salvus fieri? Ait illis : « Quæ impossibilia sunt apud homines, omnia possibilia sunt apud Deum. » Et iterum ostendit quia apostoli, qui omnia reliquerunt propter regnum Dei, multo plura recipient in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam, et post hæc subjunxit :

« Assumpsit Jesus duodecim discipulos. » Igitur post infirmis redditam sanitatem, post divitum increpatam duritiam, post apostolorum spontaneam paupertatem æterna promissione remuneratam, transit ad passionis suæ tropæum, ut ostenderet non posse nec salutem perfectam consequi, nec terrena relinquere, et ad cœlestia apprehendere, nisi

C ille moreretur pro omnium salute, qui est salus omnium nostrum. Quibus etiam vitam æternam promiserat, passiones anteponit tribulationum, ut si eos delectaret locus celsitudinis, prius exerceret dolor tribulationis. Prædictis ergo tribulationibus, considerandum est, quod prævidens Dominus ex sua passione animos discipulorum conturbandos, longe eis ante eamdem passionem prædicere voluit, ut tanto minus turbarentur tempore passionis, quanto et hanc a pio magistro prædictam recolerent. Minus enim jacula feriunt quæ prævidentur. Nec solum passionis suæ pœnam, sed etiam resurrectionis gloriam prædixit, ut cum eum morientem (sicut prædictum erat) cernerent, etiam resurrecturum minime dubitarent. Et quos contristabat denuntiata passio, læti-

D ficaret prædicta resurrectio : prævidens etiam paganorum stultitiam futuram, qui dicturi erant eum non spontanee, sed coactum pro nobis passionem sustinuisse, prius ipsam passionem prædixit, ut intelligamus, quod is qui et locum passionis et tempus prædicere potuit, passionem declinare posset, nisi hanc pro nostra redemptione spontanee sustinuisset. Non enim eum mors compulit, sed ipse mortem quam voluit elegit, juxta quod ipse tempore passionis judicem allocutus est, dicens : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam (*Joan.* X). » Et iterum : « Nemo tollet a me animam meam, sed ego pono eam,

et iterum sumo eam (*Joan*. x). » Nec solum paganorum A stultitiam, sed etiam hæreticorum insaniam his verbis destruit, qui dixerunt alium Deum Veteris Testamenti, et alium Novi, cum ante suam passionem complenda prænuntiavit, quæ in Scripturis de illo fuerant prædicta, ostendens seipsum Deum esse Veteris et Novi Testamenti, qui hoc ageret et doceret, quod eum in Veteri Testamento prophetæ acturum et docturum prophetaverunt. Nimirum ergo ipse est Deus Veteris ac Novi Testamenti, sicut ipse ait per Prophetam :« Ego Deus et non mutor (*Malac*. III). » Et iterum :« Ante me non est formatus Deus, et post me non erit (*Isa*. XLIII). » Et pulchre Salvator duodecim discipulos assumpsit, quibus secretum suæ passionis revelavit et resurrectionis, propter duodenarii numeri perfectionem. Duodenarius enim nu- B merus perfectus est, et in suis partibus divisus, perfectionem quamdam significat. Constat autem ex primo impari et primo pari, id est ex tribus et quatuor: quia primus impar, ternarius, primusque par, quaternarius, sive enim tria in quatuor, sive quatuor in tria ducas, duodenarium numerum complent, et tres quidem ad perfectionem pertinent, propter individuam trinitatem Patris et Filii et Spiritus sancti: et propter tria tempora, ante legem, sub lege et sub gratia, sive propter tres principales virtutes, fidem videlicet, spem et charitatem. Quaternarius autem et ipse ad perfectionem pertinet, propter quatuor evangelia, et propter quatuor principales virtutes, sive propter quatuor tempora anni, vel propter quatuor animalia, quæ plena oculis ante et retro in circuitu sedis Dei esse commemorantur. Duodenarius C quoque numerus et ipse perfectus est, propter duodecim patriarchas, et duodecim apostolos, et duodecim menses anni, et duodecim horas diei, vel propter duodecim seniores, qui geminato numero in Apocalypsi Agnum adorant, « mittentes coronas suas ante thronum Dei (*Apoc*. IV). » Quia ergo Dominus et fidem sanctæ Trinitatis et doctrinam quatuor evangeliorum per duodecim apostolorum prædicationem nuntiaturus erat mundo, recte duodecim apostolos assumpsit, quibus secretum suæ passionis revelavit, dicens : « Ecce ascendimus Hierosolymam, etc., » ut cum omnia in eo completa vidissent, quæ ab illo prædicta audiebant, memores essent præcepti, quo ait : « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis in cubiculis, prædicate super D tecta (*Luc*. XII). » Notandum autem quod ait: « Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis. » Quæritur autem quare dicat :« Consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis, » cum tempore passionis omnia completa non sint quæ de illo prædicta erant. Adhuc enim restabat gloriosa ejus ascensio, et Spiritus sancti de cœlis missio, adventus ad judicium, et discipulorum prædicatio, et gentium vocatio, et multa alia, quæ de illo prædicta nemo ambigit. Sed ad hoc dicendum, quia usus Scripturæ est, per tropum synecdochen aliquando totum pro parte, aliquando partem pro toto ponere ; pars pro toto ponitur, sicut scriptum est :« Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta (*Gen*. XLVI). » Nunquid animæ sine corporibus descenderunt? absit. Sed per meliorem hominis partem, quæ est anima, totus intelligitur homo. Totum vero pro parte ponitur, sicut alibi legitur :« Videbit omnis caro salutare Dei (*Luc*. III). » Non quod Salvatorem venientem ad judicium caro volucrum et serpentium atque bestiarum visura sit, sed omnis caro, id est omnis homo. Nam et in Domini passione de latronibus dicitur quod uterque Dominum blasphemaverit, quod alius evangelista manifestius ostendit, scilicet quia unus eum blasphemaverit, alter vero crediderit. Ita ergo et in hoc loco a majori parte totum pro parte posuit, cum dixit : « Consummabuntur omnia. » Qui modus locutionis non solum in Scripturis, sed etiam in nostris confabulationibus usitatus est, cum dicere solemus: omnis homo in civitatem ascendit, vel omnis urbs conclamavit, non quod aliquis extra civitatem non remanserit, vel in civitate tacens non fuerit, sed a majori parte totum significamus. Ita et in hoc loco a majori parte totum significatur, cum dicitur :« consummabuntur omnia, » non quod omnia in passione consummata sunt, sed quia magna ex parte consummata sunt, omnia consummanda dicuntur. Quæ enim a diversis Patribus diversis temporibus prædicta sunt, in uno eodemque filio hominis Domino Jesu Christo consummata sunt. Quod ut manifestius intelligatur, dicamus sub exemplo, verbi gratia, viginti quis denarios erogavit, rursus quinque, et alias quindecim : triginta quoque, et ter decies per diversa tempora dedit ; hæc si in unum receperit, centenarii numeri summam inveniet. Ita ergo Domini incarnatio, passio et resurrectio diversis temporibus a diversis Patribus prædicta sunt, sed in uno mediatore Dei et hominum consummata, et ideo firmitas fidei immobilis perseverat : quia omnia quæ in Christo futura erant antea prædicta fuerant. Passionem quoque prædicens magis ac filium hominis quam Filium Dei appellari voluit, ut ostenderet quia per hoc quod filius hominis fuit, potuit teneri, flagellari, pati et crucifigi, Divinitas autem impassibilis mansit. Quæ autem essent, quæ tempore passionis in illo consummanda essent, manifestat cum adjungit :

« Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagel- « labitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, « occident eum, et die tertia resurget. Quæ omnia de illo prædicta, et in illo completa nullus fidelium dubitat, et diligens lector facile reperire potest. Quod enim tradendus esset, prædictum fuit, scilicet ab Jeremia, qui dicit:« Tradidit me quem diligebam. » Et Psalmista : « Traditus sum et non egrediebar (*Psal*. LXXVIII), » quod impletum est tempore passionis, quando Judas Scarioth, unus de duodecim, abiit ad principes sacerdotum, dicens : « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam (*Matth*. XXVI) ? » At illi constituerunt ei triginta argenteos, et accepta

pecunia, tradidit eum ministris principis sacerdotum, dicens :«Quem osculatus fuero, ipse est : tenete eum. » Quod illudendus esset, sic in ejus persona dicit Psalmista : « Opprobrium factus sum vicinis meis,subsannatio et illusio inimicis meis (*Psal*.xxx).» Et iterum : « Lumbi mei impleti sunt illusionibus (*Psal*.xxxvii). » Et Jeremias : « Insurrexerunt in me viri illusores»quod impletum est tempore passionis, quando coronam spineam imponentes capiti ejus,et dantes arundinem in dextera ejus,et genu flexo ante eum,illudebant ei,dicentes: «Ave, rex Judæorum. » Quod flagellandus esset, sic in ejus persona Zacharias propheta prædixit: « Virga percutient filii Israel principem suum (*Zach*. xiii). » Et iterum : « Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis (*Ibid*.),»quod impletum est in passione,quando flagellis jussus est cædi, dicente Pilato : « Ergo flagellatum eum dimittam.» Quod conspuendus esset, sic in ejus persona prædixerat Isaias propheta:«Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me (*Isa*. L). »Et Job : « Insurrexerunt in me viri iniqui absque misericordia, et non pepercerunt in faciem meam spuere (*Job*.xxx), » quod impletum est tempore passionis,quando spuerunt in faciem ejus.Quod occidendus esset, sic prædixerat Daniel, dicens : « Occidetur Christus, et non erit ejus (*Dan*. ix), » et cæt. Hinc Moyses filiis Israel ait : « Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et non credes vitæ tuæ (*Deut*. xxviii), » sed timebis quod impletum est, quando pendens in cruce, inclinato capite, emisit spiritum.Quod post mortem die tertia resurrecturus esset, sic scriptum est in Osee propheta : « Vivificabit nos post duos dies, in die tertia resuscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus (*Osee* vi). » Et Sophonias : « Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum (*Soph*. iii). » Et ipse per Psalmistam :«Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi(*Psal*.iii). »Et alibi : « Resuscita me, et ego reddam eis,» quod impletum est die tertia post passionem, quando mulieres, quæ ante diluculum ad sepulcrum venerant, ab angelo audierunt : «Jesum quæritis, non est hic, surrexit (*Marc*. xvi). »

« Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat autem « verbum istud absconditum ab eis, et non intelli« gebant quæ dicebantur.» In Evangelio secundum Joannem legimus,quod cum Dominus Judæis de sua passione velate loqueretur,dicens : «Cum exaltaveritis filium hominis,tunc scietis quia ego sum (*Joan*, viii). » Et :«Si exaltatus fuero a terra,omnia traham ad meipsum (*Joan* xii) : » ipsi statim intelligentes, responderunt dicentes: «Dæmonium habes ;quis te quærit interficere (*Joan*. vii)?» Nos audivimus quia Christus manet in æternum,hic vero,cum manifeste suam passionem prædiceret, apostoli nihil horum intellexerunt.Quid est quod Judæi tam velata audierunt, ut Evangelista expositione dignum duceret, dicens : « Hoc autem dixit, significans qua morte esset moriturus (*Joan*. xii). » et ipsi statim intellexerunt : apostoli autem manifeste audierunt,et non

A intellexerunt ;nimirum quod istis pietas abscondebat,illis impietas patefaciebat.Habet enim humana mens hoc proprium, ut quod omnino non vult, aut vix aut tarde credat :et quod omni modo fieri vult, facile intelligat et facilius credat. Quia ergo Judæi hoc optabant quomodo occidere possent,licet occulte de ejus passione aliquid audirent,confestim intelligebant :quia vero apostoli nec optabant, nec credebant quod Christus Dei Filius mori posset, licet manifeste ejus passionem prædictam audirent,non intelligebant. Nam quantum dura et aspera ejus passio discipulorum mentibus videretur,Petrus indicat,qui cum Dominus alibi suam passionem prædiceret,assumpsit eum secreto, dicens:« Absit a te, Domine, non fiet istud ; non enim decet ut Filius

B Dei gustet mortem (*Matth*.xvi). »Verbum autem in Scripturis sacris tribus modis intelligitur,aliquando pro ipso Domino, aliquando pro facto ponitur, aliquando pro dicto.Pro Domino,ut illud:«In principio erat verbum (*Joan*.i).»Et illud:« Verbo Domini cœli firmati sunt(*Psal*.xxxii). » Pro facto,ut in Exodo legimus de Moyse,interfecto Ægyptio :«Quomodo palam factum est verbum istud(*Cap*.ii)?»sicut alibi legitur: « Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei (*Matth*. xii), » et cæt. ; ita et in præsenti loco pro dicto ponitur, cum dicitur: « Erat verbum istud absconditum ab eis,»id est dictio ista.Sed quia discipuli,quod de Domini passione manifeste audierunt,non intelligebant, venitur ad miraculum.Nam in eorum præsentia cæcus illuminatus est,ut disceret nihil de ejus verbis dubitare, quem talibus mi-

C raculis videbant coruscare. Unde et subditur :

« Factum est autem cum appropinquaret Jericho, « cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. » Jericho civitas est trans Jordanem in terra promissionis,ad quam filii Israel primum venisse,Jordanis amnem transeuntes,leguntur,quæ temporibus Josue mirabiliter a Domino, arca ipsius Domini septem diebus circumducta, subversa est : sed temporibus Achab regis ab Ahiel principe reædificata,ut Regum narrat historia (*III Reg*. xvi), quæ juxta interpretationem Josue in primogenito suo fundavitt eam, in novissimo suo stabilivit portas ejus.Interpretata autem Jericho in nostra lingua dicitur luna. Luna quippe quæ menstruis horis crescit et decrescit, in Scripturis aliquando defectum nostræ mortalitatis

D insinuat, qui crescimus nascendo,decrescimus moriendo :augemur in prosperis,minuimur in adversis. Dominus autem quasi Jericho appropinquavit,quando defectum nostræ carnis sive mutabilitatem assumpsit :ut qui immutabilis erat in suis, mutabilis fieret in nostris. Sed eo Jericho appropinquante, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Unde et quidam metricorum ait : Filius occurrit Domino cæcatus in orbe Timæi quondam.Spiritaliter vero genus designat humanum,quod tunc cæcitatem mentis incurrit, quando lumen veritatis amisit, et ad concupiscendum lignum vetitum oculos aperuit, et in tenebris erroris incidit, in qua non solum gentilis,

sed etiam Judæorum populus tenebatur, qui de peccati radice ortus, originalis peccati vinculo tenebatur astrictus, teste Apostolo qui ait : « Non est distinctio Judæi et Græci ; omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei (*Rom.* III). » Unde bene Matthæus duos cæcos posuit, ut ex utroque populo aliquos illuminandos per Domini incarnationem insinuaret. Cum ergo Dominus Jericho appropinquavit, cæcus illuminatus est, videlicet genus humanum, quia cum mortalitate nostræ carnis indutus fuit, ad suam immortalitatem nos reformavit. Secus viam autem sedebat, quia a via veritatis recesserat. Bene autem cæcus iste et secus viam sedere, et mendicare dicitur, quia sunt nonnulli qui nec secus viam sedent, nec mendicant. Sed iterum sunt alii, qui secus quidem viam sedent, sed non mendicant. Adhuc etiam sunt alii, qui et secus viam sedent, et mendicant. Via enim est Christus, qui dicit : « Ego sum via, veritas et vita (*Joh.* XIX). » Nec secus viam sedent, nec mendicant, qui nec Deum credunt, nec spiritales divitias ab eo quærunt. Secus viam sedent, sed non mendicant, sicut perversi et falsi Christiani, qui Deum credunt, sed a bono opere torpentes, spiritales divitias ab eo quærere non student, qui (juxta Apostolum) « confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I). » Secus viam sedent, et mendicant, qui Deum credunt, et cœlestem gloriam assiduis orationibus quærere non cessant, de qualibus Dominus dicit : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V). »

« Et cum audisset turbam prætereuntem, interrogavit quid esset. » Turba prætereuns, patriarcharum significat ordinem et prophetarum, qui propterea prætereuntes dicuntur, quia per successionem geniti et generantes, de hoc sæculo transierunt, multa tamen de Domini incarnatione, et passione et resurrectione, atque humani generis redemptione scripta reliquerunt. Quod cum audisset cæcus, id est genus humanum, interrogavit quid hoc esset.

« At illi dixerunt ei, quod Jesus Nazarenus transiret. » Et cum audisset ab eis quod Jesus Nazarenus transiret, id est cum ex eorum libris Domini incarnationem, passionem et resurrectionem didicisset, credula voce cœpit clamare, dicens :

« Jesu fili David, miserere mei. » In cujus verbis pulchre catholica commendatur fides, quæ mediatorem Dei et hominum et verum Deum et verum hominem confitetur et credit. Nisi enim verum Deum credidisset, misereri sibi ab illo non posceret : et nisi eumdem verum hominem credidisset, non diceret : « Jesu fili David. » Jesu namque Latino eloquio, salvator sive salutaris dicitur. Sic enim Jesum clamavit, ut filium David non dimitteret : et sic filium David invocavit, ut salvatorem non pertransiret, ostendens quia mediator Dei et hominum Dominus Jesus Christus, in una eademque persona ex divina humanaque substantia perfectus Deus, perfectus est et homo credendus. Filius David dicitur, quia de stirpe David carnem pro nobis redemptor suscepit, A sicut voce angeli ad Mariam dicitur : « Dabit ei Dominus Deus sedem David patris sui (*Luc.* I). » Et Apostolus : « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I). » Bene autem Jesus Nazarenus transire dicitur, quia non sicut cæteri mortales in mundo permansit, sed postquam prædicavit et passus est, diabolo superato, victor ad Patrem rediit. Transitus autem ipsius fuit de cœlo in uterum, de utero in sepulcrum, de sepulcro iterum in cœlum. De cujus transitu Petrus apostolus dicit : « Qui pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo (*Act* X). » Cujus transitum admirans Ecclesia, in Canticis canticorum ait : « Ecce iste venit saliens in montibus, transiens colles (*Cant.* II). »

« Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. » B Hi qui præcedentes cæco silentium imponere volebant, turbas immundorum spirituum significant, qui initi fidei humanum genus a Domini credulitate revocare conati sunt, non solum suadendo, sed etiam increpando, id est persecutiones et tribulationes commovendo. Sed quid cæcus fecerit audiamus. « Ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. » Sed cæcus magis ac magis clamabat, quia quanto amplius genus humanum se ab immundis spiritibus sentit opprimi, tanto ardentius studet ad Dominum clamare, dicens cum Propheta : « Domine, refugium factus es nobis a generatione et progenie (*Psal.* LXXXIX). » Unde et bene dicitur :

« Stans autem Jesus, jussit cæcum adduci ad se. » Tunc autem Dominus cæcum ad se spiritaliter adduci C jussit, quando apostolos ad prædicandum generi humano misit, dicens : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI). » Et iterum : « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Qui tunc eum adduxerunt, quando profecti prædicaverunt ubique, et reliqua.

« Et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens : Quid tibi vis faciam ? » Adducto autem cæco ad se, interrogavit eum quid vellet, non quod ignoraret, cum pene omnes, qui ibi aderant, id nossent : sed lumen quod ex sua bonitate largiturus ei erat, ad sui petitionem tribueret, et ejus confessionem approbaret. Pius enim Dominus sua dona gra- D tuita, nostra vult esse merita, id est, non vult bonum nostrum invitum et coactum esse, sed spontaneum et voluntarium, et quod nobis sponte largitur, vult nostris petitionibus tribuere. Et ideo, quamvis sciat quid nobis necesse sit, antequam petamus eum, dicens : « Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis (*Matth.* VI), » etc., importune nos tamen ad petendum invitat, cum dicit : « Petite, et accipietis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur (*Matth.* VII). » « At ille dixit : Domine, ut videam. » De quo cæco versificus quidam ait :

Non aurum cæcus Domino, non præmia multa,
Sed lucem petiit, radiansque refulsit in astris.
Cujus in exemplo cuncta radiantia poscunt.

In cujus petitione discimus, quia in oratione non aurum, non argentum, non terrenas divitias, non longiturnam vitam, non vindictam inimicorum, sed ineffabile lumen quærere debemus, hoc est, ut ipsum videre possimus, « qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), » juxta quod ipse admonet, dicens : « Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI). » Quantum autem fides valeat, manifestatur, cum infertur :

« Et Jesus ait illi : Respice, fides tua te salvum « fecit. » Si enim iste per fidem illuminatus est, quicunque non credit, infidelis est, quia in tenebris manet, et in tenebris est. Cum ergo ait : « Fides tua te salvum fecit, » intelligitur quia fides magna est virtus, sine qua impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI). Sicut enim infidelitas mater et radix est omnium vitiorum, sic fides origo omnium virtutum, dicente Propheta : « Justus autem ex fide vivit (*Habac.* II), » quam Dominus commendans discipulis, ait : « Habete fidem Dei (*Marc.* XI). » Et iterum : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis monti huic : Transi hinc, et transiret (*Luc.* XVII). » Quod autem nemo beneficiis Dei ingratus debeat remanere, recte de eo dicitur :

« Et confestim vidit, et sequebatur illum magni« ficans Deum. » Quanto enim quisque plus a Deo illuminatur, tanto amplius et perfectius bonis operibus se exercere debet : sicut iste cæcus mox recepto lumine non piger remansit, sed Deum secutus est magnificans illum. Decebat enim ut is qui a Domino illuminatus fuerat non retro rediret, sed Deum sequeretur. Sequi enim Dominum, imitari est, sicut ipse dicit : « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII), » etc. Et iterum : « Qui vult venire post me (*Matth.* IX), » et reliqua. Ubi notandum quia sunt nonnulli qui nec vident, nec sequuntur : sunt alii qui vident, sed non sequuntur : alii etiam sunt qui et vident et sequuntur. Nec vident nec sequuntur, sicut sunt pagani et Judæi, qui nec bonum intelligunt, nec operantur. Vident, et non sequuntur, qui bonum intelligunt, sed operari contemnunt, sicut falsi ac tepidi Christiani, de quibus Dominus ait in Evangelio : « Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII). » Et : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* XXIX; *Marc.* VII). » Vident et sequuntur, veluti perfectissimi Christiani, qui et Deum credunt, et bonum quod intelligunt, opere complent. Unde apostolus Paulus dicit : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X), » quos apostolus Petrus hortatur, dicens : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II). »

« Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo. » Non solum autem de miraculo quod acciderat, verum A etiam et de fide ipsius cæci, hi qui aderant Dominum glorificabant : ita et nos bona opera facientes, in sanctis conversationibus nostris tales nos ostendere debemus, ut in nobis glorificetur Deus, sicut ipse admonet, dicens : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* V). » Sed quod ad genus humanum diximus pertinere generaliter, potest et ad unumquemque peccatorem referri specialiter. Qui enim criminale peccatum committit in opere, quale est adulterium, homicidium, furtum, rapina, sacrilegium, et his similia, odiumque gestat in corde, cæcus est in mente, Joanne apostolo teste, qui ait : « Omnis qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus (*I Joan.* II). » B Qui autem desiderat illuminari, et cæcitatem mentis deponere, non debet orando a petitione cessare, sed spiritaliter semper mendicare, id est, ad Ecclesiam veniat, et humiliter sua peccata commissa confiteatur, præterita peccata fletibus diluat, et ad audiendum verbum divinum libenter aures cordis aperiat (Ibi enim in sanctorum exemplis sive verbis reperiet, quoniam de præteritis delictis satisfactionem accipiet, et de futuris cautelam); sed si pro æterna vita cœperit cogitare, et ad eam post peccatum flendo redire, cæcus et secus viam sedet, et mendicat, cui recte congruit quod dicitur : « Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. » Turba præteriens sanctorum est unanimis chorus, vel eorum actiones et doctrinam significat, qui pro- C pterea prætereuntes dicuntur, quia non habent hic manentem civitatem, sed futuram toto desiderio inquirunt. Præterire quippe sanctorum est, non in amorem mundi, radicem cordis infigere, sed ad æternam vitam toto desiderio festinare. Unde unus eorum, cum vidisset impium superexaltatum et elevatum, ait : « Transivi, et ecce non erat (*Psal.* XXXVI), » etc. Cumque ex eorum exemplis et dictis peccator peccantibus audierit terribiliter comminari pœnam et Apostolum clamantem : « Nolite errare : neque adulteri, neque rapaces, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI). » Et pœnitentibus repromitti veniam, compunctus corde interrogat quid hoc sit. Et cum ex eorum verbis didicerit, nihil esse omne quod terrenum et trans- D itorium est, quasi Jesum Nazarenum transire audit. Quid agere debeat, si lumen cordis recipere desiderat, cæcus suo exemplo ostendit, cum clamavit, dicens : « Jesu fili David, miserere mei. » Cæcus enim ad Dominum clamat, quando peccator pro peccatis suis veniam petens, humiliter ingemiscit, dicens cum Propheta : « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci (*Psal.* L). » Sed quia immundi spiritus contra eum quem redire ad veniam viderint, consurgunt, recte subditur : « Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. » Prætereuntes ergo cæco silentium imponere vole-

bant, quia immundi spiritus, ne peccator ad pœnitentiam redeat, contradicunt. Multis quoque modis immundi spiritus post confessionem mentem retrahere conantur, ne in conversione permaneat, aliquando suasionibus, aliquando increpationibus, contra quæ omnia scriptura Salomonis animum firmare admonet, cum dicit: « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccle.* II). » Nec solum immundi spiritus, sed etiam ipsa consuetudo peccandi durius incipit rebellare, cum senserit post assueta mala ad virtutes velle ire. Verbi gratia, ebriosus aliquis cum ad sobrietatem redire consurgit, mox contra eum titillatio potandi surgit; adulter dum castitatem vovit, statim contra eum carnis delectatio consurgit, et ad præterita commissa retrahere cupit, ne ad Dominum convertatur: quia « caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem (*Gal.* V). » Hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ volumus faciamus, nec pura mente Deum conspicere valeamus. Sed quid facere debeat, sive contra immundorum spirituum tentationem, sive contra carnis delectationem, qui hujusmodi est exemplo hujus cæci instruitur, cum subinfertur: « Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. » Quo enim acrius se aliquis sentit impugnari a malignorum spirituum tentatione, seu ab ipsa consuetudine peccandi, eo fortius debet pugnare in oratione, propter illud quod Dominus ait: « Hoc genus non ejicitur nisi in oratione et jejunio (*Matth.* IX). » Unde Apostolus Petrus fideles per epistolam admonet, dicens: « Estote prudentes et vigilate in orationibus, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide (*I Petr.* V). » Neque enim divina pietas adjutorium sibi pœnitenti negabit, si ille orando a petitione non defecerit, nec de suis meritis aliquid præsumat, sed in illius misericordia confidat, cui per Prophetam dicitur: « In Domino faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros (*Psal.* LIX). » Qantam autem misericordiam Dominus pœnitentibus exhibeat, quale auxilium pugnantibus contra peccatum præbeat, manifestatur cum subjungitur: « Stans autem Jesus, jussit eum adduci ad se. » Qui ergo prius transibat, propter tentationes dæmonum humanis mentibus illatas, nunc per instantiam clamoris stat. Quia cum phantasmata tentationum in oratione patimur, quasi transeuntem Dominum audimus: sed si in orando, quærendo, petendo, pulsando perseveraverimus, quasi stans nos ad se adduci jubet. Quoniam tranquillitate mentis reddita, dulcedinem suæ contemplationis vel tenuiter manifestat, quia ut ipse ait: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V). » Et quia in oratione ante omnia æternam gloriam quærere debemus, recte interrogatus cæcus a Domino: « Quid vis faciam tibi? » respondit: « Domine, ut videam. » Et præcipue fides in oratione necessaria est, ut bonum quod quærimus, firmiter accipere posse Deo donante credamus, juxta illud quod Dominus ait: « Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis (*Matth.* XXI). » Et quoniam quicunque non negligit digne pœnitere, de venia non debet desperare, recte dicitur: « Respice, fides tua te salvum fecit. » De quo recte subditur: « Et confestim vidit, et sequebatur illum, magnificans Deum. » Solet autem contingere, ut quanto quisque de majoribus peccatis per pœnitentiam fuerit liberatus, tanto gratior liberatoris misericordia cognoscitur. Unde bene dicitur: « Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. » Quo enim quisque in gradu est altior, eo et in crimine gravior: quanto autem de gravioribus peccatis a Deo fuerit liberatus, et de profundioribus tenebris erutus, tanto gloriosius Domini misericordiam deprecabitur.

HOMILIA XXIV.

IN DIE CINERUM.

(MATTH. VI.) « *In* illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, et reliqua. » Jejunium quippe omnipotenti Deo gratum est, ita duntaxat, si digne et irreprehensibiliter fiat. Erant quidem Scribæ et Pharisiæi, qui tempore jejunii sui exterminabant facies suas, quatenus parerent hominibus jejunantes. Si ergo hypocritæ erant illi, qui ideo facies suas exterminabant, ut hominibus jejunantes apparerent, constat quia qui aliud tenet in corde, et aliud agit in opere, hypocrita est, sicut Scribæ et Pharisæi, qui cum haberent lætitiam in mente de vana gloria, tristitiam tamen præferebant in vultu. « Exterminant enim facies suas. » Pro eo verbo quod in consuetudine legimus, exterminant, beatus Hieronymus docet esse legendum: demoliuntur. Nam exterminare est extra proprios terminos educere. Verius enim legitur: demoliuntur facies suas, hoc est, depravant, et non lavant se, pallorem etiam continuum facietenus prætendunt. « Ut « videantur ab hominibus. » Hoc est, ut humanam inde laudem consequantur.

« Tu cum jejunas, unge caput tuum. » Hoc est, dum jejunas, festivum te exhibe. Palæstini, secundum quorum morem Dominus loquitur, diebus festis oleo ungebant caput, et pretiosis unguentis fovebant. Et est sensus: Cum jejunas, festivum te exhibe et hilarem, quasi non videaris jejunare, sed potius solemnitatem celebrare. Allegorice vero oleum sicut ponitur in malam partem, ita et in bonam. Recipitur enim in malam partem quando adulationem significat. Unde per Psalmistam dicit: « Oleum peccatoris non impinguet caput meum (*Psal.* CXL). » Recipitur enim in bonam partem, sicut idem Psalmista dicit: « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » In oleo enim charitas significatur, quia sicut oleum cunctis liquoribus præcellit, ita etiam cunctis virtutibus præeminet. Unde Paulus, cum de ea loqueretur, dicit: « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro (*I Cor.* XII). « Et alibi: « Manent nunc tria, fides, spes, charitas. Major autem

horum est charitas (*I Cor.* XIII), » Per caput enim principale mentis nostræ designatur. Quia tunc erunt grata nostra jejunia, si dilectione Dei et proximi fuerint condita.

« Nolite thesauzirare vobis thesauros in terra, ubi « ærugo et tinea exterminant, et ubi fures effodiunt « et furantur. » Per has tres species, id est per æruginem et tineam. et per fures, ostendit Dominus nihil tutum esse in terra in possessionibus divitiarum. Quædam enim sunt quæ ærugo devorat, sicut aurum et argentum, et cætera metalla, Alia sunt, quæ ærugo non devorat, sed tinea comedit. sicut vestimenta serica et alia pretiosa. Alia sunt, quæ nec ærugo devorat, nec tinea comedit, sed fures effodiunt et furantur, sicut sunt gemmæ et his similia. Proinde, quia incerta est omnis vitæ nostræ substantia et omnium rerum possessio, suadet nos Dominus in cœlo idcirco thesaurizare. Quomodo autem quis in cœlum thesaurizare possit, nisi divitias ante se eleemosynam faciendo præmittat? Possumus per æruginem et tineam et per fures, spirituales nequitias intelligere. Ærugo enim superbiam designat. Superbia enim mentes, quas invaserit, a statu suæ rectitudinis deperire facit Per tineam, invidia designatur, Invidia enim cor quod corrumpit, ab omni integritate disrumpit. Per fures, maligni spiritus intelligendi sunt, quia ad hoc invigilant, ut thesauros animæ nostræ furentur. In cœlo enim ærugo non est, quia superbia in cœlo locum non habet, quia jam diabolus cum suis sequacibus inde cecidit. Ibi tinea non est, id est invidia, quia nullus invidebit beatudini sanctorum. Ibi fures non sunt, id est dæmones, quia cum capite suo inde corruerunt.

« Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum. » Hoc non tantum de pecunia est intelligendum, sed etiam de omni vitio. Thesaurus divitis, si sub terra defossus fuerit, et ibi cor illius erit meditando, ne aut fures efferant, aut etiam ab aliquibus corruptionibus perdatur. Thesaurus gulosi hominis venter est, quia semper hoc cogitat, quomodo ventrem posset implere. Thesaurus lascivi sunt ludicra et voluptatis joca. Et cuicunque vitio quis adhæret, illi servit et illi famulatur.

HOMILIA XXV.

FERIA QUINTA POST CINERUM.

(LUC. VII.) « In illo tempore: Centurionis cujus- « dam servus male habens, erat moriturus, qui illi « erat pretiosus, et reliqua. » Quærat forte aliquis, vel pius, ut inveniat, vel impius, ut reprehendat, qua ratione Evangelista servum, qui non mortuus, sed sanatus subinfertur, dixerit esse moriturum. Cui breviter respondendum, quia revera erat moriturus, si non domini sui fide deprecantis, et Christi pietate miserentis fuisset redditus vitæ. Sic Ezechias rex, juxta quemdam humanæ naturæ modum, erat moriturus, cum veracis prophetæ verbis audivit: « Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives (*Isa.* XXXVIII): » sed occulto divinæ Providentiæ judicio, quæ omnia in mensura et numero et pondere disposuit, quindecim adhuc annorum vitam lacrymis precibusque erat consecuturus.

« Hic cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores « Judæorum, rogans eum ut veniret et salvaret ser- « vum ejus. » Superna dispensatione factum est, ut seniores Judæorum mitterentur ad Dominum, hisque astantibus, qui languerat, sanaret, quo inexcusabiles forent, si credente viro gentili non crederent. Verum quæritur quomodo conveniat, quod Lucas centurionem nuntios misisse, Matthæus autem ipsum accessisse narrat ad Dominum. Sed pie quærentibus facile patet quod Matthæus brevitatis causa dixerit ipsum accessisse, cujus desiderium et voluntas ad Dominum veraciter, aliis licet deferentibus, est perlata, mystice etiam nobis commendans hoc quod scriptum est: « Accedite ad eum et illuminamini (*Psal.* XXXIII). » Nam quia fidem centurionis, qua vere acceditur ad Jesum, ipse ita laudavit, ut diceret: « Non inveni tantam fidem in Israel, » ipsum potius accessisse ad Christum dicere voluit prudens Evangelium, quam illos per quos verba sua miserat. Porro autem Lucas hoc totum, quemadmodum gestum sit, aperuit ut ex hoc intelligere cogeremur, quemadmodum accessisse dixerit alius, qui mentiri non potuit. Sicut enim illa mulier (*Matth.* IX), quæ sanguinis fluxum patiebatur, quamvis fimbriam vestimenti ejus tenuerit, magis tamen, quia credidit, tetigit Dominum, quam illæ turbæ a quibus premebatur, ita et centurio, quo magis credidit, eo magis accessit ad Dominum.

« Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse « ædificavit nobis. » Qui ædificatam a centurione narrat synagogam, evidenter ostendunt, quia sicut nos ecclesiam, sic etiam illi synagogam, non conventum solummodo fidelium, sed et locum quo conveniebant, sint appellare soliti, juxta quod et supra docuimus.

« Jesus autem ibat cum illis. » Magna Domini sublimitas, qui solo verbo curare valebat, sed non minor humilitas, qui servum dignatus est visitare languentem. Nam quasi potens et benignus et rogatus salvare pergebat, et itineris medio rogatus dicto salvavit, ne videlicet ob impotentiam virium, et non ob humilitatis exemplum, corporaliter ire putaretur. Alibi ad salvandum filium reguli venire noluit, ne divites honorasse videretur: hic, ne conditionem sprevisse servilem, ad centurionis famulum mox ire concessit. « Et cum jam non longe esset a domo, mi- « sit ad eum centurio amicos, dicens: Domine, noli « vexari. Non enim dignus sum ut sub tectum meum « intres. » Propter vitæ gentilis conscientiam gravari se magis dignatione Domini putavit, quam juvari: nec posse habere hospitem Christum, cujus etsi fide præditus, nondum tamen erat sacramentis imbutus. Sed quæcunque nostra infirmitas non præsumit, divina gratia dare novit. Et alius centurio, qui (sicut et iste) credentem ex gentibus populum præfigurat, magnæ fidei et justitiæ merito Spiritus sancti

donum, priusquam baptizaretur, accedit. Et iste nondum catechizatur, et fidem suam laudari a Domino, et famulum salvari promeruit. De quo pulchre per allegoriam dicitur, qui cum Jesum non longe haberet a domo, tamen sub tectum suum invitare non auderet : quia prope amantibus cum salutare ipsius : et qui naturali lege recte utitur, quo bona quæ novit operatur, eo illi qui vere bonus est appropriat. At qui errore gentilitatis etiam crimina junxerunt, his aptari possunt, quibus confluentibus ad se turbis, alibi Dominus ait : « Quidam enim ex eis de longe venerunt (*Marc.* IX). » — « Propter quod et « meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem « ad te. » Et nos qui de gentibus credimus, non ipsi ad Dominum venire possumus, quem nunc in carne videre nequaquam valemus. Sed quicunque passiones nostræ servitutis agnovimus, ad residentem in dextera Patris jam per fidem accedere debemus. Jam seniores Judæorum mittere, hoc est, summos Ecclesiæ viros, qui nos ad Deum præcesserunt, suppliciter obsecrando patronos acquirere, qui nobis testimonium reddentes, quod diligamus Ecclesiam, et quantum in nobis est ædificare curemus, pro nobis apud Dominum nostrorumque peccatis intercedant.

« Sed dic verbo, et sanabitur puer meus. » Magna fides centurionis, qua verbis opus in Christo confitetur, et nostræ sanationis accommodat mysteriis. Qui et si noveramus secundum carnem Christum, sed jam non novimus.

« Nam et ego homo sum sub potestate constitu« tus, habens sub me milites. » Hominem se et potestati, vel tribuni, vel præsidis subditum dicit, imperare tamen posse minoribus : ut subaudiatur cum multo magis, qui Deus sit, et super omnia potens, innumeram virtutis angelicæ, quæ ad imperata obtemperet, habere militiam. « Et dico huic : Vade, « et vadit ; et alii : Veni, et venit ; et servo meo : « Fac hoc, et facit. » Vult ostendere Dominum quoque non per adventum tantum corporis, sed per angelorum ministeria posse implere quod vellet. Repellendæ enim sunt vel infirmitates corporum vel fortitudines contrariæ, quibus ad debilitatem homo sæpe conceditur, et verbo Domini et ministeriis angelorum. Aliter, milites et servi, qui centurioni obediunt, virtutes sunt naturales, quarum non minimam copiam multi ad Dominum venientes secum deferunt, de quibus in Cornelii centurionis laude dicitur : « Quia erat vir justus, et timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas plebi, et deprecans Deum semper (*Act.* X). »

« Quo audito, Jesus miratus est. » Miratus est quod vidit centurionem suam intelligere majestatem. Sed quis in illo fecerat ipsam fidem vel intelligentiam, nisi ipse qui eam mirabatur. Quod et si alius eam fecisset, quid miraretur qui præscius erat? Notandum ergo, quia quod miratur Dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moneri. Omnes enim tales motus cum de Deo dicuntur, non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri. « Et conversus, sequentibus se turbis di« xit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem « inveni. » Non de omnibus retro patriarchis et prophetis, sed de præsentis ævi loquitur hominibus, quibus ideo centurionis fides antefertur, quia illi legis prophetarumque monitis edocti, hic autem nemine docente sponte credidit.

« Et reversi qui missi fuerant domum, invenerunt « servum qui languerat sanum. » Probatur fides Domini, et servi sanitas roboratur. Potest ergo meritum Domini etiam famulis suffragari, non solum fidei merito, sed etiam studio disciplinæ. Plenius sane hæc explicat Matthæus, quod dicente Domino centurioni : « Vade, et sicut credidisti fiat tibi ; sanatus est puer ex illa hora. » Sed beato Lucæ moris est, quæ plene viderit ab aliis Evangelistis exposita breviare, vel etiam de industria præterire : quæ vero ab eis commissa breviter cognoverit, attactu dilucidare solertius. Mystice (ut dixi) centurio, cujus fides Israeli præfertur, electos nimirum ex gentibus ostendit, qui quasi centurio militia stipati virtutum spiritualium sunt, sed perfectione sublimes nihilque a Domino terrenum, sed sola æternæ salutis gaudia sibi suisque requirunt. Numerus enim centenarius, qui de læva transfertur ad dexteram, in cœlestis vitæ significatione poni consuevit. Unde est quod arca Noe centum annis fabricatur. Abraham centenarius filium promissionis accepit : sevit Isaac, et invenit in ipso anno centuplum (*Gen.* XXVI) : atrium tabernaculi centum cubitos longum est (*Exod.* XXVII). Misericordia et judicium cantatur (*Psal.* C), et cætera hujusmodi. Talis ergo meriti viri, pro his necesse est Domino supplicent, quia adhuc spiritu servitutis in timore premuntur, quatenus eis paulatim ad sublimiora provectis, perfecta dilectio foras mittit timorem.

HOMILIA XXVI.

FERIA SEXTA POST CINERUM.

(MATTH. V.) « In illo tempore dixit Jesus discipulis « suis : Audistis quia dictum est antiquis : Diliges « proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum, » et reliqua. Putant quidam præcepta Novi Testamenti impossibilia esse, et dicunt graviora esse præcepta Novi Testamenti quam Veteris. Quibus respondendum est præcepta omnipotentis Dei non esse impossibilia, sed potius perfecta ; si enim pene impossibilia essent, nequaquam ab aliquo sancto observari potuissent. Sed cum ea utcunque sanctos legimus observasse, claret ea impossibilia non esse, sed perfecta. Nam hoc præceptum Domini in quo dicit : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Luc.* VI), » et a beato Stephano, et a David impletum fuisse legimus. Stephanus enim pro suis persecutoribus exoravit (*Act.* VII) ; David autem mortem atrocissimi inimici sui Saulis deflevit (*I Reg.* I). Sed quærendum est quomodo conveniat hoc quod Dominus in Veteri Testamento præcipit : « Diligite amicos, et odite inimicos vestros (*Lev.* XIX). » Ad quod dicendum est, quod omnipotens Deus in inimi-

cis nostris præcepit non hoc odire quod homines sunt, sed quod mali sunt. Nam de Deo loquitur Sapientia : « Nihil odisti eorum quæ fecisti (*Sap.* XI). » Si enim nihil odit eorum quæ fecit, quomodo dicitur per Malachiam : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Mal.* I) ? » Sed Dominus odivit peccatum in Esau, non tamen odivit humanam naturam. Non enim odit Deus hominem quod homo est, sed odit eum in hoc quod peccator est. « Et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. » Persequi est vim inferre : calumniari, occasionem nocendi perquirere. Sed quærendum est, cum Dominus præcipiat orare pro persequentibus et calumniantibus nobis, quid sit, quod in libris prophetarum et in Evangelio quædam imprecationes inveniantur contra persecutores, quæ maledictiones putantur, sicut est illud : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum (*Psal.* LXVIII). » Et Paulus apostolus, cum percussus esset a ministro sacerdotis, respondit : « Percutiet te Deus, paries dealbate (*Act.* XXIII). » Et Dominus in Evangelio : « Væ tibi, Corozaim ! væ tibi, Bethsaida (*Matth.* XI) ! » Ad quod dicendum, quia hæc verba non sunt maledicentis voto prolata, sed prædicentis affectu. Providebat enim Dominus sive prophetæ, ruinam impiorum futuram, et eamdem ruinam non optando proferebant, sed prophetando prædicebant. Iterum quæritur cum Dominus jubeat pro inimicis orare, cur Joannes pro fratribus quibusdam usque ad mortem peccantibus, orare prohibeat. Ita enim dicit in Epistola sua : « Est quoddam peccatum usque ad mortem, non pro illo rogo ut quis oret (*I Joan.* V). » Ad hoc dicendum est, quia inter fratres plerumque sunt quædam peccata persecutionibus impiorum graviora. Est peccatum usque ad mortem, in peccato usque ad mortem perseverare. Vel peccatum usque ad mortem operatur, qui post agnitionem Dei societatem fraternitatis impugnat, et eamdem injuriæ faucibus agitat.

« Ut sitis filii Patris vestri. » Id est, ideo ista facere debetis, ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum facit oriri super bonos et malos. Juxta litteram hoc solummodo intelligendum est. Istas etenim duas creaturas, e quibus omnes fruges nascuntur et foventur, communiter Dominus distribuit, et super Christianos et paganos, bonos et malos.

« Si enim diligitis eos qui vos diligunt, » etc. Et est sensus : Si publicani et peccatores natura duce ad tantam bonitatem se extendunt, ut diligentes se diligant, quanto magis vos latiores in charitate esse debetis, ut non solum amicos, sed etiam inimicos diligatis ? « Nonne et publicani hoc faciunt : » Publicani dicebantur apud Romanos exactores, qui vectigalia a populo exigebant. « Et si salutaveritis fratres vestros tantum, » et reliqua. Si vos illos, qui natura fratres vobis sunt, aut fœdere amicitiæ juncti, salutaveritis, quid amplius facitis quam ethnici ? Ἔθνος Græce, Latine dicitur gens ; inde dicuntur ethnici gentiles. Et gentilis dicitur, qui ita permanet ut nascitur, in eodem videlicet ritu et professione, et in eodem paganismo.

« Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester « cœlestis perfectus est. » Sicut, non est qualitatis, sed potius similitudinis. Ut sicut Deus in natura suæ potestatis perfectus est, ita etiam vos sitis perfecti pro modulo vestræ fragilitatis. Ut sicut Deus solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, sic et vos dilectionem vestram, et solem vestræ charitatis non solum ad amicos, sed etiam ad inimicos extendatis.

« Attendite ne justitiam vestram faciatis coram « hominibus, ut videamini ab eis. » Attendite, id est, cavete ne ad hoc justa opera exhibeatis, ut ab hominibus videamini, et laudem humanam ab eis quæratis. Non est quidem peccatum justa opera coram hominibus facere, sed peccatum est ideo justa opera facere coram hominibus, ut laus ab eis quæratur. Unde et Dominus superius dixit : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V). »

« Dum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere « ante te. » Ex consuetudine Scribarum et Pharisæorum hanc sententiam Dominus traxit. Nam in diebus festivitatum et jejuniorum facturi eleemosynam, præcipiebant ante se tubis canere, ut ad sonitum tubæ multitudo pauperum convenirent, ut videntes hoc populi, qui ad festivitatem confluxerant, laudibus suis eos magnificarent et extollerent, quasi Dei cultores essent, et eos etiam suis muneribus cumularent. Vel possumus hoc altius intelligere. Tuba enim solet in sacro eloquio manifestatione designari. Unde Paulus apostolus dicit : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur (*I Cor.* XV), » id est, in aperto erit resurrectio celebrata. « Amen dico vobis, receperunt mercedem « suam, » hoc est, laudem ab hominibus.

« Te autem faciente eleemosynam, nesciat sini- « stra tua quid faciat dextera tua. » Quod ergo dicit, « nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, » sensus hujuscemodi est : Cum facis eleemosynam, noli in publico eamdem eleemosynam proferre, ne videaris de alterius miseria gloriari. Quicunque enim pro appetitu humani favoris bonum aliquid egerint, sinistra eorum conscia fuit operis eorum. Sinistra enim appetitum humanæ laudis designat. Dextera vero intentionem bonæ voluntatis signat. « Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. » Id est, bonæ voluntati tuæ non misceatur appetitus humanæ laudis et favoris.

« Ut sit eleemosyna tua in abscondito, » hoc est in bona conscientia. Multi sunt enim qui eleemosynas faciunt bona voluntate, licet desit eis facultas quæ tribuatur. Unde dicit Psalmista : « Jucundus homo qui miseretur et commodat (*Psal.* CXI), » ostendens

etiam in misericordia gratiam quamdam eleemo- A synæ esse.

« Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum « tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscon- « dito. » Dixit Dominus superius eos, qui eleemosynam ad sonitum tubæ facerent, hypocritas esse, et eos, qui inordinate jejunant, hypocritas fuisse : et eos, qui in angulis platearum erant orantes, ut viderentur ab hominibus, hypocritas omnino fuisse. Unde datur intelligi quia quicunque bona opera causa humani favoris agit, hypocrita est. Anguli platearum sunt, quadrivia et compita. Anguli platearum sunt ubi per transversum alterius viæ ducitur, et quadrivium reddit. Ideo in quadriviis stabant, ut de quacunque parte venientes homines, viderent eos intendentes orationi, et magnificarent, eos B quasi Dei amicos et observatores legis. « Amen dico vobis receperunt mercedem suam, » id est, laudem humanam. Laudem enim humanam, quam appetiverunt ab hominibus, pro mercede consecuti sunt. « Tu autem cum oraveris. » Instituit Dominus bonum athletam ; ac si diceret : Tu qui causa vitæ æternæ oras, « intra in cubiculum tuum, » id est, in secretum cordis tui. « Et clauso ostio » oris, « ora Patrem tuum. » Non in clamosa voce, sed in contritione spiritus, sicut faciebat Anna mater Samuelis (*I Reg.* I), quæ orando tantummodo labia movebat, sed penitus nulla vox illius audiebatur. Vel « clauso ostio » cordis, contra malas cogitationes ut cum oraveris, ne malæ cogitationes habeant aditum et introitum in corde tuo. Vel « clauso ostio, » id est, sensuum nostrorum. C

HOMILIA XXVII.

SABBATO POST CINERUM.

(Luc. XIV.) « In illo tempore, dicebat Jesus cui- « dam principi Pharisæorum : Cum facis prandium « aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fra- « tres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque « divites, » et reliqua. Fratres amicos, et divites, alterutrum convivia celebrare, non quasi scelus interdicit, sed sicut cætera necessitatis humanæ commercia, ubi peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia, ad promerenda vitæ cœlestis præmia nil valere ostendit. Denique subjungit : « Ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi, inquit, « retributio. » Non ait, et fiat peccatum, sed « et D fiat, inquit, retributio. » Cui simile est quod alibi dicit : « Et si bene feceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt (*Luc.* VI). » Quamvis sint quædam mutua fratrum, amicorum, cognatorum, vicinorumque divitum convivia, quæ non solum in præsenti retributionem, sed et damnationem præcipiant in futuro. Denique ab Apostolo inter opera tenebrarum adnumerantur : « Sicut in die, inquit, honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus (*Rom.* XIII). » Comessationes quippe sunt luxuriosa convivia, quæ aut collatione omnium celebrantur, aut vicibus solent a contubernalibus exhiberi, ut neminem pudeat inhoneste aliquid dicere aut facere : quia ad hoc conveniunt, ut fœda illic gerantur, et copia vini incitetur libidinis diversa voluptas.

« Sed cum facis convivium, voca pauperes, de- « biles, claudos et cæcos, et beatus eris : quia non « habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in « resurrectione justorum. » Resurrectionem justorum dicit, quia etsi omnes resurgent, eorum tamen non immerito quasi propria cognominatur, qui et in hac se beatos non dubitant esse futuros. Ergo qui pauperes vocat ad convivium, in futuro percipiet præmium. Qui amicos, fratres et divites vocat, recipit mercedem suam. Sed etsi hoc propter Deum facit, in exemplum filiorum Job, sicut cætera fraternæ dilectionis officia, ipse qui jussit remunerat. Qui gulosos ac luxuriosos propter lasciviam invitat, pœna in futuro plectetur æterna.

« Hæc cum audisset quidam de simul discumben- « tibus, dixit ei : Beatus qui manducabit panem in « regno Dei. » Panis qui manducatur in regno Dei, non juxta Cerinthum, corporalis intelligendus est cibus, sed ille utique, qui ait : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (*Joan.* VI). » Id est, si quis meæ incarnationis sacramento perfecte incorporatus, meæ divinæ majestatis visione frui meruerit, hic perpetua vitæ immortalitatis beatitudine gaudebit. Sed quia nonnulli hunc panem fidetenus quasi adorando percipiunt, dulcedinem ejus attingere veraciter gustando fastidiunt.

HOMILIA XXVIII.

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

(Matth. IV.) « In illo tempore, ductus est Jesus in « desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et « cum jejunasset quadraginta dies, » et reliqua. In hujus lectionis serie utramque suam naturam, divinam scilicet et humanam, nobis Dominus manifestare dignatus est. Quod enim quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit, declaratio est divinæ potestatis : quod vero, consummatis illis, esuriit ut homo, quasi homo a diabolo tentatus est : sed quasi Deus tentationes diaboli superavit. Sed fortasse minus intelligentes ignorant a quo spiritu sit Jesus ductus in desertum, propter illud maxime quod subditur : « Assumpsit eum diabolus in san- « tam civitatem, » vel in montem excelsum. Sed quod vere et absque ulla ambiguitate a Spiritu sancto in desertum ductus esse credatur, facile agnoscitur, si hujus evangelii superiora parumper attendamus. Ait enim Evangelista (*Matth.* III) : « Venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. » Baptizatus autem, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens : « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui. » Statimque adjunxit : « Tunc Jesus ductus est in desertum a

« Spiritu, ut tentaretur a diabolo. » Ostendens non ab alio, sed ab ipso Spiritu sancto, qui super eum in specie columbæ descendit, in desertum esse ductum. Quod etiam alii evangelistæ, Marcus scilicet et Lucas, manifestius declarant. Ait enim Marcus : « Et statim expulit eum Spiritus in desertum, et erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et tentabatur a Satana, eratque cum bestiis, et angeli ministrabant ei (*Marc.* I). » Lucas vero ait : « Jesus, repletus Spiritu sancto, regressus est ab Jordane : et agebatur a Spiritu in desertum diebus quadraginta, et nihil manducavit in illis diebus. Et consummatis illis, esuriit (*Luc.* IV). » In quibus verbis manifestissime cognoscimus quia ibi eum Spiritus sanctus duxit, ubi occasionem tentandi malignus spiritus inveniret. Dandus enim erat diabolo locus tentandi, ut fieret Christo occasio superandi. Permisit enim se a maligno spiritu tentari, ut nobis exemplum pugnandi ostenderet. Quod apostolus Paulus in Epistola sua ad Hebræos, cum de Domino loqueretur, dicit : « Non enim habemus pontificem, qui non possit infirmitatibus nostris compati, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato (*Hebr.* IV). » Adeamus ergo ad thronum gloriæ cum fiducia, ut misericordiam consequamur, et inveniamus gratiam in auxilio opportuno. Sed cum mens humana creatorem suum et redemptorem, qui nullum omnino peccatum habuit, a diabolo audit tentatum, metu fragilitatis suæ expavescit. Sed qui ex humana fragilitate terretur, ex conditoris sui compassione fiduciam resumere debet. Qui enim propter nos homo fieri dignatus est, in humana natura se tentari pro nobis permisit, ut sua tentatione nostram excluderet : nec solum impugnandi contra diabolum audaciam tribueret, sed etiam vincendi fiduciam restauraret. Fortasse etiam videtur a quibusdam incredibile Dominum a diabolo fuisse tentatum. Sed nihil in ejus tentatione timendum esse cognoscimus, nec incredibile, si ejus alia facta pensemus. Pro certo enim scimus, quoniam omnium reproborum caput diabolus est et hujus capitis membra omnes sunt iniqui. Nunquid non membrum ejus fuit Pilatus? Nunquid non membra ejus fuerunt Judæi persequentes, et milites crucifigentes? Utique. Cum ergo majus sit occidi quam tentari, quid mirum si voluit a diabolo tentari, qui se permisit a membris ejus crucifigi? Nec est incredibile, si quod minus est a capite pertulit, qui quod majus est, a membris sustinuit. Sed illud sollicite nobis considerandum est, quod statim post baptismum tentationes diaboli Dominus pertulit : ut intelligamus quia tunc tentationibus diaboli acrius premimur, quando ab ejus servitute vel dominio recedere cœperimus, juste piaque vivere cum Christo volentes. Quod alibi in Evangelio declaratur, quando recessurus a puero elisit eum, et multum discerpens et clamans, exivit ab eo (*Luc.* IX). Sicut enim rex non contra subditas, sed contra rebelles nationes bellum movet : ita diabolus validius eos, quos a sua servitute recedere viderit, et ad leve jugum Christi

A festinare, impugnat. Tunc enim graviores dæmonum tentationes electi sentiunt, quando aliquod bonum propositum inchoare volunt. Quod in exemplo Israelitarum didicimus, qui tunc a Pharaone durius afflicti leguntur, quando per Moysen et Aaron ad terram repromissionis sunt vocati. Contra cujus jacula tentationum, nos spiritualia arma sumere movet quidam sapiens, dicens : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et tremore, et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccle.* II). » Et Apostolus : « Induite vos armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus

B (*Ephes.* VI). » Et quasi quæreres quæ essent hæc arma, idem Apostolus exponendo subjungit : « State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ibid.*). » Pugnaturus autem Dominus cum diabolo, in desertum secessit : ut ostenderet nobis quia, si ejus tentationes volumus perfecte superare, non solum turbas dæmonum, sed etiam concordiam malorum hominum debemus vitare. Sicut enim bonorum hominum concordia plurimum juvat, sic malorum societas infirmis mentibus multum nocet, et teste Psalmista, qui ait : « Cum sanctis sanctus eris, et cum viro innocente innocens

C eris. Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris (*Psal.* XVII). » Unde nos Salomon admonet, dicens : « Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso : ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ (*Prov.* XXII). » Et ideo qui laqueos tentationum cupit evadere, malorum societatem aliquando corpore, semper autem mente debet fugere, in exemplo ejus, qui in regali aula vel inter turbas populares positus, dicebat : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV).

« Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. » In eo quod superaturus Dominus diabolum, quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit, necessaria arma

D contra tentationes diaboli, jejunium et orationem esse ostendit, juxta illud quod ipse ait in Evangelio : « Hoc genus non ejicitur, nisi in oratione et jejunio (*Matth.* XVII). » Et Paulus : « Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet (*I Cor.* IX). » Cum ergo quadraginta diebus et noctibus jejunavit, omni tempore vitæ præsentis electos contra tentationes antiqui hostis certamen habere docuit. Sive certe quadraginta diebus et quadraginta noctibus Dominus jejunavit, prædicaturus Evangelium, ut ostenderet Vetus a Novo non discrepare Testamentum. Legimus enim duos eximios Patres quadraginta diebus et noctibus jejunasse, Moysen scilicet et

Eliam. Quorum alter legislator fuit, alter eximius prophetarum. Per Moysen ergo lex, per Eliam prophetia significatur. Ut ergo ostenderet Dominus, non aliud in Evangelio se esse docturum, nisi quod lex et prophetæ de eo pronuntiaverunt, quadraginta diebus et noctibus jejunare voluit. Quoniam sicut ipse ait in Evangelio, non venerat legem prophetasque solvere, sed adimplere (*Matth.* v). Unde bene, cum transfiguratus esset in monte, Moyses et Elias cum eo visi esse leguntur, prædicantes ejusdem passionis excessum in Jerusalem. Vel certe, cum jejunavit, cunctis diebus vitæ præsentis electos in afflictione futuros esse ostendit. Est et aliud in hoc quadragenario numero, quod considerare oportet. Numerus enim iste ab uno incipit, sed crescendo multiplicatur, ita ut si ad unum addas duos, fiunt tres: adde tres, fiunt sex: adde quatuor, fiunt decem. Sicut ergo unum, duo, tres, et quatuor, decem fiunt: ita unum, duo, tres, et quatuor, quater ducti, quadraginta fiunt. Et denarius quidem numerus ad Vetus pertinet Testamentum, propter decalogum legis: quadragenarius vero, ad gratiam pertinet Novi Testamenti, quia quatuor sunt libri sancti Evangelii. Idem autem numerus præsentis vitæ cursum significat, quia mundus in quatuor species dividitur, orientem, occidentem, septentrionem et meridiem. Et ex his mundi partibus fideles colligit, sicut scriptum est: « Quos redemit de manu inimici, de regionibus congregavit eos: a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari (*Psal.* cvi). » Quasi enim denarium multiplicando quater ducentes, ad quadragenarium numerum pervenimus, quando legem spiritualiter intelligendo, latius per gratiam Novi Testamenti explicamus. Augetur enim lex, cum spiritualiter interpretatur: quia præcepta tanto magis crescunt, quanto subtilius fuerint excussa. Est etiam aliud in hoc quadragenario numero, quod curiosus lector adjicere potest. Decem namque Moysi præcepta data sunt in duabus tabulis scripta, in una quidem tria, in alia septem. Et tria quidem ad dilectionem Dei pertinent: quia Deus inseparabilis Trinitas est, quem jubemur diligere toto corde, tota mente, tota anima. Septem autem ad dilectionem pertinent proximi, quem etiam sicut nos diligere præcipimur: et pulchre, quia totus homo noster, interior et exterior, septem qualitatibus constat. Interior, intellectu, memoria, et voluntate: exterior, terra, aqua, igne et aere, id est callida frigida, sicca et humida. Septem ergo et tria decem fiunt. Et nos igitur jungamus septem ad tres, ut ad perfectum numerum perveniamus, id est toto dilectionis affectu, creatori nostro inhæreamus. Et quia indigne vivendo præcepta Decalogi transgressi sumus, ipsam carnem per pœnitentiam affligamus, ut ad quadragenarium perfectum numerum pervenire possimus. Nec debet onerosum videri, si de hoc quadragenario numero, pro communi utilitate, aliqua adhuc inseramus. A præsenti die usque ad sanctum Pascha, quadraginta duo dies venturi sunt, quorum sunt hebdomadæ sex. Subtra- A ctis ergo sex diebus qui in Dominicis eveniunt, non amplius quam triginta sex in abstinentia remanent. Cum autem anni circulus per trecentos sexaginta quinque dies volvitur, si recte consideremus, hoc tempus quadragesimæ, decimatio est vitæ nostræ. Dignum est enim, ut qui per totum annum nobis viximus, saltem istis, diebus sacris Deo vivamus: ut non solum de nostris rebus, sed etiam de nostris corporibus Deo decimas demus. Et abundet justitia nostra, si volumus intrare in regnum cœlorum, super scribarum et Pharisæorum: ut cum illi darent decimas rerum, nos demus decimas dierum. In abstinentia prompti, in orationibus assidui, in eleemosynis largi: maceremus carnem nostram per abstinentiam, mentem per compunctionem, ut (secundum Apostolum) B exhibeamus corpora nostra hostiam viventem (*Rom.* xii). Hostia enim immolatur et vivit, quia homo a præsenti vita non deficit, et tamen per abstinentiam suam carnem affligit. Tanto enim acceptabiliorem hostiam Deo offert, quanto non extra se, sicut est agnus, sed in seipso quærit quod Deo immolet, Scriptura dicente: « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* l). » Sicut enim fomentum omnium vitiorum est gula, sic nutrix omnium virtutum abstinentia; bonum autem abstinentiæ, a principio commemoremus. Quandiu enim primi parentes in paradiso manserunt, tandiu a cibo vetito abstinuerunt. Postquam vero gulæ desideriis satisfecerunt, paradisi amœnitatem protinus amiserunt. Et post hæc Moyses qui jejunavit, legem Dei accepit: populus qui comC edit, idola fabricavit. Unde scriptum est: « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere (*Exod.* xxxii). » Mortis quoque sententiam Jonathas promeruit, quod indictum jejunium a patre, nesciens violavit (*I Reg.* xiv). Daniel namque et tres pueri, qui in aula regis miræ abstinentiæ fuerunt, non solum leonum dentes evaserunt, et fornacem ignis non senserunt, sed etiam interpretandi sacra mysteria scientiam acceperunt (*Dan.* iii). Joannes quoque, quia miræ abstinentiæ fuit, redemptorem non solum videre, sed etiam baptizare meruit. Quid plura? Ipse mediator Dei et hominum homo factus, ut superaret diabolum, quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit, ostendens invictissima arma esse jejunium et abstinentiam contra insidias diaboli. Quibus D exemplis invitati, virtutem abstinentiæ toto corde suscipiamus, ut et futura mala possimus extinguere, et præterita peccata diluere, in exemplo Ninivitarum, qui minitantis Dei iram, per triduam evaserunt abstinentiam (*Joan.* iii). Sed quia comes jejunii eleemosyna est, dignum est, ut quod corpori nostro subtrahimus per abstinentiam, pauperibus erogemus per misericordiam. Illud ergo jejunium Deus non approbat, quod eleemosyna non ornat. Quia tale est jejunium sine eleemosyna, qualis sine oleo lucerna. Unde ipse Dominus per prophetam quosdam jejunantes, sed ab eleemosyna cessantes redarguit, dicens: « Cum jejunaretis et plangeretis, nonne vo-

bismetipsis jejunastis et planxistis (*Zach.* VII)? » Sibi enim et non Deo jejunat, qui hoc quod corpori subtrahit per abstinentiam, non pauperibus erogat, sed sibi in posterum reservat. Qui autem jejunat et eleemosynam tribuit, necesse est ut ab omni iracundia et odio atque impatientia cor suum custodiat. Quia frustra seipsum affligit in corpore, qui odium servat in corde, sicut Dominus quosdam jejunantes increpat dicens: « Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie (*Isa.* LVIII). » Et e contra Dominus per Joel: « Sanctificate jejunium (*Joel.* I). » Sanctificare jejunium, est cum abstinentia carnis eleemosynam tribuere, et cætera pietatis opera impendere. Quapropter secundum Apostolum, qui ait : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI), » dignum est ut in his diebus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in jejuniis, in vigiliis, in castitate, in charitate non ficta. Quantum autem pacis concordiam Dominus in nobis diligat, ipse manifestat in Evangelio, cum clamat: « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversus te (*Matth.* V), » etc. Tanto enim securius resurrectionis diem celebrabimus, quanto districtius præsentis temporis dies observaverimus. Unde qualis merces, imo quanta gloria simplici corde jejunantibus, et eleemosynam largientibus maneat, ipse Dominus ostendit : qui cum dixisset per Prophetam (*Isa.* LVIII) : « Hoc est jejunium quod elegi : frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris, adjecit : Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet, Ecce adsum (*Ibid.*). » Congrua autem ratione magistri Ecclesiæ, quadragesimæ tempus ante Domini passionem observandum esse statuerunt, ut intelligamus quia præsentis vitæ afflictio immortalitem futuram parit. Ad quam rem confirmandam, ipse Dominus qui quadraginta diebus ante passionem jejunavit, quadraginta etiam post resurrectionem cum discipulis conversatus est, utrumque tempus quadraginta dierum numero complens : ut ostenderet, in præsenti vita tempus esse afflictionis, et in futuro gaudii. Cum enim quadraginta diebus ante passionem jejunaret, quasi clamabat : « Nisi pœnitentiam egeritis, moriemini in peccatis vestris (*Luc.* XIII) ; » et Petrus : « Abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam (*I Petr.* II). » Dum vero post resurrectionem suam cum discipulis conversaretur, eorum corda lætificans, quasi illud gaudium ineffabile promittebat, de quo alibi ait : « Iterum videbo vos et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XIV). » Et iterum : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). »

A Jejunavit autem non solum quadraginta diebus sed etiam noctibus : ut sive prospera blandiantur quæ significantur per dies, sive adversa terreant, quæ significantur per noctes, immobiles perseveret animus Christianus, sicut faciebat ille, qui dicebat : « Per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti (*II Cor.* VI). » Bene autem postquam dictum est « cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, » additum est, « postea esuriit, » ut vera in illo humanitas esse ostenderetur. Hoc enim de Moyse et Elia scriptum non legimus, quia nulli dubium, quod post jejunium ut puri homines esurierint : sed de illo, qui ita Deus erat, ut etiam homo esset, B dignum fuit ut scriberetur. Vel certe post jejunium esuriit, ut occasio tentandi diabolo præberetur. Quem enim quadraginta diebus et noctibus jejunantem videbat, fortasse tentare non auderet, nisi eum esurientem iterum cerneret. Et quem post jejunium esurientem vidit, quasi hominem tentare præsumpsit. Unde et subditur :

« Et accedens tentator, dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. » Quia esurienti panis congruit, quem esurientem vidit, ut de lapidibus panem faceret, persuasit. Sed forte movet aliquem, unde diabolus, ut Dominum tentaret, occasionem sumpserit, et cur eum Filium Dei æstimaverit. Ad quod respondendum, quia forte audivit Dei Patris vocem intonantem: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* XVII). » Et ideo quem C testante Patre Deum audivit, hominem credere distulit. Nisi enim Deum illum æstimaret, nequaquam per obsessum hominem diceret : « Quid tibi et nobis, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos (*Matth.* VIII)? » Sed quia quæ hominis sunt in eo vidit, utrum Deus esset usque ad mortem ignoravit. Ita enim Dominus noster Jesus Christus sua opera temperavit, ut diabolus ejus adventum cognoscere non posset, et per virtutem miraculorum suorum se Deum esse mundo manifestaret. Conceptus quippe est ut Deus, sed natus ut homo. Ut Deus a Magis est adoratus, ut homo a parentibus in Ægyptum deportatus. Quasi Deus jejunavit, quasi homo esuriit. Quasi homo dormivit, quasi Deus ventis et mari imperavit. Quasi Deus de paucis panibus multa millia D hominum satiavit, quasi homo terreno cibo indiguit. Et ad ultimum, ut homo crucifixus est, sed quasi Deus resurrexit. Tria enim hujus mundi principem in Domino latuerunt, conceptio, partus, et passio. Quia sicut dicit Apostolus : « Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Sed quia ejus divinitatem voluit explorare, ideo accedens ad tentandum, dixit: « Si Filius Dei es, » etc. Duobus enim modis ipsa sua tentatione diabolus tenetur astrictus. Si enim tantum hominem æstimavit et non Deum, quare ut de lapidibus panes faceret tentavit, cum hoc Deo impossibile non sit? Sicut diximus, quasi dubius et incertus loquebatur.

« Quia respondens dixit: Scriptum est: Non in solo « pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit « de ore Dei. » Magna est Domini potentia, sed non minor ejus declaratur patientia. Qui enim solo verbo tentatorem suum, aut in lapidem convertere, aut in abyssum poterat mergere, ejus tentationes sustinuit, ostendens nobis non esse timendum cum tentamur, sed cavendum ne tentationibus consentiamus. » Beatus enim vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se (*Jacob*. I). » Nec potestate, sed auctoritate diabolum Dominus voluit superare, ostendens nobis quotiescunque a diabolo tentamur, ad auctoritatem Scripturarum semper esse recurrendum. Et hoc faciendum quod Scriptura monet, non quod diabolus suggerit. Sed quod Dominus dicit: « Non in solo pane vit homo, » juxta litteram ita est, quoniam vita hominis non in solo pane est constituta, sed varios cibos ad illius usus Deus condidit, scilicet pecorum carnes, avium et piscium, atque diversa genera fructuum. Quod vero subjungit: Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, » ostendit esse aliam vitam corporis, aliam animæ. Vita enim corporis anima est, vita animæ Deus. Et sicut corpus moritur, si non pascitur cibo carnali, ita moritur anima, nisi reficiatur verbo Dei: non ut non sit, sed ut mala sit. Quia « non in solo pane vivit homo, sed « in omni verbo quod procedit de ore Dei. »

« Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civita- « tem. » Sanctam civitatem in hoc loco Evangelista Jerusalem appellat: non quod tunc sancta esset, sed quia pristinum nomen reservavit. Sive certe sanctam eam dicit, ad comparationem aliarum civitatum, in quibus colebantur idola. « Et statuit eum supra pin- « naculum templi. » Pinnaculum autem templi, sedes erat sacerdotalis, quæ omnem altitudinem templi supereminebat, ubi sacerdotes verbum facturi ad populum, ascendere soliti erant, ut facilius possint audiri et videri. Non enim more nostro in Palæstina (scilicet terra repromissionis, quæ ideo Palæstina dicitur, eo quod Palæstini ibi habitaverunt) domos ædificant, sed planas eas desuper faciunt ad sedendum, vel ad deambulandum. Per circuitum quoque tecti murum ædificant, ut securius super eas incedere possint. Unde Moyses populo præcepit, dicens: « Cum ædificaveris domum novam, facies per circuitum tecti murum, ne sis reus labente proximo et in præceps ruente (*Deut*. XXII). » Ad hanc ergo similitudinem domus Oziæ regis ædificata fuisse creditur, de quo scriptum est: « Quia cecidit per cancellos domus suæ, et mortuus est (*IV Reg*. I). » Super omne ergo templum pinnaculum altius erat, de quo præcipitatus legitur Jacobus frater Domini, eo quod annuntiaret in Jerusalem resurrectionem ex mortuis. In hoc igitur pinnaculo assumpsisse diabolus Dominum dicitur, non sua potestate, sed Domini permissu et voluntate. Ipse enim in pinnaculo propria voluntate ascendit, ut occasionem tentandi diabolo daret. Notandum autem, quod præcipitium persuadens diabolus ait:

A « Si Filius Dei es, mitte te deorsum. » Non enim quos decipit sursum ascendere monet, sed deorsum ruere suadet. Unde pulchre Symmachus diaboli nomen *deorsum fluens* interpretatus est, ut quod ait in voluntate, hoc etiam sonaret in nomine. Nec solum præcipitium diabolus persuasit, sed etiam ut facilius ei crederetur, auctoritatem Scripturæ adhibuit, dicens:

« Scriptum est enim, quia angelis suis mandavit « de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad « lapidem pedem tuum. » Ex quo loco cognoscimus quia diabolus male Scripturas interpretatur. Hoc enim non de persona Domini scriptum est, sed in persona justi viri canitur, qui adjutorio indiget angelorum, ne offendat ad lapidem, hoc est, in legem quæ B in tabulis lapideis scripta est: vel etiam in Christum, qui est spiritualiter petra, sicut ait Apostolus: « Petra autem erat Christus (*I Cor*. X). » Et Propheta: « Ecce ego ponam in Sion lapidem offensionis et petram scandali (*Isa*. VIII). » Nam si verum diabolus dicere voluisset, illud debuerat dicere quod in eodem psalmo sequitur: « Super aspidem et basilicum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem (*Psal*. XXX). » Ipse est enim aspis, qui veneno tentationum animas hominum necat. Ipse basilicus, qui flatu iniquæ persuasionis animas interimere conatur. Ipse est leo, qui circuiens quærit quem devoret. Ipse est et draco, qui homines quos decipit in voraginibus pœnarum absorbendo pertrahit. Dominus autem super aspidem et basilicum ambulavit, et conculcavit C leonem et draconem, qui antiqui hostis insidias propria virtute confregit: ita ut nulli Christiano nocere possit, nisi nos ei sponte subjiciamur. Sed hunc versiculum, quem diabolus de se scriptum noverat, quasi callidus tergiversator tacuit. Et quod in persona viri justi canitur, Domino quasi infirmo homini opposuit, dicens: « Scriptum est quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, » etc. In quo loco et illud cognoscimus, quia ad custodiendam sanctorum vitam angeli deputantur, teste Apostolo, qui ait: « Sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr*. I). » Et Dominus in Evangelio de parvulis: « Angeli eorum semper vident faciem Patris (*Matth*. XVIII). » Unde in Actibus apostolorum, cum Petrus ad januam pulsaret, dictum est: « Non est D Petrus, sed angelus ejus est (*Act*. XII). » Hinc ait angelus Tobiæ: « Cum oraretis, ego obtuli orationes vestras ante Deum (*Tob*. XII). »

« Ait illi Jesus rursum: Scriptum est: Non tenta- « bis Dominum Deum. » Notandum quod utilia testimonia Dominus adversus diabolum ex Deuteronomii libro assumpsit, secundæ legis faciens mentionem, ut eam sanctam et justam esse demonstraret, atque veris clypeis falsa inimici jacula confringeret, cujus victoriæ typum quondam David tenuit, quando singulari certamine cum Philisthæo pugnavit, arma regalia deposuit, et quinque limpidissimos lapides

de torrente assumpsit, quos in peram pastoralem posuit: e quibus unum in fundam misit, et Philisthæum in frontem percutiens in terram prostravit, ejusque caput gladio illius amputavit, magnam gratiam et gloriam tribuens populo suo (*I Reg.* XVII). Quem enim David, qui *manu fortis* interpretatur, melius quam Dominum Jesum Christum significat, quia de ejus stirpe carnem assumpsit? Qui recte manu fortis dicitur, quia singulariter diabolum prostravit, de quo scriptum est: « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII). » Pugnaturus ergo cum Philisthæo, quinque limpidissimos lapides elegit, sed uno in fronte Philisthæum percutiens, in terram prostravit, quia Dominus ad convincendam diaboli versutiam quinque libros Moysi assumpsit, quorum uno Philisthæum in frontem percussit: quia ex Deuteronomii libro tria testimonia adversus trinam ejus tentationem opposuit, sicque victoriam de antiquo hoste obtinens, magnam lætitiam in se credentibus reportavit.

« Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi, « et gloriam eorum. » Sicut de pinnaculo, ita de monte sentiendum est. Nec putandum est, quod diabolus nolentem Dominum in montem excelsum assumere potuerit, sed ejus malam voluntatem Evangelista pro facto posuit. Nam ipse propria voluntate in montem ascendit, ut diabolo locus tentandi, et Christo esset occasio triumphandi: quoniam nisi esset locus tentandi, non esset triumphus vincendi. Nonnulli autem juxta litteram hunc montem Olympum fuisse asserunt, qui tanto altior præ cæteris esse fertur, ut etiam intra se nubes habere videatur. Alii vero dicunt eum fuisse Thabor, qui valde excelsus fuisse narratur Sed quicunque mons fuerit, Dominus tamen sponte (ut diximus) in eum ascendit. Spiritualiter autem per montem, in quo diabolus Dominum tentavit, superbia intelligitur. Cum ergo diabolus Dominum in monte tentavit, datur intelligi, quia eos quos decipit, in superbiam mentis erigere suadet, de quo per beatum Job dicitur: « Omne sublime videt, et ipse rex super omnes filios superbiæ (*Job* XLI). » Et Apostolus: « Initium omnis peccati superbia est (*Eccli.* X): » quia sicut diabolus per superbiam de cœlo cecidit, sic quoscunque decipit, per superbiam peccare facit. Gloriam mundi dicit aurum, argentum, lapides pretiosos, et cætera amabilia mundi, in quibus maxime mundi amatores gloriantur. Non putandum est autem omnia regna mundi et gloriam eorum simul Domino ostendere potuisse ab alio, nisi a seipso; sed qui omnia creavit per Divinitatem, ipse omnia, juxta quod voluit, simul vidit per humanitatem: sive totum, ita ut est, sive in sphæram collectum, ut scilicet (sicut supra jam diximus) diabolo daretur occasio tentandi. Nec mirum, si Domius sic totum mundum prospicere potuit, qui etiam quibusdam sanctis hoc in munere præstitit, ut eum in sphæram collectum videre possent. In eo vero quod ait: « Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me, » falsidicus convincitur. Neque omnia regna mundi, vel gloriam eorum potestatem habet dandi cui vult, quando nec substantiam beati Job lædere ausus est, antequam esset a Deo permissus, ipso diabolo dicente Domino: « Mitte manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi (*Job.* I). » Quod ex eo facile etiam cognoscimus quia sanctos viros in possessione argenti et auri prædivites fuisse legimus, quod omnino non essent, si in potestate diaboli omnia regna mundi fuissent. Quia vero omnis, qui diabolum adorat, prius per consensum pravæ operationis a conspectu Dei cadit, voce dicitur diaboli, si cadens adoraveris me. » Ubi considerandum, quia prius dixit cadere, et post adorare. Cadit enim homo, quando peccare consentit. Quasi vero post casum diabolum adorat, quando ipsa peccata opere perpetrat, sicut de avaris per Apostolum dicitur: « Et avaritia, quæ idolorum est servitus (*Ephes.* V). » Et de talibus per Psalmistam dicitur: « Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare (*Psal.* XXXV.) » Sed quæritur quare sancti evangelistæ, Matthæus scilicet et Lucas, in descriptione tentationum discordare videntur, maxime cum in prima concordent, et in secunda et in tertia dissentiant? Quam enim Matthæus posuit secundam, Lucas tertiam, et quam Lucas tertiam, Matthæus secundam. Ad quod respondendum, quia uterque veritatem scripsit, quoniam Lucas ordinem (sicut ad litteram factæ sunt) servavit: quia prima in deserto, secunda in monte, tertia in civitate facta est. Matthæus vero subtilius ordinem tentationum, quo diabolus primum hominem in paradiso decepit, consideravit. Tribus quippe modis diabolus in paradiso primum hominem tentavit: quia hunc gula, vana gloria, et avaritia tentavit (*Gen.* III). Gula quippe tentavit, quia cibum vetitum comederet persuasit vana gloria, cum dixit: « Eritis sicut dii: » avaritia, cum subjunxit: « Scientes bonum et malum. » Avaritia enim non solum in cupiditate pecuniæ est, sed etiam in ambitione honoris, dum ultra naturam vel mensuram suam honor indebitus quæritur, sicut de unigenito Filio Dei, qui hanc appetere noluit, Paulus apostolus dixit: « Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Philipp.* II). » Sed quia his tribus modis diabolus hominem in paradiso prostraverat, tentaturus Dominum, ad consueta arma recurrit, iisdem jaculis putans eum se posse vulnerare, quibus primum hominem peremerat. Gula quippe eum tentavit, cum dixit: « Si Filius Dei es, dicut lapides isti panes fiant. » Vana gloria, cum ait: « Si Filius Dei es, mitte te deorsum. » Avaritia, cum subjunxit: « Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. » Sed Dominus, qui genus humanum de ejus potestate liberare venerat, eodem aditu ejus tentationes exclusit, quo primum hominem se tenere putabat. Ubi considerandum nobis est, quia non, qui de stirpe primi hominis sumus creati, et per secun-

dum hominem redempti, his tribus modis tentare non cessat, maxime istis diebus quadragesimæ, quo nostram religionem studiosius erga amorem Dei fervere videt. Gula igitur nos tentat, cum vel horam constitutam antecedere persuadet, vel ad horam constitutam super mensuram edendum, et deliciosa vel superflua convivia suggerit exhibere. Sed si in hac parte nos cautos invenerit, tentat per avaritiam, ut scilicet quod corpori subtrahimus per abstinentiam, non pauperibus erogemus per largitatem, sed nobis in posterum reservemus per cupiditatem. Si vero nec in hoc consensum ei præbuerimus, tentat per vanam gloriam, ut in eo quod jejunamus, vel largiores eleemosynas tribuimus, laudem hominum magis quam Dei quæramus. Sed nos Domini exemplo instructi, vincamus gulæ appetitum per abstinentiam; avaritiæ per largitatem; vanæ glosiæ per humilitatem; juxta quod nos beatus Joannes admonet, dicens: « Filioli, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (*I Joan.* II). » Concupiscentia, videlicet carnis, pertinet ad gulam: ambitio sæculi ad avaritiam; concupiscentia oculorum ad vanam gloriam. Quod ergo his tribus tentationibus, in quibus a Domino superatus est diabolus, maxime genus humanum a Domini voluntate retrahatur, illa parabola Evangelii indicat (*Luc.* XIV, ubi, qui ad cœnam invitati venire recusaverunt, tres excusationes protulerunt. Primus dixit: « Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam. Alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probare illa. Tertius quoque ait: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. » Ideo et nos calliditates diaboli prævidentes, per arma justitiæ a dextris et a sinistris tuti, ex totis conaminibus repugnare studeamus.

« Tunc ait illi Jesus: Vade, Satana. » Nonnulli putant eamdem sententiam audisse diabolum quam et Petrus audivit, sed multum inter se diversæ sunt. Petro enim ignoranter mysterium passionis contradicenti dictum est: Vade retro me, Satana, quod est dicere: Sequere, id est imitare me, qui contrarius es voluntati meæ. Diabolo autem non dicitur, vade retro me, sed absolute, vade, Sanata, ut subaudiatur in infernum. « Scriptum est enim: Dominum « Deum tuum adorabis, et illi soli servies. » Et hoc testimonium (sicut et superiora) in Deuteronomio scriptum est. Ubi considerandum nobis est, quia cum dicente diabolo: « Hæc omnia tibi dabo, si ca- « dens adoraveris me, » Dominus respondit: « Domi- « num Deum tuum adorabis, » ostendit quia diabolus illum quasi Deum et Creatorem suum adorare debuerat, non se ad adorandum, qui erat creatura, tentare. Sed quæritur, cum Dominus dicat: « illi soli « servies, » quare apostolus Paulus dicat per charitatem servire invicem. Quomodo ergo Domino sol servire præcipitur, cum servitium commune dicitur? Quomodo autem utrumque contrarium non sit, facile agnoscimus si proprietatem Græci sermonis, ex qua Scriptura translata est, attendamus: apud Græcos servitus duobus modis dicitur: dicitur enim λατρεία, dicitur et δουλεία. Sed λατρεία illa servitus est quæ soli Deo debetur per culturam et venerationem, qua auctori et conditori omnium. Unde et εἰδωλολατρείας nomen compositum est ex εἴδωλος et λατρεία; eo quod honorem et servitutem soli Deo debitam, homines stulti idolis deferre voluerunt; δουλεία autem illa servitus dicitur quæ communis est, et invicem a fidelibus exhibenda. Unde et servus δοῦλος apud eos appellatur, Jubemur ergo et per charitatem servire invicem, quod pertinet ad δουλείαν et jubemur iterum soli Deo servire, quod pertinet ad λατρείαν, ut ejus honorem nulli creaturæ deferamus. Quod enim ait Apostolus: « Servi, obedite dominis carnalibus (*Ephes.* VI), » ad δουλείαν pertinet; quod vero in alio loco ait: « Nos sumus circumcisio, spiritu Deo servientes (*Philip.* III), » ad λατρείαν pertinet: unde et eodem loco apud Græcos λατρεύοντες scriptum est.

« Tunc reliquit eum diabolus. » Reliquit eum quem nunquam tenuit: quia superatus a tentato, a tentatione cessavit. Sed quamvis ab eo superatus tunc recesserit, tempore passionis ad eum venit, sicut ipse dicit: « Venit ad me princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV). » Unde cognoscimus, quia antiquus hostis superari potest, sed quiescere nescit. Et eo a tentatione recedente: « Ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. » Pulcherrime autem in conclusione hujus lectionis utraque Domini natura nobis declaratur, divina scilicet et humana, si tamen hanc cum Lucæ Evangelii lectione conferamus. Legimus enim in Luca (*Luc.* XXII), quia cum instante passionis tempore Dominus prolixius oraret, descendens angelus Domini de cœlo, confortabat eum. In documento ergo utriusque naturæ hunc et angelus confortabat, et huic angeli ministrabant. Quia enim Deus est, ministrabant ei angeli: quia homo verus est, confortabat eum angelus: quoniam ei, qui minoratus est paulo minus ab angelis in humanitate, omnia subjecta sunt sub pedibus ejus per divinitatem. Quantum autem ad litteram pertinet, ferunt hi qui in transmarinis partibus sunt, quod nullus mons tam excelsus sit quam Olympus, cujus cacumen (us asserunt) super nubes est, et nec ibi pluvia nec imber tangit, Tradit autem beatus Augustinus, qui fuerant fortissimi atque robustissimi, qui æstatis tempore ascenderunt in eum, spongiam secum ad nares ferentes, necnon farinam vel cinerem, et fecerunt characterem aliquem in farina vel cinere, revertentesque anno sequenti iterum ascenderunt illuc et ita invenerunt, sicut reliquerunt. Et in hoc manifestatur quia super nubes est, et nec ibi imber, nec pluvia, neque ventus flat. Spiritualiter vero, per montem excelsum ipse diabolus intelligitur, de quo alibi scriptum est: « Vulneratus est a monte Tyri; » et propheta: « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris, qui in corde tuo dixisti: In cœlum ascendam, super

astra cœli ædificabo solium meum? » (*Isa.* XIII.) Et bene quidem per montem diabolus designatur, quia omnes suos sequaces ad altiora provocat, scilicet ad superbiam. De quo beatus Job loquitur: « Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiæ (*Job.* XLI). » Sic econtra etiam Dominus suos ad humilitatem semper provocat, dicens: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » — « Et gloriam eorum. » Gloriam mundi dicit aurum, argentum, vestes et lapides pretiosos, et cætera amabilia vel transitoria mundi. Alius Evangelista dicit, quod in momento et ictu oculi ostendit illi omnia. Et bene, quia omnia quæ videntur momentanea et transitoria sunt sicut scriptum est: « Et mundus transit, et concupiscentia ejus, et omnia vanitas (*I Joan* II). » Alius namque dicit quod ait Domino diabolus: « Omnia quæ cernis mea sunt, et qui voluero do ea. Tu autem si cadens adoraveris me, erunt tua omnia (*Matth.* IV). » Fefellit diabolus, et hoc per arrogantiam dixit, non per potentiam. Absit hoc ad intelligendum ut ejus sit universus mundus. Neque enim potest fore ut sit, sed illius est qui cuncta ex nihilo creavit. Cujus namque sit Propheta declarat, dicens: « Domini est terra et plenitudino ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo (*Psal.* XXIII). »

HOMILIA XXIX.

FERIA SECUNDA POST *Invocavit*.

(MATTH. XXV.) « In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: cum venerit filius hominis in sede « majestatis suæ, et omnes angeli ejus cum eo. » Post biduum Pascha facturus, pulchre prædicit se in majestate ad judicandum genus humanum venturum: ideo, ut quos contumelia terrebat supplicii, sublevaret etiam gloria regni. Et pulchre filius hominis in majestate dicitur esse venturus, quia « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). » Et in judicio, sola forma filii hominis apparebit. « Tunc sedebit super sedem majestatis suæ. » Sedem majestatis Dei vel nubem, in qua ad cœlos ascendit, cum qua etiam ad judicium descensurus est, intelligere debemus: vel etiam angelos et sanctos homines, quibus præsidens judicium in orbe agitabit,

« Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et « seperabit eos ab invicem, sicut pastor segregat « oves ab hædis. » In significatione electorum oves præponuntur, propter innocentiam. Electi autem oves dicuntur, quia imitatores illius sunt de quo dicitur: « Sicut ovis ad occisionem ductus est (*Isa.* LIII). » Reprobi vero in significatione hædorum ponuntur, quod lascivum et petulans animal est, et quod in Veteri Testamento peccatis populi offerebatur.

« Et statuet oves a dextris, hædos autem a sinistris. » Apud Deum non est dextra neque sinistra: sed per dexteram magnitudo gloriæ, per sinistram magnitudo supplicii designatur. Statuet ergo oves a dextris suis, hoc est electos in magnitudine gloriæ:

A hædos autem a sinistris, hoc est peccatores in suppliciis æternis.

« Et dicet Rex his qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis « regnum a constitutione mundi. » Secundum præscientiam et prædestinationem Dei hoc debemus intelligere. Regnum, inquit, quod vobis paravi a constitutione mundi, venite et possidete. Omnipotens Deus electis suis paravit regnum, et ipsos electos regno paravit.

« Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, « quando te vidimus esurientem et pavimus, » etc. Justi vel pro terrore et magnitudine Domini ista loquuntur, vel propter magnitudinem remunerationis. Omnia etenim bona quæ in hoc sæculo gerun-
B tur, ad magnitudinem illius gloriæ imparia esse judicantur.

« Amen dico vobis, quandiu fecistis uni de his « fratribus meis minimis, mihi fecistis. » Licet in omnibus pauperibus Christus recipiatur, et in omnibus illi eleemosyna largiatur, tamen in hoc sæculo illos specialiter designat, qui non corpore, sed spiritu pauperes sunt: qui sua pro Deo reliquerunt, sicut fuerunt apostoli et imitatores eorum, super quos Dominus manus suas extendens, dicebat: « Ecce mater mea et fratres mei (*Matth.* XII). »

« Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem « in vitam æternam. » Sicut enim in scientia Dei et prædestinatione illius præparatum est sanctis regnum a constitutione mundi, ita etiam pœnæ inferni diabolo et angelis ejus præparatæ esse dicuntur. Frus-
C tra ergo dogmatizat Origenes diabolum et omnes reprobos post spatium mille annorum de inferno exituros, et ad gloriam vitæ æternæ transferendos, cum Dominus dicat: « Ibunt hi in supplicium æternum. » Sicut enim gloria quam sancti in die judicii accipient æternaliter erit et sine termino, ita sine dubio pœna dabitur æternaliter reprobis.

HOMILIA XXX.

FERIA TERTIA POST *Invocavit*.

(MATTH. XXI). « In illo tempore, cum intrasset Jesus Hierosolymam, commota est universa civitas « dicens: Quis est hic? » et reliqua. Ingressus fuerat Dominus Jerusalem cum frequentia turbarum, hym-
D nos et laudes ei decantantium: videns ergo populus, qui ad festivitatem confluxerat, Dominum cum frequentia turbarum advenisse in Jerusalem, commota est, dicens: Quis est hic? Quod autem dixit: commota est universa civitas, metonymicos est intelligendum, per continens id quod continetur ostendens, hoc est, per civitatem, populum habitantem, interrogant autem dicentes: Quis est hic?

« Populi autem, » id est vulgares turbæ quæ cum Domino gradiebantur, « dixerunt: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. » A minore incipientes ad majus pertendunt suam responsionem. Hic est (inquit) Jesus propheta. Non dicunt Christum, sed

prophetam, quasi adhuc minus sapientes, et non perfecte in eum credentes, sed non errabant ex toto. Nam et ipse per Moysen propheta fuerat appellatus, dicente Moyse : « Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester ex fratribus meis, tanquam me, ipsum audietis (*Deut.* XIII). » Et ipse etiam se appellavit prophetam, dicens : « Non est propheta sine honore, nisi in patria sua (*Matth.* XIII). » Et : « Non oportuit prophetam perire extra Jerusalem (*Luc.* XIII). » A Nazareth Galilææ dicitur esse, quia ibi nutritus est postquam de Ægypto rediit. Allegorice autem Jerusalem significat summam visionem pacis, cœlestem videlicet patriam. Cum ergo intrasset Jesus Jerusalem, id est cum per ascensionis mysterium penetraret cœlos, commotus est exercitus supernarum virtutum in adventu illius, dicens : Quis est hic ? Quod Psalmista apertius exponit, dicens ex persona angelicarum virtutum : « Quis est iste rex gloriæ ? » Et respondentes illi qui cum Domino gradiebantur, dixerunt : « Dominus virtutum ipse est rex gloriæ (*Psal.* XXIII). » Quod Isaias, licet aliis verbis, tamen eadem significatione pronuntiat, dicens (*Isa.* LXIII) : « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? » Et statim subjunxit ex responsione angelorum, qui Dominum comitabantur : « Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. »

« Et intravit Jesus in templum Dei, » et reliqua. Dedit nobis Dominus exemplum, ut quotiescunque in urbem vel in villam procedamus, primum causa orationis domum Dei expetamus, ac deinceps ea quæ agenda nobis sunt cum Dei adjutorio exsequamur. Et ingressus in templum, « ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo. » Repetendum est a consuetudine Judæorum, qui erant vendentes vel ementes. Præcipiebat etenim lex (*Deut.* XVI) ut omnis populus regni Judæorum appareret in anno ter in conspectu Domini, atque confluentibus ad templum dabatur præceptum. « Non apparebis in conspectu Dei vacuus (*Exod.* XV). » In illo ergo templo augustissimo, ad quod totum regnum Judæorum confluebat, multæ victimæ offerebantur, boves videlicet, arietes, oves et capræ, et passeres. Sed quia multi de longinquis regionibus superveniebant, qui secum victimas et sacrificia adducere non poterant, habebant præparatas sacerdotes victimas diversi generis, quæ in usum sacrificiorum erant apta, ut venientes ad templum Domini sacrificium emerent. Et ita adhærebat duplex compendium Scribis et Pharisæis. Nam et pretium rerum suarum accipiebant, et quod emebatur, iterum in suos usus redigebant. Sed quia fraudem eorum excludebat inopia pauperum, qui non solum victimas non habebant, sed etiam nec pecunias quibus emerent id quod necessarium erat, cogitaverunt fraudem quomodo prædam agerent de populo, et in templo posuerunt nummularios, ut singulis indigentibus pecuniæ fœnerarentur. Sed quia lex prohibebat usuram, et pecunia illata nihil prodesse poterat sine usura, commentati sunt aliam fraudem per quam potuissent populum exspoliare. Et pro nummulariis posuerunt colybystas, qui colybias, id est tragemata vel vilia munuscula exigebant a populo cui fœnerabantur, ut quod in nummis non licebat accipere, saltem in illis rebus accepissent quæ nummis coemuntur. Verbi gratia, frixum cicer, unam passam, poma diversi generis et cætera quæ nummis coemebantur, istiusmodi inveniens Dominus in templo, ejecit omnes. Sed quid ageret, si invenisset ibi luxuriantes, ebrietati vacantes, quando ea quæ in templo Domini offerebantur ejecit ? Quod autem dicit de templo ejecisse, non debemus putare quod intra templum talia gererentur, sed in porticibus quæ templis adhærebant. « Et cathedras vendentium columbas evertit. » Columbæ non resident in cathedris, sed potius in caveis, ut Dominus columbarum cathedras everteret : sed, sicut aliqui volunt, venditores earumdem columbarum in cathedris residebant. Quod tamen minime procedit, quia cathedra non est negotiatorum, sed potius magistrorum et doctorum. Quod autem Dominus cathedras vendentium columbas evertit, et mensas nummulariorum destruxit, et ementes et vendentes pariter de templo Judæorum ejecit, aliud gerendo, aliud gerendum esse insinuavit. Vendentes et ementes in Ecclesia sunt qui sacros ordines vel ad pretium largiuntur, vel ad pretium percipiunt. Mensæ vero nummulariorum appellantur altaria Dei, propter avaritiam sacerdotum, qui ad hoc assistunt altari, ut lucrum inde terrenum acquirant. Sicut ergo Dominus tunc temporis vendentes et ementes pariter de templo corporali quod erat in Jerusalem, ejecit ; ita etiam nunc quotidie de templo spirituali, hoc est de sancta Ecclesia, vendentes et ementes ejecit, id est et eos qui per pecunias gradus dignitatis accipiunt, vel qui eosdem gradus ad pretium largiuntur : et si non a præsenti Ecclesia, saltem a futura eliminantur. « Et cathedras vendentium columbas evertit. » Per columbas donum Spiritus sancti intelligere debemus, propter quod in specie hujus animalis super Dominum baptizatum Spiritus sanctus apparuit. Quod ergo Dominus tunc temporis corporaliter egit, hoc significat, quod dignitatem et ministerium illorum destructurus esset, qui gratiam Spiritus sancti, quæ maxime per impositionem manus episcoporum largitur, nisi accepto præmio non largiuntur.

« Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur. » Idcirco enim quis adire debet templum, ut puram et frequentem orationem ibi exerceat. Sed tunc in speluncam latronum convertitur, quando quilibet ex sacro ministerio lucrum sibi temporale acquirere desiderat. Spiritualiter autem templum Dei mens uniuscujusque fidelis est. Unde Paulus apostolus dicit : « Templum Dei sanctum est quod estis vos (*I Cor.* III). » Sed hoc templum Dei in speluncam latronis convertitur, quando in mentibus nostris læsiones proximis nostris excogitamus. Dum enim sollicite cogitamus in cordibus nostris, ut nocere valeamus, latrones in mente nostra quasi in

spelunca resident, qui de prætereuntibus prædam agunt.

« Et accesserunt ad eum cæci et claudi in tem-« plo, et sanavit eos. » Post ejectos illos qui in templo Dei illicita exercebant, curavit cæcos et claudos, ut aperte designaret quod sicut illi sua cæcitate et debilitate corporis sanabantur, ita etiam et illi, si converti vellent, a sua spirituali cæcitate curandi essent.

« Videntes autem principes sacerdotum et scribæ « mirabilia ejus quæ fecit, » et reliqua. Quærunt multi quod miraculum Domini maximum habeatur inter omnia signa ejus, et quidam præferunt resuscitationem Lazari, quidam illuminationem cæci nati, nonnulli mutationem aquæ in vinum, plerique transfigurationem illius in monte coram discipulis : beato autem Hieronymo videtur hoc præcipuum et maximum esse omnium miraculorum. Magnum enim et maximum hoc miraculum fuit, ut unus homo, et qui adeo tunc temporis vilis erat, ut crucifigi posset, universum exercitum de omni regno Judæorum ad templum confluentem, facto flagello de resticulis, flagellando de templo ejiceret, quod immensus exercitus facere non poterat. Et in hoc facto splendor quidam sidereus divinitatis radiabat in vultu illius, quo perterriti, non habebant audaciam resistendi Domino. Sed Pharisæi manus in Dominum mittere non audentes, conterriti divinitate illius, opera tamen ejus calumniabantur, dicentes :

« Audis quid isti dicunt ? » Ac si dicerent : Hæc laus non convenit homini, sed soli Deo. Hoc dicentes, non putabant eum Filium Dei esse. Sed pensandum est, cum quanto periculo episcopi favores hominum recipiunt, cum hoc pro crimine impingebatur, quod Dei Filius ab hominibus laudabatur. Quibus ita Dominus suum temperavit responsum, ut nec diceret quod illi volebant audire : Benefaciunt testimonium de me perhibentes : aut etiam : Errant, ignoscite ætati illorum, sed dicta puerorum ex dictis prophetarum corroborat, dicens : « Nunquam le-« gistis : Quia ex ore infantium et lactentium per-« fecit laudem, » quando corda et ora turbarum simplicium ad fidem Domini accendit ?

« Et relictis illis, » id est, relictis contumacibus et calumniatoribus suis, « abiit foras extra civita-« tem in Bethaniam. » Per quod significabat quod Judæos ob perfidiam suam esset relicturus, et ad gentium populos transmigraturus : quia Bethania *domus obedientiæ* interpretatur. Et jam hic paupertas Salvatoris notanda est, qui tantæ paupertatis exstitit, ut in tam magna civitate neminem inveniret cujus hospitio frueretur. In tantum enim nulli adulatus est, ut nec hospitio alicujus frueretur : sed diebus veniebat in civitatem, et prædicationem ibi peragebat ; nocte vero revertebatur in Bethaniam, et fruebatur ibi hospitio Lazari et sororum ejus.

HOMILIA XXXI.

FERIA QUARTA POST *Invocavit.*

(MATTH. XII.) « In illo tempore, accesserunt ad Je-« sum Scribæ et Pharisæi, dicentes : Magister, volu-« mus a te signum videre, » et reliqua. Sic petebant a Domino signa de cœlo videre, quasi non fuissent signa ea quæ Dominus superius fecerat. Sed quærendum est qualia signa postulabant a Domino fieri. Vel postulabant ut in morem Eliæ ignem de cœlo ruere faceret, sicut contigit eo tempore, quando ignis de cœlo descendit, et percussit quinquagenarios cum quinquaginta suis. Vel etiam postulabant ut, sicuti tempore Samuelis, æstivo tempore, contra consuetudinem illius terræ, mugirent tonitrua, coruscarent fulgura, imbres ruerent (*I Reg.* XII). Sed quia ea calumniabantur quæ quotidie coram suis oculis Dominum facere videbant, multo magis hæc calumniarentur, si contigissent. Dicerent enim non ex potestate Domini hoc evenire, sed ex diversis qualitatibus aeris accidisse. Vel, sicut Joannes Evangelista dicit (*Matth.* XII), petebant eum ut manna de cœlo plueret eis, sicut quondam fecerat patribus eorum in deserto, ut sine labore et fatigatione vivere potuissent.

« Generatio mala et adultera. » Generationem malam populum Judæorum propter contemptum et prævaricationem vocat. Prævaricatrix enim divinorum præceptorum fuit et adultera : quia relicto proprio viro, hoc est Deo, idolis gentium se miscuerat. « Signum quærit, » hoc est signum de cœlo, « et « signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ pro-« phetæ. » Quæritis, inquit, signum a me videre, sed non dabitur vobis signum divinitatis meæ de cœlo, sed potius humanitatis meæ de inferno.

« Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus die-« bus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in « corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. » Nota est historia de Jona (*Jon.* I), quod cum fugeret a facie Domini in Tarsis, ceto sorbente devoratus est, et fuit ibi tribus diebus et tribus noctibus : hoc facto significans mortem Domini, qui latuit in corde terræ, hoc est in sepulcro, tribus diebus et tribus noctibus. Sed quæritur cur Dominus in sepulcro tribus diebus et tribus noctibus jacuisse dicitur, cum constat eum ibi non tot diebus et noctibus ex integro mansisse ? Siquidem sexta feria hora sexta crucifixus est, nona autem emisit spiritum : vespere post occasum solis depositus est de cruce, et collocatus in sepulcrum, et non ibi jacuit nisi triginta et sex horis. Sed in hoc loco regula Scripturæ attendenda est, quia frequenter a parte totum demonstratur. Sicut enim accipimus sextam feriam cum nocte præcedenti, ita noctem Dominicam cum sequenti die. Secundum hanc rationem tres dies et noctes invenitur mansisse Dominus in sepulcro, Nam sæpe talem locutionem invenimus in Scripturis, et etiam in nostra communi locutione, sicut diximus mulierem partum

portare decem mensibus, cum constat novem mensibus tantum ferre, et incipiente decimo partum egredi.

« Viri autem Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, » et reliqua. Cum dicuntur viri Ninivitæ surgere in judicio cum generatione illa, constat aperte quod in judicio tam boni quam reprobi æque resurrecturi sunt. « Et condemnabunt eam, » non potestate, sed comparatione, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. « Et « ecce plusquam Jona hic. » Hic, nec nomen nec pronomen, sed potius adverbium loci. Ecce, inquit, inter vos sum ego, qui major sum Jona, et ideo judicium inter vos exercebunt Ninivitæ: quia Jonas triduo tantummodo eis prædicavit, ego vero apud vos multo tempore prædico : Jonas prædicavit alienæ genti, hoc est Assyriis, ego vero Judæis populo quondam Dei : Jonas nullum miraculum fecit, ego vero multa signa in vobis operatus sum.

« Regina Austri surget in judicio cum generatione « ista, et condemnabit eam. » Regina Austri, id est Saba, quæ venit a finibus terræ sapientiam Solomis, condemnabit generationem istam, non potestate, sed comparatione. Merito ergo condemnabit sævitiam Judæorum quia, videlicet ipsa, venit per multas difficultates terræ et maris ad audiendam sapientiam Salomonis. Judæi vero præsentem Christum inter se habentes, doctrinam illius audire respuerunt. In fide etenim Ninivitarum et Saba reginæ, præfertur fides gentium populo Israelitico.

« Cum autem immundus spiritus exierit ab ho« mine, ambulat per loca arida, quærens requiem, « et non invenit. » Duobus modis intelligi potest, tamen ad Judæos proprie pertinet hæc sententia. Unde et Dominus in conclusione illius ita loquitur: « Sic erit et generationi huic pessimæ. » Immundus etenim spiritus a Judæis tunc exivit, quando ad montem Sina legem Dei accipientes, dixerunt : « Quæcunque dixerit nobis Dominus, facimus, et obedientes ei erimus (*Exod.* XXIV). » Exiens enim malignus spiritus a Judæis, ambulavit per loca arida, hoc est per corda gentilium nullo rore cœli infecta. Sed ibi requiem non invenit quia videlicet per prædicationem apostolorum et baptismi gratiam inde est expulsus.

« Tunc dicit : Revertar in domum meam unde « exivi. » Hoc est : repetam Judæos quos antea dimisi. « Et veniens, invenit eam scopis mundatam, » hoc est, per circumsionem, et vacantem, » hoc est a bonis operibus cessantem, « et ornatam ». traditionibus Scribarum ac Pharisæorum.

« Tunc vadit et assumit septem alios spiritus ne« quiores se, et intrantes habitant ibi, » hoc est plenitudinem dæmonum et vitiorum. « Et fiunt no« vissima hominis illius pejora prioribus. » Quia pejores sunt modo Judæi in synagogis suis Christo blasphemantes, quam olim gentes erant in Ægypto idola adorantes. Possumus tamen hanc sententiam referre ad unumquemque peccatorem. Tunc etenim immundus spiritus exit ab homine, quando regeneratur ex aqua et Spiritu sancto. « Ambulat per loca arida, » per corda videlicet fidelium, quæ arida sunt, id est ab omni concupiscentiæ fluxu aliena. « Quærens requiem, et non invenit, » quia videlicet bellum electorum contra sentit : « Tunc dicit : Revertar in domum meam unde exivi, » hoc est: repetam illum quem tempore baptismi reliqui. « Et veniens, invenit scopis mundatam, » hoc est baptismo purificatam, « et vacantem, » hoc est vacuam a bonis operibus, « et ornatam, » per hypocrisin, hoc est per simulationem. « Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores, se, et intrantes habitant ibi. » Sicut septenarius numerus sacratus est Christo, propter septem dona Spiritus sancti, quæ commemorat Isaias super Dominum requievisse : ita etiam diabolo iste numerus consecratus est, propter plenitudinem omnium vitiorum. Siquidem septem sunt principalia vitia, octavum est superbia, per quam ipse diabolus cecidit. Primum est γαστριμαργία, quod interpretatur gulæ concuspiscentia; secundum, fornicatio ; tertium φιλαργυρία, id est avaritia, vel amor divitiarum ; quartum, ira ; quintum, tristitia; sextum, acedia, quæ est anxietas mentis vel tædium ; septimum, κενοδοξία, id est vana gloria et inanitis ; octavum, superbia, quod est ipse diabolus qui per superbiam de cœlo lapsus. « Et fiunt novis« sima hominis illius pejora prioribus. » Quia melius esset viam veritatis non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum ire. Melius fuisset Judæ proditori Christum non sequi, quam post agnitionem prodere. Melius fuisset Simoni non baptizari, quam post baptismum in laqueum damnationis interire. Quia videlicet cum omnis homo pessimus sit qui vitiis servit, ille tamen pessimus pessimorum est, qui cum omnibus vitiis servit, virtutes tamen habere se simulat per hypocrisin.

« Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus « et fratres stabant foris, quærentes loqui ei. » Occupatus erat Dominus miracula faciendo, et in opere et in doctrina populum exercendo, illo autem prædicante et Judæos redarguente, mater ejus et fratres steterunt foris.

« Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua et fra« tres tui. » Videtur iste qui hoc Domino nuntiavit non simplici animo hoc nuntiasse, sed potius tentandi calliditate, utrum Dominus amori parentelæ præponeret prædicationem Evangelii, an non. Sed ipse intelligens illius cogitationem et nequitiam, non prætulit religioni amorem, qui junctionem carnalem laudavit, sed dixit :

« Quæ est mater mea et fratres mei? » Hæc dicendo, non negavit beatam Mariam matrem suam esse, sed (sicut diximus) prætulit divinum verbum carnali conjunctioni. Nam matrem suam negare non poterat, qui nobis præcipit parentes nostros diligere, dicens : « Honora patrem tuum et matrem (*Deut.* V ; *Matth.* XV). »

« Et extendens manum in discipulos suos dixit :

« Ecce mater mea et fratres mei, » Fratres Domini, A qui in Evangelio appellantur, non debemus intelligere filios Joseph de altera uxore, ut quidam hæretici opinantur, quoniam sicut beata Maria in virginitate permansit, ita et beatus Joseph virginitatis perpetuæ custos fuit. Sed fratres Domini filii Mariæ materteræ ejus intelliguntur, Jacobus, et Joannes, et Judas. Quatuor siquidem modis dicuntur fratres : germanitate carnali, sicut Jacob et Esau ; alio modo, propinquitate carnis, sicut Laban appellabat Jacob fratrem, quia avunculus suus erat. Et sicut Abraham loquitur ad Loth : « Ne quæso sit jurgium inter me et te, et pastores meos et pastores tuos, fratres enim sumus (*Gen.* XIII). » Non enim Loth frater erat Abraham, sed potius nepos ejus. Tertio modo dicuntur fratres propter gentis unitatem, de eadem gente B
videlicet nati, sicut est illud in Genesi : « Si elegeris regem super te, de fratribus tuis elige quemcunque volueris, » hoc est de gente tua. Quarto modo, affectu et pietate, sicut omnes qui in Christo credimus, dicimur fratres. Uno etenim ex his modis dicuntur fratres Domini, propinquitate scilicet carnis illius. Spiritualiter prædicante Domino turbis matres et fratres illius foris stabant, et modo Dominus in Ecclesia docet gentes : mater vero illius et fratres, id est Synagoga, foris stant, hoc est a societate Ecclesiæ alieni existunt. Sed et ipsi cum ad domum Domini intraverint, non negabuntur ab eo, sed implebitur in eis quod Dominus dixit : « Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est. » Quærendum vero est quomodo aliquis mater Domini possit effici. Frater C
enim et soror illius est quicunque voluntatem Patris fecerit. Et propter sexum utrumque mirum non est, sed ipse mater ejus efficitur, qui verbum Dei in corde auditorum suorum gignit. Unusquisque enim fidelis, quandiu imbuitur, filius est : cum vero alios imbuit, mater est. Paulus namque Apostolus maternum affectum circa auditores suos impendebat, qui dicebat : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV).

HOMILIA XXXII.

FERIA QUINTA POST *Invocavit*.

(JOAN. VIII.) « In illo tempore : Dicebat Jesus ad « eos qui crediderunt in eum ex Judæis : Si vos man« seritis in verbo meo, » et reliqua. Ideo manseritis, D
quia doctrina spiritali initiati estis, quia esse ibi cœpistis. Si manseritis, hoc est in fide, quæ in vobis esse credentibus cœpit, quo pervenietis videte, quale est initium, et quo perducit. Amastis fundamentum, culmen attendite, et ex ista humilitate aliam celsitudinem quærite. Fides enim humilitatem habet. Cognitio et immortalitas, et æternitas non habet humilitatem, sed ex celsitudine erectionem : nullam defectionem, sed æternam stabilitatem : nullam ab inimico expugnationem, nullum deficiendi timorem. Magnum est quod incipit a fide, sed magis quo pervenitur per fidem. Audi igitur quo perveniat, et vide quanta sit fides. Ergo et ad Judæos ait : « Si manseritis in verbo meo, » in quo credidistis, « vere discipuli mei eritis. » Subjunxit quoque, « et cognoscetis veritatem. » Qui cognoscit veritatem, cognoscit Deum : quia Deus veritas est, dicente ipso Domino : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV). » Credamus ergo ut cognoscamus veritatem : quia sine fide ad cognitionem veritatis nullus pervenire poterit. Quid est quod cognituri sumus ? illud quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid enim est fides, nisi credere quod non vides ? Fides ergo est quod non vides credere : veritas, quod credidisti videre. Quid est quod videre nobis promittitur ? Dicit enim Dominus in alio loco, quid esset quod visuri erimus, ubi ait : « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. (*Ibid.*). » Hæc est promissio, hæc est merces fidei, quæ per dilectionem operatur, hæc est satietas quam Psalmista optavit, dicens : « Satiabor cum manifestabitur gloria tua (*Psal.* XVI). » O Domine, digne fac nos amare te, et non amare sæculum, ut valeamus ad illam libertatem pervenire, ad quam per cognitionem veritatis pervenitur, de qua subjunxisti, dicens : « Et veritas liberabit vos. » Quid est « liberabit vos ? » liberos facit. Denique Judæi carnales et secundum carnem judicantes, non hi qui crediderant, sed illa turba ; qui non credebant, injuriam sibi factam putaverunt, quia dixit eis : « veritas liberabit vos, » et indignati sunt servos se esse significatos. « Et vere servi erant. » Sed exposuit Dominus illis, quæ sit servitus, et quæ sit futura libertas quam ipse promittit. Nihil enim aliud est dicere : « et veritas liberabit vos, » nisi liberos vos faciet : sicut nihil est, salvat, nisi salvos faciet. Audivimus ergo quid libera veritas dixit, audiamus quid superba falsitas respondeat.

« Dixerunt ergo Judæi : Semen Abrahæ sumus, et « nemini servivimus unquam ; quomodo tu dicis : « Liberi eritis ? » Non enim dixerat Dominus : « liberi eritis, » sed : « veritas liberabit vos. » In quo tamen verbo illi nihil aliud intellexerunt, nisi libertatem carnalem : et extulerunt se quod semen essent Abrahæ, et dixerunt : « Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. » Quomodo tu dicis : Liberi eritis ? O vana superbia, o falsa jactantia, quomodo verum dixisti : Nemini servivimus unquam ? Joseph nonne est venundatus ? prophetæ sancti nonne sunt ducit in captivitatem ? Denique nonne ille ipse ejus populus, qui in Ægypto lateres faciebat operibus duris, non saltem in argento et auro, sed in luto serviebat ? Si nemini servistis unquam, o ingrati, quid vobis assidue improperat Deus, quomodo vos de domo servitutis liberavit ? an forte patres vestri servierunt ? Vos autem qui loquimini : Nulli servivimus unquam : si nulli servivistis unquam quomodo ergo solvebatis tributum Romanis ? Unde et ipsi veritati laqueum quasi captionis posuistis, ut diceretis (*Luc.* XX) : « Licet reddere tributum Cæsari ? » ut si dixisset : licet, teneretis eum quasi malam

optasset libertatem semini Abrahæ: si autem dixisset: non licet, calumniaremini apud reges terræ, quod prohiberet regibus tributa persolvi. Deinde prolato nummo victi estis, et captioni vestræ vos ipsi estis respondere compulsi, ibi enim vobis dictum est: « Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt (*Matth.* XXII), » cum vos ipsi respondissetis, quod nummus habet imaginem Cæsaris. Quia sicut quærit Cæsar in denario imaginem suam, sic Deus quærit in homine suam. Nec alienum quid quærit Deus ab homine, sed quod condidit in homine. Ideo Deus homo factus est, ut in homine reformaret quod in homine formavit. Ergo mentientibus, et de vana libertate tumentibus, quid respondisset Dominus Judæis audiamus.

« Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit « peccatum, servus est peccati. » Quis non sub istis verbis contremiscat, si omnis homo peccator, omnis homo servus peccati? Sed in his attentius audiamus, qualiter liberemur de hac servitute. Terrorem incutit, sed medicinam adhibet. Nam ait Dominus: « Amen amen dico vobis. » Quid est amen amen, nisi verum dico vobis? Quod verbum nec Græcus interpres, nec Latinus ausus est in aliam transferre linguam, ut honorem haberet velamento secreto, testificatio veritatis in Christo. Veritas dicit: Verum verum dico vobis, ingeminat, replicat verbum veritatis, ut excitaret dormientes, intentos faceret audientes, nec contemneretur qui ait: « Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. » O miserabilis servitus servire peccato, servire diabolo, qui peccati est auctor. Sæpe homines malos dominos fugiunt, ne serviant malis, et non fugiunt peccatum! Quanto facilius esset fugere peccatum, et servire homini libera conscientia! Deinde servus hominis aliquando sui domini imperiis fatigatus, fugiendo requiescit: servus autem peccati quo fugiet? Secum enim retrahit vindex conscientia; quocunque fugerit, non fugit, sed ipsum mala conscientia sequitur, imo non recedit a se, peccatum enim quod fecit intus est. Fecit peccatum ut aliquam corporalem caperet voluptatem: voluptas transit, peccatum manet: præterit quod delectabat, remansit quod pugnat mala servitus. Aliquando fugiunt homines improbos dominos, fugiendo quiescant a servitute, sed quomodo illi servitute carebunt, qui nolunt carere peccatis? Quanto facilius est, si deserat homo peccatum, fugiatque ad Christum veræ libertatis vindicem atque auctorem! Liberat enim ab hac servitute peccati solus Dominus, qui illa non habuit. Qui solus sine peccato venit in mundum, ille solus liberare potest de peccato. Qui venit sine peccato, factus est sacrificium pro peccato. Cum ergo omnis qui facit peccatum servus sit peccati, quæ sit spes nobis libertatis, audite.

« Servus autem, inquit, non manet in domo in « æternum. » Ecclesia est domus, servus est peccator. Non maneat homo in peccato, ne sit servus peccati, ut possit manere in domo, id est in Ecclesia: maneat in corpore capitis sui, ut sit filius, non servus. Longe aliud est peccare, aliud manere in peccato. Qui manet in peccato, servus est peccati: qui fugit a peccato, servus erit justitiæ. Terruit itaque, et spem dedit: terruit, ne peccatum amaremus: spem dedit, ne de peccati solutione diffideremus. « Omnis (inquit) qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum. » Quæ ergo nobis spes est, qui non sumus de peccato? Audi spem tuam:

« Filius manet in domo in æternum. Si ergo « Filius vos liberaverit, tunc vere liberi eritis. » Hæc spes nostra, fratres, ut a libero liberemur, et liberando servos nos faciat. Servi enim eramus cupiditatis, liberi efficimur servi charitatis. Prima libertas est non permanere in peccato, servire justitiæ, dicente Apostolo. « Cum enim servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ (*Rom.* VI.) » Nunc autem habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Perfecta vero libertas est Deo Christo servire, illum diligere qui vere nos liberavit, qui vere est Filius Dei, et Dominus in forma servi, non servus, sed in forma servi Dominus. Fuit quippe illa carnis forma servilis; quamvis esset similitudo carnis peccati, non erat peccati, libertatem promisit credentibus in se. Judæi vero tanquam de sua libertate superbientes, dedignati sunt fieri liberi, cum essent servi peccati. Ideo autem se liberos esse dixerunt, quia semen Abrahæ erant. Quid ergo eis ad hæc respondit Dominus, audiamus:

« Scio, inquit, quia filii Abrahæ estis, sed quæri« tis me interficere. » Agnosco carnis originem, non cordis fidem: filii Abrahæ estis, sed secundum carnem, ideo quæritis me occidere. « Sermo enim « meus (inquit) non capit in vobis, » id est non habet locum in vobis. Si sermo meus caperetur a vobis, caperet utique vos. Quid est ergo, non capit in vobis? id est, non capit cor vestrum, quia non recipitur a corde vestro. Audistis certe Dominum dicentem: « Scio quia filii Abrahæ estis, » audite quid postea dicat:

« Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: et « vos, quod vidistis apud patrem vestrum, facitis. » Quid autem faciunt, et quid eis dixit? quæritis me occidere; hoc apud Abraham nunquam viderunt. Dixit: « quæ vidi apud Patrem meum loquor « veritatem vidi, veritatem loquor, quia veritas sum. Si enim Dominus veritatem loquitur, quia ipse est veritas Patris, quam vidit apud Patrem, seque vidisse loquitur, ipse enim Verbum quod Verbum erat apud Deum: isti ergo malum quod faciunt, quod Dominus objurgat et corripit, ubi viderunt apud patrem suum? Cum audierimus in consequentibus apertius dictum, quis sit eorum pater, tunc intelligimus qualia viderint apud talem patrem. Adhuc enim non nominat patrem ipsorum. Paulo superius Abraham commemoravit, sed carnis originem, non vitæ similitudinem. Dicturus nunc alterum patrem illorum, qui nec genuit eos, nec creavit, ut homines essent,

sed tamen filii erant ejus, in quantum mali erant, non in quantum homines erant: in quantum imitati, non in quantum creati.

« Responderunt et dixerunt ei : Pater noster « Abraham est. » Quasi aliquid dicturus esset contra Abraham, aut quasi in aliquo auderet reprehendere Abraham. Non quia Dominus non audebat reprehendere Abraham, sed quia Abraham talis erat qui non reprehenderetur a Domino, sed potius laudaretur. Tamen isti videbantur eum provocare, ut aliquid mali diceret de Abraham, et esset occasio faciendi quod cogitabant. « Pater noster Abraham est. » Audiamus quomodo eis respondet Dominus, cum illorum damnatione laudavit Abraham :

« Dicit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera « Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, « hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam « audivi a Deo ; hoc Abraham non fecit. » Ecce, ille laudatus, isti damnati. Nam hi quærebant Dominum interficere, Abraham autem non erat homicida. Non dico, inquit, ego sum Dominus Abrahæ, quod et si dicerem, verum dicerem (nam dixit in alio loco : « Antequam Abraham fieret, ego sum, » cum illum lapidare vellent) ; sed dico hoc interim, quod videtis, quod aspicitis, quod me solum putatis, scilicet quod homo sum. Hominem ergo dicentem vobis quod audivit a Deo, quare vultis me occidere, nisi quia non estis filii Abrahæ ? Et tamen superius ait : « Scio quia filii Abrahæ estis, » non negat nunc eorum originem, sed facta condemnat. Caro eorum ex illo erat, sed vita non erat. Ergo Christiani facti sunt semen Abrahæ gratia Dei, non de carne Abrahæ. Facti illi cohæredes, Deus illos exhæreditavit, istos adoptavit. Isti sunt de quibus in alio loco a Joanne Baptista dictum est : « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ (*Luc.* III). » Illi ergo erunt filii Abrahæ, qui opera Abrahæ imitantur. Ideo subjunxit Dominus, dicens: « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. » Factis probate nobilitatem, non verbis. « Sed quæritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo; hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. » Et quia adhuc non dicit quia iste est pater illorum, videamus modo illi quid responderunt. Cœperunt enim utcunque cognoscere, non de carnis generatione Dominum loqui, sed de vitæ institutione. Et quia consuetudo Scripturarum est (quam legebant) fornicationem spiritualiter appellare, cum diis mutis ac falsis anima tanquam prostituta subjicitur, ad hoc respondetur, dixeruntque ei :

« Nos ex fornicatione non sumus nati, unum pa- « trem habemus Deum. » Cum toties gloriantes de Abraham repulsi sunt, nunc videamus quomodo repelli noluerunt ore veridico. Quia cum erat talis Abraham, cujus factum non imitabantur, et de illius tamen genere gloriabantur, mutaverunt responsionem, credo dicentes apud seipsos : Quotiescunque nominaverimus Abraham, dicturus est nobis : Quare non imitamini eum, de cujus genere gloriamini? Nos

A sanctum et justum, innocentem tantum virum imitari non possumus, Deum dicamus Patrem nostrum, videamus quid nobis dicturus est. Nunquid falsitas invenit quod diceret? Audiamus quid dicant, audiamus quid audiant. « Unum (inquiunt) Patrem habemus Deum. »

« Dixit ergo Jesus : Si Deus Pater vester esset, « diligeretis me utique. Ego enim ex Deo processi et « veni. Neque enim a meipso veni, sed ille me mi- « sit. » Dicitis Deum Patrem, agnoscite vel fratrem vestrum. Hic tetigit quod sæpius solet dicere : « Non a meipso veni, sed ille me misit, ego enim a Deo processi et veni. » Christi ergo missio incarnatio est ejus. Quod vero de Deo Patre processit Verbum, æterna processio est, non habens tempus, per quem

B factum est tempus. Ergo ab illo processit ut Deus et æqualis, ut Filius unicus, ut Verbum Patris. Venit ad nos, « quia Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis (*Joan.* I). » Adventus ejus humanitas ejus ; mansio ejus, divinitas ejus.

« Quare (inquit) loquelam meam non cognoscitis? « quia non potestis cognoscere sermonem meum. » Ideo non poterant cognoscere, quia non poterant audire, sed unde audire non poterant, nisi quia corrigi credendo nolebant ? Et hoc inde :

« Vos ex patre diabolo estis. » Quandiu patrem commemoratis, quandiu patrem mutatis, modo Abraham, modo Deum, audite a Filio Dei, cujus filii estis. « A patre diabolo estis. » Deus utique creator omnium creaturarum creavit hominem, quomodo hic dicit : Vos a patre diabolo estis. Quidquid a Deo

C creatum est, bonum est; et omnis homo, in quantum creatura Dei est, bonus est. Quantum vero se subjicit per liberum arbitrium diabolo, a patre diabolo est. Bona est enim hominis natura, sed vitiata erat per malam voluntatem, et inde erat a patre diabolo. Quod fecit Deus non potest esse malum, si ipse homo non sit sibi ipsi malus. Inde ergo Judæi dicti sunt filii diaboli, non nascendo, sed imitando. Consuetudo vero sanctæ Scripturæ est ex imitatione vel consuetudine operum filios sæpe nominare, ut Propheta ad Judæos ait: « Pater tuus Amorrhæus et mater tua Cethæa (*Ezech.* XXIX). » Amorrhæi gens erat quædam unde originem Judæi non ducebant. Cethæi et ipsi gentem suam habebant, omnino alienam a genere Judæorum. Sed quia erant impii

D Amorrhæi et Cethæi, Judæi autem imitati impietates eorum, invenerant filii parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur. Quæritur autem fortasse, unde ipse diabolus est. Inde utique, unde et cæteri angeli. Sed cæteri in sua obedientia persliterunt, ille inobediendo et superbiendo lapsus est angelus, et factus est diabolus. Sed modo audiret quid dicat Dominus : « Vos (inquit) a patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis. Quæritis me occidere, hominem, qui veritatem vobis dico, » et ille invidit homini, et occidit hominem. Diabolus autem cum invideret homini, serpentem indutus, locutus est mulieri, et de muliere

venenavit et virum. Unde mortui sunt, diabolum audiendo, quem non audissent, si Deum audire voluissent, qui obtemperare debuerant Creatori, non deceptori. Ergo « ille homicida erat ab initio. » Videte genus, homicida dicitur diabolus. Diabolus non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, sed verbum malum seminavit, et occidit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades. Nam si fratri tuo mala persuades, occidis. Audi Psalmum : « Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus(*Psal* LVI). » Vos ergo desideria patris vestri facere vultis, ideo sævitis in carne, quia non potestis in mente. «Ille homicida erat ab initio,» utique in primo homine, ex illo ille homicida. Ex quo potuit fieri homicidium ? ex quo factus est homo. Non enim posset occidi homo, nisi prius fieret homo. « Et in veritate non stetit, quia veritas non « est in eo. » Non quomodo in Christo est veritas, ut Deus ipse sit veritas. Si ergo iste in veritate stetisset, in suæ originis sanctitate permansisset. sed in veritate non stetit, quia veritas non est in eo. Qui « cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, « quia mendax est, et pater ejus. » Diabolus autem a semetipso mendax fuit, et mendacium suum ipse genuit, a nomine audivit mendacium prius. Quomodo genuit Pater Filium veritatem, sic diabolus genuit quasi filium mendacium. Mendacium genuit quia in veritate non stetit. Omnis enim qui in Deo manet, in veritate manet, quia Deus veritas est. Si quis vero a Deo recesserit, mendax erit, dicente Psalmographo : « Omnis homo mendax (*Psal*.CXV). » Inquantum vero homo a Deo recedit, intantum mendax erit, dum se a veritate declinaverit, et inde peccator erit. Quia omne peccatum non est veritas, sed mendacium ; quia recedendo a Deo non habet veritatem. Diabolus vero bonus creatus est, sed per seipsum malus factus est, declinando se a summo bono. Ideo ex propriis locutus est mendacium quia in seipso invenit unde esset mendax. Homo vero deceptus a diabolo mendax ; ideoque filius diaboli, non natura, sed imitatione. Recedamus ergo a patre mendacii, curramus ad Patrem veritatis. Amplectamur veritatem, ut accipiamus veram libertatem. Judæi apud patrem suum viderant quod loquebantur : quid, nisi mendacium? Dominus autem apud Patrem suum vidit quo loqueretur : quid, nisi Verbum Patris æternum, et Patri coæternum ? Ideo subjunxit :

« Ego veritatem dico vobis, et non creditis mihi.» Nam mendax mendacium loquitur, sed veritas veritatem profert. Diabolus mendax, Christus vero veritas est, et veritatis assertor ; quia ex veritatis ore nil aliud poterit procedere, nisi veritas.

HOMIDIA XXXIII.

FERIA SEXTA POST *Invocavit*.

(JOAN. V) « In illo tempore, erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam. Est autem « Hierosolymis probatica piscina, et reliqua. » Loquebamur ergo vobis et nunc de evangelica lectione, in qua duo pariter miracula humanæ sanitatis leguntur, unum invisibiliter per angelicam administrationem, alterum per dominicam præsentiam visibiliter exhibitum, sed utriusque nobis sunt breviter exposita mysteria, ne prolixæ lectionis prolixa quoque explanatio cuiquam forte gravis existat. Probatica piscina, quæ quinque porticibus cingebatur, populus est Judæorum, legis undique custodia, ne peccare debeat, munitus. Recte etenim lex, quæ quinque libris Moysi descripta est, quinario numero figuratur. Recte populus qui in quibusdam munditiis vitæ servire, in quibusdam solebat immundorum spirituum testamentis agitari, per aquam significatur piscinæ quæ nunc placida ventis stare, nunc eis irruentibus turbari consueverat. Et bene piscina eadem probatica vocatur, τά πρόϐατα quippe græce, oves dicuntur. Quia erant nimirum in illo populo, qui dicere Domino noscerent: « Nos autem populus tuus, et oves gregis tui, confitebimur tibi in sæcula (*Psal.* LXXVIII). » Vulgo autem probatica; id est pecualis piscina fertur appellata, quod in ea sacerdotes hostias lavare consueverant. Multitudo languidorum quæ in memoratis porticibus jacebat, aquæ motum exspectans, significat eorum catervas, qui legis verba audientes, suis hanc viribus implere non posse dolebant; atque ideo dominicæ auxilium gratiæ affectibus implorabant. Cæci erant, qui necdum perfectum fidei lumen habebant ; claudi, qui bona quæ noverant, operandi gressibus implere non quibant; aridi, qui quamlibet oculum scientiæ habentes, pinguedine tamen spei et dilectionis egebant. Tales in quinque porticibus jacebant, sed non nisi in piscinam angelo veniente sanabantur : quia per legem cognitio peccati, gratia autem remissionis non nisi per Jesum Christum facta est. Hunc designat angelus, qui iuvisibiliter descendens in piscinam ad suggerendam vim sanandi movebat aquam. Descendit enim in carne indutus magni consilii angelus, id est paternæ voluntatis nuntius in piscinam populi Judæorum, et movit peccatores factos a doctrina sua, ut occideretur, quia sua morte corporali. non solum spiritualiter languentes sanaret, sed et mortuos suscitare sufficeret. Motus ergo aquæ passionem (quæ mota, turbataque Judæorum gente facta est) insinuat. Et quia per eamdem redempti sunt credentes a maledicto legis, quasi descendentes in aquam piscinæ turbatam sanabantur, qui hactenus jacuerant in porticibus ægroti, legis siquidem litteram nescientes, quid agendum, quid vitandum esset, edocuit. Nec tamen eductos de sedibus ignorantiæ prioris in porticibus suis continebat, nec sanabat languidos. Gratia autem Evangelii, quæ per Deum ac mysterium Dominicæ passionis sanat omnes languores iniquitatum nostrarum, a quibus in lege Moysi non potuimus justificari, quasi electos de porticibus legis ægrotos in aquam piscinæ turbidam, ut sanari possimus, immittit, quia a peccatis, quæ lex ostenderat, per aquam baptismatis abluit, teste Apostolo, qui ait: « Quia

quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Bene autem dicitur, quia qui prius descendisset post motionem aquæ, sanus fiebat a quocumque languore tenebatur; quia unus Dominus, una fides, unum baptisma. Et qui in unitate catholica Christi mysteriis imbuitur, sanus fit, a quocunque peccatorum languore detinetur. Quisquis autem ab unitate discrepat, salutem, quæ ab uno est, consequi non valet. Hæc de primo evangelicæ lectionis miraculo, quod Dominus dedit, locuti sumus, nunc de secundo, quod ipse dederit, fraternitati vestræ loquamur, in quo etiam ipso, unus commendatur sanatus. Non quia omnipotentis pietas Salvatoris, omnes quos ibi languentes invenit, sanare nequiverit, sed ut doceret præter unitatem catholicæ fidei, nullum cuilibet locum patere salutis.

« Erat autem quidam homo, inquit, ibi triginta et « octo annos habens in infirmitate sua. » Homo iste, multorum infirmitate detentus annorum, significat peccatorum quemlibet enormi scelerum magnitudine, vel numerositate depressum, cujus significando reatui etiam motus temporis quo iste languebat congruit. Nam duo minus quadraginta annos habebat in infirmitate. Quadragenarius autem numerus, qui denario quater ducto conficitur, pro perfectione rectæ conversationis solet in Scripturis accipi: quia quisquis perfectæ conversationis officium egerit, legis profecto Decalogum per quatuor sancti Evangelii libros implet. A qua nimirum perfectione quo minus habet, qui in Dei et proximi dilectione, quam legis pariter et Evangelii Scriptura commendat, vacuus incedit. Quod etiam mystice Dominus sanans infirmum docuit, cum ait:

« Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. » Surgere enim dicitur vitiorum torporem, in quibus diu languebas, excutere, et ad exercitium virtutum quibus perpetuo salveris te erigere. « Tolle grabatum tuum, » id est porta. Diliges proximum tuum, patienter ejus infirma tolerando, qui te adhuc tentationum fasce depressum diu patienterque sustinuit. « Alter enim alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Gal.* VI). » Et sicut alibi dicit: « Supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem in vinculo pacis (*Ephes.* VI). » Ambula autem, id est toto corde, tota anima, tota virtute Deum dilige: et ut ad ejus visionem pertingere merearis, quotidianis bonorum operum passibus de virtute in virtutem progredere: nec fratrem quem sufferendo ducas, ob amorem ejus ad quem pergis, deserens, nec ob fratris amorem ab illo quærendo, cum quo manere desideras, intentionem recti incessus avertens: sed ut perfecte possis salvari; « Surge, tolle grabatum tuum et ambula, » id est relinque peccata pristina, necessitatibus fratrum succurre. Et in universis quæ agis, vide ne in hoc sæculo mentem figas, sed ad videndam faciem tui festines Redemptoris. Surge bona operando, porta grabatum diligendo proximum, et ambula exspectando beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. Sed mira perfidorum dementia, quia ad tam inopinatam diu languentis sanationem credere ac spiritualiter sanari debuerant, e contra scandalizantur, et salvato pariter ac Salvatori calumnias struunt. Salvato quidem, quia sabbato grabatum tulerit: Salvatori autem, quia sabbato et illum salvari, et grabatum tolli præceperit, quasi melius ipsi de sabbato quam tanta divinitatis potentia nossent.

« Dicebant, inquit, Judæi illi qui sanatus fuerat: « Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum « tuum. » Litteram legis stulte defendebant, ignorando dispensationem ejus qui legis quondam edicta per servum discernens, nunc ipse adveniens, eamdem legem gratia mutare disposuit, ut quod juxta litteram diu carnales carnaliter observabant, deinceps spiritualiter observandum cognoscerent. Sabbato quippe carnali, quod juxta litteram custodiebatur, populus ab omni opere servili die septima vacare præceptus est. Spirituale sabbatum est, in luce gratiæ spiritualis, quæ septiformis accipitur, non una, sed omni die nos ab inquietudine vitiorum manere feriatos. Si enim juxta vocem Dominicam: « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII), » patet liquido, quia peccata recte opera servilia intelliguntur, a quibus quasi in die septima in perceptione gratiæ spiritualis immunes incedere jubemur: nec solum a pravis continere, sed et bonis insistere factis. Quod in hac quoque lectione Dominus typice ostendit, cum eum, qui duos de quadraginta annos languebat, in die sabbati non solum surgere, verum etiam grabatum tollere et ambulare præcepit: videlicet insinuans eos qui longo vitiorum languore tabescunt, et Dei et proximi dilectione inanes sunt, quasi a perfecta virtutum summa duobus minus habent, jam per donum Spiritus sancti a vitiis posse resurgere, eorumque discusso torpore, cum fraternæ dilectionis fervore ad visionem debere sui properare Conditoris. Quod autem is, qui sanatus est, Jesum non in turba adhuc positus, sed post in templo cognoscit, mystice nos instituit, ut si vere conditoris nostri gratiam cognoscere, si ejus amore confirmari, si ad ejus visionem pervenire desideramus, fugiamus sollicite turbam non solum turbantium nos cogitationum, affectuumque pravorum, verum etiam hominum nequam qui nostræ sinceritatis possunt impedire propositum, vel mala, videlicet exemplo suo monstrando, vel bona nostra opera deridendo, vel prohibendo. Confugiamus seduli ad domum orationis, ubi secreta libertate Dominum invocantes, et de perceptis ab eo beneficiis gratias agamus, et de percipiendis humili devotione precemur. Imo etiam ipsi templum Dei sanctum, in quo venire et mansionem facere dignetur, existere curemus, audientes ab Apostolo: « Quia corpora vestra templa sunt Spiritus sancti, qui in vobis est (*II Cor.* VI). » Inter quæ diligentius intuendum, fratres mei, quod inve-

niens in templo quem sanaverat Dominus, ait illi: « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. » Quibus verbis aperte monstratur quia propter peccata languebat, nec nisi dimissis eisdem poterat sanari. Sed qui foris ab infirmitate, ipse etiam intus salvavit a scelere. Unde et caute præmonuit, ne amplius peccando gravioris sibi sententiam damnationis contraheret. Quod non ita sciendum est, quasi omnis qui infirmatur, ob peccata infirmetur. Sæpe infirmatur homo, ne extollatur in donis Dei, sicut de Paulo apostolo legitur (*II Cor.* XII), sæpe ut probetur tribulatur, sicut beati Job patientia tribulata et probata est (*Job.* I, II): sæpe infirmitas pro castigatione datur. Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit (*Heb.* XII). Quibusdam vero infirmitas pro gloria Dei datur, ut de cæco nato vel de Lazaro legitur (*Joan.* IX, XI): novit Dominus pro quo quemlibet jubeat infirmari, vel dimittat. Sæpe occulto in hominibus agit judicio, sed nunquam injusto. Sed discamus flagelli piissimi Redemptoris nostri humiliter substerni, arbitrantes nos minus pati quam meremur, semper illius sententiæ memores, quia beatus homo qui corripitur a Domino (*Prov.* III). Et ipse in Apocalypsi: « Ego, inquit, quos amo, arguo, increpo, et castigo (*Apoc.* III). » Longævo autem languenti interius exteriusque sanato, id est et a peste castigationis, et a peccatis, quibus hæc merebatur erecto, Judæi e contra male intus languidi, deterius jam ægrotare incipiunt, persequendo videlicet Jesum, qui hæc faceret in sabbato. Persequebantur autem eum non quasi legis auctoritatem, simul et divinæ operationis exempla secuti: quia et Dominus sex diebus mundi perfecta creatione, septimo quievit ab omnibus operibus suis, et populum sex diebus operari, septimo vocare præceperit: non intelligentes, quia carnalia legis decreta paulatim erant spirituali interpretatione mutanda, apparente illo qui non tantum legislator, sed et finis est legis Christus, ad justitiam omni credenti (*Rom.* X). Neque enim advertentes quia Conditor in die septima, non ab opere mundanæ gubernationis et animæ, imo quotidianarum creaturarum substitutione, sed a nova creaturarum institutione cessavit. Quod vero dicitur (*Gen.* II), requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis, ita intelligendum est cessasse Deum a novarum conditione creaturarum.

HOMILIA XXXIV.

SABBATO POST *Invocavit.*

(MATTH. XVII.) « In illo tempore: Assumpsit Jesus « Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, » et reliqua. Dominus Jesus Christus, per prædicationem ac doctrinam Evangelii, non solum fidelibus præsentis vitæ labores indixit, verum etiam futuram beatitudinem repromisit. Unde cum superius dixisset (*Joan.* XII): « Qui amat animam suam, perdet eam, » etc. « Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, » ne dura et aspera persecutio martyrii videretur, suæ passionis et resurrectionis exemplum adhibuit, dicens se Hierosolymis multa passurum et in die tertia resurrecturum. Ne autem resurrectionis inaudita gloria incredibilis videretur, tribus electis discipulis seorsum eductis, ejusdem resurrectionis formam in sua transfiguratione ostendit. Et pulchre ostensurus discipulis ejusdem resurrectionis formam, seorsum eos eduxit, quia si ejusdem resurrectionis participes esse cupimus, a turbis malignorum spirituum et tumultibus sæculi separati esse debemus, semper quidem mente, aliquando et corpore. Quia sicut bonorum societas multum juvat, sic infirmis mentibus malorum concordia frequenter nocet, teste Psalmista qui ait: « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris; et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris (*Psal.* XVII). » Unde nos Salomon admonet dicens: « Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ (*Prov.* XXII). » Pulchre etiam eos quibus cor suum clarificatum ostendit, in montem excelsum eduxit, ut nos doceret quia tunc ad illam gloriam futuræ resurrectionis feliciter pervenire merebimur, si terrena deserentes, sublimia atque cœlestia desideramus, dicentes cum Apostolo: « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* III). » Unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum. Quasi cum Domino montem ascendimus, cum fugitiva mundi gaudia contemnentes, cœlestem patriam desideramus, sicut faciebat Psalmista cum dicebat: « Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus (*Psal.* XLI). » Nec illud absque consideratione prætereundum est, quod post sex dies et post ea quæ superius gesta narrantur discipulis suam resurrectionem ostendisse memoratur. Quia enim sex sunt dies in quibus licet operari, senarius sæpe numerus præsentis vitæ laborem significat. Et quasi post sex dies discipulis suam claritatem ostendit, quia præsentis vitæ labores electi ad gloriam futuræ resurrectionis sunt perventuri. Quia sicut Apostolus ait: « Si compatimur et conregnabimus (*Rom.* VIII): » et: « Si fuerimus socii passionum, erimus et resurrectionis (*II Cor.* I). » Quod vero dicitur:

« Et resplenduit facies ejus, sicut sol: vestimenta « autem ejus facta sunt alba sicut nix. » Ejusdem resurrectionis forma demonstratur. Quia ergo juxta ejus promissionem, « fulgebunt justi sicut sol in regno Patris (*Matth.* XIII), » in semetipso ostendit quod futurum constat in membris. Nunquid solis claritas Domino valet comparari, vel sanctorum, de quibus dicit Apostolus: « Stella ab stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum (*I Cor.* XV). » Sed quia in rebus visibilibus nihil sole splendidius apparet, per claritatem solis futuræ vitæ splendor significatus est, in qua, sicut per Danielem dicitur: « Qui docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan.* XII). » Et quoniam nihil

sole clarius (ut diximus) videre novimus, non solum Domini, sed etiam sanctorum in resurrectione gloria solis aspectui comparatur, quia clarius sole aliquid, unde exemplum daretur hominibus, nimine potuit invenire. Hanc autem clarificatam Dominici corporis majestatem, hanc sanctorum corporum claritatem, nullus in judicio reproborum videre putandus est. Tantum videbunt in quem transfixerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ. At cum peracto judicio sublati fuerint impii, ne videant gloriam Dei, tunc justi ad contemplandam perpetuo gloriam regni ejus, et ipsi pro modulo suo incorruptionis gloriam transfigurati intrabunt. Unde dicit Apostolus: « Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (*Philip.* III). » Per vestimenta vero Domini, quæ facta sunt alba sicut nix, Ecclesia designatur, quam juxta Apostolum elegit (*Ephes.* V), non habentem maculam, neque rugam, ut esset munda et immaculata in conspectu ejus, sicut per Joannem in Apocalypsi dicitur: « Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo, tanquam sponsam ornatam viro suo (*Apoc* XXI). » Sicut enim vestis multis filis texitur, sic Ecclesia multis virtutibus decoratur, juxta illud Isaiæ: « Vivo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris (*Isa.* XLIX). » Et Apostolus: « Quotquot enim (inquit) in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Gal.* III). » Hoc est, qui in tempore resurrectionis omni labe iniquitatis, simul et ab omni mortalitatis obscuritate castificantur. Vestimenta enim Domini lacta sunt alba sicut nix, quia Ecclesia in futura vita ad gloriam, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, est perventura, ad quam pervenire optabat David, cum dicebat: « Lavabis me et super nivem dealbabor (*Psal.* L). » Unde bene de iisdem vestimentis per alium evangelistam, scilicet Marcum dicitur. « Quia facta sunt candida nimis velut nix, qualia fullo non potest facere super terram (*Marc.* IX). » Quoniam quanta futura sit gloria sanctorum, nec doctor, nec prædicator quilibet spiritualis, in præsenti vita suis valet aperire sermonibus. Sed ne aliqua dubitatio in apostolorum cordibus remanere posset, post transfigurationem Dominici corporis, idonei testes adhibentur. Unde et subditur:

« Ecce apparuerunt Moyses et Elias cum eo lo- « quentes. » Quales autem apparuerint, vel quid cum eo locuti sint, alius (scilicet Lucas) evangelista manifestius declarat, dicens: « Et ecce visi sunt loquentes cum eo Moyses et Elias, splendidi in majestate, prædicantes ejus excessum in Jerusalem (*Luc.* IX). » Ubi per Moysen et Eliam, et legis et prophetarum oracula intelligimus, qui prædicabant ejus excessum in Jerusalem, quia lex et prophetæ Dominum passurum et resurrecturum prænuntiaverunt. Sive aliter, per Moysen et Eliam, utrumque Testamentum intelligere possumus, Vetus scilicet et Novum. Una ergo voce Moyses et Elias excessum Domini prædixerunt, quia concordi fide utriusque Testamenti fideles de Domini adventu sentiunt, quando quod illi prænuntiaverunt futurum, isti prænuntiant jam factum. Aliter etiam per Moysen, qui mortis debitum nedum exsolvit, duos sanctorum ordines possumus accipere, et illos scilicet, qui Domini ultimum adventum moriendo per Moysen præcesserunt, et illos qui tempore judicii vivi in carne inveniendi sunt. Bene ergo cum eo visi in majestate memorentur, quia et isti resuscitati, et illi immutati, rapientur, in nubibus obviam Christo in aera (*I Thes.* IV), et sic semper cum Domino erunt, quando implebitur promissio Domini, dicentis: « Pater, da ut sicut ego et tu unum sumus, ita et isti in nobis unum sint (*Joan.* XVII), » non æqualitate, sed participatione gloriæ. Sed hujus visionis claritate quantum Petrus apostolus delectatus sit, manifestavit, cum respondens dixit ad Jesum:

« Domine, bonum est nos hic esse. » Ubi ostendit summum bonum et principale in futura vita cum Domino esse, non in præsenti sæculo, quod totum in maligno positum est, et ubi juxta Pauli apostoli vocem, dies mali sunt. Hoc enim bonum senserat, et huic inhærere Deo bonum est. Quod autem ab illa visione discedere nollet, manifestavit cum adjunxit: « Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, « Moysi unum et Eliæ unum. » Hoc autem dixit (ut alius evangelista refert) nesciens quid diceret, quia humana natura cum ultra modum suæ fragilitatis ducitur, aliquando suam ipsam ignorantiam ignorat. Nesciebat quid diceret, quando in æterna illa gloria temporalia tabernacula necessaria æstimabat. Ibi enim materialis tabernaculi constructio necessaria non est, ubi summum bonum et perfectum Domini visio est, sicut per Joannem de superna civitate Jerusalem dicitur: « Et templum non vidi in ea, Dominus enim Deus templum illius est, et agnus (*Apoc.* XXI). « Qualis autem constructio in ea futura sit, Psalmista declarat, cum dicit: « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum (*Psal.* CXXI). » Et Dominus in Evangelio: « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). » Unum autem idemque sollicite considerandum est, quia juxta Psalmistæ vocem: « Non habitat cum eo malignus, neque permanebunt injusti ante oculos ejus (*Psal.* V). » Unde sic interrogantes Dominum, cum Propheta dicimus: « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? » (*Psal.* XIV.) Tales nos exhibeamus de quibus subditur: « Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam (*Psal.* XIV), et cætera quæ sequuntur. Sed de tabernaculis visibili constructione Petro cogitante:

« Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbra- « vit eos. » Ut intelligerent electis in æterna tabernacula receptis, non esse necessaria corporalia tabernacula ubi in nubis obumbratione protecti erunt a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem, quando implebitur quod alibi per Psalmistam dicitur: « Abscondes eos in abscondito fa-

ciei tuæ a conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum (*Psal.* xxx). » Si enim populum per deserta gradientem quadraginta annos columnæ obumbratione protexit et illuminavit,multo magis in suam vitam receptos, electos absque tabernaculorum constructione securos reddet pariter et munitos.Ad instruendas autem mentes apostolorum de cognitione divinitatis unigeniti Filii Dei, post Moysi et Eliæ testimonium, vox Patris de nube testimonium perhibuit, dicens : « Hic est Filius meus dilectus. » Id est : quem in forma hominis hominem cernitis, hic est Filius meus dilectus. Ac si diceret : Hic est Filius meus non adoptivus, sed proprius, non aliunde creatus, sed ex me genitus,cui mecum una est potestas,una substantia et una æternitas. De quo subditur: « In « quo mihi complacui. » Displicuit enim Deo humana natura, quando præcepti illius prævaricatrix peccando effecta est, sicut ipse ait ad Noe: « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum,eo quod sit caro. Pœnitet me fecisse eos (*Gen.* vi). » Sed in solo Mediatore Dei et hominum, bene sibi complacuisse dicit,quia peccatum quod divinitatem fuscaret, in humanitate non habuit : quoniam peccatum non fecit,nec dolus inventus est in ore ejus. Nam quod ait vox paterna de Filio : « In quo mihi complacui.»idipsum est quod alibi Filius testatur, dicens :«Et qui me misit,mecum est,et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper (*Joan.* viii). » Bene quoque voce Patris, de eo dicitur :« Ipsum audite,»ut ipsum esse intelligeremus, de quo per Moysen fuerat prophetatum (*Deut.* xviii) : « Prophetam suscitabit vobis de fratribus vestris tanquam me,ipsum audietis,»juxta omnia quæ locutus fuerit vobis.Et omnis qui non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Felices ergo apostoli, qui non solum Domini claritatem videre meruerunt,sed etiam vocem Patris intonantem audire.Nec ab hac felicitate nos ex toto alieni erimus, si quem illi crediderunt, et nos credimus : et quomodo illi vixerunt,imitando vivimus :et quem dilexerunt totis visceribus, amamus.Sed quia humana fragilitas pondus Divinitatis ferre non valet, recte subditur :

« Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem « suam,et timuerunt valde.«Sed quos humana fragilitas gravabat, benigne pius magister consolatur, et erigit verbo pariter et tactu.Unde et subinfertur:

« Et accedens Jesus tetigit eos dicens : Surgite, « et nolite timere. » Tangendo ergo timorem expellit, et fiduciam tribuit, quia tactus ejus sanitas est orbis terrarum. Et quoniam juxta ejus vocem, omnis qui se humiliat exaltabitur(*Luc.* xviii), post casum surgere jubentur,quoniam post præsentis vitæ labores electi ad gloriam sunt sublimandi, juxta illud Psalmistæ : « Surgite postquam sederitis (*Psal.* cxxvi). »

« Levantes autem oculos suos, neminem vide- « runt,nisi solum Jesum.» Ut intelligerent Moysen et Eliam ad hoc apparuisse,quatenus Domini clarificationi testimonium perhiberent. Quod vero descendentibus illis de monte præcepit Jesus,dicens: « Nemini dixeritis visionem,donec filius hominis « a mortuis resurgat.» Tempus futuræ prædicationis insinuat. Noverat enim fragiles esse apostolorum mentes ad tantæ visionis testimonium perhibendum,quoadusque Spiritus sancti gratia plenius instruerentur, et perfectius confortarentur.Noverat etiam carnalium mentes ad hæc incredibiles esse, nisi prius sua visibili resurrectione ad credendum commoverentur. Et ideo hanc visionem non esse penitus dicendam prohibuit, sed ante resurrectionem dicere vetuit, tempus ordinatæ prædicationis ostendens : quando incredibile non videretur,quod etiam visibiliter per resurrectionis statum monstrabatur.

HOMILIA XXXV.

DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA.

(MATTH. xv.) « In illo tempore : Egressus inde « Jesus(de Genesar) secessit in partes Tyri et Sido- « nis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis « egressa, clamavit, dicens : Miserere mei,Domine, « fili David,»et reliqua.Supra refert evangelica lectio, qualiter Dominus conflictum cum Pharisæis et Scribis habuit,et illis non credentibus,sed insuper blasphemantibus,egressus inde,secessit in partes Tyri et Sidonis. Tyrus autem et Sidon civitates fuere gentilium, quæ populo Judæorum sorte datæ sunt, sed ab eis minime possessæ, quia habitatores earum minime crediderant.In corde enim maris sitæ, non facile ab hostibus capiuntur.In hac fuit Hiram rex potentissimus,qui Salomonis ligna et lapides ad domum Domini ædificandam præbuit (*III Reg.* v), contra quam Ezechiel propheta multa locutus est (*Ezech.* xxvi(), dicens eam sitam esse in corde maris, divitiis locupletem,sed vitiis plenam,et ad ejus destructionem Nabuchodonosor regem venturum prophetat. Dicitur autem Tyrus a situ vel qualitate loci,eo quod Tyria,id est pretiosissima purpura ibi reperiatur. Inveniuntur quoque ibi pisces, quos conchylia vocant,qui ferro incisi,guttas sanguineas mittunt, ex quibus sericum tingitur, de quo pretiosior purpura texitur. Interpretatur autem Tyrus in nostra lingua *sors Dei*, significat genus humanum, quod ante prævaricationem primi hominis in sorte Dei fuit,sed tunc de ejus sorte discessit,quando primus homo peccavit. Dominus autem fines Tyri appropinquavit, quando pro redemptione generis humani in mundum venit,quatenus ipsum genus humanum,de sorte diaboli ad sortem suam revocaret, impleta prophetia quæ ait (*Ose.* i, ii ; *Rom.* ix ; *I Petr.* ii) : « Vocabo non plebem meam, plebem meam : et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit : In loco ubi dictum est : Non plebs mea vos, ibi enim vocabuntur filii Dei. » Et iterum : « Postula a me,et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* ii). » Et gentes quæ

non exquisierunt te, ad te current. Sidon autem et ipsa a situ vel qualitate loci dicitur, eo quod ibi multitudo piscium capiatur. Nam Phœnices sidon pisces appellant. Ibi etiam pretiosissimi vitri copia reperiri traditur. Interpretatur autem in nostra lingua *inutilis venatio*. Significat et ipsa genus humanum quod ante incarnationem Domini a diabolo inutiliter venabatur. Sicut enim venator cum rapacissimis canibus bestiam persequitur, ejus carnes cupiens lacerare: sic diabolus ante incarnationem ejus genus humanum persequebatur, ut animam ipsius ad interitum mortis pertraheret. Sed Dominus fines Sidonis appropinquavit, ut genus humanum de inutili venatione diaboli ad utilem pertraheret, per eos scilicet venatores, de quibus per Prophetam dicitur: «Mittam piscatores meos, et piscabuntur eos: venatores, et venabuntur de omni monte et de omni colle (*Jer.* XVIII).» Cum autem Dominus, relictis Scribis et Pharisæis, in fines Tyri et Sidonis secessit, ipso nimirum situ corporis demonstravit Judæos propter perfidiam relinquendos, et gentes ad fidem vocandas, juxta illud quod ipsis Judæis non credentibus alibi ait: « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI), » quod protinus manifestatur, cum subinfertur: « Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa. » Mulier ergo Chananæa, mulier gentilis, de stirpe Cham, qui maledictionem promeruit, orta, quam etiam alius evangelista (*Marc.* VII) Syrophœnissam appellat, post Dominum clamat, quia non venerat ipse vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Marc.* II). Allegorice autem hæc mulier Chananæa typum Ecclesiæ tenet ex gentibus collectæ. Mulier quoque Ecclesiæ comparatur, non propter mollitiem, sed propter conjunctionem viri et fecunditatem prolis, quæ ante adventum Domini infecunda et sterilis permansit, sed Domino veniente, conjuncta sibi Ecclesia, spirituales filios gignere cœpit, impleta prophetia quæ ait: « Lætare, sterilis quæ non paris (*Isa.* LIV). » Hæc est enim illa mulier de qua per Salomonem dicitur: « Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus (*Prov.* XXXI). » De qua etiam Dominus figurate in Evangelio loquitur: «Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum (*Matth.* XIII). » Et iterum: « Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus (*Joan.* XVI). » Hæc autem mulier tot quotidie spiritualiter filios parit, quot fideles per undam baptismatis et gratiam Spiritus sancti regenerat. Notandum autem quod mulier primum a finibus suis egressa, post Dominum clamasse dicitur, quia nisi Ecclesia prius pristinos errores anathematizasset, ad notitiam Dei pervenire non posset. Ordo namque necessarius exposcit, ut prius vitiis et criminibus abrenuntiet, qui virtutes accipere desiderat, ut Psalmista: « Quis est homo qui vult vitam diligere et videre dies bonos? prohibeat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Declinet autem a malo, et faciat bonum: inquirat pacem, et sequatur eam (*Psal.* XXXIII). » Sed quid clamat audiamus: «Miserere mei, Domine, Fili David. » In quibus verbis, breviter quidem, sed pleniter, Catholicam fidem comprehendit. Nam sic Deum credidit ut hominem non negaret, sic hominem confitetur ut eumdem verum Deum credat. Verum enim Deum credidit, cum dixit: « Miserere mei. » Verum hominem, cum adjunxit: « Fili David. » Filium David vocat, quia de stirpe David Salvator noster carnem assumpsit, dicente Apostolo: « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I). » Et propheta: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex et sapiens erit (*Jer.* XXIII). » Cum enim mater pro filia Dominum supplicavit, dicens: « Filia mea a dæmonio vexatur, » manifestavit quia illi qui prius ex gentibus crediderunt, pro liberatione eorum, qui adhuc in errore detinebantur, preces ad Dominum fuderunt. Sicut enim superius diximus, mater Ecclesiam significavit, filia quoque ejus unamquamque peccatricem præfiguravit animam. Quæ male a dæmonio vexatur, quando integro corpore vitiis et criminibus subjacet, qualia sunt adulterium, furtum, homicidium, rapina, sacrilegium et his similia. Rogavit ergo mater pro filia, quia Ecclesia, pro correctione eorum qui peccatis et vitiis subjacent, sollicite invigilat, aliquando suadendo, aliquando exhortando, aliquando eam acrius increpando, aliquando orationis opem impendendo. Nec solum magistri sibi subjectis correctionem impendere debent, sed etiam orationem, ut quos non possunt sermonibus corrigere, saltem orationibus possint juvare, velut faciebat Apostolus qui quorumdam discipulorum lapsum, suum reputans, dicebat: « Quis infirmatur, et ego non infirmor (*II Cor.* XI)? « Et iterum: « Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV). »

« Qui non respondit ei verbum. » Non est hoc ex supercilio Scribarum et Pharisæorum, quod Dominus mulieri clamanti non respondit, sed varias ob causas ei primum respondere distulit, cui postmodum non solum responsum dedit, sed etiam hoc quod petebat benigne tribuit. Primo, ut constantia mulieris probaretur, utrum in prece perseveraret, an non; secundo, ut occasionem non credendi Judæis auferret, ne forte dicerent: Christus nobis promissus est, et iste gentes docet, gentes curat, et ideo nolumus credere in ipsum; tertio, ut animos discipulorum ad misericordiam provocaret. Sed absit ut absque misericordia eos fuisse credamus, qui cum auctore misericordiæ gradiebantur. Quorum animos ad misericordiam commotos evangelista manifestat, cum subjunxit: « Et accedentes discipuli « rogabant eum. » Rogaverunt eum tunc discipuli pro muliere Chananitide, postea vero pro Ecclesia ex gentibus vocata, qui non solum usque ad mortem se tradiderunt, sed etiam orationibus eam Domino commendaverunt (sicut Paulus apostolus quosdam

discipulos relinquens, dicebat : « Commendo vos Deo et Verbo ipsius [*Act.* xx] ») dicentes : « Dimitte « eam, » quod est dicere Dimitte peccata, et dona virtutes. « Quia clamat post nos. » Mulier post apostolos clamavit, quia Ecclesia non solum eorum doctrinam diligit, sed etiam actiones imitatur. Post apostolos autem clamare est illorum vestigia sequi.

« Ipse autem respondens ait : Non sum missus « nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. » Quæritur autem quare dicat : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, » cum alibi dixisse legatur : « Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor (*Joan.* x). » Ad quod dicendum, quia de præsentia sua corporali dixit : quoniam neminem gentilium per semetipsum docuisse legitur, exceptis duobus diebus in Samaria, ut occasionem non credendi (sicut supra dictum est) Judæis auferret. Tamen cum inter Judæos ambularet, doceret, signa faceret, salutem gentium futuram prædicabat, dicens : « Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili ; » et alibi : « Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis (*Matth.* xxi). » Et ideo qui prius dicebat : « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne introieritis (*Matth.* x), » postea dixit : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* xvi). » Quod impletum est post ejus ascensionem, ad apostolorum prædicationem. Quod ergo non fecit corporaliter, post resurrectionem per discipulos adimplevit spiritualiter. Sed illud prætermittendum non est, quare dixerit : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt, » cum hi qui perierunt, potius in hædorum, quam in ovium numero computentur. Ad quod dicendum, quia quos perditos suo merito Dominus invenit, eos oves gratiæ suæ esse fecit, de quibus per apostolum Petrum dicitur : « Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum (*I Petr.* ii). » In quo errore se noverat, qui dicebat : « Erravi sicut ovis quæ periit (*Psal.* cxviii). » At illa mulier, quæ antea repudiata fuerat, nec audita, postquam discipulos pro se rogantes audivit, tandem resumpta fiducia ad Deum venit, et adoravit eum, dicens :

« Domine, adjuva me. » Quæ enim salutem requirebat, de potestate non dubitabat.

« Qui respondens ait : Non est bonum sumere pa« nem filiorum, et mittere canibus. » Filii quondam Judæi fuerunt, de quibus a Domino per Moysen Pharaoni dictum est : « Dimitte filium meum Israel primogenitum (*Exod.* iv). » Canes vero gentiles, propter spurcitiam idololatriæ. Canis quoque in Scripturis varias significationes habet ; aliquando pro malo, aliquando ponitur pro bono. Bonos doctores significat, sicut per Psalmistam dicitur : « Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (*Psal.* lxvii) ; » malos, de quibus per Isaiam dicitur : « Canes muti, non valentes latrare (*Isa.* lvi) ; » aliquando hæreticos, sicut Apostolus ait : « Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem (*Phil.* iii) ; » aliquando peccatorem falsumque catholicum, mala sua iterantem, sicut Salomon ait : « Sicut canis revertitur ad vomitum suum, sic stultus ad stultitiam suam (*Prov.* xxvi) ; » aliquando Judæos, sicut per Psalmistam dicitur : « Circumdederunt me canes multi (*Psal.* xxi) ; » aliquando gentiles, sicut in hoc loco, ut supra dictum est : « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. » Ac si diceret : Non est bonum ut doctrinæ panis a filiis, id est a Judæis, quia ab initio Deum coluerunt et adoraverunt, subtrahatur, et vobis gentibus, qui multis spurcitiis et idolis deseruistis, detur. Quod prudenter mulier intelligens, taliterque se humilians, dixit :

« Etiam, Domine. » Ac si diceret : Scio, Domine, et credo, quia ita est, non enim sumus digni post idolorum culturam, panem filiorum accipere : sed quia in mundum dignatus es venire, extende sinum misericordiæ tuæ usque ad colligendas gentes, ut in quibus abundavit peccatum, superabundet gratia tua (*Rom.* v), fiatque per misericordiam tuam possibile quod per nostrum meritum est impossibile.

« Nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de « mensa dominorum suorum. » Ut qui magna capere non possumus, saltem de minimis et superfluis pascamur, scilicet qui non sumus digni mensæ filiorum participari, saltem de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, nutriamur. Mensa autem in hoc loco Scripturam sacram significat, quæ pro capacitate auditorum varios habet cibos et apparatus verborum, panem vitæ nobis ministrans, de qua per Prophetam dicitur : « Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me (*Psal.* xxii). »

Mica vero, quæ interior pars panis est, spiritualem intelligentiam in Scripturis designat. « Catelli ergo edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, » quando gentiles conversi apud semetipsos spiritualem intelligentiam requirunt quam Judæi accipere noluerunt. Quod Dominus intelligere prudentem mulierem conspiciens, respondit illi :

« O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. « Et sanata est filia illius ex illa hora. » Ubi considerandum quia ad petitionem matris filia illius a dæmonio liberata est, ut intelligamus quia parvuli in baptismo qui loqui non possunt, fide parentum ab originali peccato per baptismum solvuntur. Hujus quoque fidem, sicut centurionis, Dominus admiratus est, cui dixit :

« Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in « Israel. » Et ideo quia fidem habuit hæc mulier, statim effectum sanitatis filia consecuta est. Tres namque virtutes principales in verbis sive operibus hujus mulieris cognoscimus : fidem, constantiam, atque humilitatem. Fidem habuit, quia cum esset gentilis, salutem filiæ suæ a Domino se impetrare posse non dubitavit ; constantiam, quia cum esset repudiata, tandiu in prece perseveravit, quousque quod petebat acciperet ; humilitatem, quia cum

a Domino canibus esset comparata, ipsa de se humilius sentiens, catellis se coæquavit. Imitemur ergo et nos hanc mulierem, quæ prima de gentibus credendo mater nostra in fide effecta est, qui ex gentilitate venimus. Habeamus fidem, ut unum Deum credentes, quidquid juste ab eo petimus, nos impetrare posse credamus, juxta promissionem illius dicentis : « Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis (*Marc.* XI) ; » et iterum : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic monti : Transi hinc, et transiret (*Matth.* XVII). » — « Justus enim (ut ait Scriptura) ex fide vivit, et sine fide impossibile est placere Deo (*Habac.* II, *Hebr.* XI). » Habeamus constantiam, ut si divina dispensatio preces nostras tardius exaudierit, tandiu preces precibus jungamus, quousque hoc quod petimus impetremus, dicentes ei cum Psalmista : « Dirige me in veritate tua et doce me, quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die (*Psal.* XXIV). » Sicut enim paterfamilias dormit, et tamen si nostris precibus excitatus responderit, nolite mihi molesti esse, jam ostium meum clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere et dare vobis (*Luc.* XI) : si tamen instantissime nos viderit petentes, et si non dederit surgens eo quod amicus noster sit, propter importunitatem tamen surget, et dabit nobis quotquot habemus necessarios. Jubetur enim in prece persistere, qui vult accipere, usque ad cornu altaris, id est, usque ad fidem, dicente Psalmista : « Constituite diem solemnem, in condensis usque ad cornu altaris (*Psal.* CXVII). » Et si ad impetrandum quod petimus nos idoneos esse non sentimus, spiritualium fratrum orationes ad adjutorium quæramus, ut sicut ista mulier, apostolis pro se intervenientibus, quod petebat promeruit, ita nos communibus precibus magis quam propriis et singularibus adjuvari credamus. Habeamus humilitatem, ut aliis de nobis majora existimantibus, nos minimos judicemus, in exemplo hujus mulieris Chananitidis, quæ a domino canibus comparata, ipsa se catellis comparavit. Hanc humilitatem habebat in corde, qui despectus ab aliis dicebat : « Ludam et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis (*II Reg.* VI). » Hinc etenim sapiens dixit : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (*Eccl.* III). » Jam superius per filiam hujus mulieris, unamquamque animam peccatricem significari diximus. Quamvis nec anima sine carne, nec caro sine anima peccare possit, tamen sunt quædam vitia quæ specialiter ad carnem, quædam vero ad animam pertinere videntur. Furtum quippe, adulterium, homicidium, fornicatio, ebrietates, sacrilegium, et his similia ad carnem pertinent : at vero, invidia, ira, superbia, odium, rancor, dolus, vana gloria, simulatio, et his similia ad animam. Sive ergo animam, sive carnem contigerit in his vitiis commaculari, a finibus suis egrediatur, id est præterita peccata damnanda postponat, carnis desideria mortificet, voluntates proprias frangat, jejuniis, vigiliis, eleemosynis et orationibus insistat, et tandiu in prece perseveret, quoadusque a Domino cum muliere Cæananæa audire mereatur : « Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. » Sed illud non est prætermittendum, quod mulier hæc pro filia rogans, quinto decimo miraculo introducitur. Numerus enim iste sacramentis Ecclesiæ arridet, propter mysterium hebdomadis et ogdoadis : constat vero ex septem et octo. Nam quarto decimo die post egressionem de Ægypto, populus Israeliticus Pascha jussus est celebrare. Quindecim cantica graduum in psalterio legimus, quæ sunt ab « Ad Dominum cum tribularer (*Psal.* CXIX), » usque « Ecce nunc benedicite Dominum (*Psal.* CXXXIII). » Quindecim anni Jezechiæ ad vitam sunt adjuncti. Quindecim diebus Paulus cum Petro se mansisse testatur, conferens Evangelium quod prædicaturus erat gentibus, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset. Septem ergo ad dona septem Spiritus sancti pertinent, octo ad resurrectionem. Et quia ecclesia per septiformem gratiam Spiritus sancti illuminata, didicit resurrectionem credere, sperare et amare, recte quinto decimo loco pro filia rogatura introducitur. Et quia Ecclesia zelo divini amoris accensa, præsentem vitam didicit contemnere et æternam diligere, recte Chananæa dicitur. Chana quippe zelus interpretatur.

HOMILIA XXXVI.

FERIA SECUNDA POST *Reminiscere.*

(JOAN. VIII). « In illo tempore, dixit Jesus turbis « Judæorum : Ego vado, et quæretis me, » et reliqua. « Ego vado, » inquit, « et quæretis me, » non desiderio, sed odio. Nam illum, posteaquam abscessit ab oculis hominum, inquisierunt, et qui oderant, et qui amabant : illi persequendo, isti habere cupiendo. Bonum est animam Christi quærere, sed quomodo eam discipuli quæsierunt : et malum quærere animam Christi, sed quomodo eam Judæi quæsierunt : illi, eum ut haberent ; isti, ut perderent. Denique isti, quia sic quærebant mori malo corde et perverso, quod secutis adjunxit : « Quæretis me ? » Et ne putetis quia bene me quæretis.

« In peccato vestro moriemini. » Hoc est : Christum male quærere, in peccato suo mori. In peccato suo moritur, qui in peccato permanet usque ad mortem. Ille Christum non quærit, qui salutem animæ suæ per pœnitentiam non quærit, ad quem Propheta clamat : « Quærite Dominum dum inveniri potest (*Isa.* LIX). » Modo qui misericordem, dum tempus habet non quærit, inveniet eum iratum. Judæis dixit : « In peccato vestro moriemini, » quia præsciebat eos in peccato suo permanere. Singulari dixit numero, in peccato, et plurali, vestro : quia omnibus illis, ad quos loquebatur, unam esse voluntatem sciebat, æqualem malitiam perdendi eum, qui salvare eos venerat. Alio vero loco discipulis dixit : « Quo ego vado, vos non potestis ve-

nire (*Joan.* XIII) : » non abstulit eis spem, sed prædixit dilationem. Quando enim hoc discipulis Dominus loquebatur, tunc non poterant venire quo ille ibat, sed postea venturi erant : isti autem nunquam, quibus præscius dixit, « In peccato vestro moriemini. » His autem auditis verbis, quomodo solent carnalia cogitantes, et secundum carnem judicantes, et totum carnaliter audientes et sapientes dixerunt :

« Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit : Quo « ego vado, vos non potestis venire ? » Stulta verba et omnino insipientiæ plena ; quid enim non poterant illo venire, quo ille perrexisset, si interficeret semetipsum ? Nunquid ipsi non erant morituri ? Quid est ergo, « Nunquid interficiet semetipsum, » quia dixit, « quo ego vado vos non potestis venire, » si de B morte hominis diceret, quis hominum non moritur ? Ergo quo ego vado, dixit, non quo itur ad mortem, sed quo ibat ipse post mortem. Illis itaque non intelligentibus ista, respondit eis Dominus qui terram sapiebant.

« Vos de deorsum estis. » Ideo terram sapitis, quia sicut serpens terram manducatis, terrenis pascimini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum cor non habetis. « Vos de deorsum estis, ego de « supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non « sum de hoc mundo. » Quomodo ergo non erat de hoc mundo, per quem factus est mundus, et semper ubique est? Sed omnes de mundo, sed prius mundus, postea homo. Sed Christus ante mundum, ante Christum nihil, qui « in principio erat Verbum, et omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I). : « sic enim erat ille C de supernis. De quibus supernis? Ab ipso Patre, nihil illo superius, quia Verbum genuit æquale sibi, coæternum sibi, unigenitum sibi, sine tempore, per quem conderet tempora. Ideo Christus ante omnes creaturas, et ante omnia tempora, quia de Patre coæternus Patri genitus est.

« Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc « mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in pec« catis vestris. » Exposuit nobis quid intelligi voluit, vos de hoc mundo estis ; ideo quippe dixit, Vos de hoc mundo estis, quia peccatores erant, quia iniqui erant, quia infideles erant, quia terrena sapiebant. Nunquid apostoli et sancti Dei de hoc mundo non erant? Erant siquidem, quia de Adam nati sunt sed ipsa Veritas de eis ait : « Ego elegi vos de D mundo (*Joan.* XV), » id est, de carnali conversatione, quæ mundi nomine in hoc loco significari videtur. Quia ergo erant de mundo, facti sunt non de mundo, sed pertinere cœperunt ad eum, per quem factus est mundus. Isti autem remanserunt esse in mundo, quibus dictum est :« Moriemini in peccatis vestris, » Nemo dicat, de hoc mundo non sum. Quisquis es, o homo, de hoc mundo es, sed venit ad te qui fecit mundum, et liberabit te de hoc mundo. Si delectat te mundus, semper vis esse immundus : si autem non delectat te hic mundus, jam tu eris mundus, et non audies quod Judæi audie-

A runt : « Moriemini in peccato vestro. » Et qui plus peccat, plus est in mundo, et plus est immundus. Et quanto se quis mundat a peccato, tanto se elevat de mundo non esse. Merito audierunt Judæi, « moriemini in peccatis vestris, » quia non habere peccatum nullo modo potuistis, qui cum peccato nati estis. Sed tamen si in me, inquit, credideritis, quamvis cum peccato quidem nati estis, sed in peccato vestro morituri non estis. Adjunxit enim dicens : « Si non « credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis « vestris. » Ergo si credideritis quia ego sum, non moriemini in peccatis vestris. Reddita spes est desperantibus, excitatio facta est dormientibus. Cordibus evigilaverunt, inde plurimi crediderunt, sicut Evangelii ipsius consequentia testatur, ubi ait :

« Hæc illo loquente, multi crediderunt. » In hoc ergo populo cui Dominus loquebatur, erant qui in peccato suo fuerant morituri, erant etiam qui in ipsum qui loquebatur, fuerant credituri, et ab omni peccato liberandi. Tamen hoc attendite quod ait Dominus Christus : « Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. » Quid est, si non credideritis quia ego sum? quia nihil addidit, multum est quod commendavit. Dixit, ego sum, et non addidit quid, sive Christus, sive Filius Dei, sive ille quem prophetæ prædixerunt, sive Salvator mundi, sive aliud aliquid quod de eo in Scripturis legitur. Multum est quod ait, Ego sum, quia dixerat Deus Moysi : « Ego sum qui sum. » Eodem modo Verbum essentiæ sempiternæ usus est ad populum Judæorum, quo tunc ad Moysem per angelum in rubo flammæ ignis, quem missurus erat ad liberandum populum suum (*Exod.* III). Quid est quod hic dixit : « Ego sum, » nisi, ille ipse qui tunc in angelo mittere Moysen servum meum ad liberandum populum meum destinavi, ego ipse modo per meipsum veni incarnatus, homo factus, liberare homines, quos creavi, qui perditi fuerant? Quidquid enim aliquando mutari potest vel in melius, vel in deterius, quodammodo ex eo quod fuit ante, incipit aliud esse, vel aliter esse quam fuit. Solus vero Deus semper idem est, immutabilis veritas, immutabilis, sempiternus, immutabilis natura, immutabilis substantia, et quidquid de eo dici potest, semper idem est quod fuit et erit. Prorsus nihil aliud melius videretur in loco, in hoc verbo quod ait Dominus : « Ego sum, » nisi, ego sum Deus, moriemini in peccato vestro. Sed illi semper terrena sapientes, et semper secundum carnem audientes et respondentes, quid ei dixerunt audiamus.

« Tu qui es? » Non enim cum dixisti, nisi credideritis quia ego sum, addidisti quis esses. Quis es, ut credamus? Et ille : « Principium. » Ecce quod est principium, mutari non potest, principium in se manet et innovat omnia. Principium cui dictum est : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI). » « Principium, ait, qui et loquor vobis. » Respondit, principium me esse credite, et addidit, qui et loquor vobis, id est quia humilis propter vos

factus, ad ista verba descendi. Nam si principium, sicuti est, ita maneret apud Patrem, et non acciperet formam servi, et homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile verbum sine voce, sed sensibilia videre non possent? Ergo, inquit, credite me esse principium, quia ut credatis non solum sum, sed et loquor vobis. Verba Domini nostri Jesu Christi, quæ habuit cum Judæis, ita moderant loquelam suam, ut cæci non viderent, et fideles oculos aperirent. « Dicebant ergo Judæi: Tu qui es? Et ait: Principium qui et loquor vobis. » Quare se dicit Dominus Jesus principium? Quia omnia per ipsum facta sunt. Ipse enim est Dei sapientia, sicut Psalmista dicit: « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CVII). » Si igitur omnia in sapientia fecit Deus, id est, in Filio suo coæterno sibi et consubstantiali, Filius utique omnium principium est. Nunquid et Pater potest dici principium? Utique recte dicitur et Pater principium, non tamen duo principia, sicut Pater Deus, et Filius Deus, non tamen duo principia, sed unum principium faciendum est. Ergo et Spiritus sanctus principium est, non tamen tria principia, Pater et Filius et Spiritus sanctus, sed unum principium : sicut Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, non tamen tres dii, sed unus Deus; sicut Pater omnipotens, Filius omnipotens, Spiritus sanctus omnipotens, non tamen tres omnipptentes, sed unus omnipotens. Id enim quod Pater ad se est, Deus est : quod ad Filium est, Pater est. Quod Filius ad seipsum est, Deus est : et quod ad Patrem est, Filius est : et Spiritus sanctus quod ad se est, Deus est : quod Patrem et Filium, Spiritus sanctus est, quia Patris et Filii Spiritus est, ex Patre et Filio procedens, unius subtantiæ, potestatis et majestatis cum Patre et Filio.

« Multa, inquit, habeo de vobis loqui et judicare. » In alio loco vero dixit: « Ego non judico quemquam (*Joan.* VIII), » præsentem ei ostendens adventum, quo venit salvare, non judicare, quia venerat ut salvaret mundum, non ut judicaret mundum. Quod autem nunc dicit, « multa habeo de vobis loqui et judicare, » judicium futurum dicit. Ideo enim ascendit, ut veniat judicare vivos et mortuos. Nemo justius judicabit, quam qui injuste judicatus est. Multa habeo, inquit, loqui et judicare de vobis, sed qui me misit, verax est. Videte quemadmodum Patri det gloriam, æqualis Filius Patri. Exemplum enim præbens nobis gloriam dare Deo, gloriam Dei quærere, non nostram. Quasi diceret: O homo fidelis, si ego Filius Patris, æqualis Patri, consubstantialis Patri, coæternus Patri, do gloriam ei a quo sum, quomodo tu superbus es apud eum cujus es servus? Multa, inquit habeo de vobis loqui et judicare, sed qui me misit, verax est. Tanquam diceret: Ideo verum dico, quia Filius veracis veritas sum. Pater verax est, Filius veritas. Ait enim apertissime ipse Dominus : « Ego sum via et veritas et vita (*Joan.* XIV). » Ergo si Filius veritas, Pater quid, nisi quod aj veritas. Qui me misit, verax est? Filius veritas, Pater verax. Sicut a Patre Filius, ita a veraci veritas. Pater verax est, sed non a veritate : Filius veritas, sed a Patre quia Filius a Patre, non a seipso, et ideo ait alio loco: « A meipso non veni (*Joan.* VII), » id est, a meipso non sum. Pater utique verax est, non a participando veritati, sed generando veritatem. Quia Pater genuit Filium, qui de ipso ait: « Ego sum via et veritas et vita. » Cum autem dixisset Dominus Jesus, « verax est qui me misit, » non intellexerunt illi quod de Patre eis dicebat. Necdum enim habuerunt oculos cordis apertos, ut intelligere possent æqualitatem veracis et veritatis.

« Dicebat ergo eis: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso « facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. » Quid est hoc? Nihil enim aliud videtur dixisse, nisi eos post passionem suam cognituros quid esset. Procul dubio ergo videbat ibi aliquos, quos ipse cum cæteris sanctis suis ante mundi constitutionem præsciendo elegerat, post passionem suam esse credituros. Ipsi sunt illi, quos assidue commendamus, et ad imitationem cum magna exhortatione proponimus. Misso autem Spiritu sancto post Domini passionem et resurrectionem et ascensionem, cum miracula fierent in ejus nomine, quem tanquam mortuum persequentes Judæi contempserunt, compuncti sunt corde. Et quem sævientes occiderunt, et cujus sanguinem sæviendo fuderunt, credendo biberunt illa tria millia, et illa quinque millia Judæorum, quos ibi videbat, quando dicebat: « Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. » Tanquam diceret : Differo cognitionem vestram, ut impleam passionem meam, ordine vestro cognoscetis qui sim. Non quia omnes tunc erant credituri, ex his qui audiebant, id est, post Domini passionem. Nam paulo ante dicit : Hæc eo loquente, multi crediderunt in eum, et nondum tamen exaltatus erat Filius hominis. Exaltationem quippe dicit passionis, non glorificationis : crucis, non cœli. Nam ibi exaltatus est, quando pependit in ligno, sed illa exaltatio, humiliatio fuit. Tunc enim factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter exaltavit illum Deus (*Philip* II), etc, Altera exaltatio fuit, quando elevatus est in cruce; altera, dum ascendit in cœlum. Illum humiliationis, ista glorificationis. Exaltatio vero crucis oportebat impleri per eorum manus, qui postea fuerant credituri, quibus dicit: « Cum exaltaveritis Filium hominis, » addidit: « tunc cognoscetis quia ego sum. » Quid est ego sum, nisi unius subtantiæ cum Patre? sicut ad Moysen superius diximus dictum esse : Ego sum qui sum (*Exod.* III). » Verbo substantiali utitur de seipso Dominus, ut intelligatur æternam esse substantiam, et unam esse substantiam Patris et Filii. Tamen ne ipse intelligeretur Pater, continuo adjunxit : « Et a meipso facio nihil, » id est a meipso non sum. Quod autem addidit, « sicut docuit me Pater, hæc loquor, » sensus altissimus est. Cor enim mundandum est, ut intelligatur quod ait, » sicut docuit me Pater, sic

loquor. » Non enim ita intelligendum est, quasi homo pater homini filio loqueretur, sed excellentius et sacratius. Aliter vero intelligendum est quod ait Evangelista (*Joan.* I): « In principio erat Verbum, » et aliter intelligendum, « Verbum caro factum est. » Aliter de Divinitate Christi, in qua æqualis est Deo Patri, aliter de humanite ejus, in qua consimilis est, nobis, cogitandum est. Non uno modo intelligendum est quod ait Dominus: « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X); » et illud quod dixit: « Pater major me est (*Joan.* XIV). » Ergo non corporaliter cogitate, Pater locutus est Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium. Nec enim sic docuit, quasi indoctum genuerit, sed hoc est eum, docuisse: quod est scientem genuisse. Et hoc est, docuit me Pater, quod scientem me genuit Pater. Si enim quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis, hoc est Filio esse quod nosse. Ab illo ergo habet quod noverit, a quo habet, ut sit, non ut prius ab illo esset, postea ab illo nosset, sed quemadmodum illi gignendo dedit, ut nosset. Quia simplicis, ut dictum est, naturæ veritatis est esse, et nosse non est aliud atque aliud, sed hoc ipsum. Dixit ergo ista Judæis, et addidit:

« Et qui me misit, mecum est. » Jam hoc et ante dixerat, sed rem magnam assidue commemorat, misit me, et mecum est. Si ergo tecum est, o Domine, non unus ab alio missus est, sed ambo venistis. Et tamen cum ambo similes sint, unus missus est, alter misit: quoniam missio est incarnatio, ipsa incarnatio Filii tantum est, non et Patris. Misit itaque Pater Filium, sed non recessit a Filio. Ergo, inquit, « qui me misit, non reliquit me solum. » Cujus auctoritate tanquam paterna incarnatus sum, mecum est, non me dereliquit. Quare me non dereliquit? « Quia ego quæ « placita sunt ei, facio semper. » Ipsa est æqualitas semper, non quodam initio et deinceps, sed sine initio, sine fine: Dei enim generatio non habet initium temporis, quia per genitum facta sunt tempora.

HOMILIA XXXVII.

FERIA TERTIA POST *Reminiscere.*

(MATTH. XXI.) « In illo tempore, dixit Jesus turbis « Judæorum parabolam hanc: Homo quidam habuit « duos filios, » et reliqua. Homo iste paterfamilias qui duos filios legitur habuisse, omnipotens Deus est, paterfamilias et conditor duorum populorum. Prior filius, gentilis est populus, qui in Noe et filiis ejus exordium sumpsit, qui prior dicitur, quantum ad antiquitatem pertinet: cui dedit Dominus per legem naturalem præceptum, ut operaretur vineam suam, dicens (*Tob.* IV): « Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. » Et, « Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis (*Matth.* VII). » Ille quidem primum in vinea Domini laborare contempsit, sed postmodum in adventu Domini pœnitentia commotus, ad opera judicii conversus est. Alter vero filius Judaicus populus fuit, cui Dominus dans legem per Moysen, operari præcepit in vineam suam.

« Et respondit: Eo, Domine. » Ait enim: « Quia quæcunque præceperit nobis Dominus, faciemus et obedientes ei erimus (*Exod.* XXIV), » — « Et non ivit. » Quia cuncta quæ stabilia esse promisit, mentitus est.

« Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Dicunt: « Primus. » Sua sententia condemnantur Judæi. Primus etenim filius, id est gentilis populus, voluntatem Patris fecit, qui primum quidem erravit, postmodum per pœnitentiam semetipsum correxit. Quidam autem interpretantur hanc parabolam non super duos populos, sed super justos et peccatores. Publicani enim et peccatores, qui primum mandata Dei respuerunt, postea, prædicante Joanne, eum acceperunt, et baptismo illius sunt mundati. At contra scribæ et Pharisæi, qui de falsa justitia sibi applaudebant, dum baptismum Joannis percipere despexerunt, inobedientes divinorum præceptorum exstiterunt, Unde et Dominus in conclusione istius parabolæ subjunxit:

« Quia publicani et meretrices præcedent vos in « regno Dei. » Regnum Dei possumus intelligere sacram Scripturam, juxta quod alibi dicit: « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). » Ad hoc regnum Dei publicani et meretrices, id est gentiles, præcesserunt Judæos.

HOMILIA XXXVIII.

FERIA QUARTA POST *Reminiscere.*

(MATTH. XX.) « In illo tempore, ascendens Jesus « Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos « secreto, et ait illis: Ecce ascendimus Hierosoly- « mam, » et reliqua. Crebro Dominus jam superius passionem suam prædixerat, et tempus et locum et modum etiam suæ passionis. Quid ergo est quod iterum repetit? Sed quia multa interlocutus fuerat, et poterat memoria suæ passionis a mentibus discipulorum suorum elabi, ideo repetit sæpius de contumelia passionis suæ, ut et pararet animas illorum ad tentationem, ut venientes Hierosolymam, tanto minus terrerentur, quanto sæpius id a Domino prædictum esse meminissent.

« Et accessit ad eum mater filiorum Zebedæi « cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. » Mater filiorum Zebedæi, matertera fuit Salvatoris, mater videlicet Jacobi et Joannis. Quid autem pertinuit ad hanc mulierem, ut cum audierat a Domino contumeliam et pœnam passionis, ab illo gloriam et dignitatem peteret filiis suis? Nihil enim prædixerat de gloria regni, sed solummodo de supplicio passionis. Sed forsitam incitata est ad petendam dignitatem filiis suis, quod intellexerat sermonem Domini, quem dixit, quod post tertia die resurrecturus esset. Putabat enim juxta Judæorum fabulam, quod Dominus post resurrectionem suam per mille annos esset regnaturus in terra corporaliter, et dignitatem terrenam suis electis esset distributurus. Hæc ergo fervore muliebri incitata ad Dominum accessit, ut post resurrectionem suam daret filiis suis potestatem sedendi, unum a dextris, et alterum a sinistris.

« Respondens autem Jesus, dixit: Nescistis quid « petatis. » Mater quidem petierat, sed Dominus discipulos increpavit, quia intellexit per potentiam suæ Divinitatis petitionem, quam mater ei attulerat, ex suasione filiorum descendissse. Et nihil mirum est, si Dominus his duobus discipulis dicat, « Nescitis quid petatis, » cum de Petro apostolo evangelista dicat quia nesciebat quid diceret. « Potestis bibere « calicem quem ego bibiturus sum? » Calicis nomine et baptismi, sicut alius evangelista ponit, passionem designat. Unde per Psalmistam dicitur (*Psal.* cxv): « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. » Et mox subjunxit quid esset calix salutaris, dicens: « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. » Baptismo etiam plerumque passio designatur, sicut Dominus dicit: « Baptismate habeo baptizari (*Luc.* xii), » id est passionem habeo sustinere. Interrogat ergo Dominus, si possent calicem bibere, quem ipse bibiturus erat, id est, si eamdem passionem possent ferre, quam ipse passurus erat pro illis. In quibus verbis aperte ostendit, quia prius sustinetur supplicium, ac deinde pervenitur ad regnum.

« Calicem quidem meum bibetis, » id est, passionem meam sustinebitis. Quod quærendum est, quomodo intelligatur. De Jacobo vero quod ipse Domini calicem biberit, nulla dubitatio est, quia ab Herode capite truncatus est. De Joanne vero dubium est, cum ipse per martyrii pœnam vitam hanc non finierit. Sed ipse licet per effusionem sanguinis de hoc sæculo non transierit, tamen calicem ipse Salvatoris bibit. Quia ipse a Domitiano impiissimo imperatore in ferventis olei dolium missus, et venenum ante principem bibit, et illæsus permansit, necnon etiam cum reliquis apostolis flagellatus legitur. Et licet per pœnam et effusionem sanguinis vitam non transierit, tamen calicem passionis bibit, quia animus et voluntas illius ad passionem perferendam semper paratus fuit.

« Sedere autem ad dexteram meam sive ad sini« stram, non est meum dare vobis. » Considerandum quod dicit, « non est meum dare vobis. » Vobis videlicet superbis et cupidis vanæ gloriæ. Et est sensus: Regnum Dei non est dantis, sed accipientis. Non enim possunt accipere regnum Dei tales quales vos estis, sed quales vos esse debetis. « Non est meum dare vobis, » id est superbis et elatis. Estote ergo vos primum humiles, et sic ad dignitatem regni pervenietis. Præparate vos tales, ut sitis apti regno cœlorum. Volunt autem quidam doctores concessum esse his discipulis quod petierant, ut unus sederet ad dexteram Domini, et alter etiam ad sinistram. Cum enim Jacobus per decollationem martyrii cœlestia regna penetravit, quasi ad dexteram Domini sedit. Quia Joannes evangelista per multum tempus ultra cæteros apostolos ad annos plurimos perduravit, quasi ad sinistram illius sedit. Per sinistram enim præsens vita designatur, per dexteram autem cœlestis beatitudo significatur, sicut in Canticis canticorum dicitur: « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (*Cant.* ii). » — « Sed quibus paratum est a Patre meo. » Humilibus videlicet et mitibus, audientibus me dicentem: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi). »

« Et audientes decem, indignati sunt de duobus « fratribus. » Et illi carnaliter petierunt, et isti carnaliter indignati sunt. Et tamen apostoli non contra matrem indignantur, quæ filiorum petitionem attulit, sed contra filios: quia intellexerunt istam petitionem ex voluntate filiorum processisse. Dominus autem mitis et humilis, nec matrem arguit cupiditatis, nec apostolos arguit invidiæ et livoris, sed utrisque proponit exemplum humilitatis, dicens illum potius majorem esse in regno cœlorum, quicunque se inferiorem præbuerit obsequio.

« Scitis quia principes gentium dominantur eorum, « et qui majores sunt, potestatem exercent inter « illos. » Proponit Dominus exemplum de gentibus, quarum principes exercent potestatem inter eos. Et illo proposito, subjunxit:

« Non ita erit inter vos, » id est, non similiter contendetis de principatu et gloria, sicut gentes.

« Sicut non venit Filius hominis ministrari, sed « ministrare. » Hoc est, non venit Filius hominis ut in hoc mundo honores et dignitates quæreret, sed ut ipse potius aliis ministraret. Proponit Dominus semetipsum in exemplum humilitatis. Quid ministravit Dominus apostolis suis? Victum et vestimentum, et cætera necessaria corporis, et prædicationem verbi divini, et ad ultimum in tantum se humiliavit, ut crucem et passionem pro eis subiret, hoc etiam et nobis ministravit. Unde et Dominus dicit: « Et dare « animam suam redemptionem pro multis. Non dixit pro omnibus, sed pro multis, quia videlicet Dominus pro omni genere humano licet crucem subiret, his duntaxat ejus passio profuit, qui eodem spiritu renati sunt ad vitam, quo ille conceptus est in utero matris.

HOMILIA XXXIX.

FERIA QUINTA POST *Reminiscere.*

(Joan. v.) « In illo tempore, dixit Jesus turbis Ju« dæorum: Non possum ego a meipso facere quid« quam, sed sicut audio, judico. » Fortasse ideo dixit, « non possum a meipso facere quidquam, » quasi dixisset, a meipso non sum, sed a Patre. Pater enim a nullo alio est Filius autem a Patre est, et reliqua. « Ideo dixit, sicut audio, judico, » quia unum opus est Patris et Filii et Spiritus sancti. Sicut audit judicat. Audiet videlicet per unitatem substantiæ et proprietatem scientiæ. Non judicat a semetipso, quia non est a semetipso. Pater quippe solus de alio non est, Filius a Patre genitus est, ut diximus. Ab ipso enim audiet Filius, a quo genitus est, quia non est a seipso, sed ab alio a quo genitus est. A quo illi est intelligentia, ab illo utique et scientia. Ab illo igitur audientia, quæ nihil est aliud quam scientia. Potest quoque hoc

ipsum quod dixit, « sicut audio, judico, » de humanitatis natura intelligi, quam Dei Filius ex virgine sumpsit. Cum ageretur de resurrectione animarum, non dicebat *audio*, sed *video*. « Sicut audio, judico, « et judicium meum justum est. » Unde est judicium hominis? Quia sequitur: « Non quæro voluntatem « meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » Ista missio incarnatio est Christi, quæ ad hoc facta est, ut paterna voluntas in salute humani generis per eum efficeretur. Videtur enim in hoc loco, ex his verbis Salvatoris nostri, velle eum insinuare nobis duas naturas in se esse, et veram habere animam, in qua sola voluntas est. Quæ enim tanta conjunctione commista est Divinitati, ut tota voluntas in ea spiritualis fuit, sed tamen non animalis, id est carnalis. Nam consequenter subjunxit :

A

« Si ego testimonium perhibeo de meipso, testi« monium meum non est verum. » Nam sicut in consequentibus dixit : « Si glorifico meipsum, gloria mea nihil est: sed qui misit me Pater, ipse me glorificat (*Joan.* VIII). » Sed hic dictum est : « Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum (*Ibid.*). » Et paulo post : « Qui me misit Pater, ipse testimonium perhibet de me (*Ibid.*). » Nunc in se naturam hominis demonstrans, nunc in Dei majestate æqualem se significat Patri, nunc unitatem sibi Divinitatis cum Deo Patre vindicans, nunc fragilitatem humanæ carnis ostendens, nunc doctrinam suam se non dicere suam, nunc voluntatem suam se non quærere, nunc testimonium suum verum non esse, nunc verum esse significans. Nam hic ait : « Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. » Et paulo post : Etsi ego testimonium perhibeo de me, verum est testimonium meum. Quomodo ergo non est verum testimonium ejus, nisi secundum fragilitatem carnis? Nam et illud quod dixit : « Non veni facere voluntatem meam (*Joan.* VI). » Et, Filius a se nihil potest facere, et alia multa hujusmodi, quæ omnia non infirmant Filium neque decipiunt, nec a Patre disjungunt. Si quidem et hæc ideo sunt posita, ut vera ejus reluceat humanitas, sicut ex his : « Ego in Patre et Pater in me (*Joan.* XIV). » Et iterum : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Et : « Qui me videt, videt et Patrem (*Joan.* XIV). » Et : « Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat, » vera ejus Divinitas approbatur. Quia voluntas Patris et Filii, una operatio, una denique gratia, eademque gubernatio est. Sed magister gentium docet ista, scribens : « Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo (*I Cor.* I). »

« Alius est qui testimonium perhibet de me. » In sequentibus ostendit quis sit ille alius qui testimonium perhibet de se, ubi ait : « Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me (*Joan.* VIII). » Testimonium Patris est de Filio in baptismo, ubi vox facta est de cœlo : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* XVII). » Simile quoque testimonium in monte sancto perhibuit Pater, audientibus tribus discipulis de Filio suo. « Et scio quia « testimonium ejus verum est. » Omne verum, a veritate verum est. Deus enim veritas est. Et quidquid verum est, a Deo verum est : atque hic testimonium dixit quid sit. « Opera, (inquit), quæ ego facio, testi« monium perhibent de me. » Deinde adjunxit : « Et « testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. » Ipsa quæ opera facit, a Patre se accepisse dicit. Testimonium ergo perhibent opera, testimonium perhibet Pater, qui misit eum. Perhibuit Joannes testimonium de Christo, tanquam lucerna, non ad sanandos amicos, sed ad confundendos inimicos. Jam enim antea prædictum erat a persona Patris : « Paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea (*Psal.* CXXXI). » Esto tanquam in nocte positus, attendisti in lucernam et miratus es lucernam, et

B

exsultasti ad lucem lucernæ. Sed illam lucernam dicit esse solem, in quo exsultare debeas. Et quamvis ardeat in nocte, diem te jubet exspectare. Non ergo quia illius hominis testimonium non erat opus. Nam ut quid mitteretur, si non erat opus? Sed ne in lucerna maneat homo, et lumen lucernæ sibi sufficere arbitretur, ideo nec Dominus lucernam illam superfluam dicit fuisse, nec tamen dicit in lucerna debere remanere. Scrutamini inquit, Scripturam, in qua vos putatis vitam æternam habere. Ipsa testimonium perhibet de me, et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Quid vos putatis habere in Scriptura vitam æternam? Ipsum interrogate, cui perhibet testimonium, et intelligite quæ sit vita æterna.

C

Et quia propter Moysen videbantur repudiare Christum, tanquam de alia lucerna. Omnes enim homines lucernæ, quia et incendi possunt et exstingui. Et lucernæ quidem cum sapiunt lucent, et spiritu fervent. Nam et si ardebant, exstinctæ sunt etjam putent. Permanserunt enim servi Dei lucernæ bonæ ex oleo misericordiæ illius, non ex viribus suis : gratia quippe Dei, gratuita illa, oleum lucernarum est. Plus enim illis omnibus laboravi, ait quædam lucerna. Et ne viribus suis ardere videretur, adjunxit : Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Omnis propheta ante Domini adventum lucerna est, de quo dicit Petrus apostolus (*II Petr.* I). Habeamus certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis, intendentes quemadmodum lucernæ lucent in obscuro loco, donec

D

dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. Lucerna itaque propheta est, et omnis prophetia est una magna lucerna. Quid apostoli? nonne lucernæ? Etiam ipsi lucernæ plane. Solus enim ille non lucerna. Non enim accenditur et exstinguitur, sed est « lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). » De Joanne dicitur : « Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine (*Ibid.*). » De Christo autem : « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Quid est quod de apostolis ipsa Veritas ait : « Vos estis lux mundi, » et de Joanne evangelista : « Non erat ille lumen ? » Nec Joannes per se erat lucerna, nec

apostoli per se lumen, sed a lumine Christo ille lucerna, et illi illuminati, qui est sol verus, oriens in corde credentium.

« Ego autem habeo testimonium majus Joanne. « Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam, « ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent « de me, quia Pater me misit. Et qui misit me Pater, « ipse testimonium perhibuit de me. » Superius dixit, « testimonium non accipio ab homine, » hic causam dixit, quare ab homine testimonium non accepisset, quia habet testimonium Patris, et operum testimonium, sed habet majus quam sunt hominum. Ergo hæc missio, incarnatio est Christi : incarnatio vero Christi, redemptio est nostra : redemptio vero nostra, est in ipsa Veritate, quæ ait : « Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant (*Joan.* x). » Subjunxit vero huic testimonio Patris, de ipso Patre quod Judæi, vel magis omnes infideles excæcatis mentibus veritatem Divinitatis non possunt accipere, dicens :

« Neque enim vocem ejus audistis unquam, neque « speciem ejus vidistis, et verbum ejus non habetis « in vobis manens. » Dicit Apostolus : « Non enim auditores legis justificati sunt, sed factores verbi Dei (*Rom.* II), » id est, Filius Dei non manet in illorum cordibus, quia non servant quæ audiunt. Quod vero ait. « neque vocem ejus audistis, neque speciem vidistis, » in hoc ostendit substantiam Divinitatis incomprehensibilem et invisibilem, et vocem ejus non carnalibus audire potuisse auribus, sed spirituali intelligentia per gratiam sancti Spiritus intelligere vel amare, secundum quod unicuique datum erit. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Et « illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. » « Non vultis venire, » id est, non vultis credere, quia sine fide impossibile est Deo placere. Venire nostrum ad Christum, id est, credere verum illum Filium Dei, et veram nos per illum habere salutem. Omnis enim Scriptura sancta testimonium perhibuit Christo, sive per figuras, sive per prophetas, sive per angelorum ministeria. Ergo et Moyses testimonium perhibuit Christo, Joannes testimonium perhibuit Christo, et cæteri prophetæ et apostoli perhibuerunt testimonium Christo. His omnibus testimoniis proponit operum suorum, quia per illos non nisi Deus perhibuit testimonium Filio suo.

« Claritatem ab hominibus non recipio, » id est, laudem humanam non quæro, quia « non veni ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx), » id est, non veni ut honorem ab hominibus acciperem carnalem, sed ut honorem hominibus darem spiritualem.

« Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non ha« betis in vobis. » Ideo dilectionem Dei non habuerunt, quia non crediderunt in eum, quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum. Ideo subjunxit :

« Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis « me, » id est, non credidistis in me, qui ideo veniebam in mundum ut glorificaretur nomen Patris. « Si « alius venerit in nomine suo, illum accipietis. » Quis est qui venit in nomine suo, nisi ille qui gloriam propriam quærit, et non alius qui misit illum? Quis est quem accepturi erant Judæi, nisi Antichristum qui venturus est gloriam quærere propriam ? Et hoc erit illis pœna peccati, quia noluerunt veritati credere, et credent mendacio.

« Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab « invicem accipitis, et gloriam quæ est solo Deo, non « quæritis ? » Considerandum intentius quanta sit jactantiæ et humanæ laudis ambitio malum, pro quo ipsa Veritas ait, credere non posse quosdam, quod sæcularis gloriæ cupidi erant. Quid est humanæ laudis cupiditas, nisi supernæ mentis elatio? Vult de se æstimari, quod in se habere non studet. Alter interius, alter foras videri desiderat. Humilitas vero gloriam quærit a solo Deo, superbia ab hominibus. Inde Joannes Baptista ab ipsa Veritate tam excellenter laudatus est, ut non esset arundo vento agitata, quia non humanæ laudis, nec odiosæ vituperationis aura flante flexibilis fuit, ideo gloriam non quæsivit humanam.

« Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud « Patrem. Est qui accusat vos Moyses, in quo vos « maxime speratis. » Ideo nsn accuso, quia non veni damnare, sed salvare. Moyses vero accusat, qui increduli estis voci illius. » De me ille scripsit, » dum ait (*Deut.* VIII) : Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis. Quid vero sequatur attendite : Erit, omnis anima quæ non obedierit prophetæ illi, exterminabitur de populo Dei. Si autem illius litteris non creditis, quomodo meis verbis credetis ? Quidquid enim lex et prophetæ scripserunt, per omnia Christum venturum esse designabant. Si enim Judæi legi vel prophetis credidissent, utique et Christo.

HOMILIA XL

FERIA SEXTA POST *Reminiscere.*

(MATTH. XXI). « In illo tempore, dixit Jesus disci« pulis suis, et turbis Judæorum parabolam hanc : « Homo quidam erat paterfamilias, qui plantavit vi« neam, et reliqua. » Scribæ et Pharisæi, qui superius Domino dixerant : In qua potestate hæc facis? audiunt per occultas parabolas, quod per apertum sermonem non merebantur audire. Omnipotens etenim Deus Pater, conditor et gubernator familiarum suarum est. Vinea illius, domus Israelitica est. Hoc enim nomine solet appellari eadem gens in sacro eloquio, sicut Isaias dicit (*Cap.* IV) : « Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. « Vinea facta est mihi in loco uberi, etc., usquequo dixit : Vinea Domini sabaoth, domus Israel est. Et Psalmista ait : « Vineam de Ægypto transtulisti (*Psal.* LXXIX). » Omnipotens ergo Deus vineam plantavit, quia ejectis de terra promissionis habitatoribus suis Chananæis, in eamdem gentem Israeliticam collocavit. » Et se« pem circumdedit ei, » id est muros urbium et cu-

stodiam angelorum. «Et fodit in ea torcular. »Torcular significat altare. Quoniam sicut in torculari uvæ exprimuntur,ita et in altari sanguis hostiarum et victimarum effundebatur. Vel per torcular, passionem sanctorum prophetarum debemusintelligere. quo nomine solet passio sanctorum designari. Unde quosdam psalmos pro torcularibus invenimus prætitulatos,in quibus sanctorum passio commemoratur. « Et ædificavit turrim. » Turrim, id est templum illud augustissimum,quod Dominus in medio Jerusalem ædificavit, primum per Salomonem, deinde reparavit per Esdram et Nehemiam,et ad ultimum per Judam et fratres ejus. « Et locavit eam agricolis, id est commendavit eam scribis et Pharisæis, ut fructum bonorum operum ex lege reportarent, « Et peregre profectus est. » Non mutatione locorum, quia Deus ubique est,et nusquam abest.quia sicut per Jeremiam dicit (*cap.* XXIII) : Deus appropinquans est, et non de longe : sed abiisse dicitur, quia cultoribus vineæ operandi arbitrium suæ voluntatis reliquit.

« Cum autem tempus fructuum appropinquasset, « misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fru« ctus ejus. » Tempus fructuum, tempus est bonorum operum reddendorum. Misit servos suos ad agricolas, Aaron videlicet et Moysen.

« Et agricolæ,apprehensis servis ejus,alium ceci« derunt. » Ceciderunt etenim Moysen et Aaron,licet non verberibus, sed tamen moribus et verbis. Nam etiam eos lapidare voluerunt.Et in Psalmo legimus : « Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus (*Psal.* CV). » Ceciderunt etenim David quando dixerunt :«Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai (*II Reg.* XX). » Alios etiam prophetas quosdam occiderunt, quosdam vero lapidaverunt.

« Iterum misit alios servos plures prioribus. » Servi qui secundo mittuntur,chorum prophetarum significant. «Et fecerunt illis similiter,»id est,quosdam lapidaverunt, sicut Naboth : quosdam ceciderunt,sicut Isaiam,secantes cum serra lignea :quosdam verberaverunt, sicut Jeremiam.

« Novissime autem misit ad eos filium suum,di« cens :Verebuntur forsitan filium meum. »Dubitative loquitur Dominus, non ut ipse aliquid dubitet, in quo summa scientia est,sed Dominus dubitative loquitur, cum nostra infidelitas increpatur :

« Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra « se : Hic est hæres. Venite, occidamus eum. » Ex hoc loco datur intelligi, quod Judæi non per ignorantiam, sed per invidiam Christum occiderunt. Quando enim dixerunt : « Totus mundus post eum abiit (*Joan.* XII), » intelligebant eum illum esse, de quo per prophetam dicitur : «Postula a me,et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* XI). »Putabant ergo quod, illo interfecto, hæreditatem ejus ad se transferre possent,hoc est doctrinam ejus de cordibus gentium auferre,et justitiam suam,quæ ex lege erat, cordibus eorum inserere.

« Et apprehensum eum, ejecerunt extra vineam, « et occiderunt,»quia Dominus extra portam passus est.Vel extra vineam ejecerunt illum,et occiderunt, hoc est primum,a cordibus suis ejecerunt per infidelitatem, et postmodum illum occiderunt.

« Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet « agricolis illis ? » Interrogat Dominus scribas et Pharisæos,quid facturus sit paterfamilias adveniens illis agricolis, non ut ignoret quid facturus sit,sed ut ipse ex sua responsione eos convincat.Sua enim sententia convicti sunt, quod scilicet propter suam negligentiam notitia Scripturarum ad gentiles esset transferenda.

« Aiunt illi : Malos male perdet, et vineam suam « locabit aliis agricolis,» id est,notitiam Scripturarum gentibus, qui reddant ei fructum temporibus suis, id est, qui fructum bonorum operum in suis temporibus reddant.

« Dicit illis Jesus : Nunquam legistis in Scriptu« ris : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, « hic factus est in caput anguli ? » Quos superius appellavit agricolas et vinitores,hos modo appellat ædificantes, scribas videlicet et Pharisæos. Non quod ædificantes essent,sed quia populum exemplis et doctrina ædificare debuissent. « Lapidem tunc reprobaverunt,» id est Christum, quando dixerunt : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.*XIX) ; » et hunc nescimus unde sit. Sed lapis « factus est in caput angeli.»Angulus duos parietes nectit,et Christus factus est in caput anguli,qui duos populos ex diverso venientes conjunxit in semetipso,faciens pacem his qui prope erant, et his qui longe. » A Do« mino factum est istud.» Hoc autem a Domino totum factum est. Ut enim ille lapis unitate sua duos parietes conjungeret,hoc est,ut duos populos in una Ecclesia conjungeret,non id humanarum virium fuit, sed divinæ virtutis. Et est sensus : Quomodo implebitur Psalmistæ prophetia,nisi me respuatis et crucifigatis? » Et est mirabile in oculis nostris. » Hoc enim mirabile est,ut de duobus populis efficeretur una Ecclesia.Ideo dico vobis, quia hæc parabola ad vos pertinet.

« Dico vobis,quia auferetur a vobis regnum Dei, « et dabitur genti facienti fructus ejus. » Regnum Dei, scientiam divinarum Scripturarum appellat. « Auferetur a vobis regnum Dei, » id est scientia Scripturarum, et remanebit vobis sola ariditas litteræ. « Et dabitur genti, »id est gentili populo, facienti fructus ejus, videlicet opera illius.

« Et qui ceciderit super lapidem istum, confrin« getur. » Aliud est super lapidem cadere, et aliud sub lapide. Super lapidem cadit, id est super Christum, qui peccando illum offendit,spem tamen veniæ per pœnitentiam habendo. Quicunque enim Christum negaverit, super illum cadit, hoc est animadversio divina super eum irruit, et penitus conteret eum, ut non remaneat ex eo testa,unde aqua hauriri possit. Potest et aliter intelligi. In præsenti peccatores super lapidem cadunt,qui confringuntur

per pœnitentiam. Lapis autem super eos in die judicii cadet, quia Dominus Jesus cum omnibus virtutibus superius ad judicium veniet.

« Et cum audissent principes sacerdotum et Pha« risæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis « diceret. »Licet duri corde essent scribæ et Pharisæi,et licet in Christum credere noluissent, aperte tamen intelligebant parabolas ejus ad se pertinere. Et ideo quærebant eum tenere, sed timuerunt turbas, quia sicut prophetam eum habebant. Intuenda est mobilitas vulgi. Quem enim nunc sicut prophetam habent, postmodum in ejus passione sunt clamaturi, dicentes :« Reus est mortis (*Matth.* XXVI), » et,« Crucifige, crucifige talem, » suadentibus videlicet scribis et Pharisæis.

HOMILIA XLI.

SABBATO POST *Reminiscere.*

(LUC. XV.)« In illo tempore, dixit Jesus discipulis « suis : Homo quidam habuit duos filios, et dixit « adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi por« tionem substantiæ quæ me contingit,»et reliqua. Murmurantibus de peccatorum susceptione scribis et Pharisæis,tres ex ordine parabolas Salvator posuit: duabus primis,de quibus disputandum est,quantum ipse cum angelis de pœnitentium salute gaudeat,insinuans ; tertia vero, quæ sequitur, non suum tantummodo suorumque gaudium demonstrans,sed et invidentium murmur reprehendens. Homo itaque qui duos filios habuisse dicitur,Deus Pater intelligitur, duorum videlicet genitor populorum, et quasi duarum generis humani stirpium auctor atque creator. Major enim filius eos, qui in unius Dei permansere cultura : minor eos, qui usque ad colenda idola, Deum deseruere,significat. Pars substantiæ, quæ minori filio contigit,ipse sensus in homine rationalis est.Vivere enim,intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere,divini substantia muneris est, quam minor filius expetit a patre, cum homo sua potestate delectatus, per liberum sese arbitrium regere, atque a Domino quæsivit exire conditore. Divisitque illis substantiam, fidelibus scilicet suæ gratiæ protectionem, quam desiderabant, impertiendo : infidelibus vero naturalis solum ingenii, quo contenti erant, beneficium concedendo.

« Et non post multos dies congregatis omnibus, « adolescentior filius peregre profectus est in regio« nem longinquam. Et ibi dissipavit substantiam « suam, vivendo luxuriose. » Longe profectus est, non locum mutando, sed animum. Quanto ecce nunc quisque plus in pravo opere delinquit, tanto a Dei gratia longius recedit. Quod non post multos dies dixit factum,ut congregatis omnibus proficisceretur peregre in regionem longinquam, quia non multo post institutionem humani generis, placuit animæ per liberum arbitrium ferre secum quamdam velut potentiam naturæ suæ, et deserere eum a quo condita est, prævidens viribus suis, quas vires tanto consumit citius, quanto eum deseruit a quo

A datæ sunt. Itaque hanc vitam prodigam vocat, amantem profundere substantiam atque spatiare pompis exterioribus, intus inanescentem, cum ea quisque sequitur quæ ab illa procedunt, relinquit eum qui sibi est interior.

« Et postquam omnia consummasset,facta est fa« mes valida in regione illa.»Omnia quæ dissipavit, ornamenta naturæ quæ consumpsit significant.Fames in regione longinqua,indigentia verba veritatis est in oblivione Creatoris, de qua dictum est in Prophetis, quia « mittet Dominus famem in terra, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei (*Amos* VIII). »

« Et ipse cœpit egere, et abiit, et adhæsit uni ci« vium regionis illius. » Merito egere cœpit, qui B thesauros sapientiæ Dei, divitiarumque cœlestium altitudinem dereliquit. Unus autem civium regionis illius,cui ille egens adhæsit,utique ille qui concupiscentiis terrenis merito suæ perversitatis præpositus, princeps hujus mundi a Domino vocatur. Et de quo Apostolus : « Deus, inquit,hujus sæculi excæcavit mentes infidelium (*II Cor.* IV). » « Et misit « illum in villam suam, ut pasceret porcos. »In villam mitti,est substantiæ mundi et cupiditati sæculari subjugari.De qua in alia parabola quidam spirituales epulas, ad quas invitabatur, fastidiens, dixit: « Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam (*Luc.* XIV). » Porcos vero pascere, est ea quibus immundi spiritus gaudeant operari.

« Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, C quas porci manducabant. » Siliquæ quibus porcos pascebat, sunt doctrinæ sæculares sterili suavitate resonantes, de quibus laudes idolorum fabularumque ad deos gentium vario sermone atque carminibus perstrepunt,quibus dæmonia delectantur.Unde cum iste saturari cupiebat, aliquid solidum et rectum, quod ad beatam vitam pertineret, invenire volebat in talibus, et non poterat. Hoc est enim quod ait : « Et nemo illi dabat. »

« In se autem reversus,» jam scilicet ab eis,quæ forinsecus frustra illiciunt et seducunt,in conscientiæ interiora reducem faciens intentionem suam, dixit: « Quanti mercenarii in domo patris mei « abundant panibus, ego autem hic fame pereo. » Unde hoc scire poterat, in quo tanta erat oblivio D Dei, sicut in omnibus idololatris fuit, nisi quia ista recogitatio jam resipiscentis est, cum Evangelium prædicaretur? Mercenarii ergo patris abundant panibus,quia qui futuræ mercedis intuitu digna operari satagunt,quotidianis supernæ gratiæ reficiuntur alimoniis. At vero fame pereunt, qui extra patris ædes positi,ventrem cupiunt implere de siliquis, id est qui sine fide viventes, vitam beatam inanis philosophiæ studiis inquirunt.Sicut enim panis,qui cor hominis confirmat, verbo Dei,quo mentem reficiat, assimilatur : ita siliqua (quæ et ipsa intus inanis, foris mollis, et corpus non reficit,sed implet,ut sit magis oneri, quam usui) sæculari sapientiæ non im-

merito comparatur, cujus sermo facundiæ plausu sonorus, sed virtute utilitatis est vacuus.

« Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam illi : « Pater, peccavi in cœlum et coram te. » Quam misericordem piumque noverat patrem, qui offensus a filio, patris non dedignatur audire vocabulum ? « Surgam » ergo, inquit, quia me jacere cognovi, « et ibo, » quia longe recessi : « ad patrem meum, » quia sub principe porcorum miserabili egestate tabesco. « Peccavi » autem « in cœlum coram » spiritibus angelicis sanctisque animabus, in quibus significat sedem esse Dei. « Coram » vero, in ipso conscientiæ interioris conclavi, qua Dei solius oculi penetrare valebant.

« Etiam non sum dignus vocari filius tuus, fac « me sicut unum de mercenariis tuis. » Ad filii quidem affectum, qui omnia quæ patris sunt, sua esse non ambigit, se aspirare nequaquam præsumit, sed mercenarii statum, jam pro mercede serviturus, desiderat. Verum ne hunc quidem, nisi paterna dignatione, se mereri posse testatur. Ubi sunt ergo Pelagianistæ, qui sua servitute salvari posse confidunt, contra apertissimam sententiam quæ ait, « Sine me nihil potestis facere ? » (*Joan.* xv.)

« Et surgens, venit ad patrem suum. » Venire ad patrem, est in Ecclesia constitui per fidem, ubi jam possit esse peccatorum legitima et fructuosa confessio. « Cum adhuc autem longe esset, » et antequam intelligeret Deum, sed tamen cum jam pie quæreret, « vidit illum pater ipsius. » Impios enim et superbos convenienter non videre dicitur, tanquam ante oculos ejus non habere. Ante oculos enim haberi, non, nisi qui diliguntur, dici solent. « Et misericordia « motus est, et accurrens cecidit super collum ejus. » Non enim Pater unigenitum Filium suum deseruit, in quo usque ad nostram longinquam etiam peregrinationem cucurrit atque descendit, quia « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*II Cor.* v). » Et ipse Dominus ait : « Pater in me manens, ipse facit opera (*Joan.* xiv). » Quid est autem cadere super collum ejus, nisi inclinare et humiliare in amplexum ejus brachium suum ? Et brachium Domini cui revelatum est ? Quod est utique Dominus noster Jesus Christus. « Et osculatus est eum. » Consolari verbo gratiæ Dei ad spem indulgentiæ peccatorum, hoc est, post longa itinera remeantem a patre mereri osculum charitatis.

« Dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum et « coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. » Incipit jam peccata constitutus in Ecclesia confiteri, nec dicit omnia quæ dicturum se esse promiserat, sed usque ad illud : « Non sum dignus vocari filius tuus. » Hoc enim vult fieri per gratiam, quod se indignum esse per merita fatetur. Non addidit, quod nulla meditatione dixerat : « Fac me sicut unum de mercenariis tuis. » Cum enim panem non haberet vel mercenarius esse cupiebat, quod post osculum patris generosissimi jam dedignatur. Intellexit namque inter filium, et mercenarium, et servum,

A non minimam esse distantiam : servum videlicet esse eum, qui adhuc metu gehennæ sive præsentium legum, se a vitiis temperat : mercenarium, qui spe atque desiderio regni cœlorum ; filium, qui affectu boni ipsius atque amore virtutum. In quarum virtutum trium consummatione, beatus Apostolus omnem salutis summam concludens : « Nunc, inquit, manent fides, spes, charitas ; tria hæc ; major autem horum est charitas (*I Cor.* xiii) ; » fides namque est, quæ futuri judicii ac suppliciorum metu, vitiorum facit contagia declinare. Spes, quæ, mentem nostram de præsentibus evocans, universas corporis voluptates cœlestium præmiorum exspectatione contemnit. Charitas, quæ nos ad amorem Christi, ad spiritualium virtutum fructum mentis ardorem succedens, quid-
B quid illis contrarium est, toto facit odio detestari. Unde prodigus iste, postquam in semetipsum reversus, diræ famis supplicia formidabat, velut jam servus effectus, etiam mercenarii statum de mercede jam cogitans, concupiscit : sed eum pater accurrens, non contentus minora concedere, utriusque gradus sine dilatione transcursu, pristinæ filiorum restituit dignitati : nec de mercede conductoris, sed de hæreditate fecit cogitare parentis.

« Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte « stolam primam, et induite illum. » Stola prima est vestis innocentiæ, quam homo conditus accepit, sed male persuasus amisit, quando post culpam prævaricationis cognovit se esse nudum, gloriaque immortalitatis perdita, pelliceum, hoc est mortale sumpsit indumentum. Servi qui eam proferunt, reconcilia-
C tionis prædicatores sunt. Proferunt enim stolam primam, quando mortales terrenosque homines ita sublimandos asseverant, ut non solum cives angelorum, sed hæredes Dei, et cohæredes sint Christi futuri. « Et « date annulum in manu ejus, et calceamenta in pe- « des. » Annulus est vel sinceræ fidei signaculum, qua cuncta promissa in credentium cordibus certa impressione signantur, vel nuptiarum pignus illarum, quibus Ecclesia sponsatur. Et bene annulus in manu datur, ut per opera fides clarescat, et per fidem opera firmentur. Calceamenta autem in pedes, officium evangelizandi denuntiat, ut cursus mentis ad cœlestia tendens, a terrenarum contagione rerum inviolata servetur et munda, priorumque munitus exemplis, super serpentes et scorpiones securus in-
D cedat. Manus igitur et pedes, id est opus ornantur : manus, ut recte vivamus ; pedes, ut ad æterna gaudia properemus. « Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* xiii). »

« Et adducite vitulum saginatum et occidite. » Vitulus saginatus, ipse idem Dominus est, sed secundum carnem. Et bene saginatus, quia caro ejus a Deo spirituali est optima virtute diffusa, ut pro totius mundi salute sufficiat, in odorem suavitatis, nidorem videlicet immolationis ad Deum mittere, et pro omnibus exorare. Adducere autem vitulum et occidere, est prædicare Christum, et mortem ejus insinuare. Tunc etenim cuique nostrum quasi recens occiditur,

cum credit occisum. Tunc caro ejus comeditur, cum ejus passionis sacramentum et ore ad emundationem percipitur, et corde ad imitationem cogitatur.

« Et manducemus et epulemur, quia hic filius « meus mortuus fuerat, et revixit : perierat, et in- « ventus est. » Non solus filius, qui revixit et inventus est, verum pater et servi illius sacrosancti vituli, qui propter filium occisus erat, carne refecti epulantur : qui patris cibus, salus est nostra ; et patris gaudium, nostrorum est remissio peccatorum, nec tantum Patris, sed Filii et Spiritus sancti. Quia sicut una in Divinitate voluntas et operatio, ita et una est delectatio sanctæ et individuæ Trinitatis. Unde beatus Abraham (*Gen.* XII) tres angelos hospites recipiens, vitulum tenerrimum et optimum occidisse, ejusque cum lacte, pane, et butyro epulando legitur obtulisse, quia qui beatam Trinitatem rectæ devotionis officiis reficere, id est lætificare desiderat, mortem quoque debet unigeniti Filii Dei in carne, quæ est una, in eademque Trinitatis persona piæ confessionis sinceritate celebrare. Et notandum quod ante stola prima, ante annulus, ante calceamenta præstantur, et sic deinde vitulus immolatur. Quia nisi quisque spem immortalitatis induerit, nisi annulo fidei opera præmunierit, nisi ipsam fidem pie confitendo prædicaverit, non potest sacramentis interesse cœlestibus. « Et cœperunt epulari. » Istæ epulæ atque festivitates nunc celebrantur per orbem terrarum Ecclesia dilatata atque diffusa. Vitulus enim ille in corpore et sanguine Dominico et offertur Patri, et pascit totam domum.

« Erat autem filius senior in agro. » Filius senior, populus Israel est, qui quamvis in longinquam regionem non abierit, non tamen domi, sed in agro dicitur esse immoratus. Quia populus idem neque usque ad colenda idola Creatorem deseruit, neque legis quam acceperat interiora penetravit : sed litteræ solum custodia contentus, exteriora magis et terrena operari simul et sperare solebat, audiens per Prophetam : « Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis (*Isa.* I). » — « Et cum veniret, et « appropinquaret domui, audivit symphoniam et « chorum. » Appropinquat filius domui, cum populus ille, in quibuscunque Israeliticis considerationibus (nam multi tales inventi sunt in eis, et sæpe inveniuntur) labore servili operis improbato, ex eisdem Scripturis Ecclesiæ libertatem considerat. Audit symphoniam et chorum, scilicet spiritu plenos vocibus consonis Evangelium prædicare. Quibus dictum est (*I Cor.* I) : « Obsecro vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, et concorditer conversantium sit anima et cor unum in laudes Dei. »

« Et vocavit unum de servis, et interrogavit quæ hæc essent. » Vocat unum de servis, cum sumit ad legendum aliquem prophetarum, et in eo quærens quodammodo interrogat, unde ista festa in Ecclesia celebrantur, in quibus se esse non videt. Respondet ei servus patris propheta :

« Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum « saginatum, quia salvum illum recepit. » In extremis enim terræ fuit frater tuus, sed inde major exsultatio, cantatio, Domino canticum novum, quia laus ejus ab extremis terræ. Et propter eum qui absens erat, occisus est ille cui dictum est : « Et holocaustum tuum pingue fiat (*Psal.* XIX). »

« Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater « ergo illius egressus cœpit rogare illum. » Indignatur etiam nunc, et adhuc non vult introire. Cum ergo plenitudo gentium intraverit, egredietur opportuno tempore pater ejus, ut etiam omnis Israel salvus fiat. Ex cujus parte cæcitas facta est, velut absentia in agro, donec plenitudo filii minoris, longe in idololatria gentium constituti, et jam ad patrem reducti, ad manducandum vitulum intraret. Erit enim quandoque aperta vocatio Judæorum in salutem Evangelii, quam manifestam vocationem tanquam egressum patris appellat, ad rogandum majorem filium.

« At ille respondens, dixit patri suo : Ecce tot « annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum « præterivi. » Quæritur quomodo ille populus nunquam mandatum Dei præteriisse dicatur. Sed facile ille occurrit, neque de omni mandato dictum esse, sed de uno maxime necessario, quia nullum alium Deum colere jussus est. Neque iste filius in omnibus Israeliticis, sed in his intelligitur habere personam, qui nunquam ab uno Deo ad simulacra conversi sunt. Quamvis enim tanquam in agro positus iste filius terrena desideraret, ab uno tamen Deo ista desiderabat bona. Quod etiam patris ipsius testimonio comprobatur, cum dicit : « Tu mecum es semper. » Non enim quasi mentientem redarguit, sed perseverantiam ejus approbans, ad perfectionem potioris atque jucundioris exsultationis invitat. « Et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. » Peccator profecto hædi nomine significari solet, sed absit ut Antichristum intelligam. Absurdum enim est, eum cui dicitur : « Tu mecum es semper, » hoc a patre optasse, ut Antichristum crederet, neque omnino in eis Judæorum, qui Antichristo credituri sunt, istum Filium fas est intelligi. Quomodo autem epularetur ex illo hædo, si ipse est Antichristus, qui non ei crederet ? Aut si hoc est epulari ex hædi occisione, quod est de Antichristi perditione lætari, quomodo dicit Filius, quem recipit pater, hoc sibi non fuisse concessum, cum omnes filii Dei de illius adversarii damnatione lætaturi sunt ? Nimirum ergo ipsum Dominum sibi negatum ad epulandum conqueritur, dum eum peccatorem putat. Cum enim hædus illi genti Dominus videbatur, id est cum eum Sabbati violatorem et profanatorem legis existimat, jucundari epulis ejus non meruit. Ut quod ait : « Nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer, » tale sit ac si diceret, eum qui mihi hædus videbatur, nunquam mihi ad epulandum dedisti · eo ipso mihi illum ipsum non concedens quod mihi hædus videbatur. Quod enim dicit : « Cum

amicis meis, » aut ex persona principum cum plebe intelligatur, aut ex persona populi Hierosolymitani cum cæteris populis Judæorum.

« Sed postquam filius tuus hic qui devoravit sub« stantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti « illi vitulum saginatum. »

Meretrices sunt gentilium superstitiones, cum quibus substantiam dissipare, est, relicto uno connubio veri Dei, cum turba dæmonum cupiditate turpissima fornicari.

« At ipse dixit illi : Fili, tu semper es mecum, et « omnia mea tua sunt. Epulari autem et gaudere te « oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et « revixit : perierat, et inventus est. » Quod dicit : « et omnia mea tua sunt, » non putandum est ita dictum, quasi non sint et fratres, ut tanquam in terrena hæreditate patiatur angustias. Quomodo possint esse omnia majoris, si habet etiam junior partem suam? Sic enim a perfectis et purgatis ac jam immortalibus filiis habentur omnia, ut sint et omnium singula, et omnia singulorum. Ut enim cupiditas nihil sine angustia, ita nihil cum angustia charitas tenet. Cum ergo beatitudinem illam obtinuerimus, nostra erunt ad videndum superiora, nostra erunt ad convivendum æqualia, nostra erunt et ad dominandum inferiora. Si quem autem movet, quomodo Patri supplicans Veritas dicat : « Et omnia mea tua sunt, et tua mea (*Joan.* XVII) : » cui simillimum videtur sonare quod hic Filio dicitur : « Et omnia mea tua sunt, » sciat unigeniti Filii esse omnia quæ Patris sunt. Per hæc etiam ipse Deus est, et de Patre natus, Patri et æqualis. Nam et illud quod de Spiritu sancto loquens ait : « Omnia quæ Pater, mea sunt (*Joan* XVI). » Neque enim Spiritus sanctus de creatura, quæ Patri est subjecta, et Filius erat accepturus, qui ait, « De meo accipiet » : sed utique de quo Patre procedit Spiritus, de quo natus est et Filius. Sive utique duos filios hos ad utrumque populum, sive, ut quibusdam placet, ut duos quoslibet homines, pœnitentem videlicet et justum, vel qui sibi justus videbantur, referre volueris, congaudeat major : quia frater junior mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.

HOMILIA XLII.

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

(LUC. XI.) « In illo tempore, erat Jesus ejiciens « dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset « dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt « turbæ, » et reliqua. Dicturus Evangelista Dominum ab homine dæmonium ejicisse, recte in exordio hujus lectionis tale verbum posuit, per quod essentiam Divinitatis exprimeret, dicens : « Erat Jesus ejiciens dæmonium. » Non enim dixit, *fuit*, quia esse soli Deo est, æternum et incommutabilem permanere, cui nec præterita transeunt, nec futura succedunt, sed semper æternaliter permanet, sicut ipse ait Moysi : « Ego sum qui sum (*Exod* III). » Et : « Dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos (*Ibid.*). » Et iterum: « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob. (*Ibid.*). » Et in Apocalypsi : « Ego sum alpha et omega (*Apoc.* I). » Et in Evangelio : « Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum (*Joan.* VIII). » Ut ergo ostenderet Filium Dei semper esse cum Patre, *erat* dixit, et non *fuit*. Dæmoniacus iste apud Matthæum non solum mutus, sed etiam cœcus fuisse perhibetur, curatusque a Deo mirabiliter dicitur, ita ut loqueretur et videret. Ubi notandum quia in uno eodemque homine Dominus tria mirabilia pariter est operatus. Cæcus videt, mutus loquitur, obsessus a dæmone eruitur. Allegorice autem genus humanum significat, quod tunc possessori suo diabolo se subdidit, quando Deum creatorem, suum, diabolo suadente, contempsit. Tunc videndi Deum dignitatem perdidit, quando ad concupiscendum vetitum lignum oculos aperuit, sicut scriptum est : « Vidit mulier lignum quod esset pulchrum visu, aspectuque delectabile, tulit et comedit, deditque viro suo. Qui comedit, et aperti sunt oculi amborum (*Gen.* II), » Loquelam pariter amisit, quia postquam peccato se subdidit, a laude Dei cessavit. « Non enim est, ut ait Scriptura, speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV). » Sed Domino in mundum veniente, dæmoniacus iste curatus est : quia postquam Deus humanam naturam sibi conjunxit, immundorum spirituum potestates ab humanis cordibus expulit, ipso dicente : « Nunc hora est, ut princeps hujus mundi ejiciatur foras (*Joan.* XII). » Tunc enim videndi Deum officium recepit, quando per fidem illum intueri cœpit, a cujus visione peccando se elongaverat, impleta prophetia, quæ ait : « Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis (*Isa.* IX). » Unde apostolus Paulus credentibus ait : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V). » Loquelam pariter recepit, quando genus humanum ora prius tacentia ad confessionem Dei aperuit, dicens cum Psalmista : « Domine, labia mea aperies (*Ps.* L). » Et cum Isaia : « Dominus Deus dedit mihi linguam eruditam (*Isa.* L). » Nec solum Deum laudare, sed etiam idolorum cultores cœpit detestari, dicens cum Psalmista : « Confundantur omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris suis (*Ps.* XCVI). » — « Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit (*Ps.* XCV). » Et cum Jeremia : « Dii, qui non fecerunt cœlum et terram, pereant de cœlo, et de his qui sub cœlo sunt (*Jer.* X). » Unde bene subditur : « Et cum ejecisset dæmo« nium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. » Hinc intelligere possumus, quia ab exteriore venerant dœmonia, quæ eum possidebant interius. Exterius videndi loquendique officium amiserat, quia statim ut recessit, visum et loquelam recepit, in tantum ut turbæ mirarentur. Juxta autem anagogem, id est superiorem sensum, turbæ quæ mirabantur, immundi spiritus sunt intelligendi, qui, videntes genus humanum de sua potestate liberari et illuminari, timore simul et admiratione perterriti sunt, unde et per obsessum hominem dicebant : « Quid tibi et

nobis, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos (*Matth.* VIII). » Sed quia unde bonus proficit, inde malus deterior fit, recte subjungitur :

« Quidam autem ex eis dixerunt. » Non hoc aliqui de turba dixisse putandi sunt, sed scribæ et Pharisæi, qui ideo Deum sequebantur, ut ipsum reprehenderent, et hæc calumniabantur, ut alii evangelistæ testantur. Turbis enim Domini signa ubique mirantibus, illi econtrario invidia pleni, quæ negare non poterant, sinistra interpretatione pervertere moliebantur, ut simpliciores turbas ab ejus credulitate subtraherent. Et ideo dæmoniacum mutum et cæcum videntes curatum, mirantibus turbis dixerunt. « In Beelsebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. » Ut quidam dicunt, et nomine *Beel* factum est *Baal*, et inde compositum *Beelzebub*. Nam Beelzebub idolum erat Baal, qui dictus est deus Accaron, ad quod Ozias rex nuntios suos misit, ad consulendum utrum de infirmitate sua evaderet an non, quibus Elias propheta occurrens, ait (*IV Reg.* I) : « Nunquid non est Deus in Israel, quia pergitis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Idcirco dicite viro, qui misit vos: In lectulo in quem descendit, non ascendet, sed morte morietur. » Ab antiquis enim temporibus hujus idoli prævaricatio inventa est. Fuit enim, ut quidam referunt, homo nomine Beel, pater Nini regis, qui civitatem Ninivem ædificavit. Quo Bel mortuo, filius ejus statuam ipsius erexit, et sibi subjectos adorare præcepit, asserens patrem suum inter deos esse translatum. Ex quo tempore pessima consuetudo excrevit, ut honorem Deo debitum stulti homines idolis tribuerent. Postea dictum est *Beelphegor*, eo quod in monte Phegor, qui in finibus erat Madian, constitutum a multis adoraretur in quo prævaricati sunt filii Israel egressi ex Ægypto, ad suggestionem Balaam, quando, sicut ait Psalmista: « Initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum (*Psal.* CV). » Temporibus autem Judicum, dictus est *Baalberith*, id est deus pacti, eo quod filii Israel cum eo pactum inierint, relicto Deo patrum suorum. Consuetudo enim erat illius, maxime in montibus quam in convallibus responsum dare. Unde et *Deus* montium dictus est, sicut Syri ab Israel superati, existimantes illum ab eis coli, dixerunt (*III Reg.* XX) : « Dii montium sunt dii eorum, et ideo non possumus superare eos. » Hujus simulacri effigiem colentes, prope Jerusalem statuerunt, in valle Topheth, in loco amœnissimo, ubi non solum thura et sacrificia ei offerebant, sed etiam filios suos et filias suas per ignem sibi sacrificando transferebant, sicut Manasses crudelissimus parricida fecisse legitur. Propter hunc locum Dominus sæpissime per prophetas, maxime autem per Jeremiam terribiliter comminatus est dicens: « Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, et polluerunt eam. Et ædificaverunt excelso Topheth, qui est in valle filii Ennon, ut incenderent filios suos et filias suas igni, quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo. Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dice-

A tur amplius Topheth, nec vallis filii Ennon, sed vallis interfectionis, et sepelient in Topheth, eo quod non sit locus ad sepeliendum præ multitudine cadaverum. Et erit morticinium populi hujus in escam volucribus cœli, et bestiis terræ, et non erit qui abigat (*Jer.* VII), » id est defendat. Propter effusionem autem sanguinis, qui ibi frequenter effundebatur, multæ muscæ in eodem loco congregabantur. Unde congruum nomen ei impositum est Beelsebub, id est *princeps muscarum*, sive *vir habens muscas*. *Zebub* enim musca dicitur. Nonnulli enim finem hujus nominis per *d* vel *l* scribendum esse putaverunt legentes Beelzebud, et asserentes auctorem hujus idoli primum in Israel Zebul servum Achimelech fuisse, qui occidit septuaginta fratres suos super

B unum lapidem. Sed ipsa interpretatio nominis ostendit, non per aliam litteram quam per *b* scribendum, quia, ut supra diximus, Beelzebub princeps muscarum dicitur: Ergo quia scribæ et Pharisæi miraculum a Domino factum negare non valebant, in hujus dæmonis potestate factum dicentes, offuscare illud conabantur, et ideo blasphemantes dixerunt : « In Beelzebud principe dæmoniorum ejicit dæmonia. »

« Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant « ab eo. » Superflue, qui ea quæ oculis vident, credere nolunt, de invisibilibus signa quærunt. Qui enim cæcum videntem, mutum loquentem a Deo curatum credere nolebant, ad callida argumenta se converterunt, quærentes signum de cœlo, scilicet ut in morem Samuelis tonitrua de cœlo coruscare faceret, vel ad similitudinem Eliæ ignem de cœlo

C deponeret. Quod si hoc fecisset, et hæc utique calumniarentur, et diceret non a Deo esse facta, sed ex occultis aeris commotionibus accidisse, affirmantes et magos Pharaoni in Ægypto multa signa de cœlo fecisse. Non enim impossibile erat Deo signum de cœlo ostendere, sed illi indigni erant signum de cœlo videre, qui terram diligentes, regem cœli tentare audebant. Ad quos magis illa sententia dirigitur, in qua Dominus ait: Generatio hæc mala et adultera signum quærit : et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. » Horum etiam similitudinem videntur illi tenere, qui hypocritæ nominantur, quia qui ficte Deum quærunt, minime inveniunt, quia longe est a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII), » et « prope est omnibus invocantibus eum,

D (*Psal.* CXLIV), » non in simulatione, sed in veritate. « Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit. » Quia exteriora signa eos non velle credere cognovit, protinus cogitationibus eorum respondit, ut saltem sic in eo Divinitatem credere cogerentur, qui cordis videbat arcana. Ac si diceret : Eadem majestate qua cogitationes cordis intueor, possum et signa de cœlo ostendere. Solius enim Domini est cogitationes cordis intueri, dicente Scriptura : « Tu, Deus solus nosti corda filiorum hominum (*II Par.* VI). » Et iterum : « Homo videt in facie, Deus autem in corde. »

« Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur:

« et domus supra domum cadet. » Juxta litteram A ita est; si enim regnum in seipsum divisum fuerit, ut aliud rex, aliud principes, aliud duces, aliud milites sentiant, desolationem patitur. Similiter domus si divisa fuerit, ut aliud vir, aliud uxor, aliud filii, aliud parentes, aliud servi, et aliud domini sapiant, utique et ipsa ruinas patietur. Dicitur enim domus supra domum cadere, quando anima patris commovetur contra filium, et filii contra patrem, sic de reliquis: in qua similitudine tentatores suos Dominus a regno diaboli monet recedere, quod divisum in se cognoscunt diu stare non posse. Ac si diceret: Si omne regnum in se divisum stare non potest, quod negari nullo modo potestis, velocissime a regno diaboli recedite, quod cito casurum non dubitetis. Regnum enim diaboli in illis est, in quibus per pec- B catum regnat. Quod quamvis sit unitum in mala voluntate, tamen divisum est in operatione. Alius quidem adulterium, alius homicidium, alius furtum, alius sacrilegium perpetrat, sed tamen ex una radice malæ voluntatis procedunt.

« Si autem et Satanas in seipsum divisus est, « quomodo stabit regnum ipsius, quia dicitis in Beel- « zebub me ejicere dæmonia? » In quibus verbis Dominus suos tentatores prudentissimo syllogismo hinc inde concludit, ne aptam responsionem invenire possent. Quod non solum hic, sed etiam in pluribus locis frequenter fecisse legitur, sicut fecit, quando venerunt ad eum dicentes: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? Et ait illis: «Dicite mihi et vos unum verbum, et ego dicam vobis in qua potestate hæc facio (*Matth* xxi). » Quod si non feceritis, nec C ego dicam vobis in qua potestate hæc facio. Baptismum Joannis unde erat, de cœlo an ex hominibus? At illi cogitaverunt intra se dicentes: Si dixerimus de cœlo, dicet nobis: Quare ergo non recepistis illud? Si ex hominibus, turba quæ a Joanne est baptizata, lapidabit nos. Et non invenientes quid dicerent, siluerunt. Sic et in hoc loco, quia confiteri nolebant, quod Christus in virtute Dei dæmones ejiceret, nec affirmare poterant, quod Satanas Satanam ejiceret, nec liberam responsionem invenientes, obstructum est os loquentium iniqua. Propter quod « tradentur in manus gladii, et partes vulpium erunt (*Psal.* LXII).» Ad quorum malitiam convincendam adhuc subjunxit, dicens: D

« Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri « in quo ejiciunt? » Filios eorum discipulos suos dicit, qui sine dubio ex eorum progenie nati erant, quibus jam potestatem effugandi dæmones dederat, atque calcandi super omnem potestatem inimici, dicens: « In nomine meo infirmos curate, leprosos mundate, cæcos illuminate, dæmones ejicite. Gratis accepistis, gratis date. (*Matth.* xx). » Ac si dixisset: Si discipuli mei, filii utique vestri, in nomine meo dæmonia ejiciunt, quare vos idem opus in me principi dæmoniorum Beelzebub et non Deo signatis?

« Ideo ipsi judices vestri erunt. » Id est, infirma et contemptibilia mundi quæ ego elegi ut confundant fortia, discipuli mei, qui curationes dæmonum Deo et non Beelzebub assignant, « judices vestri erunt,» tunc scilicet, « quando venerit Filius hominis, et sederit in sede majestatis suæ, sedebunt et ipsi super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* xix). » Vel certe filios eorum exorcistas appellat, qui ex more antiquo in eodem populo habebantur, ad quorum invocationes vel conjurationes, dæmones ab hominibus pellebantur. Cujus rei testis est Josephus historiographus Hebræorum, qui in libris antiquis, tum inter cætera quæ de Salomonis sapientia commemoravit, adjecit et hoc, dicens: Præstitit autem Dominus Salomoni, ut etiam dæmones ejiceret, et incantationes instituit, quibus ægritudines soleant mitigari, quæ cura hactenus apud nos multum valere dignoscitur. Vidi enim ego quemdam Eleazarum, de gente nostra, præsente Vespasiano et Tito, alioque simul exercitu, curantem eos qui a dæmonibus vexabantur. Genus curationis fuit hujusmodi: Intulit naribus ejus qui a dæmonio vexabatur, annulum subter radicem habentem signaculum a Salomone monstratum, et repente cecidit homo. At ille conjuravit eum juramento Salomonis, objiciens eidem carmina, quæ Salomon composuit super eum, dicens: Deinde per nares odorantis dæmonium extraxit, et ne ultra ad eum redire auderet, adjurans contestatus est. Et ut ostenderet Eleazarus hanc se habere virtutem, ponebat in medio pelvim plenam aqua, sive quodlibet vas, præcipiens ut egressus ab homine hanc everteret, dans omnibus indicium quod hominem reliquisset. Quod cum fieret, admirabantur sapientiam Salomonis. Ad horum ergo exorcistarum comparationem, Dominus scribas et Pharisæos constringit, dicens: « Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? » Ac si diceret: Si exorcistarum expulsio Deo tribuitur et non dæmonibus, quare idem opus in me non eamdem habet reverentiam? « Ideo ipsi judices vestri erunt, » non in potestate, sed comparatione. Sicut enim regina Saba, veniens a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, judicatura est eos, qui majorem Christum Salomone audire contempserunt: et sicut Ninivitæ agentes pœnitentiam ad prædicationem Jonæ judicaturi sunt eos, qui majorem Jona Salvatorem audire noluerunt, sic et isti exorcistæ, qui curationem dæmonum Deo tribuebant, judicare dicuntur eos qui curationem dæmonum Beelzebub, et non Deo assignabant.

« Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto « pervenit in vos regnum Dei. » Digitus Dei, Spiritus sanctus intelligitur, quod Matthæus evangelista manifestius declarat, cum dixit: « Si autem ego in Spiritu ejicio dæmones (*Matth.* xii). » Et pulchre per digitum Dei Spiritus sanctus figuratur, quia sicut digitis aliquid operamur vel stringimus, sic Pater et Filius per Spiritum sanctum omnia operantur, dicente Psalmista: « Verbo Domini cœli firmati

sunt, et spiritu oris ejus, omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII). » Hoc digito tabulæ Testamenti scriptæ sunt. De hoc etiam digito magi in Ægypto superati dixerunt: Digitus Dei est iste. Cujus pulcherrimam operationem propheta admirabatur, cum dicebat: « Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum (*Psal.* VIII). » Vel certe per digitum Dei recte Spiritus sanctus intelligitur, quia sicut in nulllis aliis membris tantam partitionem habemus, quantam in digitis, sic et Spiritus sancti dona diversa sunt, juxta accipientium qualitatem, teste Apostolo, qui ait: « Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Quod autem regnum Dei in eos pervenisse dicit, vel de seipso dicit, sicut alibi ait: « Regnum Dei intra vos est (*Luc.* XVII), » vel illud judicium discretionis intelligi vult, quo discernuntur pii ab impiis, justi ab iniquis Compressis vero calumniatorum insidiis, qui dicebant Deum in Beelzebub ejicere dæmonia, de sua victoria, pariterque dæmonum expulsione libere loquitur, subjungens:

« Cum fortis armatus custodit atrium suum, in « pace sunt ea quæ possidet. » Fortem armatum, diabolum dicit, cujus atrium erat mundus, per quem prævaricationem primi hominis sibi subjugaverat. Quod dum fortis custodiret, in pace erant omnia quæ possidebat, quia nullus tam justus fuit ante adventum Domini, qui ita perfecte ei resistere posset, ut genus humanum ab ejus potestate tolleret. Ab hoc opus exspectabatur illius adventus, qui sine peccato venturus erat in mundum, de quo subditur:

« Si autem fortior illo superveniens, vicerit « eum. » Fortior illo Dominus Jesus Christus est, de quo Psalmista cecinit, dicens; « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII). » Ille autem diabolum solus vicit, in quo vestigium peccati antiquus hostis nullum invenire potuit, dicente ipso in Evangelio: « Venit ad me princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV). » Quia ergo contra illum arma persecutionis exacuit, qui sine peccato erat, merito in peccatoribus potestatem amisit, Domino dicente: « Nunc hora est, ut princeps mundi ejiciatur foras (*Joan.* XII). » Et iterum in Evangelio: « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* XII). » Non venerat Dominus ut unum hominem solummodo a dæmonio liberaret, sed etiam ut ab universo genere humano ejus potestatem expelleret, unde subjungitur: « Universa arma ejus au- « feret, in quibus confidebat. » Arma diaboli, vitia et peccata sunt, qualia Apostolus dicit: « Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia: qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (*Gal.* V). » Sed Dominus ipsa arma diaboli abstulit, quando in conversis hominibus vitia in virtutes commutavit, ut pro superbia humilitatem, pro luxuria castitatem, pro avaritia largitatem diligerent. Vel aliter: Arma diaboli erant reges et principes, in quibus velut in armis confidebat, quoniam quandiu prælatos in sua potestate tenebat, non facile subjectos perdere timebat. Quæ arma Dominus ei abstulit, quando non solum subjectos, sed etiam imperatores et reges atque pricipes ad suam fidem convertit. Quam perfecte quoque Dominus de antiquo hoste triumphaverat, manifestatur cum subjungitur: « Et spolia ejus distri- « buet. » Victoris est autem spolia distribuere. Spolia vero iidem homines erant, quos diabolus velut violentissimus prædo de paradiso rapuerat. Quæ Dominus distribuit quando propter lucrandos homines discipulos suos in universas partes mundi misit. Sicut enim rex post triumphum victoriæ lætus militibus suis spolia dividit; sic Dominus discipulis suis partes mundi ad prædicandum distribuit. Petro et Paulo Romam, Andreæ Achaiam, Jacobo Judæam, Joanni Asiam, Philippo Æthiopiam, Bartholomæo Indiam, sic et de reliquis sentiendum.

« Qui non est mecum contra me est. Et qui non « colligit mecum, dispergit. » Quamquam hæc sententia de Judæis et hæreticis possit intelligi, tamen specialiter ad diabolum pertinet, qui ab initio fur fuit et mendax, et in veritate non stetit. Et ideo quia a Deo discessit, contra illum fuit, id est contrarius ejus voluntati, teste Apostolo: « Quæ enim est conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quæ societas luci ad tenebras? » (*II Cor.* VI.) Nulla. Contraria enim intra se sunt et diversa quæ Dominus jubet, et diabolus suggerit: Dominus præcipit humilitatem, diabolus suggerit superbiam: Dominus castitatem, diabolus luxuriam: Dominus concordiam, diabolus discordiam. Et ideo quia cum illo non colligit, dispergit, sicut de eo alibi sub figura lupi dicitur: « Et lupus rapit, et dispergit oves (*Joan.* X). »

« Cum immundus spiritus exierit ab homine, am- « bulat per loca arida et inaquosa. » Quod hæc similitudo specialiter ad Judæorum populum pertineat, Matthæus evangelista manifeste declarat, cum post finitam parabolam Dominum dixisse commemorat, « Sic erit et generationi huic pessimæ (*Matth.* XII). » Nulli dubium est quando Judæi Dominum coluerunt, et legis præcepta observaverunt, immundum spiritum ab eis exiisse. Qui ambulat per loca arida et inaquosa, id est per solitudines et corda infidelium: qui aridi erant a pinguedine Spiritus sancti, et inaquosi ab unda baptismatis alieni. Sed cum Domino in mundum veniente, gentiles per undam baptismatis, et gratiam Spiritus sancti a se immundum spiritum ejecissent, « quærens requiem et

« non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, « unde exivi. » Quod est dicere, Revertar ad Judæos, quos reliqui.

« Et cum venerit, invenit scopis mundatam, et or« natam. » Matthæus namque dicit: « Invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam (*Matth.* XII). » Vacabat enim domus Judæorum, quia Christum hospitem in se non habebat, sicut Dominus ait: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). » « Scopis mundatam, » circumcisione et cæremoniis carnalibus. » Ornatam, » scribarum, et Pharisæorum superstitionibus.

« Et tunc vadit et assumit septem alios spiritus « nequiores se, et ingressi habitant ibi. » Domum quam vacantem invenit, non solum ipse qui reliquerat invadit, sed etiam alios septem nequiores secum assumit, id est septem vitia principalia, quæ sunt superbia, gula, fornicatio, avaritia, ira, tristitia, vana gloria. Sicut enim septenarius numerus cum in bono ponitur, omnes virtutes, quæ per gratiam Spiritus sancti fidelibus dantur, significat, sic cum pro malo, omnia vitia quæ virtutibus sunt contraria. « Et fiunt « novissima hominis illius pejora prioribus » Multo enim nunc pejores sunt Judæi, quam antequam legem accepissent, relicti a Deo, et sine lege et sacerdotio facti, et dispersi de gente in gentem, et de regno in regnum ad populum alterum. Sed valde cavendum est, ne forte vitia Judæorum ad nos transeant. Ait enim: « Cum immundus spiritus exierit ab homine. » Omnis enim catholica Ecclesia credit, quod per undam baptismatis et gratiam Spiritus sancti, omnibus peccatis dimissis, dæmonis potestas excluditur. Tunc ambulat per loca arida, et inaquosa, id est, corda aliorum Christianorum tentando, qui aridi sunt per abstinentiam: et inaquosi, a fluxu libidinis alieni. In talibus quoque quærens requiem, et non invenit: quia castas et puras mentes effugiens, tenebrosas et libidinosas quærit. De quo ad beatum Job Dominus ait: « Sub umbra dormit, in secreto calami in locis humentibus (*Job.* XL).» Sed cum zelo divini amoris fuerit expulsus, dicit: « Revertar in domum meam unde exivi. » Tunc variis modis mentem hominis tentare incipit, quem per baptismum reliquerat. Sed quia sunt multi tepidi Christiani, recte de eadem domo subditur: « Et cum venerit, invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. » Vacantem, id est a bono opere torpentem. « Scopis mundatam, » id est per baptismum a præteritis peccatis ablutam. Ornatam, sub Christianitatis habitu simulatis virtutibus. « Et tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. » Solet contingere, ut quem ante baptismum per solum originale peccatum tenebat, postea per multa vitia possideat. « Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. » Quia sicut de talibus Petrus apostolus ait: « Melius eis fuerat non agnoscere viam veritatis, quam post agnitionem retro converti (*II Petr.* II). » De talibus autem Dominus in Evangelio dicit: « Nemo mittens manum suam in aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei (*Luc.* IX). » Non enim pœna par debetur ei, qui multum; et illi, qui parum peccat, Domino in Evangelio dicente: « Servus sciens voluntatem Domini sui, et non facienst digne plagis vapulabit multis (*Luc.* XII). »

« Factum est autem, cum hæc diceret, extollens « vocem quædam mulier de turba, dixit. » » Magnæ devotionis hæc mulier ostenditur, quæ fidem Dominicæ incarnationis, quam corde concepit, inter turbas malignantium, reprehendentium, et calumniantium, ore credulo confessa est, dicens: « Beatus « venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. » In quibus verbis non solum præsentes calumniatores, qui dicebant eum in Beelzebub ejicere dæmonia, confundit, sed etiam futurum eorum errorem destruit, qui dicturi erant Dominum non veram carnem ex Maria virgine assumpsisse. Si enim ventre portatus, uberibusque est lactatus, patet profecto quod consubstantialem carnem matris suscepit, maxime cum secundum physicos in ventre prægnantis, liquor sanguinis et lactis ex uno fonte manat: sanguinis, unde formatur homo: lactis, unde pascitur. Si ergo Dominus Jesus Christus sicut cæteri homines lac suxit, et nutritus est, nimirum veram carnem, non simulatam, assumpsit, sicut Paulus apostolus ait: « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I). » De quo Matthæus in initio sui Evangelii ait: « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. » Spiritualiter autem mulier ista sanctam significat Ecclesiam, quæ inter turbas Judæorum, paganorum et hæreticorum credula voce Dominum Christum confitetur. Cujus revera voce venter Mariæ virginis beatus prædicatur (*Luc.* I), quæ totius mundi Redemptorem meruit portare, sicut ipsa de se ait: « Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. » Et Elizabeth: « Beata es quæ credidisti. » Confirmat autem verba mulieris, cum subjungit:

« Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, et cu« stodiunt illud. » Ac si dixisset: Juxta tuam sententiam principaliter beatus ille venter est qui me portavit: sed et omnes beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. Cui autem beatitudo Mariæ delectat, studeat libenter audire verbum Dei et custodire, beatus erit. Quisquis ergo verbum Dei libenter audit, Christum concipit: si autem in opere perpetraverit, Christum parit. Unde Dominus cuidam dicenti sibi (*Matth.* XII): « Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quærentes te, » respondit: « Si quis fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror, et mater est. » Omnis quippe qui verbum Dei audiens impleverit, quotidie Christum concipit et parit. Et quem venter Mariæ portavit corporaliter, ipse portat spiritualiter. Bene autem postquam dixit: « Beati qui audiunt verbum Dei, » subjunxit: « et custodiunt illud, » quia ad beatitudinem æternam promerendam non proficit verbum Dei audire, nisi quisque illud studeat custodire, Domino dicente di-

scipulis: « Scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea (*Joan.* XIII). » Unde Joannes in Apocalypsi cum dixisset: « Beatus qui audit verba prophetiæ libri hujus, » adjunxit, « et servat quæ in ea scripta sunt (*Apoc.* I). » Non enim, ut ait Apostolus, auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (*Rom.* I). Audire et non facere, magis pertinet ad contumaciam quam ad beatitudinem. Unde Jacobus dicit: « Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi (*Jac.* IV). » Et Jacobus: « Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, et abiit: et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, et permanserit, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit (*Jac.* I). »

HOMILIA XLIII.

FERIA SECUNDA POST *Oculi.*

(LUC. IV.) « In illo tempore, dixerunt Pharisæi ad « Jesum: Quanta audivimus facta, » et reliqua. Quorum insana perfidia, sanam (licet nesciens) fidem confitetur quæ Christum Dominum fabrum cognominat, et medicum vocat. Faber enim est verus, quia « omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I): » medicus, quia omnia per ipsum restaurata sunt in cœlis et in terra, et sicut de se ipso testatur: « Non habent opus sani medico, sed male habentes (*Marc.* II). » Et quia diximus quo instrumento fabricandi, dicamus et quo utatur genere medicandi. « Præteriens vidit cæcum natum a nativitate, exspuit in terram, et fecit lutum de sputo, linivitque super oculos ejus, et dixit ei: Vade, et lava in natatoria Siloe, quod interpretatur *missus.* Abiit ergo et lavit, et venit videns (*Joan.* IX). » Agnosce igitur magnæ modum medicinæ, et gaude, quia per hanc illuminare meruisti. Lutum de terra, caro Christi est. Sputum de capite, Divinitas ejus est, quia caput Christi Deus. Sputum luto immistum nos illuminat in natatoria Siloe baptizatos, quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus (*Joan.* I), » quam prius tenebris arcentibus comprehendere non poteramus. Per fabrum ergo Christum creatus es, ut esses. Per medicum Christum recreatus es, ut post vulnera sanus esses, qui ab irridentibus civibus quidem seipsum curare, hoc est, in sua patria virtutes facere monetur. Sed non otiose ab evangelista alio excusatur, quia non poterat ibi virtutem facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit: et mirabatur propter incredulitatem illorum, ne fortasse quis viliorem nobis fieri debere patriæ putaret affectum. Amabat itaque cives, sed ipsi se charitate patriaque libere privabant.

« Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo pro« pheta acceptus est in patria sua. » Prophetam dici in Scripturis Dominum Christum, et Moyses testis est, qui ait: « Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me ipsum audite (*Deut.* XVIII). » Non solum autem ipse qui caput et Dominus est prophetarum, sed et Elias, Jeremias, cæterique prophetæ minores in patria quam in exteris regionibus habiti sunt: quia propemodum naturale est, cives semper civibus invidere. Non enim considerant præsentia viri opera, sed fragilem recordantur infantiam, quasi non et ipsi per eosdem ætatis gradus ad maturam ætatem venerint.

« In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in « diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum « annis tribus et mensibus sex, cum facta esset « fames magna in terra, et ad nullam illarum mis« sus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem « viduam. » Non, inquit, hoc quod divina fastidiosis civibus beneficia subtraho, prophetarum gestis adversatur, quia sicut fame quondam omnem terram premente, nemo est in Judæa repertus Eliæ dignus hospitio, sed exteræ gentis vidua est quæsita, quæ ob fidei gratiam a tanto propheta visitari deberet. Et sicut multis ibidem exsistentibus leprosis, Naaman tantum Syrus, quia devote quæsierat, ab Elisæo propheta curari promeruit: sic et vos non alia quam invidiæ perfidiæque causa superno munere privabit. Quorum si facta prophetarum etiam allegorice discusseris invenies profecto Dominum in patria sua, a qua receptus non est perfidia, superbiam notasse Judæorum. Nomine vero Capharnaum, quæ *ager consolationis* interpretatur, gentium prædicasse salutem, ubi majora quotidie signa per apostolos apostolorumque successores, non tam in corporum quam in animarum sanatione pariantur. Igitur vidua ad quam missus est Elias, gentium designat Ecclesiam, quæ a suo diutius est conditore deserta, populum recte fidei nescivit, quasi pauperum filium egena stipe nutriebat, id est verbo fructus experte docebat, donec adveniens sermo propheticus, qui exsiccato vellere Israelis, utpote clausa cœli janua, fame periclitabatur in Judæa, pasceretur ibi simul et pasceret, et receptus videlicet a credentibus, et reficiens ipse credentes. Unde bene hæc vidua in Sarepta Sidoniæ dicitur esse morata. Sidonia quippe, venatio inutilis; Sarepta vero *incendium* vel *angustia panis* interpretatur, quia « ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* V). » Ubi rebus supervacuis acquirendis, quasi aucupandi cura impendebatur, ubi dire satis incendium famis, panisque spiritualis antea fiebat angustia, ibi farina oleumque ore prophetico benedicitur, id est fructus et hilaritas charitatis, sive gratia corporis Dominici, et chrismatis unctio indefectivo verbi cœlestis munere fecundatur: cujus hactenus in vasis oleum gaudii spiritualis, et benedictionis farina non defecit, cæterisque non credunt gentibus, inopia panis divini miseris, et venatui deditis inutili. Nam et ipsa pulcherrime mysticum sibi, priusquam moreretur, panem factura, duo se ligna colligere velle testatur:

non solum ligni nomine, sed etiam numero lignorum, signum crucis exprimens, quo nobis est panis vitæ præparatus æternæ.

« Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo pro« pheta,et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman « Syrus. » Quia nota est historia, de mysterio necesse est paucis intimemus. Et Naaman ergo iste Syrus, qui interpretatur *decor*,populum demonstrat nationum quondam perfidiæ scelerumque lepra maculosum,sed per sacramentum baptismatis ab omni mentis et corporis fœditate purgatum. Qui captæ consilio puellæ, hoc est inspirationis supernæ gratia, quam, Judæis conservare non valentibus, gentes rapuere salutem,commonitus septies lavari jubetur :quia nimirum solum baptismi genus,quod ex Spiritu sancto regenerat, salvat. Unde jure caro ejus post lavacrum, velut caro pueri parvi apparuisse memoratur, sive quia cunctos in Christo baptizatos in unam parit gratia mater infantiam. Seu ille magis sit intelligendus puer,de quo dictum est: « Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis (*Isa.* IX),»cujus corpori per baptismum tota credentium soboles adunatur. Et ut cuncta hic baptismi scires sacramenta præmonstrata, in quo abrenuntiare Satanæ, fidem confiteri præcipimur, negat se Naaman ultra diis alienis litaturum, soli per omnia Domino serviturus. Partem quoque terræ sanctæ secum tollere gaudet,quia baptizatos oportet Dominici quoque corporis participatione confirmari. Merito igitur Naaman,cujus dum aqua corpus abluitur, fide pectus purgatur, id est populus gentium Judæis lepra contumaciæ squalentibus antefertur. Merito vidua Sareptana,id est Ecclesia ligno crucis refici desiderans, Judæis fame verbi pereuntibus, pane sacro corporis et vivifici Spiritus unctione recreatur : probaturque Dominus,non ob suam impotentiam civibus, sed ob eorum invidentiam, virtutum dogma negasse. Atque hoc exemplo totam postremo gentem, non quia non amaretur, sed quia ipsa se amari vellet, non amare, ab eo derelictam doctoribus, scilicet inde ob salvationem gentium toto orbe dispersis.Sed quod Dominus verbo de Judæis, hoc ipsi de se Judæi facto testantur.Nam sequitur :

« Et repleti sunt omnes in Synagoga ira hæc au« dientes. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra « civitatem. » Sacrilegia quippe Judæorum, quæ ante prænuntiaverat per prophetam dicens Dominus : « Retribuebant mihi mala pro bonis » (*Psal.* XXXIV), in Evangelio docet esse completa.Nam cum ipse per populos beneficia diffunderet, illi injurias irrogabant. Nec mirum si perdiderunt salutem,qui ejecerunt de suis finibus Salvatorem.Moraliter enim Dominus,et qui docuerit exemplo sui apostolos suos omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat,nec invitos alligat, nec ejicientibus reluctatur,nec rogantibus deest. Sic Gerasenos alibi, cum virtutes ejus sustinere non possent, quasi infirmos et ingratos reliquit. Simul intellige, non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem,nec captum a Judæis, sed a se oblatum. Etenim,quando vult capitur,quando vult labitur,quando vult suspenditur, quando vult non tenetur. » Et duxerunt, inquit, « illum usque ad supercilium montis, super quem « civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent « eum. Ipse autem transiens per medium illorum « ibat.» O pejor magistro discipulorum hæreditas! Diabolus verbo Deum tentat, Judæi facto. Ille dicit : Mitte te :isti adoriuntur, ut mittant.Et quidem Dominus supercilium montis præcipitandus ascenderat, sed per medium illorum,mutata subito vel obstupefacta furentium mente, descendit,quod adhuc sanare quam perdere malebat : ut cum cassata videntes suæ cœpta nequitiæ, a poscenda deinceps ejus morte desisterent. Necdum enim venerat hora passionis, quæ non quolibet Sabbato, sed in parasceve Paschæ futura exstiterat. Necdum locum passionis, qui non in Nazareth,sed in Hierosolymis hostiarum sanguine figurabatur, aderat ; sed nec hoc genus mortis, qui crucifigendus a sæculo præconcionabatur, elegerat. Non igitur a Nazaræis præcipitari, non ab Hierosolymitis lapidari, non inter pueros Bethlehemitas ab Herode perimi,non alia vel alia voluit consummari morte.Quod enim tali morte regiæ potestatis indicium, quo fidelium frons amaretur, emineret ? Sed solum crucis exspectatum est vexillum, cujus figura et celerrimo dexteræ motu, contra maligni hostis tentamenta depingi, et ipsa nihilominus figura monarchiæ singularis posset typus haberi,ut quomodo triumphum crucis exponens Apostolus ait : «In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philip.* II). » Hoc est enim quod ejusdem crucis cacumina ad cœlos tendunt, ima petunt, inferius cornua terræ teguntur.

HOMILIA XLIV.

FERIA TERTIA POST *Oculi.*

(MATTH. XVIII.) » In illo tempore,respiciens Jesus « discipulos suos,dixit Simoni Petro:Si peccaverit in « te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum « solum, » et reliqua. Pertinet hæc sententia ad id quod superius dixit :«Væ mundo a scandalis(*Matth.* XVIII). » Et : « Qui scandalizaverit unum ex his pusillis,expedit ei ut suspendatur in collo ejus mola asinaria,et demergatur in profundum maris.»Quia ergo superius Dominus admonuerat scandala fore vitanda, docet nunc qualiter eadem scandola vitari possint : scilicet per pacem, et per concordiam, et per remissionem peccatorum.Si frater noster in nos peccaverit, possumus ei dimittere, imo necesse habemus ut ei dimittamus. Si autem peccaverit in Deum, non est nostræ potestatis,sed in Dei arbitrio consistit. Quia scriptum est : « Si peccaverit vir in virum,placari ei potest ;si Deus autem in Deum peccaverit,quis orabit pro eo ? » (*I Reg.* II). Frater enim vester est, qui nobiscum Patrem habet in cœlis, et

nobiscum potest dicere: « Pater noster, qui es in cœlis (*Matth.* VI). » Vade et corripe eum inter te et « ipsum solum. » Quare solum? Ne videlicet, si illum in publicum redargueris, confusionem postponat et ab emendatione discedat. « Si te audierit, « lucratus eris fratrem tuum. » Non solum tibi mercedem acquires, sed etiam sicut Jacobus apostolus dicit: « Qui converti fecerit virum ab iniquitate sua, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum (*Jac.* V), » et suorum videlicet, et illius quem converti fecerit ab iniquitate sua. Omnis enim quicunque propria admonitione fratrem suum corripit, lucratus est eum.

« Si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc « unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium « stet omne verbum. » Unum vel duos præcepit esse adhibendos, vel causa testimonii, ut in ore duorum testium vel trium stet omne verbum, vel etiam, quia ab uno correptus non erubuit, saltem a duobus correptus erubescat.

« Si autem illos non audierit, dic Ecclesiæ, » id est congregationi fidelium, ut qni ab uno vel duobus correptus se non emendavit, saltem a generali conventu fidelium in ruborem vertatur. « Si autem Ec-« clesiam non audierit, sicut ethnicus sit tibi et pu-« blicanus. » Ethnos Græce, dicitur Latine gens: inde ethnicos, id est gentilis. Et gentilis dicitur, qui in eodem ritu permanet usque ad mortem, quo nascitur. Et publicani generaliter dicuntur, qui per fas et nefas divitias sibi accumulant. Cum autem dicit: « Sit tibi sicut ethnicus et publicanus, » manifeste ostendit quod pejores sunt qui sub nomine fidelium opera infidelium latenter exercent quam qui manifeste infideles sunt.

« Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super « terram erunt ligata et in cœlo. » Dixerat Dominus superius: « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Et poterat dicere aliquis, qui ita corripitur, et non emendatur: Si me despicis, et ego te despiciam; si me condemnas, et meo etiam ore condemnaberis, confirmat judicium Ecclesiæ sua sententia, dicendo: Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo. »

« Iterum dico vobis quia si duo ex vobis consen-« serint super terram, de omni re quamcunque pe-« tierent, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. » Omnis sermo Domini ad concordiam nos provocat, « si duo (inquit) ex vobis consenserint super terram de omni re. »

« Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine « meo, ibi sum in medio eorum. » Quod multis exemplis approbare possumus. Loquentibus enim apostolis de resurrectione sua, adfuit. Duobus vero discipulis ambulantibus in Emmaus, tertius illis se juuxit, et notitiam suam eis in fractione panis revelavit (*Luc.* XXIV). Nobis etiam quotidie adest in nomine Jesu congregatis. Nomen etenim illius est Jesus. Jesus vero interpretatur *salvator*. Tunc etenim in nomine Jesu congregamur, quoties aut de nostra

A salute, aut de fratrum salute tractaturi in unum convenimus. Allegorice, « ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, » hoc est, si corpus et anima, et spiritus in unum consenserint, ut neque caro repugnet adversus spiritum, neque spiritus repugnet carni, quidquid a Patre petierimus, impetrabimus. Bona etenim petitio est, in qua spiritus non dissentit a carne, nec caro resistit spiritui.

« Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, « quoties peccabit in me frater meus, et dimittam « ei? usque septies? » Motus Petrus ex verbis Domini, quibus superius dixerat: « Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum, » percontatur quoties debeat fratri in se peccanti di-
B mittere, et cum interrogatione dixit « usque septies? » nunquid usque septies debeo ei dimittere qui in me peccavit?

« Dicit illi Jesus: Non dico tibi usquė septies, sed « usque septuagies septies. » Hoc est quadringentis nonaginta vicibus, secundum beatum Hieronymum, ut videlicet tot vicibus in die dimittamus fratri in nos peccanti, quot in nos peccare non potest. Sed melius est, ut simpliciter accipiamus quod dicit: « septuagies septies, » id est septuaginta septem vicibus, quam quadringentis nonaginta. Omnis enim numerus quando per numerum transit adverbialiter, tunc crescit summa illius: verbi gratia, septies septuagies septuaginta, transit nomen per adverbium, et fiunt quadringenti nonaginta. Et quando numeri adverbialiter proferuntur, summa numeri non crescit,
C sed intra suos terminos numerus continetur, sicut est in hoc loco, quo dicit: « septuagies septies. » Præcipit ergo Dominus septuagies septies fratri in nos peccanti dimittere, ut tot vicibus et ei dimittamus, quot vicibus in nos peccare non sufficit.

HOMILIA XLV.

FERIA QUARTA POST *Oculi*.

(MATTH. XV.) « In illo tempore, accesserunt ad « Jesum ab Hierosolymis scribæ et Pharisæi, dicen-« tes, » et reliqua. Mira dementia scribarum et Pharisæorum arguentium Dominum, cur traditiones hominum non sequatur, cum ipse sit Dei Filius, dicentes: « Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones « seniorum? Non enim lavant manus suas cum pa-
D « nem manducant. » Hoc processerat ex traditione scribaram et Pharisæorum. Nam erat consuetudo apud illos, ui si contigisset eis, ut vel cum gentili loquerentur, aut aliquid morticinum tangerent aut immundum aliquid viderent, aut totum corpus, aut etiam partem corporis ablucrent.

« Ipse autem respondens ait illis: Quare et vos « transgredimini mandatum Dei propter traditionem « vestram? » Falsam calumniam veraci responsione Dominus confutat, dicendo: « Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? » Ac si diceret: Cur apostolos meos arguitis, quod præcepta hominum transgrediuntur, ut pos-

sint præcepta Dei adimplere, cum vos propter traditiones hominum transgredimini præcepta omnipotentis Dei?

« Nam Deus dixit : Honora patrem tuum et ma-« trem tuam, et qui maledixerit patri vel matri, morte « moriatur (*Exod.* xx). » Honor etenim in Scripturis dupliciter accipitur, et pro reverentia videlicet honoris, et pro datione muneris. Unde et Paulus apostolus dixit : « Presbyteri duplici honore habeantur (*I Tim.* v). » Et : « Honora viduas, quæ vere viduæ sunt. » In quo loco non tantum honor pro salutatione et reverentia accipitur, quantum etiam pro datione. « Honora patrem tuum et matrem tuam, » et in reverentia videlicet obsequii, et in dandis muneribus. E contrario quod dixit : « qui maledixerit patri vel matri, » maledicto non tantum pro verbo aspero, B sed etiam pro subtractione beneficii ponitur. Prævidens omnipotens Deus imbecillitates et ætates senectutis parentum, præcepit filiis eorum ut postquam ad senectutem parentes illorum pervenirent, ut honorem eis impenderent, non solum in obsequio, sed etiam in datione muneris. Videntes hoc scribæ et Pharisæi, quod ea quæ dabantur parentibus a lucris eorum deperirent, composuerunt hanc stropham, ut dicerent falso intelligi hoc præceptum a Judæis, quod dicitur : « Honora patrem tuum et matrem, » sed potius patrem vel matrem, templum et Synagogam debere intelligi, ut non præcepisset omnipotens Deus honorare parentes carnales, sed potius quidquid haberent templo et Synagogæ distribuerent. Quod audientes simplices, errore seducti, quidquid habere poterant, in templo offerebant. Cum vero contigisset C ut pater vel mater quærerent ab eis aliquod supplementum, dicebant :

« Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, » id est nunquid illud munus quod semel Deo obtuli, si in tuos usus expendero, tibi proderit? Hoc audientes illi, malebant præ inopia vitam amittere, quam de consecratis aliquid tangere. Potest et aliter intelligi hoc quod dicitur: « munus quodcunque est ex me, tibi proderit. » Ac si diceret: Munus quod Deo offero ex substantia mea, sicut proderit mihi, ita et tibi. Et hæc dicendo, non honoravit patrem vel matrem.

« Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, « dicens : Populus hic labiis me honorat, cor au-« tem eorum longe est a me (*Isa.* xxix). » Non bo- D num dixit de malitia vestra, sed bene convenit vobis hoc quod ille dixit: « Populus hic labiis me honorat. » Populus Judæorum labiis Deum Patrem honorabat, quia in illum se credere jactabat, cor autem eorum longe erat ab eo, quia in sermone cupiebant eum capere, et tradere potestati Romanæ.

« Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas « et mandata hominum. » Frustra, inquit, me colunt, doctrinas suas præponentes præceptis Dei.

« Et convocatis ad se turbis, dixit eis : Audite et « intelligite. » Non vult Deus auditores suos tantum audire, sed post auditum etiam intelligere.

A « Non quod in os intrat, coinquinat hominem. » Si ergo quod intrat in os non coinquinat hominem, merito quæritur cur Paulus apostolus prohibet nos non vesci de idolothytis, vel cur dicat : « Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum (*I Cor.* vii). » Ad hoc dicendum est, quod illa quidem creatura per se munda et bona est : cum autem idolis fuerit consecrata, propter invocationem dæmonum et idolorum, sordida et immunda efficitur, et ideo præcipitur nobis non de talibus comedere. Omnis enim religio et sanctitas Judæorum, maxime in differentia ciborum mundorum et immundorum consistebat : sed omnipotens Deus quod in Veteri Testamento discrete posuit, hoc in Novo Testamento indiscrete uti jussit. Præcipiebat enim omnipotens Deus manus abluere, non aqua corporali, sed munditia bonorum operum, ut digni simus, in quorum manibus sermo Dei fieret. Sic sæpe in Veteri Testamento legimus: Factum est verbum Domini in manu Jeremiæ et Isaiæ, et cæterorum. In manu etenim eorum factus est sermo Domini, qnia talia erant opera eorum, ut digni essent ad quos sermo Dei fieret.

« Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : « Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati « sunt. » Ex hoc loco datur intelligi, quod scandalum in quibusdam locis cavendum est hominibus, in quibusdam vero pro nihilo contemptui habendum. Hoc etiam Dominus suo exemplo docet. Legimus enim alibi (*Matth.* xvii) quod accedentes illi, qui tributa requirebant a populo, ad Petrum dixerunt: « Magister vester non solvit didragma. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus dicens : Quid tibi videtur? Reges gentium, a quibus accipiunt tributa? A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit : Ab alienis. Et dixit ei : Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui prius ascenderit, tolle : et, aperto ore ejus, invenies staterem ; illum sumens, da pro me et te. » Illic vitavit scandalum, hic autem ubi sine causa scribæ et Pharisæi scandalizabantur contra Dominum, pro nihilo duxit scandalum eorum. Ex qua re datur intelligi, quia ibi debet scandalum caveri, ubi potest in fide offensio incurri : ubi vero veritas periculum fidei sustinet, melius est ut scandalum incurratur, quam ut veritas relinquatur ; σκάνδαλον enim Græce, Latine offensio dicitur vel ruina pedis, sive impactio pedum, vel ut expressius scrupulus, Latine permotio mentis dicitur.

« Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus « cœlestis, eradicabitur. » Si omnis plantatio quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur, ergo nunquid illa plantatio quam plantavit Paulus apostolus, eradicabitur, qui dicebat (*I Cor.* iii) : « Ego plantavi, Apollo rigavit? » Sed hanc quæstionem solvit id quod subsequitur : « Deus autem incrementum dedit. » Si autem omnis plantatio quam non plantavit Pater eradicabitur, ergo quam ipse

plantavit, non eradicabitur? Ad hoc dicendum est, A quia omnis plantatio quam plantavit Pater cœlestis, a nemine potest eradicari, nisi ipse assensum eradicandi præbuerit. Hinc est quod Jeremias dicit: « Ego plantavi te vineam electam, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ (*Jer.* II)? »

« Sinite illos, » id est, permittite illos in damnatione esse. Cæci sunt, et duces cæcorum, » subaudiatur populorum.

« Cæcus autem si cæco ducatum præbeat, ambo « in foveam cadunt. » Sciens Dominus animos illorum incorrigibiles esse, ideo dixit: « Cæcus autem si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. » Cæci erant scribæ et Phærisæi, et non solum erant cæci, sed etiam duces cæcorum. Quia non solum seipsos mittebant in perditionem, sed etiam et alios B post se trahebant. Manifestum est quia, si cæcus doctor, et ipsi qui audierint in foveam æternæ damnationis corruent.

« Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere « nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc et vos « sine intellectu estis? » Quod a Domino plane et aperte fuerat dictum, Petrus parabolice dictum esse putavit. Unde reprehenditur a Domino dicente: « Adhuc et vos sine intellectu estis? » Ex qua re datur intelligi vitiosum esse illum auditorem qui aut obscure dicta vult manifeste intelligere, aut manifeste dicta vult ad obscuritatem convertere.

« Non intelligitis quia omne quod in os intrat, « in ventrem vadit, et in secessum emittitur? » Culpant in hoc loco quidam, dicentes Dominum phy- C sicæ disciplinæ ignarum fuisse, cum id quod intrat in os non statim in secessum emittatur, sed liquor illius cibi per venas prius diffunditur, deinde per quosdam meatus, qui Græce pori dicuntur, in secessum emittitur. Sed dum illum reprehendunt, suam imperitiam ostendunt. Licet primum enim ille subtilissimus liquor per venas diffendatur, mox ut totum corpus peragraverit, in secessum vadit.

« Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, « et ea coinquinant hominem. » Ipse exponit quæ sunt ea quæ coinquinant hominem, dicendo:

« De corde enim exeunt cogitationes malæ. » Ex hoc loco datur intelligi quia principale animæ, non est secundum Platonem in cerebro, sed potius in corde: « Quia ex corde procedunt cogitationes D malæ. » In hoc loco datur etiam intelligi quod diabolus non est auctor malitiarum, sed potius incentor. Incentor etenim potest esse, sed non auctor. Non enim potest interiora cordis nostri rimari, sed ex gestibus corporis intelligere quid cogitemus. Verbi gratia: si viderit nos frequenter pulchram mulierem respicere, ex motu oculorum intelligit cor nostrum amoris jaculo esse vulneratum. Ex qua ratione probatur quod ipse non est auctor, sed incentor et cumulator malarum cogitationum.

HOMILIA XLVI.

FERIA QUINTA POST *Oculi*.

(JOAN. VI.) « In illo tempore, dixit Jesus turbis: « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet « in vitam æternam, » et reliqua. Carnalis cibus perit, spiritualis vero permanet, quem Filius hominis vobis dabit. Hunc ergo Deus Pater significavit justum Filium hominis. Nolite sic accipere, quasi alios filios, Filium hominis, de quibus dictum est: Filii autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Iste Filius hominis sequestratus quadam gratia a Filiis hominum, exceptus a numero hominum, Filius hominis est. Iste Filius hominis, et Filius Dei est: iste homo, etiam et Deus est. Unde et ipsa Veritas, quæ tunc loquebatur ad Judæos, et nunc omnibus loquitur per evangelicæ prædicationis verba, quid sit ostendit, non qualem plurimi tunc æstimaverunt, vel etiam nunc æstimant; subjunxit vero:

« Hunc enim Deus Pater signavit. » Signare quid est, nisi proprium aliquid ponere? Hoc est significare, ponere aliquid quo non confundatur cum cæteris: signare est, signum ei ponere. Cuicunque rei ponis signum, ideo ponis signum ne confusa cum aliis a te non possit agnosci. Pater ergo eum signavit. Quid est signavit? Proprium quidem illi dedit, ne cum cæteris compararetur hominibus, ideo dictum est: « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis (*Psal.* XLIV). » Itaque nolite (inquit) contemnere, quia Filius hominis sum, et quærite a me non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Sic enim Filius hominis sum, ut non sim unus ex vobis. Sic sum Filius hominis, ut Deus Pater me signaret. Quid est signaret? Proprium aliquid mihi daret, quo non confunderet cum genere humano, sed per me liberaretur genus humanum.

« Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? » Dixerat enim illis, Operamini escam non quæ perit, sed quæ permanet in vitam æternam. Quid faciemus, inquiunt, qui observando, hoc præceptum implere poterimus?

« Respondit Jesus et dixit eis: Hoc est opus Dei, « ut credatis in eum quem misit ille. » Hoc est ergo manducare cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Discernitur quidem ab operibus fides, sicut Apostolus dicit, justificari hominem per fidem sine operibus legis. Et sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi, et non sunt bona. « Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti (*Rom.* X). » Ideo noluit discernere ab opere fidem, sed ipsam fidem dixit esse opus; ipsa enim est fides, quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, Hoc est opus vestrum, sed dixit, « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille, ut qui gloriatur, in Domino glorietur (*I Cor.* I). » Quia ergo invitabat eos ad fidem, illi ergo adhuc quærebant signa quibus crederent.

« Dixerunt ergo ei; Quod ergo tu facis signum,

« ut videamus et credamus tibi ? quid operaris ? » Parumne erat, quod de quinque panibus pasti sunt ? sciebant hoc quidem, sed huic cibo manna de cœlo præferebant. Dominus autem Jesus talem se dicebat, ut Moysi præponeretur. Non enim ausus est Moyses de se dicere quod daret cibum non qui perit, sed qui habet vitam æternam. Attendebant enim plus promittentem, et quasi nondum videbant majora facientem. Attendebant utique qualia fecisset Moyses, adhuc aliqua majora volebant fieri ab eo, qui tam magna pollicebatur. Quid (inquiunt) facis, ut credamus tibi, et ut noverimus quid operaris ? Quia miracula antiqua huic miraculo comparabant, et ideo quasi minora ista judicabant quæ faciebat Jesus.

« Patres nostri, inquiunt, manna manducaverunt « in deserto, sicut scriptum est : Dedit illis manna « manducare, » et non talia operaris qualia Moyses. Panes hordeaceos ille non dedit, sed manna de cœlo.

« Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis, non « Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus « dat vobis panem de cœlo verum. Verus enim panis « est qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo. » Verus ergo ille panis est, qui dat vitam mundo, et ipse cibus est de quo paulo ante locutus sum : « Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam (*Joan.* VI). » Ergo et illud manna hoc significabat, et illa omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis, quod significabatur contemnitis.

« Dixerunt ergo ad eum : Domine, da nobis semper panem hunc. » Quomodo mulier illa Samaritana, cui dictum est (*Joan.* IV) : « Qui biberit de hac aqua, non sitiet unquam, » continuo illa secundum corpus accipiens, sed tamen carere indigentia volens : « Da, inquit, mihi, Domine, de aqua, » sic et isti : Domine, da nobis panem hunc, qui nos reficiat, nec deficiat.

« Dixit ergo eis Jesus : Ego sum panis vitæ. Qui « venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non « sitiet unquam. » Qui venit ad me, hoc est, quod ait, et qui credit in me. Et quod dixit, non esuriet, hoc intelligendum est, non sitiet unquam. Utraque enim illa significat æterna satietas, ubi nulla est egestas. Panem de cœlo desideratis, ante vos habetis, et non manducatis. Sed dixi vobis quia et vidistis me, et non credidistis.

HOMILIA XLVII.

FERIA SEXTA POST *Oculi*.

(JOAN. IV.) « In illo tempore, venit Jesus in civi« tatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta præ« dium quod dedit Jacob Joseph filio suo, » et reliqua. Cum autem dixit evangelista in quo prædio erat fons Jacob, addidit :

« Jesus autem, fatigatus ex itinere, sedebat sic « supra » puteum, quod sanctus Jacob Joseph filio suo dereliquerat. Quod prædium non tam Joseph quam Christo arbitror derelictum : cujus figuram sanctus Joseph patriarcha portavit, quem vere sol adorat et luna, et omnes stellæ benedicunt. Ad hoc prædium ideo venit Dominus, ut Samaritani, qui hæreditatem sibi patriarchæ Israel vindicare cupiebant, agnoscerent possessorem suum, et converterentur ad Christum qui legitimus patriarchæ hæres est factus. Dicit enim Evangelista : « Jesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic super » puteum. Evangelica sacramenta in Domini nostri Jesu Christi dictis factisque signata non omnibus patent, et ea nonnulli minus diligenter, minusque sobrie interpretando, afferunt plerumque pro salute perniciem, et pro cognitione veritatis errorem. Interque illud est sacramentum, quod scriptum est Dominum hora diei sexta venisse ad puteum Jacob, fessumque ab itinere resedisse, a muliere Samaritana potum petisse, et cætera quæ in eodem loco discutienda et pertractanda dicuntur. De qua re id primum tenendum est, quod in omnibus Scripturis summa vigilantia custodiri oportet, ut secundum fidem fit sacramenti divini expositio. Hora igitur diei sexta, venit ad puteum Dominus noster Video in puteo tenebrosam profunditatem : admoneo ergo intelligere mundi hujus infirmas partes, id est terrenas, quo venit Dominus Jesus hora sexta, id est sexta ætate generis humani, tanquam senectute veteris hominis, quo jubemur exui ut induamur novo, qui secundum Deum creatus est. Veteris itaque hominis vita, quæ secundum carnem temporali conditione peragitur, sexta ætate senectute concluditur. Qua senectute, ut dixi, humani generis Dominus noster creator et reparator advenit, ut moriente scilicet veteri homine, novum in se constitueret, quem exutum luto terreno, in cœlestia regna transferret. Ergo nunc puteus, ut dictum est, mundi hujus terrenum laborem et terrorem tenebrosa profunditate significat. Et quoniam exterior est homo vetus, et novus interior, dictum est ab Apostolo : « Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem (*II Cor.* IV). » Rectissime omnino, quoniam omnia visibilia ad exteriorem hominem pertinent, quibus disciplina Christiana renuntiat. Hora sexta venit Dominus ad puteum, id est medio die unde jam incipit sol iste visibilis declinare in occasum. Quoniam nobis vocatis a Christo visibilium delectatio minuitur, ut invisibilium amore homo interior recreatus ad interiorem lucem quæ nunquam excidit revertatur, secundum apostolicam disciplinam, non quærens quæ videntur, sed quæ non videntur. « Quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur æterna sunt (*I Cor.* XIII). » Quod autem fatigatus venit ad puteum, infirmitatem carnis significat : quod sedit, humilitatem. Quia imbecillitatem carnis pro nobis suscepit, et homo hominibus tam humiliter apparere dignatus est. De hac infirmitate carnis propheta dicit : « Homo in plaga positus, et sciens ferre imbecillitatem (*Isa.* LIII). » De humilitate vero Apostolus loquitur, dicens : « Humiliavit semetipsum factus subditus usque ad mortem (*Philip.* II). » Quanquam illud quod sedit quoniam

soleat sedere doctores, possit alio intellectu, non A humilitatis modestiam, sed magistri demonstrare personam. Sed quæri potest quare a Samaritana, ab ea quæ hydriæ implendæ gratia venerat, libere postulaverit, cum ipse postea spiritualis fontis affluentiam se petentibus dare posse prædicaverit, Sed scilicet sitiebat Deus mulieris illius fidem, quæ quoniam Samaritana erat, et solebat Samaria idololatriæ imaginem sustinere. Ipsi enim separati a populo Judæorum simulacris mutorum animalium, id est, vaccis aureis animarum suarum decus addixerant. Venerat autem Dominus noster Jesus Christus, ut gentium multitudinem, quæ simulacris servierat, ad munimentum fidei Christianæ et incorruptæ religionis adduceret. Non enim est, inquit, sanis opus medicus, sed male habentibus (*Matth.* IX). Ergo eorum fidem sitit, pro quibus sanguinem fudit. Dixerat ergo ad eam Jesus :

« Mulier, da mihi bibere. » Et ut noveris quid sitiebat Dominus noster, post paululum veniunt discipuli ejus, qui perrexerant in civitatem, ut cibos emerent. « Dicunt ei : Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis : Ego habeo escam manducare quam vos nescitis. Dicunt discipuli ejus ad alterutrum : Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Jesus : Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus. » Nunquid hic intelligitur alia voluntas Patris qui eum misit, ut opus ejus perficere vellet, nisi ut nos ad fidem suam a pernicioso mundi errore converteret? Qualis ergo cibus ejus, talis et potus. Quapropter hoc in illa muliere sitiebat, ut faceret in ea voluntatem Patris, ut perficeret opus ejus. Sed illa carnaliter intelligens, respondit :

« Tu cum sis Judæus, quomodo a me bibere possis, cum sim mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis. Cui Dominus noster « dixit : Si scires donum Dei, et quis est qui dicit « tibi, Da mihi bibere, tu magis petisses ab eo, et « dedisset tibi aquam vivam. » Et hinc ei ostenderat non se talem aquam petisse qualem ipsa intellexerat. Sed quia ipse sitiebat fidem ejus, eidem sitienti Spiritum sanctum dare cupiebat. Hanc enim recte intelligimus aquam vivam, quod est donum Dei, sicut ipse ait : « Si scires donum Dei. » Et sicut idem Joannes testatur alio loco (*Joan.* VII), dicens quod stabat Jesus et clamabat : « Si quis sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, » sicut dicit Scriptura, « flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Consequenter omnino qui credit in me, inquit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ : quia primo credimus, ut hæc dona mereamur. Hæc ergo flumina aquæ vivæ, quæ illi mulieri volebat dare, merces est fidei, quam prius in illa sitiebat. Cujus aquæ vivæ interpretationem ita subjicit : Hoc autem dicebat, inquit de Spiritu, quem accepturi erant hi qui in eum credituri erant. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. Hoc itaque donum Spiritus sanctus est, quod post suam glorificationem dedit Ecclesiæ, sicut alia Scriptura dicit : « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Ephes.* IV). » Sed adhuc illa mulier carnaliter sapit, sic enim respondit :

« Domine, neque » hauritorium « habes, et puteus « altus est, unde » mihi « habes » dare « aquam vi« vam? Nunquid tu major es patre nostro Jacob, « qui dedit nobis hunc puteum, et ipse ex eo bibit, « et filii ejus, et pecora ejus. » Nunc vero jam Dominus exponit, quid dixerit.

« Omnis, » inquit, « qui biberit ex aqua ista, si« tiet iterum. Qui autem biberit de aqua quam ego » dedero, « non sitiet in æternum : sed aqua illa « quam » dedero, « fiet et in eo fons aquæ salientis « in vitam æternam. » Sed adhuc mulier prudentiam B carnis amplectitur, respondens :

« Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, « neque veniam huc haurire. Dicit ei Jesus : Vade, « voca virum tuum, et veni huc. » Cum sciret eam virum non habere, cur hoc dixerit quæritur. Namque cum mulier dixerit :

« Non habeo virum, dixit ei Jesus : Bene dixisti, « non habeo virum ; quinque enim viros habuisti, « et nunc quem habes, non est tuus vir. Hoc vere « dixisti. » Sed non sunt hæc carnaliter accipienda, ne huic ipsi adhuc mulieri Samaritanæ similes esse videamur : sed de illo dono Dei, si aliquid jam gustavimus, spiritualiter ista tractemus. Quinque viros, quinque libros, qui per Moysen ministrati sunt, nonnulli accipiunt. Quod autem dictum est, « et C nunc quem habes non est tuus vir, » de seipso Dominum dixisse intelligunt, ut iste sit sensus : Primo quinque libris Moysi, quasi quinque viris servisti : nunc autem quem habes, id est quem audis, non est tuus vir, quia nondum in eum credidisti. Sed quoniam nondum credens Christo, adhuc itaque illorum quinque virorum, id est quinque librorum copulatione tenebatur, potest moveri quomodo dici potuerit : Quinque viros habuisti, quasi tunc eos jam non haberet, cum adhuc utique ipsis subdita viveret. Deinde cum quinque libros Moysi nihil aliud quam Christum prædicent, sicut ipse ait : « Si crederetis Moysi, crederitis forsitan et mihi : ille enim de me scripsit (*Joan.* V), » quomodo potest intelligi a quinque illis libris recedere hominem, ut ad Christum D transeat, cum ille qui credit in Christum non relinquat quinque illos libros, sed spiritualiter intelligendo, multo beatius amplectatur? Est ergo alius intellectus : ut quinque viri intelligantur quinque corporis sensus : unus, qui ad oculos pertinet, quo lucem istam visibilem, et quoslibet colores formasque corporum cernimus. Alter est autem aurium, quo vocum et omnium sonorum momenta sentimus. Tertius narium, quo varia odorum suavitate delectamur. Quartus in ore gustus dulcia et amara sentit, et omnium saporum habet examen. Quintus per totum corpus tangendo dijudicat calida et frigida, mollia et dura, levia et aspera, et quidquid aliud

est quod tangendo sentimus. Istis itaque carnalibus quinque sensibus prima hominis ætas imbuitur, necessitate naturæ mortalis: quia ita post peccatum primi hominis nati sumus, ut nondum reddita luce mentis, caanalibus sensibus dediti, carnalem vitam sine ulla veritatis intelligentia transeamur. Tales necesse est esse infantes, et parvulos pueros, qui nondum possunt accipere rationem. Et quia naturales sunt isti sensus, qui primam ætatem regunt, et Deo artifice nobis tributi sunt, recte dicuntur iidem mariti, tanquam legitimi. Quoniam non eos errores vitio proprio, sed Dei artificio natura contribuit. Cum autem quisque venerit ad ætatem cujus vita possit capax esse rationis, si veritatem statim comprehendere poterit, non jam illis sensibus rectoribus utetur, sed habebit virum spiritum rationalem, cui sensus illos in famulatum redigat servitutis, subjiciens corpus suum cum anima, non jam viris quinque, idest quinque corporeis sensibus, quibvs subdita est: sed verbum divinum habet legitimum virum, cui copulata est inhærens, cum et ipse spiritus hominis hæserit Christo; « quia caput viri Christus est, » amplexus spiritualia æternæ vitæ, sine ullo separationis timore perfruitur, ut ait Apostolus: « Quis nos separare poterit a charitate Christi (*Rom.* VIII)? » subauditur, nulla res. Sed quoniam illa mulier errore tenebatur, quæ significabat multitudinem sæculi variis superstitionibus subjugari, post tempora illa quinque carnalium sensuum quibus prima ætas (ut diximus) regitur, non ea verbum Dei acceperat in conjugium, sed complexu adulterino diabolus eam obtinebat. Itaque illi Dominus dicit, videns eam esse carnalem, id est carnaliter sapere: « Vade, voca virum tuum, et veni huc, » id est remove te ab affectione carnali, in qua nunc constituta es, unde non potes intelligere quæ loquor. Et voca virum tuum, id est spiritu intelligentiæ præsens esto. Est enim animæ quasi maritus quodammodo spiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam conjugem regit: non ille Spiritus sanctus, qui cum Patre et Filio incommutabiliter datur, sed spiritus hominis, de quo Apostolus dicit: « Nemo scit quid est in homine, nisi spiritus hominis qui est in eo (*I Cor.* II). » Nam ille Spiritus sanctus, spiritus Dei est, de quo iterum dicit: « Sic et quæ Dei sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei. » Hic ergo spiritus hominis cum præsens est, id est intentus, et se pietate subjicit Deo, intelligit homo quæ spiritualiter dicuntur; cum autem diaboli error, tanquam absente intellectu, in anima dominatur, adulter est. « Voca ergo (inquit) virum tuum. » id est spiritum, qui est in te, quo potest homo intelligere spiritualia. Si eum lux veritatis illustret, et ipse adsit, colloquar tibi, ut spiritualem aquam possis accipere. Et cum illa, « non habeo, » ait, « virum, bene, » inquit, « dixisti, quinque enim viros habuisti, » id est quinque sensus carnis in prima ætate rexerunt te, « et nunc quem habes, non est tuus vir, » quia non est in te spiritus qui intelligat Deum, cum quo legitimum potes habere connubium, sed error diaboli potius dominatur, qui te adulterina contaminatione corrumpit. Et fortasse intelligentibus indicaret, quinque virorum nomine, significari quinque memoratos corporis sensus. Post quinque carnales responsiones, ista mulier sexta reaponsione nominat Christum. Nam prima ejus responsio est: « Tu cum sis Judæus, quomodo a me bibere petis? » Secunda: « Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est. » Tertia: « Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. » Quarta: « Non habeo virum. » Quinta: « Video quia propheta es tu, patres nostri in monte hoc adoraverunt. » Nam ista responsio carnalis est. Carnalibus enim datus fuerat locus terrenus ubi orarent: spirituales autem spiritu et veritate oraturos esse Dominus dixit. Quod posteaquam locutus est, sexta mulieris responsio, Christum fatetur omnium justorum esse doctorem. Dicit enim:

« Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. « Cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia. » Sed adhuc errat, quia eum quem venturum sperat, venisse non videt. Verumtamen misericordia Domini nunc error iste, tanquam adulter expellitur.

« Dicit ei Jesus: Ego sum qui loquor tecum. » Quo audito, illa non respondit, sed statim relicta hydria sua, abiit in civitatem festinans, ut Evangelium et Domini adventum non tantum crederet, sed etiam prædicaret. Nec hoc quod, relicta hydria, discessit, negligenter prætereundum est. Hydria fortasse enim amorem sæculi hujus significat, id est cupiditatem, quia sibi homines de tenebrosa profunditate, cujus imaginem puteus gerit, hoc est de terrena conversatione hauriunt voluptatem, qua percepta, iterum in ejus appetitum inardescant; sicut de aqua illa qui biberit, sitiet iterum. Oportebat autem ut Christo credens sæculo renuntiaret, et, relicta hydria, cupiditatem sæcularem se reliquisse monstraret, non solum corde credens ad justitiam, sed etiam ad salutem ore confessura quod credidit. « Dicit enim mulier: Domine, video quia propheta « es tu. » Cœpit venire vir, nondum plene venit, quia prophetam Dominum putavit. Erat quidem et propheta, nam de seipso ait: « Non est propheta sine honore, nisi in patria sua (*Marc*, VI). » Item de illo dictum est ad Moysen; « Prophetam eis suscitabo de fratribus eorum similem tui (*Deut.* XVIII). » Similem scilicet ad formam carnis, non ad eminentiam majestatis. Ergo invenimus Dominum Jesum dictum prophetam. Proinde jam non multum errat mulier ista. « Video, » inquit, « quia propheta es tu. » Incipit virum adulterum excludere, quando ait: « Video quia propheta es tu, » et incipit quærere quod illam solebat movere. Contentio quippe fuerat inter Samaritanos et Judæos, quia Judæi in templo a Salomone fabricato adorabant Dominum. Samaritani, longe inde positi, non in eo adorabant. Ex eo Judæi meliores esse lætabantur, quia in templo ad-

orabant Deum. Non enim coutuntur Judæi Samaritanis, quia dicebant: Quomodo vos lætatis, et ideo vos nobis meliores esse perhibetis, quia templum habetis, quod nos non habemus? Nunquid patres nostri, qui Deo placuerunt, in templo adoraverunt? Nonne in isto monte adoraverunt, ubi nos sumus? Melius ergo nos (inquiunt) in hoc monte Deum rogamus, ubi patres nostri rogaverunt. Contendebant utrique ignari, quia, virum non habentes, illi pro templo, isti pro monte inflabantur adversus invicem, Dominus tamen modo docet mulierem, tanquam cujus vir cœperit præsens esse. « Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in « monte hoc adoraverunt, et vos dicistis quia Hierosolymis adorare oportet. Dicit ei Jesus: Mulier, crede « mihi. » Veniet enim Ecclesia, sicut dictum est in Canticis canticorum (*Cant.* II): « Dilectus meus loquitur mihi. » Et iterum: « Surge, propera, amica mea, formosa mea, columba mea, immaculata mea, et veni. Jam enim hyems transiit, imber abiit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit. Vox turturis audita est in terra nostra. » Merito jam præsente viro audit mulier, « crede mihi. » Jam enim est in te qui credat, quia præsens est vir tuus. Cœpisti adesse intellectu, quando me prophetam appellasti. Mulier, crede mihi, quia, nisi credideris, non intelliges. Ergo crede mihi. « Quia « venit hora, quando neque in monte hoc, neque in « Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod « nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex « Judæis est. Sed venit hora et nunc est. » Quæ ergo hora? « Quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. » Non in monte isto, non in templo, sed in spiritu et veritate. Spiritus est Deus. Si corpus esset Deus, oportebat eum adorari in monte, quia corporeus est mons; oportebat eum adorari in templo, quia corporeum est templum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. « Nos adoramus quod scimus, vos adoratis quod nescitis, quia salus ex Judæis est. » Multum dedit Judæis, sed noli istos reprobos accipere, parietem illum scilicet Israel adjunctus est, ut placati in lapide angulari, qui est Christus, copularentur. Unus enim paries a Judæis, unus a gentibus, longe dissiti parietes, sed donec in angulo conjungantur. Alienigenæ autem et hospites erant, et peregrini a testamentis Dei, secundum hoc ergo dictum est, « nos adoramus quod scimus. » Ex persona quidem Judæorum dictum est, sed non omnium Judæorum, non reproborum Judæorum, sed de talibus quales fuerunt apostoli, quales fuerunt prophetæ, quales fuerunt omnes illi sancti, qui omnia sua vendiderunt, et pretia rerum suarum ad pedes apostolorum posuerunt (*Act.* II). Non enim repulit Deus plebem suam, quam præscivit (*Psal.* XCIII). « Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit, ille nobis omnia demonstrabit. » Cum ille venerit, montem spernet, et templum evertet. Docebit nos ille omnia, ut in spiritu et veritate noverimus adorare. Sciebat quis eam posset docere, sed jam docente nondum agnoscebat; jam ergo digna erat cui manifestaretur. Messias autem unctus est. Unctus Latine, Græce χριστός est, Hebraice Messias est. « Ego dicit ei mulier, Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit, iste nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jesus: Ego sum qui loquor tecum. » Jam mulier ordinatur in fide et regitur bene victura. Posteaquam audivit hoc: « Ego sum qui loquor tecum, « jam ultra quid diceret? quando Christus Dominus manifestare se voluit mulieri, cui dixerat: « Crede mihi. »

« Et continuo venerunt discipuli, et mirabantur « quia cum muliere loquebatur. » Quia quærebat perditam, qui venerat quærere quod perierat, hoc illi mirabantur. Bonum enim mirabantur, non malum suspicabantur. Nemo tamen dixit, Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

« Reliquit ergo hydriam suam mulier. » Audito, « Ego sum qui loquor tecum, » et recepto in corde Christo Domino, quid faceret, nisi jam hydriam dimitteret et evangelizare curreret! Projecit cupiditatem, et properavit annuntiare veritatem, Hydria vas erat unde aqua hauriebatur, Græco nomine appellatur ὑδρία, quoniam Græce aqua ὕδωρ dicitur, tanquam vas aquarum diceretur. Projecit hydriam, quæ non jam usui, sed oneri fuit. Avida quippe desiderabat aqua illa satiari, ut annuntiaret Christum, onere abjecto. Cucurrit ad civitatem, et dicit illis hominibus:

« Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia « quæcunque feci. » Pedetentim, ne illi quasi irascerentur et indignarentur, et perquirerent, addidit:

« Nunquid ipse est Christus? Exierunt ergo de « civitate, et veniebant ad eum. Et rogabant eum « discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. » Ierant emere cibos, et venerunt.

« Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli « ad invicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare.» Quid mirum si mulier illa non intelligebat aquam, ecce discipuli nondum intelligebant escam. Audivit autem cogitationes illorum, etiam instruit ut magister, non per circuitum, sicut illam, cujus adhuc virum requirebat, sed etiam aperte.

« Meus (inquit) cibus est: ut faciam voluntatem « ejus qui me misit. » Ergo et potus ipse erat in illa muliere, ut faceret voluntatem ejus qui eum misit. Ideo dicebat: « Sitio, da mihi bibere. » Scilicet, ut fidem in ea operaretur, et fidem ejus biberet, et eam in corpus suum trajiceret. Corpus enim ejus est Ecclesia. « Ergo (inquit) ipse cibus meus est ut faciam voluntatem ejus qui me misit, » ut perficiam opus ejus.

« Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses « sunt et messis venit? » In opus fervebat, et operarios mittere disponebat. Vos quatuor menses computatis ad messem: ego vobis aliam messem albam

et paratam ostendo. « Ecce dico vobis: Levate oculos vestros et videte regiones, quia jam albæ sunt « ad messem. » Ergo messores missurus est.

« In hoc enim est verbum verum, quia alius est « qui seminat, et alius qui metit. » Ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit.

« Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. « Alii laboraverunt, et vos in labores eorum intro- « istis. » Nam ubi jam laboratum erat, utique seminatum erat; et quod seminatum erat, jam maturum factum falcem et trituram desiderabat. Quo ergo erant messores mittendi? Ubi jam prophetæ prædicaverunt. Ipsi enim seminatores fuerunt. Nam si ipsi non seminatores, unde ad illam mulierem pervenerat, « Scio quia Messias venit? » Jam ista mulier fructus maturus erat, et erant albæ messes, et falcem quærebant. « Misi vos metere quod non seminastis. Alii seminaverunt, et vos in eorum labores introistis. » Quid laboraverunt ipse Abraham, Isaac et Jacob? Legite labores eorum. In omnibus enim laboribus prophetia est Christi, et ideo seminatores Moyses et cæteri patriarchæ, et omnes prophetæ multa pertulerunt in illo frigore, quando seminabant. Ergo jam in Judæa messis parata erat. Merito ibi tanquam matura seges fuit, quando tot millia hominum pretia rerum suarum afferebant, et ad pedes apostolorum ponentes (*Act.* II), expeditis humeris a sarcinis sæcularibus, Christum Dominum sequebantur. Vere matura messis. Quid inde factum est? De ipsa messe ejecta sunt pauca grana, et seminaverunt orbem terrarum; et surgit alia messis, quæ in finem sæculi metenda est. Ad istam ergo messem non apostoli, sed angeli mittuntur. Messores (inquit) angeli sunt. Ista ergo messis crescit inter zizania, et exspectat purgari in fine. Illa vero messis jam matura erat, quo prius missi sunt discipuli, ubi prophetæ laboraverunt. Sed tamen videte quid dictum sit, « At simul gaudeat, et qui seminat, et qui metit. » Disparis temporis labores habuerunt, sed gaudio pariter perfruentur, mercedem simul accepturi sunt vitam æternam.

« Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum « Samaritanorum, propter verbum mulieris testi- « monium perhibentis, Quia dixit mihi omnia quæ- « cunque feci. Cum venissent autem ad illum Sama- « ritani, rogaverunt eum ut apud eos maneret. Et « mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt « propter sermonem ejus. Et mulieri dicebant: Quia « jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim « audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator « mundi. » Et hoc paulatim animadvertendum est, quia lectio terminata est. Mulier prima nuntiavit, et ad mulieris testimonium crediderunt Samaritani, et rogaverunt eum ut apud eos maneret. Et mansit ibi biduo, et plures crediderunt. Et cum credidissent, dicebant mulieri: « Non jam propter verbum tuum credimus, sed ipsi cognovimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi. » Primo per famam, postea per præsentiam, sic agitur hodie cum eis qui

A foris sunt, et nondum sunt Christiani. Christus nuntiatur per Christianos amicos, tanquam ab illa muliere, hoc est, Ecclesia annuntiante, ad Christum veniunt, et credunt per istam famam. Manet apud eos biduo, hoc est dat illis duo præcepta charitatis. Et multo plures credunt in eum firmius, quoniam ipse vere est Salvator mundi.

HOMILIA LXVIII.

SABBATO POST *Oculi.*

(JOAN. VIII). « In illo tempore, perrexit Jesus in « montem Oliveti, et diluculo iterum venit in tem- « plum, » et reliqua. Mons quippe Oliveti sublimitatem Dominicæ passionis, et misericordiam designat. Quia et Græce ἔλεος misericordiam, olivetum vocatur B ἐλαιών, et ipsa unctio ἄλειμμα fessis ac dolentibus membris solet afferre levamen. Sed et hoc, quod oleum et virtute ac puritate præeminet, et quemcunque ei liquorem superfundere volueris, confestim hunc transcendere, eique superferri consuevit, gratiam misericordiæ cœlestis non inconvenienter insinuat, de qua scriptum est: « Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus (*Psal.* CXLIV). » Tempus quoque diluculi, exortum ejusdem gratiæ (quia, remota legis umbra, lux Evangelicæ veritatis erat revelanda demonstrat. Pergit ergo Dominus in montem Oliveti, ut arcem misericordiæ in se constare denuntiet. Venit iterum diluculo in templum, ut eamdem misericordiam, cum incipiente Novi testamenti lumine, templo (fidelibus videlicet) suo pandendam præbendamque significet. C « Et omnis (inquit) populus venit ad eum. Et se- « dens, docebat eos. » Sessio Domini, humilitatem incarnationis ejus, per quam nobis misereri dignatus est, insinuat. Bene autem dicitur quia, cum sedens doceret Jesus, omnis populus venit ad eum: quia, postquam humilitate suæ incarnationis proximus hominum factus est, libentius est a multis ejus sermo receptus: a multis, inquam, est ejus sermo receptus, namque a pluribus est superba impietate contemptus. Audierunt enim mansueti, et lætati sunt. Denique Judæi, tentantes, adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam, interrogantes quid de ea fieri juberet, quoniam Moyses talem lapidare mandaverat. Ut si et ipse hanc lapidandam decerneret, deriderent eum, quasi misericordiæ, quam D semper docebat, oblitum: si lapidare vetaret, striderent in eum dentibus suis, et quasi fautorem scelerum, legique contrarium velut merito damnarent.

« Jesus autem, inclinans se deorsum, digito scri- « bebat in terra. » Per inclinationem Jesu, humilitas: per digitum, qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur; porro per terram, cor humanum, quod vel bonarum vel malarum actionum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus judicare de peccatrice, non statim dat judicium, sed prius se inclinans deorsum, digito scribit in terra, ac sic demum

quam obnixe rogatus judicat. Nos videlicet, nos typice instituens, ut cum quælibet proximorum errata conspicimus, non hæc ante reprehendendo judicemus, quam, ad conscientiam nostram humiliter reversi, digito eam discretionis solerter sculpamus, et quid in ea Conditori placeat, quidve displiceat, sedula examinatione dirimamus, juxta illud Apostoli; « Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris (*Gal.* VI). »

« Cum autem perseverarent interrogantes eum, « erexit se et dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, prius in illam lapidem mittat. » Quia hinc et inde Domino scribæ et Pharisæi tendebant laqueos insidiarum, putantes eum vel immisericordem futurum in judicando, vel injustum, prævidens ille dolos, quasi fila transit araneæ, et judicium justitiæ per omnia, et mansuetudinem pietatis ostendens. Ecce temperantia miserendi, « Qui sine peccato est vestrum ; » ecce iterum justitia judicandi, « Primus in illam lapidem mittat. » Ac si dixisset: Si Moyses mandavit vobis mulierem hujusmodi lapidare, videte quia non hoc peccatores, sed justos facere præcepit. Primo vos ipsi justitiam legis implete, et innocentes manibus et mundo corde ad lapidandam ream concurrite. Primo spiritualia legis edicta, fidem, misericordiam et charitatem perficite, et sic ad carnalia judicanda divertite. Dato autem judicio :

« Dominus iterum se inclinans, scribebat in « terra. » Et quidem, juxta morem consuetudinis humanæ, potest intelligi quod ideo coram tentatoribus improbis inclinare se et in terra scribere voluerit, ut, alio vultu intendens, liberam eis daret exeundi facultatem, quos, sua responsione perculsos, citius exituros quam plura interrogaturos esse præviderat.

« Denique audientes, unus post unum exibant, « incipientes a senioribus. » Sed figurate nos admonet in eo quod, et ante datam et post datam sententiam, inclinans scripsit in terra, ut priusquam peccantem proximum corripiamus, et postquam debitæ castigationis illi ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis investigatione perpendamus, ne forte aut eisdem quæ in ipsis reprehendimus, aut aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti, sicut forte fieri poterit ut ipse qui homicidam reum mortis esse judicaverit, ipse in seipso per odium fraternæ mortis reus esse ante oculum Conditoris inveniatur ; similiter, qui fornicationis crimen in fratre accusat, in seipso superbiæ facinus non videat. Ideo jubetur judex alieni criminis digito discretionis in corde suo describere, ne forte in seipso reus inveniatur. Quid igitur nobis in hujusmodi periculis remedii, quid restat salutis, nisi ut, cum peccantem conspicimus, ad illum mox inclinemur deorsum (id est, quam dejecti ex nostræ conditione fragilitatis simus, si nos divina pietas non sustentet, humiliter inspiciamus)? Digito scribamus in terra, id est discrimine solerti pensemus, neque enim reprehendit nos cor nostrum in omni via nostra. Bene, qui inclinatus scripsit in terra, erectus misericordiæ verba depromit : quia quod per humanæ infirmitatis societatem promisit, per divinæ virtutem potentiæ hominibus donum pietatis impendit.

« Erigens, inquit, se Jesus, dixit ei : Mulier, ubi « sunt qui te accusabant ? Nemo te condemnavit ? « Quæ dixit: Nemo, Domine. » Nemo te condemnare ausus est peccatricem, quia in se singuli cernere cœperant quod magis damnandum cognoscerent. Sed qui accusantium turbas prolato justitiæ pondere fugavit, videamus accusatam quanto misericordiæ munere sublevet. Sequitur : « Dixit autem Jesus: « Nec ego te condemnabo. Vade, et jam amplius « noli peccare. » Quoniam misericors et pius est, peccata præterita relaxat. Quoniam justus est et justitiam dilexit, ne amplius jam peccet interdicit.

HOMILIA XLIX.

DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA SIVE *Lætare*.

(JOAN. VI.) « In illo tempore : Abiit Jesus trans « mare Galilææ, quod est Tiberiadis, » et reliqua. Mare Galilææ, quod et Tiberiadis dicitur, pro qualitate circumjacentium regionum variis censetur nominibus. Dicitur autem mare Galilææ, propter adjacentem patriam, vel provinciam Galilæam. Dicitur autem mare Tiberiadis, propter Tiberiadem civitatem, quæ prius Pancas vocata fuit, sed postquam ab Herode reædificata est in honore Tiberii Cæsaris, Tiberias est appellata: dicitur etiam et stagnum Genesareth, eo quod ex se crispantibus undis auram generare videatur. Dicitur et lacus Cennereth, propter civitatem Cennereth adjacentem, et propter opportunitatem portus. Mare quoque Asphaltum a quibusdam nominatur. Extenditur enim in longitudine centum quadraginta stadia, in latitudine quadraginta Nec propterea mare vocatum est, eo quod aquæ ejus amaræ sint; sunt enim dulces ad potandum, habilesque ad piscandum : sed idioma Hebrææ linguæ est, congregationes aquarum appellare maria, sicut scriptum est in Genesi. « Congregationes aquarum appellavit maria (*Gen.* I). » Spiritualiter, hoc mare navigerum præsens significat seculum, quod, concussum, quietum permanere non potest. Unde bene mare dicitur a meando, eo quod semper accedat et recedat. Sicut enim mare quietum et tranquillum stare non valet, sic mundus conturbationibus et tumultuationibus commovetur; nunc prosperitatibus elevatur, nunc adversitatibus dejicitur, crescit nascendo, decrescit moriendo. Hoc ergo mare Dominus pertransiit, quando, calcatis mundi fluctibus, iter vitæ cælestis nobis ostendit. De cujus transitu Petrus apostolus ait : « Qui pertransivit bene faciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo (*Act.* X). »

« Et sequebatur eum multitudo magna, quia vide-

« bant signa quæ faciebat super his qui infirma- « bantur. » Turbæ quæ eum secutæ sunt, electorum Ecclesia intelligitur, ex omnibus gentibus collecta. Hæc enim Dominum quotidie sequitur, non gressu pedis, sed imitatione operis. Sequi enim Dominum, imitari est, sicut ipse dicit : « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). » Unde et in lege præcipitur : « Post Dominum Deum tuum ambulabis (*Lev.* XVIII). Hinc nos Joannes admonet, dicens : « Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare (*I Joan.* II). » Reprobi autem in hoc mari quasi pisces volvuntur, qui, a carnalibus desideriis implicati, littus æternæ vitæ tangere nequaquam valent. Unde bene mare Galilææ dictum est, quæ *rota* sive *volubilitas* interpretatur. Sicut enim rota mobilis in circulo volvitur, sed nullum iter perficit, sic illi qui in mundi amores radices cordis plantaverunt, cum sint mobiles et inquieti, tamen iter cœlestis vitæ nullo modo arripiunt. De quibus per Prophetam dicitur : « In circuitu impii ambulant (*Psal.* XI). » Nos autem, qui hic manentem civitatem non habemus, sed futuram toto desiderio inquirimus, talium exempla despicientes, cum Domino mare transnavigemus, et ea quæ retro sunt obliviscentes, ad ea quæ ante sunt extenti, secundum vocationem sequamur eum ad bravium æternæ remunerationis, quatenus cum hac turba specialiter ab illo instrui, curari et refici valeamus.

« Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat « cum discipulis suis. « Mons in quem Dominus, transnavigato mari, subiit, cœlum significat, in quod postquam per triumphum sanctæ crucis, frementis mundi fluctibus calcatis, victor ascendit. Quod autem ibi eum discipulis sedebat, ostendit quia, ubi præcessit caput, secutura erant et membra, sicut ipse ait in Evangelio : « Volo, Pater, ut, ubi ego sum, ibi sit et minister meus (*Joan.* XII). » Et iterum : « Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ (*Luc.* XVII). » Aliter, per hunc montem sublimior doctrina intelligitur. Dominus in monte, verbum est in alto; qui ergo sublimiorem doctrinam vult accipere, cor de terra ad cœlum elevet, id est de amore mundi transeat ad amorem Dei. Turbas ergo Dominus in convallibus docet, curat et reficit, et cum discipulis in montem ascendit, ut ostendat quia juxta capacitatem auditorum formandus est sermo in prædicatione doctorum Non enim propter perfectos deserendi sunt infirmi, sed potius cum illis tolerandi et corrigendi. Quasi cum quodam Dominus in convallibus morabatur, quando illi quærenti, Quid faciendo vitam æternam possidebo ? respondit (*Luc.* XIX) : « Si vis invenire vitam, serva mandata : Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non adulterabis, non concupisces rem proximi tui, honora patrem et matrem. » Et illi sublimiora quærenti, et dicenti : « Hæc omnia custodivi a juventute mea, » protinus montem perfectionis illi ostendit, dicens : « Adhuc tibi unum deest. Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me. » Sed quia difficile qui divitias habent, vel amant, hunc montem ascendunt, « abiit tristis, eo quod dives esset valde. » Quasi Paulus cum discipulis in convallibus morabatur, quando dicebat : « Ergo, fratres, non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus, Quasi parvulis lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III). « Quasi montem ascenderat, quando illis dicebat : « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* II). » Quasi in convallibus morabatur, quando aiebat : « Propter fornicationem unusquisque propriam accipiat uxorem, et unaquæque uxor suum virum habeat (*I Cor.* VII). » Quasi montem ascenderat, dum dicebat : « De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Bonum est illis si sic permaneant secundum meum consilium. Volo autem omnes homines esse sicut et me (*Ibid.*). » Non enim una eademque doctrina æqualiter omnibus congruit, quia aliter admonendi sunt nuper conversi, et aliter perfecti ; aliter conjugati, et aliter virgines ; aliter casti, et aliter luxuriosi ; aliter ebriosi, et aliter sobrii ; aliter superbi, et aliter humiles ; aliter aliena rapientes, et aliter sua distribuentes. Plerumque vero medicinæ antidotum unum morbum curat, alterum accumulat. Et panis, cum fortium vitam roboret, parvulorum necat. Et venenum, cum vita sit serpentis, mors est hominis. Hæc ergo est discretio in prædicatione observanda, ut quos viderit doctor spiritualem intelligentiam capere non posse, juxta litteram doceat, nec propter eos tamen perfectiores relinquat. Quod exemplo suo nobis Jacob patriarcha ostendit, qui, cum oves Laban avunculi sui pasceret, et varia quæque pro mercede acciperet, tulit virgas populeas, et amygdalinas, quas ex parte decorticavit, et ex parte cum corticibus reliquit, et posuit eas in canalibus, ut in aspectu illarum oves varios fœtus conciperent (*Gen.* XXX). Quid Jacob pastor ovium, nisi pastorem Ecclesiæ significat? Quid oves, nisi fideles auditores ? Unde primo pastori dictum est : « Si diligis me, pasce oves meas (*Joan.* XXI). » Aqua vero Scripturam sacram designat, de qua per Salomonem dicitur : « Aqua profunda sermo ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ (*Prov.* XVIII). » Virgæ autem, ejusdem Scripturæ sententiæ sunt, quæ ex parte sunt decorticandæ, et ex parte cum corticibus relinquendæ, ut perfectiores allegorice instruantur, minus capaces juxta litteram erudiantur.

« Erat autem proximum Pascha, dies festus Ju- « dæorum. » Non, ut quidam putant, Pascha a passione, sed a transitu, est dictum. Ex eo vero tempore quo Dominus, per Ægyptum transiens, primogenita Ægyptiorum percussit, et filios Israel liberavit, Pascha jussum est celebrari, quod Hebraice *phase*, Latine *transitus* dicitur. Dicturus evangelista Dominum ex quinque panibus quinque millia hominum satiasse, præmisit : « Erat proximum Pascha, dies festus Judæorum, » ut intelligamus quia tunc ab eo

spiritualiter pascimur, quando transitum celebramus,id est quando de vitiis ad virtutes et de amore mundi ad amorem transimus Dei.

« Cum sublevasset ergo Jesus oculos, et vidisset « quia multitudo maxima venit ad eum. »Oculi Domini in Scripturis duplicem habent significationem, Aliquando enim dona Spiritus sancti significant,aliquando respectum miserationis.Dona Spiritus sancti, sicut in Zacharia legitur :« In lapide uno septem oculi sunt(*Zach.* III). » Et Joannes in Apocalysi : « Et vidi,et ecce in medio throni et quatuor animalium,et in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei,missi in omnem terram (*Apoc.* V). »Respectum miserationis,sicut in Psalmo legitur: « Oculi Domini super justos (*Psal.* XXXV). » Et iterum, » De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum (*Psal.* XXXII). » Cujus enim oculis nuda et aperta sunt omnia,tunc nos videre dicitur, quando nobis dona suæ miserationis tribuit, vel a pressura tribulationis liberat, sicut Moysi dicit : « Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto,et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eum (*Exod.* III). » In hoc ergo loco sublevatio oculorum Domini respectum miserationis significat,quia turbas, quas postea pavit, prius misericorditer inspexit. His enim oculis Dominus Petrum respexit, quando egressus foras amare flevit (*Matth.* XXVI). « Dicit ad Philippum : Unde ememus « panes, ut manducent hi ? » Interrogavit Dominus Philippum,non ut ab eo aliquid disceret, sed ut eum doceret. Quod facilius intelligimus,si quibus modis interrogatio fiat perpendamus.Fit enim tribus: aut studio reprehendentis,aut voto discentis,aut affectu docentis Studio reprehendentis, sicut scribæ et Pharisæi Dominum interrogaverunt,ut eum reprehenderent,veluti de quadam muliere in adulterio deprehensa (*Joan.*VIII),et de denario(*Matth.*XXII), et cætera similia.Voto discentis,sicut apostoli Dominum interrogaverunt, dicentes :«Domine,quando hæc erunt?Vel quod signum adventus tui ?(*Marc.* XIII), » et cætera talia. Affectu docentis, sicut angelus Joannem in Apocalypsi interrogavit, dicens (*Apoc.* VII) : « Hi amicti stolis albis qui sunt, et unde venerunt ? » Quo respondente, Domine mi, tu nosti, continuo docuit eum, dicens : « Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni.» Interrogavit Dominus discipulum, non ut, cum reprehenderet,neque ut ab eo aliquid disceret, sed ut eum doceret. Quod sollicite evangelista manifestare curavit, cum protinus subjunxit :

« Hoc autem dicebat tentans eum.»Quid est quod Dominus discipulum tentasse dicitur,cum Jacobus apostolus dicat :«Nemo,cum tentatur,dicat quoniam a Deo tentatur, quia Deus intentator malorum est. Deus enim neminem tentat(*Jac.* I). » Si igitur Deus neminem tentat,quare evangelista dicit,« hoc autem dicebat tentans eum?»Ad quod breviter responden-

A dum, quia alia est tentatio diaboli, qua hominem tentat ut perdat, et alia Dei, qua hominem tentat ut probet. Quod melius cognoscimus, si earumdem tentationum modos subtilius discutiamus.Est enim tentatio diaboli, qua hominem tentat ut perdat ;de qua liberari cupientes,in oratione quotidie dicimus: « Et ne nos inducas in tentationem (*Matth.* VI).»Est autem et alia, quæ ex fragilitate vel delectatione carnis oritur, de qua Jacobus dicit : «Tentatur aliquis, a concupiscentia sua abstractus, solutus et illectus (*Jac.*I). » Et Apostolus : « Tentatio vos non apprehendat,nisi humana (*I Cor.* X). » Est etiam et alia, qua Deus hominem tentat ut probet ; de qua per Moysen Israelitis dicitur :« Tentat vos Dominus Deus vester,ut sciat si diligatis eum, an non(*Deut.* B XIII). » Et per quemdam sapientem : « Vasa figuli probat fornax,et homines justos tentatio tribulationis (*Eccli.* XXVII). » Quo genere tentationis tentavit Deus Abraham, ut, qui notus erat Deo, hominibus appareret probatus.Taliter enim se optabat tentari Propheta, cum dicebat : « Proba me, Domine, et tenta me (*Psal.* XXV).» Hoc igitur modo Dominus tentavit Philippum, ut qui ignarus erat tanti ministerii, sciolus et doctus redderetur,et disceret,eo præsente qui educit panem de terra, et vino lætificat cor hominis,non dubitare de paucis panibus multas turbas hominum satiare posse. Hæc igitur tentatio non est timenda,sed potius propter probationem toleranda, atque optanda,Jacobo apostolo admonente,qui ait: « Omne gaudium existimate, fratres,cum in varias tentationes incideritis,scientes quod tentatio patien- C tiam operatur, patientia vero probationem,probatio autem spem. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se(*Jac.*I).»

« Respondit ei Philippus: Ducentorum denario- « rum panes non sufficiunt eis,ut unusquisque mo- « dicum quid accipiat.»Philippus *os lampadis* interpretatur : significat hoc in loco populum Judæorum, qui quondam os lampadis fuit, quanto aperto ore ad laudandum Deum prosilivit. In eo vero quod ait « ducentorum denariorum panes non»sufficere«eis, ut unusquisque modicum quid accipiat,»raram vel modicam ejusdem populi significat fidem, quæ per corporalem Domini præsentiam et parvum numerum apostolorum, ad utriusque Testamenti notitiam ac D cognitionem hominem venire posse non credidit. Ducenti enim denarii utrumque Testamentum significant.

« Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater « Simonis Petri :Est puer unus hic,qui habet quin- « que panes hordeaceos et duos pisces. Sed hæc « quid sunt inter tantos ? » Si littera inspiciatur, Andreas,hoc in loco majorem fidem quantulamcunque videtur habere Philippo, cum dicit: «Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces.» Sed in fide dubitavit,cum subjunxit: « Sed hæc quid sunt inter tantos ?» Significat enim propheticum sermonem,qui cum Deo in carne ven-

turum prædixit, fidem habuit. Sed cum eum venientem idem populus magna ex parte credere renuit, in fide dubitavit. Quos præfiguravit Isaac, qui, cum caligantibus oculis filium benediceret, multa ei futura prædixit, sed tamen quis præsens esset non agnovit (*Gen.* xxv). Puer in Scripturis aliquando pro puritate, aliquando pro levitate mentis accipitur. Pro puritate sicut de Domino dicitur : « Ecce puer meus electus, quem elegi (*Isa.* xlii). » Et sicut ipse discipulis suis: « Pueri, nunquid pulmentarium habetis? (*Joan.* xxi.) » Pro levitate, vel instabilitate mentis, sicut Dominus de Judæis dicit « : Cui assimilabo hanc generationem pessimam, vel cui eam similem dixerimus? Similis est pueris sedentibus in foro, ludentibus atque dicentibus : Saltavimus vobis, et non cantastis : planximus, et non lamentastis (*Matth.* xi). » Est enim puerilis ætas garrula et levis, nisi disciplinæ verbere coerceatur. Puer namque iste populum significat Judaicum, qui, pro levitate vel instabilitate mentis, in fide et cognitione Dei firmus non permansit. Qui quinque panes habuit, quia Judaicus populus quinque libros Moysi accepit, videlicet, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, et Deuteronomium, qui Hebraica lingua *Beresith, Veellehsemoth, Vaicra, Vaidabber, Ellehaddebarim* nominantur. Et bene quidem illi panes hordeacei fuisse referuntur, propter duritiam legis. Hordeum namque spissum habet tegumen, et non facile ad ejus pervenitur medullam, obscuritatem legis significans, quia lex ante adventum Domini in tantum velata exstitit ut nullus homo eam spiritualiter intelligere posset, quoadusque, veniens, benedictionem daret qui legem dederat. Si enim per quinque panes quinque libri Moysi intelliguntur, possumus et per duos pisces alios duos intelligere libros, oracula scilicet prophetarum, et cantica Psalmorum, qui post auctoritatem legis sacratiores in eodem populo habebantur, quorum unum memoriter decantando, alterum vero in synagogis suis frequenter legendo, recitabant. Et recte per hos duos pisces hi duo libri intelliguntur, quia talem populum in Ecclesia futurum prædixerunt, qui hoc servare in moribus quod piscis habet in natura. Piscis namque quatuor habet naturas : unam, quia sine aqua vivere non prævalet ; secundam, quia super eam saltum dare consuevit ; tertiam, quia quo magis tunditur fluctibus, eo amplius convalescit ; quartam, quia pisces per coitum nec generant, nec generantur. Sicut igitur sine aqua vivere non potest, ita idem populus sine fonte baptismatis in vitam intrare perpetuam nequit, Domino dicente : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* iii). » Et, sicut piscis super aquas saltus emittit, sic ipse spiritus terrena despiciens, penna contemplationis sese ad cœlestia sublevat, dicens cum Apostolo : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* iii). » Et quemadmodum piscis quanto magis fluctibus tunditur, eo amplius convalescit, sic et perfectus Christianus tantum in Deo proficit, quantum in hoc sæculo invenit quod durius portet, dicens cum Propheta : « Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium (*Psal.* lxv). » Et sicut mundi pisces per coitum nec generant nec generantur, ita quoque et in Ecclesia tales habentur qui, conjugalem conjunctionem respuentes, integritatem virginalem sectantur, implentes illud quod Dominus dicit in Evangelio : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes (*Luc.* xii). » Aliter : per duos pisces, duos ordines qui in eodem populo celebriores habebantur intelligere possumus, regalem scilicet et sacerdotalem, a quibus regebantur et instruebantur ; quos Dominus Jesus in se suscipere dignatus, ut fieret nobis rex pariter et sacerdos : rex, nos bene regendo ; sacerdos, semetipsum Deo hostiam immaculatam pro nobis offerendo.

« Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere. » Discumbere homines, est spiritualiter in fide quiescere. Tunc enim discipulis ut homines discumbere facerent Dominus præcepit, quando eos in mundum ad prædicandum destinavit, dicens : « Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* xvi). » Tunc autem discumbere fecerunt, quando « profecti prædicaverunt ubique, Deo cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. » Sed illud prætermittendum non est quod, sicut alio evangelista narrante cognovimus : « Fecerunt eos discumbere pro convivio, quinquagenos et centenos. » Ordo enim iste discumbentium varietatem significat in Ecclesia conversantium. Quinquageni igitur discumbunt pœnitentes ; quinquagenarius numerus pœnitentibus congruit, quia quinquagesimus psalmus in pœnitentia est decantatus, et quinquagesimus annus in lege jubilæus est dictus, id est annus remissionis ; centeni qui, se Deo protegente nulla pœnitentia publica indigent. Aliter : Quinquageni discumbunt conjugati, centeni virgines. Vel certe quinquageni, qui terrenas res bene disponunt ; centeni, qui perfectionem amore omnia propter Deum derelinquunt. « Erat autem fenum multum in loco. » Fenum herba est pratorum, quæ, dum viridis est, et visu est delectabilis, et sessioni atque deambulationi suavis, sed, cum falce secata fuerit, subito pristinam viriditatem amittit. Per fenum ergo delectatio carnalis, sive ejusdem fragilitas carnis designatur, quæ cum amatoribus suis jucunda videatur et pulchra, falce mortis præcisa, in ariditatem pulveris redigitur, Isaia dicente : « Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. Exsiccatum est fenum, et decidit flos, quia spiritus Dei sufflavit in eo (*Isa.* xl). » Vere fenum est populus. Cujus feni ariditatem inspexerat Propheta, cum dicebat : « Homo sicut fenum dies ejus, tanquam flos agri, sic efflorebit (*Psal.* cii). » Et Job : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis (*Job.* xiv). » Qui

quasi flos egreditur et conteritur, et velut umbra fugit et nunquam in eodem statu permanet. Turba enim quam Dominus pavit, super fenum discubuit ut intelligamus quia, si spiritualiter ab eo refici cupimus, necesse est ut delectationes carnis sub mentis dominio comprimamus, juxta illud Apostoli : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, sed mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, id est fornicationem, immunditiam, avaritiam (*Rom.* VI; *Col.* III), » et cætera hujusmodi. » Discubuerunt ergo « viri, numero quasi quinque millia. » Non absque consideratione prætereundum est quod in hac refectione Domini nulla femina interfuisse memoratur, sed tantummodo viri. Vir quippe a viribus dicitur. Unde Dominus ad beatum Job dicit : « Accinge sicut vir lumbos tuos (*Job.* XXXVIII), « id est, Sicut fortis restringe luxuriam. Et in sapientia : « O viri, ad vos clamito (*Prov.* VIII). » Ac si diceret : Qui fluxa et feminea mente sunt, mea verba audire non possunt. Hinc et in laude Joseph tribulationes Ægyptias fortiter tolerantis dicitur : « Misit ante eos virum (*Gen.* XLV). » Cum ergo in hoc convivio Domini tantummodo viri fuisse dicuntur, mystice monemur ut, si quam suavis sit Dominns gustare desideramus, viri simus, id est fortes contra diaboli tentationes, Apostolo monente : « Viriliter agite, et confortamini, omnia vestra in charitate fiant (*I Cor.* XVI). » Et angelo in Apocalypsi : Estote fortes in bello, et pugnate contra antiquum serpentem. Nec ab hac refectione Dominica femina jejuna remanebit, si sexu femineo viriliter tentamenta diaboli compresserit : sicut e contra vir sexu femineæ mentis efficitur, si contra impetum tentationis mollis et dissolutus in opere suo invenitur. Ad quorum vituperationem dicitur : « Et effeminati dominabuntur eis (*Isa.* III). » Bene autem quinque millia hominum fuisse referuntur, propter quinarii numeri perfectionem. Quinarius enim numerus ad quinque sensus corporis pertinet, visum scilicet, auditum, gustum, odoratum et tactum. Hos igitur sensus sollicite custodire debemus, si convivio Domini interesse volumus. Custodiamus oculos ab illicito visu, ne videant quod concupiscant, propter illud quod Dominus ait : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V). » Et iterum : « Non concupisces rem proximi tui (*Exod.* XX). » Ut cum Job dicere valeamus : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine (*Job.* XXXI.) » Quod ut facere possimus, assidue cum Propheta oremus, dicentes : « Averte oculos meos, ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII). » Custodiamus aures, ne libenter audiant verba maledictionis, detractionis, falsitatis et scurrilitatis, sed semper apertæ sint ad divinum verbum audiendum, ut cum Job dicere possimus : « Auditu auris audivi te, Domine (*Job.* XLII). » Hinc nos propheta admonet, dicens : « Sepi aures tuas spinis, ne audiant verba detrahentium (*Eccli.* XXVIII). » Custodiamus nares

A ab illicitis odoribus, ne per illecebras odoris ad peccandum pertrahamur, sed, sicut ait Apostolus : « Simus Christi bonus odor Deo, in omni loco (*II Cor.* II). » Custodiamus linguam a maledictione, detractione, falsitate, murmuratione et otioso sermono : et, propter taciturnitatis custodiam, interdum a bonis cessemus eloquiis, juxta illud Prophetæ : « Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custediam, et obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis (*Psal.* XXXVIII). » Mors enim et vita, ut Salomon ait, » in manibus linguæ (*Prov.* XVIII). » Et : « Qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam (*Prov.* XXI). » Tota enim nostra religio quodammodo commaculatur, nisi linguæ moderationem posuerimus. Quia, sicut ait B Apostolus : « Corrumpunt bonos mores colloquia mala (*I Cor.* XV). » Et Jacobus : » Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio (*Jac.* I). » Custodiamus manus ab effusione sanguinis, a persecutione et læsione proximi, et eas semper paratas ad elemosynam habeamus, et ad id quod bonum est operandvm promptissimas, ut cum Propheta dicere possimus : « Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine (*Psal.* XXV). » Quod si fecerimus, ad millenarii numeri perfectionem pervenimus. Millenarius quippe numerus, ultra quem nulla computatio crescit, eorum perfectionem significat qui perfectæ consummatæque sunt virtutis. Quibus (ut ait Apostolus) nihil deest in ulla gratia, exspectantibus revelationem C Domini nostri Jesu Christi (*I Cor.* I).

« Accepit ergo Jesus panes, et, cum gratias egis« set, distribuit discumbentibus. Similiter et ex « piscibus quantum volebant. » Alius evangelista dicit quod accipiens Jesus panes, gratias agens benedixit, fregit, dedit discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbæ (*Matth.* XIV). Jam enim superius per panes legem Moysi significari diximus, et per pisces oracula prophetarum et cantica Psalmorum. Accepit ergo Jesus panes, fregit, et dedit discipulis, quando post resurrectionem suam sensum in lege ejus aperuit, scilicet quando, incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis Scripturas in omnibus quæ de illo erant. Accepit etiam pisces, fregit, et dedit discipulis, quando et in D Psalmis et Prophetis spiritualem intellectum ostendit illis, dicens (*Luc.* XXIV) : Quia sic scriptum est in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me. Et sic oportuit pati Christum, et resurgere a mortuis et intrare in gloriam suam, et prædicari in nomine ejus remissionem omnium peccatorum. Discipuli autem apposuerunt turbæ, quando eamdem intelligentiam universo orbi prædicaverunt. De quibus dicitur : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Refecturus autem Dominus turbam, gratias egit Patri, non ut aliquid indigeret ab eo postulare, qui cuncta postulata dat cum Patre : sed ut ostenderet omnia

sancta et justa ab eo esse quærenda, de quo Jacobus A apostolus ait : « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jac.* I). »

« Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : « Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. » Magna hic Domini potentia ostenditur, sed non minor ejus humilitas declaratur. Magna est enim potestas de quinque panibus quinque millia hominum satiare ; sed mira humilitas, fragmenta quæ remanserunt non velle perire. Si autem per panes Scriptura intelligitur, ut dictum est, possumus et per fragmenta quæ remanserunt, obscuriores quasque sententias ejusdem Scripturæ intelligere. Quod ergo plebeia multitudo non capit, Dominus apostolis ut colligerent præcepit : quia obscuriores B sententias, quas simplex multitudo capere non potest, magistri Ecclesiæ, episcopi scilicet et sacerdotes, in propriis pectoribus debent recondere, ut tempore necessitatis non solum ad eam docendam, sed ad defendendam idonei inveniantur. Unde apostolus Paulus, cum virtutes episcopi describeret, scientiam Scripturarum in eo eligendam esse ostendit, dicens : « Obtinentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes redarguere (*Tit.* I). » Quamvis enim melior sit sancta simplicitas quam docta malitia, tamen magistris Ecclesiæ utrumque convenit, ut et sancta sit vita propter exemplum, et docta lingua propter eruditionem aliorum. Unde Dominus ait : « Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patri- C familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII). » Et iterum : « Quis putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram ? Amen dico vobis, quia super omnia bona constituet eum (*Matth.* XXIV). »

« Collegerunt ergo et impleverunt duodecim co- « phinos fragmentorum, ex quinque panibus hor- « deaceis et duobus piscibus, quæ superfuerunt his « qui manducaverant. » Sed crevit signum, auxit admirationem, quia non solum de quinque panibus quinque millia hominum satiata sunt, sed etiam tot fragmenta remanserunt, ex quibus duodecim cophini replerentur. Per duodecim namque cophinos, duodecim apostoli congrua ratione figurantur. Cophinus D enim ex vilibus ac minutissimis contexitur virgis, sic nimirum et apostoli dum non ex regibus et principibus, non ex philosophis et sapientibus hujus mundi, sed ex simplicibus et piscatoribus sunt electi, quasi cophini ex vilibus et minutissimis virgis sunt contexti, de quibus ait Apostolus : « Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia (*I Cor.* II). » Est etiam et alia ratio per quam congrue apostoli cophinis comparantur. In cophinis igitur fimus ponitur, et in arentem terram, id est in gentilium corda detulerunt, ut fructus uberiores redderent, et impleretur prophetia : « Pinguescent speciosa deserti, et exsultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento (*Psal.* LXIV). »

« Illi ergo homines, cum vidissent quod Jesus fe- « cerat signum, dicebant : Quia hic est vere propheta, « qui venturus est in mundum. » Merito homines appellantur ab evangelista, quia humana tantum sapiebant. Videntes enim tale tantumque miraculum, debuerant dicere Quod hic est vere Filius Dei, qui venit in mundum. Sed, quia homines erant, et humana sapiebant, Filium Dei tacentes, prophetam confitentur. Sed nec in toto errant, cum Dominum prophetam confitentur, quia sicut ipse de seipso ait : « Non est propheta sine honore, nisi in domo et in patria sua (*Marc.* VI). » Et iterum : « Non oportet mori prophetam extra Jerusalem (*Luc.* XIII). » Sed nos ab eo docti, et Spiritu sancto instructi, horum exempla refugientes, confiteamur cum Petro quia hic est Filius Dei vivi, qui propter nos et propter nostram salutem venit in mundum, et iterum venturus est judicare vivos et mortuos.

HOMILIA L.

FERIA SECUNDA POST *Lætare.*

(JOAN. II.) « Descendit Jesus Capharnaum, ipse et « mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus, ibique « manserunt non multis diebus. Et prope erat Pascha « Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam, » et reliqua. Bene enim evangelista ait descendisse Jesum in Capharnaum. Capharnaum vero *villa pulcherrima* interpretatur, significans hunc mundum, ad quem Dominus noster Jesus Christus pro salute humani generis a paterna sede nunquam recedens, descendisse dicitur. Sed solet movere quosdam, quod in exordio lectionis hujus evangelicæ dictum est quia, descendente Capharnaum Domino, non solum mater et discipuli, sed et fratres ejus secuti sunt eum. Ne defuere hæretici qui Joseph virum Mariæ semper virginis putarent ex alia uxore genuisse eos quos fratres Domini Scriptura appellat ; alii, majori perfidia, hos eum ex ipsa Maria post natum Dominum generasse putarent. Sed nos, fratres charissimi, absque ullius scrupulo quæstionis scire et confiteri oportet, non tantum beatam Dei Genitricem, sed et beatissimum castitatis ejus testem atque custodem Joseph, ab omni prorsus actione conjugali mansisse semper immunem, nec natos, sed cognatos eorum, more Scripturæ usitato, fratres et sorores Salvatoris vocari. Denique Abraham hoc modo loquitur ad Lot : « Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et pastores meos et pastores tuos : fratres enim sumus (*Gen.* XIII). » Et Laban ad Jacob : « Num, quia frater meus es, gratis servies mihi ? (*Gen.* XXIX). » Et quidem constat, quia Lot filius Aran fratris Abraham, et Jacob filius Rebeccæ sororis Laban ; sed propter cognationem, sunt fratres nuncupati. Hac ergo regula in Scripturis sanctis (ut dixi) frequentissime etiam cognatos Mariæ vel Joseph Domini fratres appellatos oportet intelligi. Quod autem propinquante Pascha Jesus ascendit Hierosolymam, nobis profecto dat exemplum quanta

animi vigilantia Dominicis subjici debeamus imperiis, cum ipse, in hominis infirmitate apparens, eadem quæ ex divinitatis auctoritate statuit decreta custodiat. Ne enim putarent servi absque crebris orationum bonorumque actuum victimis, vel flagella evadere, vel præmia se posse percipere, etiam inter servos ipse ad orandum immolandumque Dei Filius ascendit. Qui veniens Hierosolymam quid ibi gerentes invenerit, quid ibidem gesserit videamus.

« Et invenit, inquit, in templo vendentes boves et « oves et columbas, et nummularios sedentes. Et cum « fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit « de templo, oves quoque et boves, et nummulario« rum effudit æs, et mensas subvertit. » Boves et oves et columbæ ad hoc emebantur ut offerrentur in templo. Nummularii ad hoc sedebant ad mensas ut inter emptores venditoresque hostiarum prompta esset pecuniæ taxatio. Videbantur ergo licite vendi in templo quæ ad hoc emebantur ut in eodem templo offerrentur Domino. Sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenæ negotiationis geri, nec ejus quidem quæ honesta putaretur, negotiatores injustos foras omnes simul cum his qui negotiabantur ejecit. Quid ergo, fratres mei? quid, putamus, faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere inveniret irretitos, qui hostias, quæ sibi immolarentur, ementes in templo vidit, et eliminare festinavit? Hæc propter illos diximus qui, ecclesiam ingressi, non solum intentionem orandi negligunt, verumetiam detractionibus insequuntur, addentes videlicet peccata peccatis, et quasi funem sibi longissimum in cauda eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo districti judicis examinatione damnari. Nam bis quidem in sancto Evangelio legimus quod veniens in templo Dominus, hujusmodi negotiatores ejecerit. Nunc videlicet (*Joan.* II), id est tertio ante passionem suam anno, sicut et hujus evangelistæ sequentibus scriptis agnoscimus, et ipso quo passus est anno, cum ante quinque dies Paschæ sedens in asino Hierosolymam venisset (*Matth.* XII). Sed hoc idem in templo sanctæ Ecclesiæ Domini examine ac quotidiana visitatione geri, omnis qui recte sapit, intelligit. Unde multum tremenda sunt hæc, dilectissimi, et digno expavescenda timore, sedulaque præcavendum industria ne veniens improvisus, perversum quid in bonis, unde merito flagellari, ac de Ecclesia ejici debeamus, inveniat. Et maxime in illa, quæ specialiter domus orationis vocabitur, observandum ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis audiamus ab Apostolo (*I Cor.* XI): Nunquid domus non habetis ad agenda vel loquenda temporalia, aut ecclesiam Dei contemnitis? et propheta, cum loqueretur, dicens Judæis: « Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa (*Jer.* XI). » Et quidem gaudendum est, quia ipsi sumus in baptismo templum Dei, teste Apostolo, qui ait: « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III), » ipsi civitas Regis magni, de qua canitur: « Fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal.* LXXXVI), » id est fundamenta Ecclesiæ in soliditate fidei apostolorum et prophetarum. Sed non minus tremendum quod præmisit Apostolus, dicens: « Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus (*I Cor.* III). » Et ipse judex justus: « Disperdam, inquit, de civitate Domini omnes qui operantur iniquitatem (*Psal.* C). » Gaudendum quia in nobis Paschæ solemnitas agitur, cum de vitiis ad virtutes transire satagimus: Pascha quippe transitus dicitur. Gaudendum, quia nostra pectora, civitatem videlicet suam, visitare; quia idem Pascha nostræ bonæ actionis præsentia suæ pietatis illustrare dignatur. Sed timendum satis ut ne nos in civitate sua aliud quam ipse diligit agentes inveniat, et ipse se nobis qualem non diligimus districtus creditor ostendat, id est, ne nos in templo nummularios, ne venditores ovium columbarumve reperiens, damnet. Boves quippe doctrinam vitæ cœlestis, oves opera munditiæ et pietatis, columbæ sancti Spiritus dona designant. Quia nimirum boum juvamine solet ager exerceri, ager est Domini cor cœlesti excultum doctrina, et suscipiendis verbum Dei præparatum rite seminibus. Oves innocenter sua vellera vestiendis hominibus præstant. Et Spiritus super Dominum in columbæ specie descendit. Vendunt autem boves, qui verbum Evangelii non divino amore, sed terreni quæstus intuitu audientibus impendunt. Quales reprehendit Apostolus, quia Christum nuntiarent non sincere. Vendunt oves, qui humanæ gratia laudis opera pietatis exercent. De quibus Dominus ait quia receperunt mercedem suam (*Matth.* VI). Vendunt columbas, qui acceptam Spiritus gratiam, non gratis, ut præceptum est, sed ad præmium dant: qui impositionem manus, qua spiritus accipitur, et si non ad quæstum pecuniæ, ad vulgi tamen favorem tribuunt, qui sacros ordines non ad vitæ meritum, sed ad gratiam largiuntur. Nummos mutuo dant, qui non simulate cœlestibus, sed aperte terrenis rebus in ecclesia deserviunt, sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Verum hujusmodi operarios fraudulentos quæ merces maneat ostendit Dominus, cum, facto de funiculis flagello, omnes ejecit de templo. Ejiciuntur enim de parte sortis sanctorum, qui, inter sanctos positi, vel ficte bona, vel aperte faciunt opera mala. Oves quoque et boves ejicit, quia talium vitam pariter et doctrinam ostendit esse reprobam. Funiculi quibus flagellando impios de templo expulit, crementa sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos districto judici datur. Hinc et enim dicit Isaias: « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis (*Isa.* V). » Et in Proverbiis Salomon: « Iniquitates, inquit, suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur (*Prov.* V). » Qui enim peccata peccatis, pro quibus acrius damnetur, accumulat, quasi funiculos quibus ligetur ac flagelletur, paulatim agendo prolongat. Nummulariorum quoque, quos expulerat, effudit æs, et mensas subvertit, quia, damnatis in fine reprobis, etiam ipsarum quas dilexere rerum tollet figuram, juxta hoc quod

scriptum est: « Et mundus transibit, et concupiscentia ejus (*I Joan.* II). »

« Et his qui columbas vendebant, dixit : Auferte « ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum « negotiationis. » Venditionem columbarum de templo auferri præcepit, quia gratia Spiritus gratis accipi, gratis debet dari. Unde Simon ille magus, qui hanc emere pecunia voluit, ut majori pretio venderet, audivit : « Pecunia tua tecum sit in perditionem. Non est tibi pars neque sors in sermone hoc (*Act.* VIII). » Notandum autem quia non solum venditores sunt columbarum, et domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines largiendo, pretium pecuniæ vel laudis vel etiam honoris inquirunt; verum hi quoque qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Deo largiente percepere, non simplici intentione, sed cujuslibet humanæ causa retributionis exercent, contra illud apostoli Petri: « Qui loquitur quasi sermones Dei, qui ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum (*I Petr.* IV). » Quicunque ergo tales sunt veniente Domino de Ecclesia auferri (*a*), auferant ista de suis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis. Nec prætereundum quia sollicite nobis Scriptura utramque Salvatoris nostri naturam, et humanam videlicet commendat et divinam. Ut enim vere Dei Filius intelligatur, audiamus quod ipse Dominus ait: « Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. » Aperte namque se Filium Dei Patris ostendit, qui templum Dei domum sui Patris cognominat. Ut rursum verus hominis Filius sentiatur, recolamus quod in hujus capite lectionis descendens in Capharnaum, matrem comitem habuisse perhibetur. Sequitur:

« Recordati vero sunt discipuli ejus quia scriptum « est: Zelus domus tuæ comedit me. » Zelo domus Patris Salvator ejecit impios de templo. Zelemus et nos, fratres charissimi, domum Dei et quantum possumus, ne quid in ea pravum geratur, insistamus, Si viderimus fratrem qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, si detractionibus assuetum, si ebrietati servientem, si luxuria enervatum, si iracundia turbidum, si alii cuiquam vitio substratum, studeamus inquantum facultas suppetit castigare, polluta ac perversa corrigere; et si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrima mente sustinere dolorem. Et maxime in ipsa domo orationis, ubi corpus Domini consecratur, ubi angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid quod nostrum fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus. Sequitur:

« Responderunt ergo Judæi : Quod signum ostendis « nobis, quia hæc facis? Respondit Jesus et dixit « eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus exci- « tabo illud. » De quo templo dicat evangelista post aperuit, videlicet de templo corporis sui, quod ab illis passione solutum, ipse post triduum excitavit de morte. Quia ergo signum quærebant a Domino,

A quare solita commercia projicere debuerit e templo, respondit rectissime impios exterminare de templo, quia ipsum templum significaverit templum corporis sui, in quo nulla prorsus esset alicujus peccati macula. Neque immerito typicum purgaverit a sceleribus templum, qui verbi Dei templum ab hominibus morte solutum divinæ potentia majestatis excitare posset a mortuis.

« Dixerunt ergo et Judæi: Quadraginta et sex « annis ædificatum est templum hoc, et tu tribus « diebus excitabis illud? « Quod intellexerunt, ita responderunt. Sed ne nos quoque spiritualem Domini sermonem carnaliter sentiremus, evangelista subsequenter de quo templo loqueretur, exposuit. Quod autem aiunt de templo, quadraginta et sex annis ædifica-
B tum est, non primam, sed secundam illius ædificationem significant. Primus enim Salomon in maxima regni sui pace de centesimo et septem annorum opere perfecit: quod destructum a Chaldæis, post septuaginta annos ad jussionem Cyri, Persæ laxata captivitate, reædificari cœptum est. Sed filii transmigrationis opus quod principibus Zorobabel et Jesu faciebant, propter impugnationem gentium vicinarum ante quadraginta et sex annos implere nequiverunt: qui etiam numerus annorum perfectionem Dominici corporis aptissime congruit. Tradunt etenim naturalium scriptores rerum formam corporis humani tot dierum spatio perfici: quia videlicet primis sex a conceptione diebus lactis habeat similitudinem, sequentibus novem vertatur in sanguinem : deinde duodecim solidetur, reliquis decem et octo firmetur, usque ad per-
C fecta lineamenta omnium membrorum, et hinc jam reliquo tempore uspue ad tempus partus magnitudine augeatur. Sex autem et novem et duodecim et decem et octo, quadraginta quinque faciunt, quibus si unum adjecerimus, id est ipsum diem quo discretum per membra corpus crementum sumere incipit, tot nimirum dies in ædificatione corporis Dominici, quot in fabrica templi annos invenimus. Et quia templum illud manufactum, socrosanctam Domini carnem quam ex Virgine sumpsit, ut ex hoc loco discimus, figurabat, quia æque corpus ejus, quod est Ecclesia, quia uniuscujusque fidelium corpus animamque designabat, ut in plerisque Scripturarum locis invenimus. Adam vero primus post peccatum audivit (*Gen.* III): « Terra es, et in terram ibis. » Secundus vero Adam
D de seipso ait: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (*Joan.* II). » Sparsus vero fuit primus per universum mundum, qui in secundo collectus est, quod significat nomen Adam, qui quatuor litteris scribitur, id est ἄλφα, δέλτα, iterum ἄλφα et μῦ; quæ quatuor litteræ quatuor partes orbis designant, in quibus sparsus est Adam in filiis suis. Ideo in principiis nominum partium mundi, hæ quatuor litteræ leguntur. Nam ἄρκτος, quod est septentrio, ab α incipit; δύσις, quod est occidens, a δ incipit; et ἀνατολή, quod est oriens, ab α etiam incipit: μεσημβρία, quod est meridies, a μ incipit: quæ sunt partes orbis, ab

(*a*) Deest hic aliquid.

his quatuor litteris incipientes. Quæ litteræ si in computo Græco considerentur, quadraginta sex faciunt: nam α unum, δ quatuor, et iterum α unum, μ quadraginta, qui simul ducti, sunt quadraginta sex; mystice designant annos quibus templum corporis Christi in utero virginali ædificatum est, sicut superius diximus. Caro autem Christi, quæ de Adam sumpta est, destructa est a Judæis, et a seipso iterum ædificata est, secundum Scripturas prophetarum. Et ideo dicit evangelista:

« Hoc enim dicebat de templo corporis sui. Cum « ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt disci« puli ejus, quia hoc dicebat de corpore suo, et cre« diderunt Scripturæ, » id est prophetarum dictis, qui prædixerunt Christum tertia die resurgere, « et « sermoni quem dixit Jesus, » id est quod ait: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Hoc est, tertia die resuscitabo, quod vos solvitis in cruce. Sequitur:

« Cum autem esset Jesus Hierosolymis in Pascha « in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, vi« dentes signa quæ faciebat. Ipse autem Jesus non « credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset om« nes. Et quia opus ei non erat ut quis testimonium « perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset « in homine. » Non enim sic credebant in eum, ut digni essent Christum habitare in eis, quorum fides catechumenis comparari potest, qui credunt in Christum, sed Christus non credit seipsum eis. Quia « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III). » Nemini vero se credit Christus, nisi qui dignus est introire in regnum Dei. Unde et ecclesiastica consuetudo catechumenis corporis et sanguinis Christi communionem non tradit, quia non sunt renati ex aqua et Spiritu, quibus tantum creditur participatio corporis et sanguinis Christi.

HOMILIA LI.

FERIA TERTIA POST *Lætare.*

(JOAN. VII.) « In illo tempore: Jam die festo me« diante, ascendit Jesus in templum, et docebat; et « mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras « scit, cum non didicerit? » Et reliqua. Ille qui latebat, docebat et palam loquebatur, et non timebat. Illud enim, ut lateret, erat exempli, hoc potestatis, sed cum doceret mirabantur Judæi. Omnes quidem (quantum arbitror) mirabantur, sed non omnes convertebantur. Unde admiratio? quia multi noverant ubi natus, quemadmodum fuerit educatus; nunquam eum viderant litteras discentem, audiebant tamen de lege disputantem, legis testimonia proferentem, quæ nemo potest proferre nisi legisset, nemo legerit nisi litteras didicisset, et ideo mirabantur. Eorum autem admiratione magistro facta est insinuandæ altius veritatis occasio. Ex eorum quippe admiratione et verbis dixit Dominus aliquid profundum, et diligentius inspiciendum. Quid ergo respondit Dominus eis admirantibus quomodo sciret litteras, quas non didicerat?

A « Mea, inquit, doctrina non est mea, sed ejus qui « misit me. » Hic est enim profunditas. Videtur enim paucis verbis contraria locutus: Non enim ait: Ista doctrina non est mea, sed « mea doctrina non est mea. » Quomodo mea, et non mea? Quæstio est quomodo fieri possit utrumque, et mea et non mea. Si enim diligenter intuemur quod ipse in eodem dicit sanctus evangelista: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I), » inde pendet hujus solutio quæstionis. Quæ est ergo doctrina Patris, nisi Verbum Patris? ipse ergo Christus Patris doctrina, sive Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus, et suam doctrinam dixit seipsum et non suam, quia Patris est Verbum. Hoc dixisse videtur Dominus Christus, « mea doctrina non est mea, » ac si B diceret: Ego non sum a meipso. Quamvis enim Filium Patri dicamus et credamus æqualem, nec ullam in eis esse naturæ vel substantiæ distantiam, nec inter generantem atque generatum aliquod interfuisse intervallum, tamen hoc servato et custodito, ista dicimus quod ille Pater est, ille Filius. Pater autem non est, si non habeat Filium: Filius non est, si non habeat Patrem. Sed tamen Filius Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de Filio Pater. Deus de Deo, lumen de lumine. Pater lumen, Filius lumen: non duo lumina, sed unum lumen. Pater Deus, Filius Deus; non duo dii, sed unus Deus Pater et Filius. Spiritus sanctus de Patre et Filio procedens, et ipse Deus; sicut Pater Deus, sicut Filius Deus, sic etiam Spiritus sanctus Deus: non tres dii, sed unus Deus, C unum lumen, una substantia, una natura, una majestas, una æternitas, una magnitudo, una potentia, una bonitas. Vidit itaque ipse Dominus Christus Dei sapientia, hoc tam profundum arcanum non omnes intellecturos, in consequentibus dedit consilium quod intelligere est credere. Deus enim per prophetam dixit: Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa.* VII, *juxta LXX*). » Ad hoc pertinet quod hic etiam Dominus secutus adjunxit:

« Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cogno« scet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso « loquor. » Quid est hoc « si quis voluntatem voluerit facere? » Sed ego dixeram: si quis crediderit, et hoc consilium dederam: si non intellexistis, inquam D credite; intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quærere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas, quoniam nisi credideritis, non intelligetis. Cum ergo ad possibilitatem intelligendi, consilium dederim obedientiam credendi, ut dixerim Dominum Jesum Christum hoc ipsum conjunxisse, in consequenti sententia invenimus eum dixisse: « Si quis voluerit voluntatem ejus facere, » hoc est credere: sed quia cognoscit, hoc est intelligit, omnes intelligunt. Quia vero quod ait: « Si quis voluerit voluntatem ejus facere, » hoc pertinet ad credere, ut diligentius intelligatur, opus est nobis ipso Domino nostro expositore, ut indicet nobis utrum vera credere perti-

neat ad facere voluntatem Patris ejus. Quis nesciat hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus ejus? id est quod illi placet. Ipse autem Dominus aperte alio loco dicit : « Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem ille misit (*Joan.* VI). » Ut credatis in eum, non ut credatis ei : non autem continuo qui credit ei credit in eum ; nam et dæmones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de apostolis ipsius possumus dicere : Credimus per Paulum, sed non credimus in Paulum ; credimus per Petrum, sed non credimus in Petrum. Credidit in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam. Quid ergo est credere in eum? credendo amare, credendo diligere, credendo ad eum scribi, et ejus membris incorporari. Ipsa ergo fides, quam de nobis exigit Deus, est quæ per dilectionem operatur. Si intelligis verba Dei, intellige quia Christus Filius Dei est, et doctrina Patris non est ex ipso : non ex nihilo, non ex aliis subsistentibus, sed ex Patre tantum, in Patre manens, æqualis Patri.

« Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam « quærit. » Hic erit qui vocatur Antichristus, extollens se, sicut Apostolus dixit, super omne quod dicitur Deus, et quod colitur. Ipsum quippe annuntians Dominus gloriam suam quæsiturum, non gloriam Patris, ait ad Judæos : « Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis (*Joan.* V). » Significavit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflatus, non solidus. Et ideo instabilis, sed utique ruinosus. Dominus autem noster Jesus Christus magnum exemplum nobis præbuit humilitatis. Nempe æqualis est Patri ; nempe « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I) ; » nempe ipse dixit, et verissime dixit : « Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui vidit me, videt et Patrem (*Joan.* XIV). » Nempe ipse dixit, et verissime dixit : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Si ergo cum Patre unum, æqualis Patri Deus de Deo, Deus apud Deum coæternus, immortalis, pariter incommutabilis, pariter sine tempore, pariter creator et dispensator temporum, tamen quia venit in tempore, et formam servi accepit, et habitu inventus est ut homo, quærit gloriam Patris, non suam. Quid tu, homo, facere debes, qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quæris : quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? Intende tibi, creatura es, agnosce Creatorem : servus es, ne contemnas Dominum : adoptatus es, sed non meritis tuis : quære gloriam ejus a quo habes hanc gratiam homo adoptatus : cujus gloriam quæsivit, qui est ab illo unicus natus « Qui autem quærit gloriam ejus « qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est. » In Antichristo autem injustitia est, et verax non est, non est a quo missus est. Non enim est missus, sed venire permissus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Christi, ne inducamur in laqueos Antichristi, non quæramus gloriam nostram. Sed si ille quæsivit gloriam ejus qui eum misit, quanto magis nos ejus qui nos fecit? Sequitur.

« Nonne Moyses, inquit, dedit vobis legem, et nemo » ex vobis facit legem ? » Nam si legem fecissetis, in ipsis litteris Christum agnosceretis, et præsentem non occideretis.

« Quid me quæritis interficere? » Ideo enim quæritis me interficere, quia nemo ex vobis facit legem ; « respondit ei turba : » Quid responderit videte : « Dæmonium habes ? Quis te quærit interficere ? » Quasi non fuit pejus dicere, Dæmonium habes quam eum occidere. Ei quippe dictum est : quod dæmonium habebat, qui dæmones expellebat : quid possit aliud dicere turba turbulenta, quid possit aliud olere cœnum commotum, nisi putridum? Turbatur turba ; unde ? a veritate. Turbam lippitudinis turbavit claritas lucis. Oculi autem non habentes sanitatem, non possunt ferre luminis claritatem, Dominus autem non plane turbatur, sed in sua veritate tranquillus, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Quibus si diceret : Dæmonium habetis potius vos, verum utique diceret. Unde enim hoc dicerent de veritate, « Dæmonium habes, » nisi eos diaboli falsitas irritaret ? Quid ergo respondeat, tranquillius audiamus, et tranquille vivamus.

« Unum opus feci, et omnes miramini. » Tantum est ac si diceret : Quid si omnia opera mea videritis? Ipsius enim opera erant quæ in mundo videbant. Fecit unam rem et turbati sunt, quia salvum fecit hominem in sabbato, non intelligentes Dominum esse sabbati filium hominis, qui sabbatum propter hominem constituit, non hominem propter sabbatum. Nec sabbatum destruxit, quia sanum fecit hominem in sabbato, quia ad salutem hominum, hominibus sabbati custodia data est.

« Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem ; » bene factum est ut acciperetis circumcisionem a Moyse, « non quia ex Moyse est, sed ex patribus. » Abraham quippe primus accepit circumcisionem a Domino. « Et in sabbato circumciditis hominem. » Convincit vos Moyses, in lege accepistis ut circumcidatis octavo die, accepistis in lege ut vacetis septimo die. Si octavus dies illius qui natus est occurrerit ad diem septimum sabbati, quid facitis ? Vacabitis, ut servetis sabbatum, an circumcidetis, ut impleatis sabbato sacramentum diei octavi ? Sed novi, inquit, quid facitis, « circumciditis hominem. » Quare? quia circumcisio pertinet ad aliquod signum salutis, et non debent homines sabbato vacare a salute. Ergo nec mihi irascimini, quia salvum feci totum hominem in sabbato.

« Si circumcisionem, inquit, accipit homo in sab- « bato, ut non solvatur lex Moysi. » Aliquid enim per Moysen in illa constitutione circumcisionis salubriter institutum est. « Mihi » operanti salutem « in « sabbato » quare « indignamini?» Forte enim illa circumcisio ipsum Dominum significabat, cui isti curanti, et sananti indignabantur. Jussa est enim adhiberi octava die. Et quid est circumcisio, nisi carnis

exspoliatio? Significat ergo ista circumcisio exspoliationem a corde cupiditatum carnalium. Non ergo sine causa data est, et in eo membro fieri jussa. Quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium, et per unum hominem resurrectio mortuorum. Et (*Rom.* v) « per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, » ideo quisque cum præputio nascitur, quia omnis homo cum vitio propaginis nascitur. Et non mundat Deus sive a vitio cum quo nascimur, sive a vitiis quæ male vivendo addimus, nisi per cultellum petrinum, id est Dominum nostrum Jesum Christum. « Petra enim Christus (*I Cor.* x). » Cultellis enim petrinis circumcidebant, et petræ nomine Christum figurabant, et præsentem non agnoscebant, sed insuper eum occidere cupiebant. Quod vero circumciditis hominem in sabbato, intelligite hoc significari opus bonum, quod ego feci totum hominem in sabbato salvum; quia et curatus est, ut sanus esset in corpore; et credidit, ut sanus esset in anima.

« Nolite judicare personaliter, sed recte judicium judicate. » Quid est hoc modo? Quasi per legem Moysi circumciditis sabbato, non irascimini mihi personaliter veritati. Veritatem attendite, et justum judicium judicate. Si secundum veritatem judicatis, neque Moysen, neque me condemnabitis, et veritate cognita me cognoscitis, quia « ego sum veritas (*Joan.* xiv). » Hoc vitium, fratres, quod Dominus notavit hoc loco, evadere in hoc sæculo magni laboris est, non personaliter judicare, sed rectum judicium retinere. Admonuit quidem Dominus Judæos, sed non minus admonuit et nos. Illos convicit, nos instruxit: illos redarguit, nos exacuit. Non putemus hoc nobis ideo non dictum, quia tunc ibi non fuimus: nos itaque sic audiamus Evangelium quasi præsentem Dominum. Ne dicamus: O illi felices qui eum videre potuerunt; multi in eis, qui viderunt eum carnaliter, occiderunt, multi autem in nobis; qui non viderunt, crediderunt. Quis est qui non judicat personaliter, nisi qui æqualiter diligit? Qui æqualiter omnes diligit, æqualiter de omnibus judicat. Ne hoc dictum putemus de illis quos pro honore graduum diverso modo honoramus, sed de illis quorum causas dijudicare jubemur. Dominus igitur Jesus non manifeste, sed occulte ascendit ad diem festum, non quia timebat ne teneretur, sed ut significaret etiam ipso die festo, qui celebratur a Judæis, occultatum et summum esse mysterium. Sed mox apparuit potestas, quæ putabatur timiditas. Loquebatur enim palam in die festo, ita ut mirarentur turbæ, et dicerent, quod audivimus cum lectio legeretur.

« Nonne hic est quem quærunt interficere? Ecce « palam loquitur, et nihil ei dicunt. Nunquid vere « cognoverunt principes quia hic est Christus? » Qui noverant qua sævitia quærebatur, mirabantur qua potentia non tenebatur. Inde non plene intelligentes illius potentiam, putaverunt esse principum scientiam quod ipsi cognoverant, eumdem esse

A Christum; ideo pepercerunt ei, quem tantopere occidendum quæsierunt. Deinde illi ipsi apud seipsos quid dixerunt? « Nunquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus? » Fecerunt sibi quæstionem qua eis videretur non esse Christus, adjungentes enim dixerunt:

« Sed istum novimus unde sit. Christus autem « cum venerit, nemo scit unde sit. » Quid est quod dixerunt Judæi: « Christus cum venerit, nemo scit unde sit, » cum Herode interrogante locum nativitatis ejus demonstraverunt, juxta prophetiam Michææ prophetæ? Et ex hoc certum locum nativitatis illius eos nosse, sed considerandum est quid se nosse putarent, et quid se nescire dixerunt. Locum vero nativitatis illius sciebant per prophetarum dicta, sed B divinam ejus nativitatem, qua ex Deo Patre æternaliter natus est, propter impietatem cordis sui nesciebant, Isaia dicente: « Generationem ejus quis enarrabit? » (*Isa.* LIII). Denique et ipse Dominus ad utrumque respondit, et de humanitatis fragilitate, et de Divinitate majestatis, dicens:

« Clamabat ergo docens in templo Jesus: Et me « scitis, et unde sim scitis. » Recte ergo dixit: « Et me scitis et unde sim scitis, » id est secundum carnem nativitatem meam nostis, et nobilitatem parentum meorum, et effigiem vultus mei nostis; secundum Divinitatem autem non nostis, quia « a « meipso non veni, sed est verus qui me misit, « quem vos non scitis. » Sed ut eum sciatis, credite in eum quem misit. Et sciatis quod « nemo Deum vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est C in sinu Patris, ipse enarravit (*Joan.* I). » Et nemo cognovit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Denique cum dixisset: « sed est verus qui misit me, quem vos nescitis, » ut ostenderet eis unde possent scire quod nesciebant, subjecit:

« Ego scio eum. » Ergo a me quærite ut sciatis eum. Quare autem scio eum? « Quia ab ipso sum, « et ipse me misit. » Magnifice utrumque monstravit: ab ipso, inquit, sum, » quia Filius de Patre; et quidquid est Filius, de illo est cujus est Filius. Ideo Dominum Jesum dicimus Deum de Deo, Patrem non dicimus Deum de Deo, sed tantum Deum. Et dicimus Dominum Jesum lumen de lumine, sed Patrem tantum lumen. Ad hoc ergo pertinet quod dixit « ab ipso sum. » Quod autem videtis me in D carne, « ipse me misit: » ubi audis « ipse me misit. » noli intelligere naturæ dissimilitudinem, sed generantis auctoritatem.

« Quærebant ergo eum apprehendere, et nemo « misit in illum manus, quia nondum venerat hora « ejus. » Hoc est quia nolebat; qui enim voluntate natus est, voluntate passus est. Sicut horam prævidebat sibi nativitatis suæ, ita horam prædestinavit passionis suæ. Si hora mortis nostræ illius est voluntas, quanto magis hora passionis suæ in arbitrio voluntatis suæ venit? Magna igitur misericordia Domini nostri Jesu Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora; fa-

ctum esse inter omnia, « per quem facta sunt omnia (*Joan.* I) : » factum esse quod fecit. Factus est quod fecerat ; factus est enim homo qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. Secundum hanc dispensationem, jam venerat hora nativitatis et natus erat, sed nondum venit hora passionis. Ideo nondum passus erat, quia nondum venerat hora in qua pati voluisset. Ideo in cruce legitur eum dixisse, dum omnia perfecta sunt secundum scripturas prophetarum : « Consummatum est : et inclinato capite tradidit spiritum (*Joan.* XIX). » Dum vero voluit, consummata fuerant quæ de eo scripta sunt, et consummatis omnibus, potestate propria emisit spiritum.

« De turba autem multi crediderunt in eum. » Humiles et pauperes salvos faciebat Dominus, principes insaniebant. Et ideo medicum non solum non agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant.

HOMILIA LII.

FERIA QUARTA POST *Lætare.*

(JOAN. IX.) « In illo tempore præteriens Jesus, vidit hominem cæcum a nativitate. » Et reliqua. Ea quippe quæ fecit Dominus noster Jesus Christus stupenda atque miranda, et opera et verba sunt. Opera, quia facta sunt ; verba, quia signa sunt. Si ergo quid significet hoc quod factum est cogitemus, genus humanum est iste cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non solum mortis, sed etiam iniquitatis. Si enim cæcitas est infidelitas, et illuminatio fides, quem fidelem, quando venit Christus, invenit? Ideo evangelista de Christo dicit : « Et præteriens Jesus. » Sic præteriit enim Christus, et non in via peccatorum nostrorum stetit, sicut in quadam parabola ipse Dominus ait (*Luc.* X) : « Venit enim Samaritanus secus viam, » qui venit sanare vulneratum semivivum. Præteriit cæcum illuminare, qui vulneratus in parabola dicitur, hic in re gesta cæcus illuminatur. Vidit ergo hominem cæcum, non utcunque cæcum, sed cæcum a nativitate. Omnes enim homines, præter illum solum qui ex Virgine natus est, originali peccato cæci, id est cum peccato nati sunt, quod ex radice peccati primi parentis traxerunt.

« Interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi. » Magistrum appellabant, qui discere desiderabant. Quæstionem quippe Domino proposuerunt, tanquam magistro. « Quis peccavit ? hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur ? Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus. » Quid est quod dixit ? Si nullus homo sine peccato, nunquid parentes hujus cæci sine peccato erant? Nunquid ipse sine peccato originali natus erat, vel vivendo nihil addiderat? Si ergo et parentes ejus habuerunt peccatum et iste habuit peccatum, quare Dominus dixit : « Neque hic peccavit, neque parentes ejus, » nisi ad rem respondit de qua interrogatus est, cur cæcus nasceretur? Habebant autem peccatum parentes ejus, sed non in ipso peccatum factum est ut cæcus nasceretur. Si ergo non peccato parentum factum est ut cæcus nasceretur, quare cæcus natus est ? Audi magistrum docentem, quærit credentem, ut faciat intelligentem : ipse causam dicit quare sit ille cæcus natus. « Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. » Non solum quid in hoc tantummodo cæco acturus sim, sed ut manifestetur quid in cæcitate totius humani generis per me agendum sit. Deinde secutus adjunxit :

« Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est. » Memento quomodo universam gloriam illi dat, de quo est, quia ille habet Filium qui de illo sit, ipse non habet de quo sit. Quæ sunt opera Domini propter quod venit Filius Dei in mundum, nisi cæcitatem humani generis illuminare, vulnerata quæque sanare, perdita requirere, deformia reformare? Sed quid est quod dixit. « Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est? Venit enim nox quando nemo potest operari. » Constat expressum ac definitum diem commemorasse Dominum hoc loco seipsum, id est lumen mundi. « Quandiu, inquit, sum in hoc mundo, lumen sum mundi. » Ergo ipse operatur, quandiu est in hoc mundo. Putamus, fratres, eum fuisse hic tunc, et modo non hic esse? Si hoc putamus, jam ergo post ascensum Domini facta est nox ista metuenda, ubi nemo possit operari. Sed post ascensionem facta est nox ista, quid est quod ait discipulis suis ascendens in cœlum : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII)? » qui tunc corporali præsentia fuit in mundo, nunc divina potentia præsens est ubique in mundo. Audivimus diem, audiamus quæ sit nox ista. Quid igitur? quid dicemus de nocte ista, quando erit, quando nemo poterit operari? Nox ista impiorum erit, nox ista eorum erit quibus in fine dicetur : « Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Sed et nox dicta est flamma ignis. Audi, quia et nox est quæ de quodam servo dicitur (*Matth.* XXII) : « Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores. » Operetur ergo homo, ne illa nocte præveniatur, ubi nemo possit operari. Modo est, ut operetur per dilectionem : et si modo operamur, hic est dies, hic est Christus. Audi promittentem, et ne arbitreris absentem. « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Ibi enim erit nox, ubi nemo possit operari, sed recipere quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis. Reddet enim unicuique secundum opera sua. Audiamus sollicita mente Apostolum nos exhortantem operari. Dicit enim : « Dum tempus habemus, operemur bonum (*Galat.* VI). » Quid enim Christus dixerit admonendo bonos, terrendo malos, audivimus ; sed videamus quid fecerit.

« Hæc cum dixisset, exspuit in terram, et fecit A « lutum ex sputo, et linivit super oculos ejus, et « dixit ei : Vade et lava in natatoria Siloe, quæ in« terpretatur *missus.* » Quid fecit Dominus perspicuum est. Illuminatio enim facta est in cæco, sed magnum mysterium commendatur in humano genere. Exspuit in terram, et ex saliva lutum fecit, quia « Verbum caro factum est (*Joan.* I), » et unxit oculos cæci. Inunctus erat, et nondum videbat, mittit illum ad piscinam quæ vocatur Siloe. Pertinuit autem ad evangelistam commendare nobis hujus piscinæ intelligentiam, et ait : » Quod interpretatur missus. » Jam quis est missus agnoscitis. Nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum fuisset ab iniquitate dimissus. Lavit ergo oculos in ea piscina, quæ interpretatur *missus.* Baptizatus est in Christo : si B ergo quando eum in seipso quodammodo baptizavit, tunc illuminavit : quando inunxit, fortasse catechumenum fecit. Potest quidem aliter atque aliter tanti sacramenti exponi et pertractari profunditas, sed hoc sufficiat charitati vestræ. Ungitur catechumenus, id est docetur ut credat in Christum ; mittitur ad piscinam baptismi, ut illuminetur, ut lumen verum agnoscat, ut remissionem peccatorum accipiat, ut ex filio iræ efficiatur filius Dei, illuminatusque veniat prædicare Christum.

« Itaque vicini, et qui videbant eum prius, quia « mendicus erat, dicebant : Nonne hic est qui se« debat et mendicabat ? Alii dicebant : quia hic est : « alii autem ; nequaquam, sed similis est ejus. » Aperti oculi vultum mutabant. « Ille vero dicebat : « quia ego sum. » Vox grata, ne damnaretur ingrata. C

« Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt oculi tui ? « Respondit : Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit, « et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad na« tatoriam Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et vidi. » Ecce annuntiator factus est gratiæ, evangelizat, confitetur. Videns cæcus ille confitebatur, et cor impiorum stringebatur, quia non habebant in corde quod jam habebat in facie.

« Dixerunt ei : Ubi est ille ? Ait : Nescio. » In his verbis animus ipsius adhuc inuncto similis erat, nondum videnti. Sed ponamus, fratres, tanquam illam inunctionem in animo habuerit, et prædicat, et nescit quem prædicat.

« Adducunt ergo eum ad Pharisæos, qui cæcus « fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit D « Jesus, et aperuit oculos ejus. Iterum ergo inter« rogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille « autem dixit : Lutum mihi posuit super oculos « meos, et lavi, et video. Dicebant ergo ex Pharisæis « quidam. » Non omnes, sed quidam : jam enim inungebantur quidam. Quid ergo dicebant, nec videntes, nec uncti ? « Non est iste homo a Deo, qui « sabbatum non custodit. » Ipse potius custodiebat, qui sine peccato erat, sabbatum spirituale, hoc est non habere peccatum. « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII). » Sed isti nec videntes, ut dixi, nec inuncti, sabbatum carnaliter observabant, spiritualiter violabant. « Alii dicebant : Quo« modo potest homo peccator hæc signa facere ? » Ecce sunt inuncti. « Et schisma erat in eis. » Dies ille divisus erat inter lucem et tenebras.

« Dicunt ergo cæco iterum : Tu quid dicis de eo, « qui aperuit oculos tuos ? quid de illo sentis ? quid « existimas ? quid indicas ? » Quærebant quemadmodum homini calumniarentur, ut de synagoga pelleretur, sed a Christo inveniretur. Sed ille constanter quod sentiebat expressi. Ait enim : « Quia propheta « est, » adhuc quidem inunctus in corde, nondum Dei Filium confitetur, nec mentitur. Tamen ipse Dominus de seipso ait : « Non est propheta sine honore, nisi in patria sua (*Matth.* XI). »

« Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus « fuisset, et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus « qui viderat, et interrogaverunt eos, dicentes : Hic « est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus na« tus est ? Quomodo ergo nunc videt ? Responderunt « eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic « est filius noster, et quia cæcus natus est. Quomodo « ergo nunc videat, nescimus : aut quis ejus aperuit « oculos, nos nescimus ; ipsum interrogate, ætatem « habet, ipse de se loquatur. » Quasi dicerent : Scimus quia hic filius noster est, et quia cæcus natus est : sed juste cogeremur loqui pro infante, si ipse pro se loqui non posset. Iste olim cæcus loquitur, modo videt. Cæcum a nativitate novimus, loquentem olim scimus, videntem modo videmus. Ipsum interrogate, ut instruamini.

« Hæc dixerunt parentes ejus, quia timebant Ju« dæos. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis « eum confiteretur esse Christum, extra synagogam « fieret. Propterea parentes ejus dixerunt : quia æta« tem habet, ipsum interrogate. Vocaverunt ergo « rursum hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : « Da gloriam Deo. » Quid est « da gloriam Deo ? » Nega quod accepisti. Hoc plane non est Deo gloriam dare, sed Deum potius blasphemare. « Da, inquiunt, gloriam Deo (*Joan.* V). »

« Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit « ergo eis ille : Si peccator est, nescio. Unum scio, « quia cæcus cum essem, modo video. Dixerunt « ergo ei : Quid fecit tibi ? quomodo aperuit tibi ocu« los ? » Et ille jam stomachans adversum duritiam Judæorum, et ex cæco videns, non ferens cæcos.

« Respondit eis : Dixi vobis jam, et audistis. Quid « iterum vultis audire ? Nunquid et vos vultis disci« puli ejus fieri ? » Quid est « nunquid, » nisi quia ego jam sum ? Nunquid et vos jam video ? sed non video vos videre.

« Maledixerunt ei, et dixerunt : Tu discipulus il« lius sis. » Tale maledictum super nos, et super filios nostros. Maledictum est enim si cor discutias, non si verba perpendas. « Nos autem discipuli Moysi « sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus. » Habetis enim Dominum dicentem : « Si crederetis Moysi, crederetis et mihi (*Ibid.*). » De me enim

scripsit ita : Me sequimini servum, et dorsum ponitis contra Dominum.

« Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim « mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit « meos oculos. Scimus autem quia peccatores Deus « non audit ; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem « tem ejus facit, hunc exaudit. » Adhuc inunctus loquitur, nam peccatores exaudivit Deus. Si enim peccatores Deus non audiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, et pectus suum percutiens, diceret : « Domine, propitius esto mihi peccatori (*Luc.* XVIII). » Et per istam confessionem meruit justificationem, quomodo iste cæcus illuminationem. Sed peccatoribus lavandum est cor pœnitentiæ lacrymis, ut exaudiantur : et fiat in corde illorum quod factum est in facie cæci hujus, et sentiant Deum illos exaudire, qui, ut peccatores salvaret, venit in mundum.

« A sæculo non est auditum, quia quis aperuit « ruit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non « poterat facere quidquam, » libere, constanter, et veraciter. Hæc enim quæ facta sunt a Domino, a quo fierent, nisi a Deo? Aut quando a discipulis talia fierent, nisi in eis Deus habitaret?

« Responderunt et dixerunt ei : In peccatis natus « es totus. » Quid est « totus ? » cum oculis clausis; sed qui aperuit oculos, salvat et totum. Ipse dabit in corde resurrectionem, qui in facie dedit illuminationem. « In peccatis natus es totus, et tu doces nos ? « Et ejecerunt eum foras, » Ipsi illum magistrum fecerant, ut discerent toties interrogaverunt : et interrogatum docentem projecerunt.

« Dum ergo audivit Jesus quia ejecerunt eum « foras, et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis « in Filium Dei ? » Modo lavat faciem cordis.

« Respondit, et dixit » quasi adhuc inunctus: « Quis « est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et « vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est. Tunc « prostratus adoravit eum. » Denique jam facie lota cordis, et mundata conscientia, agnoscens illum non filium Joseph quod ante crediderat, sed Filium Dei quem videbat, ait : « Credo, Domine. » Sed parum est dicere Credo. Vis videre qualem credat? « Procidens adoravit eum. » Si Deum Dei Filium non credidisset quem videbat, nullatenus adorasset eum. Incumbite ergo orationibus peccatores. Confitemini peccata vestra, orate ut deleantur, orate ut minuantur, orate ut vobis proficientibus ipsa deficiant.

HOMILIA LIII.

FERIA QUINTA POST *Lætare*.

(JOAN. V.) « In illo tempore, dixit Jesus turbis Ju-« dæorum : Pater meus usque modo operatur, et ego « operor, » et reliqua. Operatur Pater et Filius, ut naturarum diversitas permaneat, quæ in prima conditione mundi conditæ sunt. Ideo dictum est in Psalmis : « Qui finxit sigillatim corda eorum (*Psal.* XXXII). » Non incognita animarum genera, sed ejusdem substantiæ animas, quæ in primo homine con-

A dita est, reformat. Quapropter Psalmista, cum non solum primordialem mundi creationem, sed et quotidianam creaturæ gubernationem ad laudem Creatoris referret, ait inter cætera : « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CIII). » Si Christum Dei virtutem et Dei sapientiam recte confitemur, et omnia in sapientia hac regit Deus, constat nimirum quia Pater usque modo operatur, operatur et Filius. Ergo Pater meus, inquit, non sex solum, ut putatis, diebus primis operatus est, verum usque modo operatur, non novum creaturæ genus instituendo, sed quæ in principio creaverat, ne deficiant, propagando. « Et ego operor, » subauditur, usque modo, cum eo cuncta disponens, regens, accumulans. Ac si aperte dicat : Quid mihi invidetis ? cur me vituperatis, cæci legis doctores,

B quod in forma hominis sabbato salutem unius hominis operatus sum, qui in natura Divinitatis una cum Deo Patre totum genus humanum, imo totam mundi machinam, et cuncta visibilia et invisibilia quietus semper operor ? Sed ipsi talis ac tanti mysterii minus capaces.

« Propterea magis quærebant eum interficere, « quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem « suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. » In eo maxime dolebant, quia is quem verum ex infirmitate carnis hominem noverant, se verum Dei Filium credi voluisset, id est non gratia adoptatum, ut cæteros sanctos, quibus loquitur Propheta : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI), sed natura Patri per omnia æqualem. Notandum sane quod dictum est : « æqualem se faciens Deo, » ad Ju-

C dæorum personam dictum, qui putabant Dominum Jesum prædicando facere quod non esset, et non veraciter intimare quod esset. Commoti ergo sunt Judæi, et indignati; merito quidem, quod audebat homo æqualem se facere Deo: sed ideo immerito, quia in homine non intelligebant Deum. Carnem videbant, Deum nesciebant : habitaculum cernebant, habitatorem ignorabant. Caro enim illa templum erat, Deus inhabitabat intus. Non ergo Jesus carnem æquabat Patri, non formam servi Domino comparabat: non quod factum est propter nos, sed quod erat quando fecit nos. Quisnamque sit Christus (catholicis loquor) nostis, quia bene credidistis non Verbo tantum, sed « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I). » Recensete de Verbo quid nostis ? « In

D principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Ibid.*). » Hic æqualitas cum Patre, sed « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Hac carne major est Pater ; ita Pater et æqualis et major. Æqualis Verbo, major carne : æqualis ei per quem fecit nos, major eo qui factus est propter nos. « Commoti sunt vero et turbati Judæi, » quia se æqualem Christus Patri fecit, qui hominem tantummodo intellexerunt, non Deum : carnem viderunt, Divinitatem non crediderunt.

« Dixit enim : Non potest a se Filius facere quid-« quam, nisi quod viderit Patrem facientem. » Non alia opera facit Pater quæ videat Filius : et alia

Filius quæ viderit Patrem facientem, sed eadem opera ipsa Pater et Filius similiter. Quæcunque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. Non cum ille fecerit alia, Filius similiter facit; sed quæcunque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. Sed hæc facit Filius quæ fecerit Pater, per Filium facit Pater. Si per Filium facit, quæ facit Pater, non alia Pater, alia Filius facit, sed eadem opera sunt Patris et Filii. Et quomodo ea facit et Filius et eadem et similiter? Ne forte eadem, sed dicis « similiter. » Eadem, inquit, et similiter: et quomodo possit eadem non similiter, dum omnia quæ Pater facit, per Filium facit, sicut dictum est: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Ibid.*). » Ideo similiter dixit: quia eadem facit Filius quæ facit et Pater, quia una Patris et Filii in Divinitate substantia et operatio, una voluntas et potestas, una vita et essentia. Et æqualia omnia sunt in Patre et Filio, nisi quod Pater Pater est, et Filius Filius est. Separatio est in personis, sed unitas in natura. « Non enim potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. » Non debemus carnaliter intelligere hanc sententiam, quasi duorum hominum Patris et Filii, unius ostendentis, alterius videntis: unius loquentis, alterius audientis: quia nec Pater minorem habet potestatem, nec majorem Dei Filius, cum Patre et Filio distantia Divinitatis non sit, sed una majestas. Ideo subjecit: « Omnia enim quæcunque facit Pater, eadem et Filius facit similiter. » Significationem unius naturæ ostendit, et unius operationis: quia communis est operatio Patris et Filii, quorum est una natura, una etiam operatio. Ideo consequenter subjunxit:

« Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei « quæ ipse facit. » Ut ostenderet omnem hanc Patris demonstrationem fidei nostræ esse doctrinam; et ut nequaquam hic ignoratio in Filio possit intelligi, cui Pater opera omnia quæ ipse faceret monstraret, continuo ait:

« Et majora his opera demonstrabit ei, ut vos ad« miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos et « vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. » Ea enim Patrem demonstrare Filio dicit, quæ mirentur: et quæ eadem essent, illa mox docuit. « Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. » Exæquata virtus est per naturæ indissimilis unitatem, et demonstrationen operum. Non ignorationis instructio est, sed nostræ fidei, quæ non Filio scientiam ignoratorum, sed nobis confessionem nativitatis invexit. Demonstrare enim Patrem, est per Filium facere quæ facturus est. Nam majora opera sunt resurrectio mortuorum, quæ erit in novissimo die, quam istius languentis sanitas, qui Christi verbo sanatus est, ex quo nata est hujus occasio tota sermonis. Dicit enim: » ut vos miremini: » et hoc difficile est videre, quomodo tanquam temporaliter Filio coæterno aliqua demonstret æternus Pater, omnia scienti quæ est apud Patrem. Quæ sunt tamen illa majora? Majora ergo sunt opera mortuos suscitare, quam languidos sanare. Sed sicut suscitat Pater mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Non enim alios Pater, alios Filius vivificat, sed una potestas unam vivificationem facit, quæ etiam potestas uno honore honoranda est. Et ideo consequenter subjunxit:

« Pater enim non judicat quemquam, sed omne « judicium dedit Filio: ut omnes honorificent Fi« lium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorifi« cat Filium, non honorificat Patrem, qui misit il« lum. » Pater non judicat quemquam, quia Patris persona in homine suscipitur, nec in judicio videbitur, sed sola Filii forma, quæ judicata est injuste, et juste judicat vivos ac mortuos. Nec enim Filius videbitur in judicio in ea natura, qua consubstantialis est Deo Patri, sed in ea qua consubstantialis est matri, et homo factus est. Ita intelligendum est, « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, » ac si diceretur: Patrem nemo videbit in judicio vivorum et mortuorum, sed omnes Filium: quia et Filius hominis est, ut possit et ab impiis videri, cum et illi videbunt in quem pupugerunt. Quod ne conjicere potius quam aperte demonstrare videamur, proferimus ejusdem Domini certam manifestamque sententiam, quam ostendimus ipsam fuisse causam, ut diceret: « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio: » quia judex in forma Filii hominis apparebit, quæ forma non est Patris, sed Filii. Nec ea Filii in qua æqualis est Patri, sed in qua minor est Patre, ut sit in judicio conspicuus bonis et malis, » ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. » Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem. Quid est enim, « honorificat Patrem, » nisi quod habeat Filium? Aliud est enim, cum tibi commendatur Deus, quia Deus est: et aliud, cum tibi commendatur Deus, quia Pater est. Cum tibi quia Deus est commendatur, Creator tibi commendatur, omnipotens tibi commendatur: Spiritus quidam summus, æternus, invisibilis, incommutabilis tibi commendatur. Cum vero tibi, quia Pater est, commendatur, nihil tibi aliud quam Filius commendatur. Quia Pater dici non potest, si Filium non habet: sicut nec Filius, si Patrem non habet. Sed ne forte Patrem quidem honorifices tanquam majorem, Filium vero tanquam minorem, ut dicas: Honorifico Patrem: scio enim quod habeat Filium, et non error in Patris nomine. Non enim Patrem intelligo sine Filio, honorifico tamen et Filium tanquam minorem. Corrigat te ipse Filius, et revocet te, dicens: « Et omnes honorificent Filium. » non inferius, sed sicut honorificant Patrem. « Qui ergo non honorificat Filium, nec Patrem honorificat, qui misit illum. » Ego, inquit, majorem honorem volo dare Patri, minorem Filio. Ibi tollis honorem Patri, ubi majorem das Filio. Quid enim tibi aliud videtur ista sententia, nisi quia Pater æqualem sibi Filium generare aut noluit, aut non potuit? Si noluit, invidit; si non potuit, defecit. Non ergo vides, quia ita sentiendum, ubi majorem honorem vis dare

Patri, ibi es contumeliosus in Patrem. Proinde sic honorifica Filium quomodo honorificas Patrem, si vis honorificare et Filium et Patrem.

« Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum « audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æter- « nam. Et in judicium non veniet, sed transit a « morte in vitam. » Et hoc attendite, « qui verbum meum audit, » et non dixit, Crede mihi, sed « credit ei qui me misit. » Verbum ergo Filii audiat, ut Patri credat. Quare verbum audit tuum et credit alteri? Nonne cum verbum alicujus audimus, eidem verbum proferenti credimus, loquenti nobis fidem accommodamus? Quid ergo voluit dicere, « qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, » nisi quia verbum ejus est in me? Et quis est qui audit verbum meum, nisi qui audit me, et qui credit in me? Credit autem ei qui misit me, quia cum illi credit, verbo ejus credit; cum autem verbum ejus credit, mihi credit: quia Verbum Patris ego sum. Non enim transiret de morte ad vitam, nisi primo esset in morte. Mortuus ergo erat et revixit, perierat et inventus est. Fit proinde jam quædam resurrectio, et transeunt omnes a morte quadam ad quamdam vitam: a morte infidelitatis ad vitam fidei, a morte falsitatis ad vitam justitiæ. Est ergo et ista resurrectio mortuorum. Aperiat illam plenius, et lucescat nobis ut cœpit.

« Amen, amen dico vobis, quia venit hora et nunc « est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui « audierint vivent. » Hoc proprium est priorum, qui sic audiunt de incarnatione ejus, ut credant quia Filius Dei est; id est, sic eum propter se factum, accipiunt minorem Patre in forma servi, ut credant quia æqualis est Patri in forma Dei. Et ideo sequitur.

« Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, ita « dedit et Filio vitam habere in semetipso. » Quod ergo ait: « Dedit Filio vitam habere in semetipso, breviter dicat, genuit Filium vitam in se habentem. » Neque enim erat sine vita, et accepit vitam, sed nascendo vita est. Pater vita est non nascendo, Filius vita est nascendo. Pater de nullo Patre, Filius de Deo Patre. Pater propter Filium est; Filius vero, et quod Filius est, propter Patrem est: et quod est, a Patre est. Hoc dixit, « vitam dedit Filio, » ut haberet eum in semetipso, tanquam diceret: Pater, qui est vita in semetipso, genuit Filium, qui esset in semetipso. Pro eo enim quod *genuit*, voluit intelligi *dedit* tanquam si cuiquam diceremus: Dedit tibi Deus esse. Sequitur enim et dicit:

« Et potestatem dedit ei judicium facere, quia « Filius hominis est. » Puto nihil esse manifestius. Nam Filius Dei æqualis Patri non accipit hanc potestatem judicium faciendi, sed habet illam cum Patre in occulto. Accepit autem illam, ut boni et mali eum videant judicantem, quia Filius hominis est. Visio quippe Filii hominis exhibebitur et malis. Nam visio formæ Dei, nonnisi mundis corde, quoniam ipsi Deum videbunt, id est solis piis, quorum dilectioni hoc ipsum promittit, quia ostendet seipsum illis. Et ideo vide quid sequitur:

« Nolite mirari hoc, » inquit. Quid nos prohibet mirari, nisi illud quod revera miratur omnis qui non intelligit? Et ideo diceret Patrem dedisse ei potestatem judicium facere, quoniam filius hominis est, cum magis quasi hoc exspectaretur, ut diceret, quoniam Filius Dei est: sed quia Filium Dei, secundum id quod in forma Dei æqualis est Patri, videre iniqui non possunt, oportet ut judicem vivorum et mortuorum, cum coram judicabuntur, et justi videant et iniqui. « Nolite, inquit, mirari, quoniam venit hora « in qua omnes qui in monumentis sunt audient « vocem Filii Dei. Et procedent qui bona egerunt, « in resurrectionem vitæ: qui mala gesserunt, in « resurrectionem judicii. » Ad hoc ergo oportebat ut ideo acciperet illam potestatem, qui filius hominis est, ut resurgentes omnes viderent eum in forma, in qua videri ab hominibus potest, sed alii ad damnationem, alii ad vitam æternam. Quæ est autem vita æterna, nisi illa visio quæ non conceditur impiis? » Ut cognoscant te, inquit, unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum, (*Joan.* XVII). » Quomodo et ipsum Jesum Christum, nisi quemadmodum unum verum Deum qui ostendit et seipsum illis? Non quomodo se ostenderet etiam puniendis in forma filii hominis. Secundum illam visionem bonus est, secundum quam visionem Deus apparet mundis corde, ut ait Psalmista: Quoniam « quam bonus Israel Deus rectis corde (*Psal.* LXXII). » Quando autem judicem videbunt mali, non eis videbitur bonus, quia non ad eum gaudebunt corde, sed tunc se plangent omnes tribus terræ, in numero utique malorum omnium et fidelium. Propter hoc etiam ille, qui cum dixerat magistrum bonum, quærens ab eo consilium consequendæ vitæ æternæ, respondit: « Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus (*Matth.* XIX), » cum hominem alio loco dicat bonum ipse Dominus: « Bonus homo, de bono thesauro cordis sui profert bona: et malus homo, de malo thesauro cordis sui profert mala (*Matth.* XII). » Sed quia ille vitam æternam quærebat, vita autem æterna est in illa contemplatione, quia non ad pœnam videtur Deus, sed ad gaudium sempiternum, duas hic resurrectiones ipse Dominus Jesus Christus in his verbis nobis demonstrat: primam, quæ in fide est, resurgendo a peccatis, de qua ait: « Amen, amen, dico vobis, quia venit hora in qua mortui audient vocem Filii Dei. » Alteram ubi ait: « Amen, amen, dico vobis, quia venit hora in qua omnes qui in monumento sunt, audient vocem Filii Dei. » Illa prior est resurrectio animarum, illa sequens resurrectio erit corporum. Qui vero in hac prima non resurgit, nec ibi ad eum resurget. « Hora autem nunc est, ut resurgant mortui. » Hora erit in fine sæculi, ut resurgant et mortui. Sed si resurgant nunc in mente, tunc in carne resurgent. Nunc in mente per verbum Dei, id est per Filium Dei, resurgent: tunc in carne per Verbum Dei caro factum, filium hominis. Neque

enim ad judicium vivorum et mortuorum Pater ipse venturus est, nec tamen recedit a Filio Pater. Quomodo ergo non ipse venturus est? Quia non ipse videbitur in judicio. Videbunt in quem pupugerunt. Forma illa erit judex quæ stetit sub judice: illa judicabit, quæ judicata est. Judicata est enim inique, judicabit juste. Talis apparebit judex, qualis videri possit a quibus coronatus eat. Distinctio est inter illud verbum, quod superius dixit, « quod mortui audient vocem Filii Dei : » et inter illud, quod hic ait: « Venit hora quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei. » Ibi vero ait, « audient, » id est obedient ; ideo ista resurrectio est ad vitam ; illa vero quæ futura est, de qua dicit, « audient vocem Filii Dei, » id est, audient ut resurgant ad judicium. Non addidit hic, ad vitam: quia omnes ad gloriam non resurgent, sed multi ad pœnam. Ideo addidit *de futura resurrectione*. « Qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui male egerunt, in resurrectionem judicii, » id est damnationis, quia hic judicium pro pœna posuit. Tunc erit ultima palea, ut separet bonos a malis, triticum a paleis. Tunc ibunt impii in ignem æternum, justi autem in vitam æternam.

HOMILIA LIV.

FERIA SEXTA POST *Lætare*.

(JOAN. XI.) « In illo tempore, erat quidem languens « Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ « sororum ejus, » et reliqua Plurima vero in hoc miraculo resuscitationis Lazari, quia manifesta sunt, expositione in singulis non indigemus. In superiore lectione manifestat evangelista, quod Dominus exiit de manibus eorum qui lapidare eum voluerant, et abiit trans Jordanem, ubi Joannes baptizabat. Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod castellum erat proximum Hierosolymis.

« Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, « et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater « Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores ejus, « dicentes : » Jam intelligimus quod miserunt ubi erat Dominus, quoniam absens, trans Jordanem scilicet, miserunt ad Dominum, nuntiantes quod ægrotaret frater earum, ut si dignaretur, veniret ut eum ab ægritudine liberaret. Ille distulit sanare, ut posset resuscitare. Quid ergo annuntiaverunt sorores ejus? « Domine, ecce quem amas infirmatur. » Non dixerunt, Veni, amanti enim tantummodo nuntiatum fuit ; non ausæ sunt dicere, Veni et sana : non sunt ausæ dicere: Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non istæ laudantur, si fides illius centurionis inde laudatur, quod ait : « Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus? » (*Luc.* VII.) Nihil horum istæ, sed tantummodo : « Domine, ecce quem amas infirmatur. » Sufficit ut noveris, non enim amas et deseris. Dicit quis, quomodo per Lazarum peccator significabatur, et a Domino sic amabatur? Audiat eum dicentem: « Non veni vocare justos, sed peccatores (*Matth.* IX) : » quod nequaquam diceret, si peccatores conversos non amaret.

« Audiens autem Jesus, dixit illis: Infirmitas hæc « non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorifi- « cetur Filius Dei per eam. » Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc ergo ait, « non est ad mortem, » quia ipsa mors non est ad mortem, sed potius ad miraculum, quo facto, crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Nam sunt hæretici qui hoc negant, quod Filius Dei sit Deus, ecce audiant : « Infirmitas ergo hæc, inquit, non est ad mortem, sed pro gloria Dei. » Qua gloria? Cujus Dei? Audi quod sequitur : Ut glorificetur Filius Dei per eam (*Joan.* XI). » Per quam? Per illam infirmitatem.

« Diligebat autem Jesus Martham et sororem ejus « Mariam et Lazarum. » Ille autem languens, illæ tristes, omnes electi : sed diligebat et languentium salvator, imo etiam mortuorum suscitator, et tristium consolator.

« Ut ergo audivit quod infirmabatur, tunc quidem « mansit in eodem loco duobus diebus. » Nuntiaverunt illæ, mansit illic ille. Tandiu ductum est tempus, quoadusque quadriduum compleretur : non frustra, quia forte, imo quia certe et ipse numerus dierum intimat aliquod sacramentum.

« Deinde post hæc dicit discipulis suis: Eamus in « Judæam iterum. » Ubi pene fuerat lapidatus, qui propterea inde discessisse videbatur, ne lapidaretur. Discessit enim ut homo, sed in redeundo quasi oblitus infirmitatem, ostendit potestatem. « Eamus, inquit, in Judæam. » Deinde, hoc dicto, videte quemadmodum discipuli territi fuerint.

« Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te « Judæi lapidare, et iterum vadis illuc? Respondit « Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei ? » Quid sibi vult ista responsio? Illi dixerunt : » Modo te volebant Judæi lapidare, et iterum vadis illuc, ut te lapident? » Et Dominus: « Nonne duodecim horæ sunt diei ? »

« Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia « lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit in « nocte, offendit, quia lux non est in eo. » De die quidem locutus est, sed ad nostram intelligentiam, quasi adhuc nox est, invocemus diem, ut repellat noctem, et cor lumine illustret. Quid enim Dominus dicere voluit? Quantum mihi videtur, quantum subjacet altitudo profunditasque sententiæ, redarguere voluit dubitationem illorum et infidelitatem. Voluerunt enim dare Domino consilium ne moreretur, qui venerat mori, ne ipsi morerentur. Sic etiam quodam alio loco sanctus Petrus diligens Dominum, sed adhuc non plene intelligens cur venisset, timuit ne moreretur. Et vitæ displicuit, id est ipsi Domino. Cum ergo vellent dare consilium homines Deo, discipuli magistro, servi Domino, ægroti medico, corripuit eos et ait : « Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit. » Me sequimini, si non vultis offendere. Nolite mihi consi-

lium dare, quos a me consilium oportet accipere. Quo ergo pertinet, « Nonne duodecim horæ sunt diei ? » Quia ut diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit. Si ego sum, inquit, dies, et vos horæ, nunquid horæ diei consilium dant? Horæ diem sequuntur, non horas dies. Si ergo illi horæ, quid ibi Judas, et ipse inter duodecim horas ? Si hora erat, lucebat, si lucebat, quomodo diem ad mortem trahebat? Sed Dominus in hoc verbo, non ipsum Judam, sed successorem ipsius prævidebat. Juda enim cadente, successit Matthias, et duodenarius mansit. Non enim frustra duodecim discipulos elegit, nisi quia ipse spiritualis est dies. Sequantur ergo horæ diem, prædicent horæ diem. Horæ illustrentur a die. Horæ illuminentur a die. Per horarum prædicationem, credat mundus diem. Ergo ait de compendio : Me sequimini, si non vultis errare.

« Ex post hæc dicit eis : Lazarus amicus noster « dormit, sed vado ut a sommo excitem eum. » Verum dixit ; sororibus mortuus erat, Domino dormiebat : hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant. Nam Dominus tanta facilitate suscitabat de sepulcro, quanta tu non excitas dormientem de lecto. Ergo secundum potentiam suam dixit dormientem, quia et alii mortui dicti sunt in Scripturis sæpe dormientes, sicut Apostolus dicit : « De dormientibus autem nolo vos ignorare, fratres, ut non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent (*I Thes.* II). » Ideo et ipse dormientes appellavit, quia resurrecturos pronuntiavit. Et in alio loco : Omnes quidem dormiemus, sed non omnes resurgemus (*I Cor.* XV), mortem nostram dormitionis nomine significans. Nam corpus dum deseritur ab anima, dormit in sepulcro usque ad resuscitationem in novissimo die. Animæ vero dum deserunt corpora, diversas receptiones habent : gaudium bonæ, malæ tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Dum Dominus de dormitione amici dixerat, discipuli responderunt, quomodo intellexerunt :

« Domine, si dormit, salvus erit. » Solent enim somnia esse ægrotanti interitus vel salutis indicia.

« Dixerat autem Jesus de morte ejus, illi autem « putaverunt quia de dormitione somni diceret. Tunc « ergo dixit eis Jesus manifeste. » Subobscure enim dixerat, « dormit. » Ait ergo manifeste :

« Lazarus ergo mortuus est, et gaudeo propter « vos ut credatis, quia non eram ibi. » Æger enim, non mortuus fuerat nuntiatus, sed ut lateret qui creaverat, et ad cujus manus anima morientis exierat. Hoc est, quod ait, « gaudeo propter vos ut credatis quia non ibi eram, ut jam inciperent admirari, quia Dominus potuit dicere mortuum, quod nec viderat, nec audierat. Ubi sane meminisse debemus, quod adhuc etiam ipsorum discipulorum, qui in eum non crediderant, miraculis ædificabatur fides : non ut esse inciperet, sed ut ea quæ jam esse cœperat,

A cresceret : quamvis tali verbo usus sit, quasi tunc credere inciperent. Non enim ait, gaudeo propter vos, ut vestra fides augeatur, sive firmetur ; sed ut credatis, quod intelligendum est, ut amplius robustiusque credatis.

« Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui « dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, « ut moriamur cum eo. Venit itaque Jesus, et invenit « eum quatuor dies jam in monumento habentem. » De quatuor diebus multa quidem dici possunt, sicut se habent obscura Scripturarum, quæ pro diversitate intelligentium multos sensus pariunt. Dicamus et nos, quid nobis videatur significare mortuus quatriduanus. Quomodo enim in illo cæco intelligimus quodammodo humanum genus, sic forte et in isto

B mortuo multos intellecturi sumus ; diversis enim modis una res significari potest. Homo quando nascitur, jam cum morte nascitur, quia de Adam peccatum trahit ; unde dicit Apostolus : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors : et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt (*Rom.* V). » Ecce habes unum diem mortis, quod homo trahit de morte propaginem. Deinde crescit, incipit accedere ad rationales annos, ut legem sapiat naturalem, quam omnes habent in corde fixam. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Nunquid hoc de paganis dicitur, et non in natura ipsa quodammodo legitur ? Furtum facere vis ? pati utique non vis. Ecce lex in corde tuo : Quod non vis pati, facere noli. Et hanc legem transgrediuntur homines : ecce alter dies mortis. Data est

C etiam lex divinitus per famulum Dei Moysen. Dictum est illic : « Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum et matrem, non concupisces rem proximi tui (*Exod.* XX). » Ecce lex scripta est, et ipsa contemnitur, et ad tertium diem mortis qui restat, venitur. Et Evangelium prædicatur, regnum cœlorum diffamatur ubique, Christus minatur gehennam, vitam promittit æternam. Et ipsum contemnitur, transgrediuntur homines Evangelium. Ecce quartus dies mortis. Merito jam putet. Nunquid de talibus neganda est misericordia ? Absit. Etiam ad tales excitandos non dedignatur accedere.

« Multi autem ex Judæis venerant ad Martham « et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Mar-

D « tha autem ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi. « Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad « Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non « fuisset mortuus. Sed et nunc scio, quia quæcunque « poposceris a Deo, dabit tibi Deus. » Non dixit, sed et rogo te modo ut suscites fratrem meum. Hoc tantum dixit : scio quia potes si vis ; utrum autem facias, judicii tui est, non præsumptionis meæ.

« Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. Dicit ei « Martha : Scio quia resurget in novissimo die. » De illa resurrectione secura sum, de hac incerta sum.

« Dicit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita. » Dicis, resurget frater tuus in novissimo die ; verum

est, sed per quem tunc resurget, potest et modo resurgere : quia « ego sum resurrectio et vita. » Ideo vita, quia resurrectio. « Quia si credit in me, non morietur in æternum. » Quid est hoc, « Qui credit « in me, etiam si mortuus fuerit, vivet ? » Sicut Lazarus mortuus est et vivet ? Quia non est Deus mortuorum, sed vivorum. De olim mortuis patribus, hoc est Abraham, Isaac, Jacob, tale responsum Judæis dedit : « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* III ; *Luc.* XX). » Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Omnes enim illi vivunt. Crede ergo, et si mortuus fueris, vives : si autem non credis, et cum vivis mortuus es. Unde est ergo mors in anima ? Quia non est fides in ea. Unde est in corpore ? Quia non est ibi anima. Ergo animæ tuæ vita, fides est. Sicut anima corporis, vita est corporis ; ita fides animæ, vita est animæ. « Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit in carne, vivet in anima, » donec resurgat caro nunquam postea moritura. Hoc est, qui credit in me, licet moriatur, vivet.

« Et omnis qui vivit » in carne, « et credit in me, » et si morietur ad tempus propter mortem carnis, « non morietur in æternum » propter vitam spiritus, et immortalitatem resurrectionis. Hoc est quod ait : « Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. »

« Credis hoc ? Ait illi : Utique Domine. Ego cre« didi quia tu es Christus Filius Dei qui in hunc « mundum venisti. » Quando hoc credidi quia tu es resurrectio, credidi quia tu es vita, credidi quia qui credit in te, et si moriatur, vivet. Et qui vivit et credit in te, non morietur in æternum.

« Et cum hæc dixisset, abiit et vocavit Mariam « sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et « vocat te. » Advertendum est, quemadmodum suppressam vocem silentium nuncupavit. Nam quomodo siluit, quæ dixit, « Magister adest, et vocat te. » Advertendum etiam quemadmodum evangelista non dixerit, ubi vel quando, vel quomodo Mariam Dominus vocaverit, ut hoc in verbis Marthæ potius intelligeretur, narrationis veritate servata.

« Illa ut audivit, surrexit cito, et venit ad eum. « Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat « adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha. Judæi « igitur, qui erant cum illa in domo, et consolaban« tur eam, cum vidissent Mariam, quia cito sur« rexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes : quia ve« nit ad monumentum, ut ploret ibi. » Quare hoc pertinuit ad evangelistam narrare ? Ut videamus quæ occasio fecerit, ut plures ibi essent quando Lazarus resuscitatus est. Putabant enim Judæi propterea illam festinare, ut doloris sui solatium lacrymis quæreret, secuti sunt eam, ut tam grande miraculum quadriduani mortui resurgentis testes plurimos inveniret.

« Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns « eum, cecidit ad pedes ejus, et dixit ei : Domine, « si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Je« sus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos

A « qui cum illa erant plorantes, fremuit spiritu, et « turbavit seipsum, et dixit : Ubi posuistis eum ? » Aliquid nobis insinuavit fremendo spiritu, et turbando seipsum. Quis enim eum posset, nisi ipse seipsum, turbare ? Itaque primo hic attendite potestatem, et sic inquirite significationem : Turbaris tu nolens, turbatur Christus quia voluit ; contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit ; esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit ; dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit ; mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat, vel sic affici, vel non affici. Veram enim animam suscepit et carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam. Nam et anima Apostoli verbo illustrata est ; anima Petri et anima Pauli
B verbo illustrata est ; aliorum apostolorum, sanctorum prophetarum animæ verbo illustratæ sunt ; sed de nulla dictum est : « Verbum caro factum est (*Joan.* I), » de nulla dictum est : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Anima Christi, et caro Christi, cum verbo Dei una persona est, unus Christus est. Ac per hoc ubi summa potestas, secundum voluntatis nutum turbatur infirmitas, hoc est quod ait : « Turbavit semetipsum. » Quid est ergo quod turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi, quomodo turbari tu debeas, cum tanta mole peccata gravaris et premeris ? Attendisti enim te, vidisti te, computasti tecum ; illud feci, et pepercit mihi Deus ; illud commisi, et sustinuit me ; Evangelium audivi, et contempsi ; baptizatus sum, et iterum ad eadem revolutus sum ; quid facio ? quo
C eo ? unde evado ? Quando ista dicis, jam fremit spiritus, quia fides fremit. In voce frementis apparet spes resurgentis. Ergo fides tua de Christo, Christus in corde tuo ; ergo fremat Christus in corde tuo. Flevit ergo Christus amicum mortuum, quem venit resuscitaturus. Quare enim flevit, nisi quia hominem flere docuit, oppressum pondere peccatorum ? Quare fremuit et turbavit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi merito displicentis, fremere hunc admodum debet in accusatione malorum operum, ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi ?

Et dixit : « Ubi posuistis eum ? » Scis quia mortuus sit, et ubi sit sepultus ignoras ? Et ista significatio quæ est ? Non ausus sum dicere, nescit. Quid
D enim ille nescit ? sed quasi nescit. Unde hoc probamus ? Dominum audi dicturum in judicio : « Non novi vos, discedite a me (*Matth.* VII). » Quid est, non novi vos ? Non vos video in luce mea, non vos video in illa justitia, quam novi. Sic et hic, tanquam nesciens talem peccatorem, dixit : « Ubi posuistis eum ? » Talis est vox Domini in paradiso, posteaquam peccavit Adam : « Adam, ubi es (*Gen.* III) ? » « Dicunt ei : Domine, veni et vide. » Quod est, vide et miserere. Videt enim Dominus, quando miseretur. Unde illi dicitur : « Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea. » (*Psal.* XXIV.)

« Lacrymatus est Christus. Dixerunt ergo Judæi: « Ecce quomodo amabat eum. » Quid est, amabat eum? Non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Marc.* II.)

« Quidam autem dixerunt ex ipsis: Non poterat « hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non « moreretur? » Qui noluit facere ut non moreretur, plus est quod facturus est, ut mortuus suscitetur.

« Jesus ergo, rursus fremens in semetipso, venit « ad monumentum. » Fremit et in te, si disponis reviviscere. Omni homini dicitur, qui premitur pessima consuetudine: « Venit ad monumentum. » « Erat autem spelunca et lapis superpositus erat ei. » Mortuus sub lapide, reus sub lege. Scitis enim quia lex quæ data est Judæis, in lapide scripta est: omnes autem rei sub lege sunt. Bene viventes enim, in lege non sunt, justo lex posita non est. Quid est ergo lapidem removere? Gratiam prædicare. Apostolus enim Paulus ministrum se dicit Novi Testamenti, non littera, sed spiritu. Nam « littera, inquit, occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III). » Littera occidens, quasi lapis est premens.

« Removete, inquit, lapidem, » removete legis pondus, gratiam prædicate. « Dicit ei Martha, soror « ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, « quatriduanus enim est. Dicit ei Jesus: Nonne « dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam « Dei? » Quid est, Videbis gloriam Dei? Quia et fœtentem, et quatriduanum suscitat. « Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom.* III). » Et: « Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* V). »

« Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis « sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quo« niam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper « me audis, sed propter populum, qui circumstat, « dixi, ut credant quia tu me misisti. Hæc cum di« xisset, voce magna clamavit. » Fremuit, lacrymavit, voce magna clamavit, ut animo perpendas quam difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit; sed tamen surgit, occulta gratia intus vivificatus. Surgit post vocem magnam, qua clamavit: « Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui « fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et « facies illius sudario erat ligata. » Quomodo processit ligatis pedibus miraris, et non miraris quia surrexit quatriduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit, et adhuc ligatus est, adhuc involutus, tamen foras jam processit, quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces; et si tanta quanta dixi contemnis, sepultus jaces; surgis, quando confiteris. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit clamando, id est magna gratia vocando. Ideo processit mortuus, adhuc ligatus, adhuc reus, ut solverentur peccata ejus. Ministris ergo hoc dixit:

« Solvite eum, et sinite abire. » Potuit enim ligamenta solvere, qui mortuum resuscitavit. Sed propter unitatem sanctæ Ecclesiæ, et individuam charitatem dicitur ministris, id est discipulis Christi: « Solvite eum. » Quia sine unitate catholicæ fidei, et charitate ecclesiasticæ sanctitatis, peccata non solvuntur.

« Multi autem ex Judæis, qui venerant ad Ma« riam, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in « eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Phari« sæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus. » Non omnes ex Judæis qui convenerant ad Mariam, sed quidam, sive ex eis qui non crediderant, abierunt ad Pharisæos, et dixerunt quæ fecit Jesus: sive annuntiando, ut et ipsi crederent, sive potius prodendo, ut sævirent: sed quomodolibet, et a quibuslibet, ad Pharisæos ista perlata sunt.

HOMILIA LV.

SABBATO POST *Lætare*.

(JOAN. VIII). « In illo tempore: Dixit Jesus turbis: « Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambu« lat in tenebris, » et reliqua. Ubi manifeste docet, non solum qua auctoritate mulieri peccata dimiserit (ut paulo superius refert), sed etiam quod ipse sit « vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). » Cujus perpetuum splendorem humana fragilitas videre non potuisset, nisi nube carnis tegeretur, per quam quasi per quoddam lucidissimum speculum, divini luminis claritas humanis mentibus innotesceret, quæ fide purganda est, ut tanti luminis aspectu digna efficiatur. Unde secutus ait: « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habeat lumen vitæ. » Qui meis modo jussis et exemplis obsequitur, non timebit in futuro tenebras damnationis, sed lucem potius vitæ, ubi nunquam prorsus moriatur, habebit. Itaque, fratres mei, sequamur Christum lumen mundi, ne ambulemus in tenebris. Tenebræ metuendæ sunt, morum, non oculorum: etsi oculorum, non exteriorum, sed interiorum. Unde discernitur non album et nigrum, sed justum et injustum. Antequam ergo veniret Dominus noster Jesus Christus, multas ante se lucernas propheticas accendit, et misit. De his erat etiam Joannes Baptista, cui tam magnum ipsum lumen, quod est Dominus Christus, perhibuit testimonium, quali nulli hominum. Ait enim: « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* XI). » Hic tamen, quo nemo erat major inter natos mulierum, dicit de Domino nostro Jesu Christo: « Ego quidem baptizo vos in aqua. Qui autem venit post me, fortior me est, cui non sum dignus calceamenta solvere (*Matth.* III). » Videte quemadmodum se lucerna diei submittat. Lucernam vero ipsum Joannem fuisse Dominus ipse testatur. Ille erat (inquit) lucerna ardens et lucens, et vos voluistis ad horam exsultare in lumine ejus. »

« Responderunt ergo Pharisæi: Tu de teipso « testimonium dicis, testimonium tuum non est

« verum. » Videamus quid audiant, audiamus et A nos, sed non sicut illi : illi contemnentes, nos credentes ; illi Christum occidere volentes, nos per Christum vivere cupientes. Interim ista distantia distinguat aures mentesque nostras, et audiamus quid Judæis responderit Dominus.

« Respondit Jesus, et dixit eis : Et si ego de « meipso testimonium perhibeo, verum est testimo- « nium meum : quia scio unde venio et quo vado. » Patrem volebat intelligi. Et si Patri gloriam dabat Filius, æqualis glorificat eum a quo est missus, quantum debet homo glorificare eum a quo est creatus ? « Scio unde venio, et quo vado. » Iste qui in præsentia vobis loquitur, habet quod non deseruit, sed tamen venit. Non enim veniendo inde discessit, aut redeundo nos dereliquit, qui dixit : « Ecce ego B vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII) » Ergo verum est testimonium luminis, sive se ostendat, sive aliter : quia sine lumine non potest videri lumen, et sine lumine non potest videri quodlibet aliud, quod non est lumen. Sicut enim lumen et seipsum ostendit, et quæ circa sunt : ita et Christus, et seipsum ostendit, et alios illuminat, qui charitate circa se sunt, et sequuntur illum, non pedum gressibus, sed charitatis officiis. Duos adventus Domini nostri Jesu Christi legimus in Scripturis sanctis a prophetis esse prædictos : unum misericordiæ, qui peractus est, alterum judicii, qui venturus est. Prima ergo dispensatio Domini nostri Jesu Christi medicinalis, non judicialis. Nam si primo venisset judicaturus, neminem invenisset cui præmia justitiæ redderet. C Quia ergo vidit omnes peccatores, et omnino esse neminem immunem a morte peccati, prius erat ejus misericordia præroganda, et post exercendum judicium. Quia de illo cantaverat Psalmus : » Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* C). » Non enim ad judicium et misericordiam. Nam si primum esset judicium, nulla esset misericordia ; sed primo misericordia, postea judicium. Quæ est prima misericordia? Creator hominis homo esse dignatus est, factus quod fecerat, ne quod fecerat periret. Quid huic misericordiæ addi potest ? Addidit tamen. Nam reprobatus ab hominibus, pro quorum salute venerat in mundum, irrisiones sustinuit, flagella, sputa, opprobria inimicorum, turpissimam mortem crucis. Hæc omnia sustinuit, quia voluit, ut D salvaret hominem quem creaverat. Nullum genus mortis intolerabilius fuit cruce, propter longos cruciatus : sed nihil gloriosius quam signum crucis portare in fronte. Unde Apostolus ait, gloriam crucis prædicans : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo (*Gal.* VI.) » Quia venit neminem judicare, consequenter Judæis respondit :

« Vos secundum carnem judicatis, ego non judico « quemquam. » Pertulit injustum judicium, ut ageret justum : sed in eo quod pertulit injustum, misericordiæ fuit. Denique ita humilis factus est, ut perveniret ad crucem. Distulit quidem potentiam, sed publicavit misericordiam. Unde distulit potentiam? Quia de cruce descendere noluit, qui potuit de sepulcro resurgere. Unde publicavit misericordiam ? Quia pendens in cruce, dixit : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII). » Sive ergo propter hoc, quia non venerat judicare mundum, sed salvare mundum, dixit : « Ego non judico quemquam; » sive, quemadmodum commemoravi, quoniam dixerat, «Vos secundum carnem judicatis, » addidit, « Ego non judico quemquam : » ut intelligamus, Christum non secundum carnem judicare, secundum quod ab hominibus judicatus est. Non ut cognoscatis jam ut judicem Christum, audite quid sequitur :

« Et si judico ego, judicium meum verum est. » Ecce habet et judicium. Sed agnosce Salvatorem, ne sentias judicium. Quare autem dixit judicium suum verum esse ? « Quia solus, inquit, non sum, sed ego « et qui misit me, Pater. » Quid est missio Christi, nisi incarnatio ejus ? Missus est Christus, idem est, si dicas, incarnatus est Christus. Et a Patre missus erat, et a Patre nunquam recessit. Et hic fuit per incarnationem, et hic est modo per divinitatem. Fides ergo mundat corda nostra, ut intellectus impleat corda nostra. Et ut intelligamus, mysterium salutis nostræ altum est, profundum est, secretum est, una substantia est, una divinitas est, una majestas Patris et Filii. Pater non passus est, sed solus Filius. Ergo intelligamus missionem Filii nominatam incarnationem Filii; Patrem autem incarnatum esse non credas. Unde ergo verum est judicium ejus, nisi quia verus est Filius Patris ? Ideo dixit : « Judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, et qui me misit Pater. » Idem ergo in alio loco dixit : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Unum in substantia, duo in persona. Unum dixit, in substantiæ unitate; sumus dixit, propter personarum distinctionem. Audi quid dixit : « Ego, et qui me misit, Pater. » Distingue personas : agnosce quia Pater, Pater est ; agnosce, quia Filius, Filius est ; ne in barathrum Sabellianum pervenias. Et noli dicere, aliud et aliud : sed dic alius et alius. Non aliud in substantia, sed alius in persona. Non Pater major, non Filius minor in divinitatis gloria : sed crede, unum sumus. In eo quod dixit ipsa Veritas, unum, libera te ab Ario ; quod dixit, sumus, libera te a Sabellio. Si unum, non ergo diversum ; si sumus, non ergo unus. De judicio dixerat : « Ego non judico quemquam ; » de testimonio nunc vult dicere.

« In lege, » inquit, « vestra scriptum est. » Vestra dicit, tanquam diceret, In lege quæ vobis a Deo data est, sicut dicimus : Panem nostrum quotidianum, quem a Deo nobis dari poposcimus. Quid est quod in lege eorum scriptum est : « Quia duorum hominum « testimonium verum est. » Nunquid semper duo homines verum dicunt testimonium? Nonne duo falsi testes contra Susannam falsum protulerunt testimonium (*Dan.* XIII.)? Et Judæis quærentibus falsum testimonium contra Christum, dicit evangelista : « Venerunt

novissime duo falsi testes (*Matth.* XXVI). » Nunquid quia duo erant, ideo falsi testes non erant? Quid de duobus dicimus vel tribus? Universus populus mentitus est contra Christum. Si ergo totus populus, qui constat ex magna hominum multitudine, falsum testimonium dicere inventus est, quomodo accipiendum est: « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum (*Deut.* XIX), » nisi quia hoc modo per mysterium Trinitas commendata est, in qua perpetua stabilitas veritatis est? Si vis habere bonam causam, habeto duos vel tres testes, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Denique, quando Susanna, casta femina fidelisque conjux, a duobus falsis testibus urgebatur, Trinitas illi in conscientia atque in occulto suffragabatur. Illa Trinitas de occulto unum testem Danielem excitavit, et duos convicit. Ergo quia in lege vestra scriptum est duorum hominum testimonium verum esse, accipite verum testimonium, ne sentiatis judicium: « Ego enim, » inquit, « non judico quemquam, sed testimonium perhibeo de meipso. » Differo judicium, non differo testimonium. Eligamus, fratres, testimonium Dei, quia testimonium Dei verum est; et quomodo testis est omnium quæ agimus, judex erit omnium quæ fecimus. Et alium non quærit testem, nisi seipsum: qui omnia secreta cordis nostri considerat, et quid, vel ex quo fonte procedat. Ideo testis, quia non quærit alium unde cognoscat qui sis, vel qualis sit vita tua, qui reddit unicuique secundum opera sua. Responderunt ergo Judæi Domino loquenti de Patre suo, et dixerunt:

« Ubi est Pater tuus? » Patrem Christi carnaliter acceperunt, quia verbo Christi secundum carnem judicaverunt. Erat autem qui loquebatur, in aperto caro, in occulto Verbum: homo manifestus, Deus occultus. Videamus ergo quid ad hæc Dominus respondit: « Ubi est, » inquiunt, « Pater tuus? » Audivimus enim te dicere, « solus non sum, sed ego et qui me misit Pater. » Nam solum te videmus; Patrem tuum tecum non videmus. Quomodo te dicis solum non esse, sed cum Patre tuo esse? Age: ostende nobis tecum esse Patrem tuum. Et Dominus: Nunquid me videtis, et Patrem meum non videtis? Hoc enim sequitur, hoc suis verbis ipse respondit, quorum verborum expositionem nos ante præmisimus. Videte enim quid dixerit. « Respondit « Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum. Si me « sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. » Dicitis ergo: « Ubi est Pater tuus, » quasi jam sciatis, quasi totum hoc sim, quod videtis. Ergo quia me non nostis, ideo vobis Patrem meum non ostendo. Hominem quæritis, quia secundum carnem judicatis. Quia vero, secundum quod videtis aliud sum, et aliud secundum quod non videtis, Patrem autem meum loquar occultum. Occultus prius est, ut me noveritis, tunc et Patrem meum scietis: « Si enim me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. » Ille qui omnia scit, quando dicit forsitan, non dubitat, sed increpat. Attende enim quomodo increpative dicatur ipsum forsitan, quod videtur esse verbum dubitationis: sed dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine dubitante: ideo dubitante, quia nesciente. Cum vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas. Homines enim de his rebus quas certas habent, aliquando increpative dubitant id est verbum dubitationis ponunt, cum corde non dubitant. Velut, si indigneris servo tuo, et dicas: Contemnis me? considera, forsitan dominus tuus sum. Hinc et Apostolus ad quosdam contemptores suos loquens, ait: « Puto autem et ego spiritum Dei habeo (*I Cor.* VII). » Quod dicit puto, dubitare videtur, sed ille increpabat, non dubitabat. Et Dominus Christus alio loco increpans infidelitatem futuram generis humani: « Cum venerit, » inquit, « Filius hominis, putas inveniet fidem in terra (*Luc.* XVIII)? » Scit ergo omnia, per quem facta sunt omnia, et tamen dubitando increpat: « Si me sciretis, et Patrem meum forsitan sciretis. » Increpat infideles, admonet fideles, ut sciant unam esse cognitionem Patris et Filii, quatenus sciant cognitionem Filii Dei cognitionem esse et Patris. Ideo discipulo electo poscenti ut ostenderet eis Patrem, respondit: « Tanto tempore vobiscum sum, et nón cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem (*Joan.* XIV). » Si dissimilis esset Filius Patri, nunquid diceret discipulis suis: « Qui me videt, videt et Patrem? « Nunquid diceret Judæis: « Si me sciretis, et Patrem meum sciretis? »

« Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, « docens in templo. » Magna fiducia sine timore. Non enim pateretur, si nollet: quia nec nasceretur, si nollet. Quid est quod hæc verba Jesus in gazophylacio, docens in templo, locutus est? Gazophylacium est, ubi thesauri conduntur. Jesus in gazophylacio loquebatur Judæis, dum in parabolis locutus est turbis: nam gazophylacium fuit Christi, in quo omnia latuerunt mysteria tunc aperienda, dum ipse, qui latuit in littera, loquebatur: non in proverbiis, sed palam omnia fidelibus suis enarrans. Nam et gazophylacia adhærebant templo, quia ipse Christus templum est, de quo ipse ait: « Solvite templum hoc (*Joan.* II). » Cui omnia mysteria veteris legis adhærebant, et ad eum omnia respiciebant, donec veniret ad aperienda singulorum gazophylacia mysteriorum, aperiente eo sensus fidelium suorum, ut intelligerent quæ latebant, sicut evangelista ait: « Tunc aperit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* II). » Denique quid sequitur, audiamus: « Nemo apprehendit eum. « quia necdum venerat hora ejus. » Scilicet omnia sunt dispositionis suæ, omnia voluntatis suæ. Quia qui voluntate natus est, voluntate et passus est. Si ergo pati nollet, non pateretur; sed si non pateretur, sanguis illius non funderetur; si sanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur. Agamus itaque gratias et potestati divinitatis, et miserationi infirmitatis ejus, de occulta potentia, quam Judæi non noverant, unde illis modo dictum est:

« Neque me nostis, neque Patrem meum. » Et de carne suscepta, quam Judæi noverant, et cujus pa-

triam sciebant. Unde illis alio loco dixit: « Et me scitis, et unde sim scitis. » Utrumque noverimus in Christo, et unde æqualis Patri, et unde illo major est Pater: illud Verbum est, illud caro; illud Deus est, illud homo; sed unus Christus, Deus et homo.

HOMILIA LVI.

DOMINICA QUINTA IN QUADRAGESIMA, QUÆ DICITUR IN PASSIONE DOMINI.

(JOAN. VIII). « In illo tempore: Dicebat Jesus turbis Judæorum, et principibus sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? » et reliqua. Postquam Dominus Judæos convicit, et eos filios diaboli esse ostendit, dicens (*Joan.* VIII): « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis: » et postquam (quæ in eadem historia superius leguntur, B quia de genere nobilitatis gloriabantur, dicentes: « Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam »), demonstravit nihil prodesse nobilitatem carnis sine nobilitate mentis, adjunxit, dicens: « Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum. » Ut ergo ostenderet quia si eum imitari vellent, filii Dei esse possent, adjunxit hoc quod in capite hujus lectionis habetur: « Quis ex vobis arguet me de peccato? » Quis, pronomen infinitum, aliquando vim interrogantis habet, aliquando abnegantis. Interrogantis, sicut per Psalmistam dicitur (*Psal.* XIV): « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? » Ad quam interrogationem protinus respondetur, C cum subditur: « Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam. » Abnegantis, sicut Salomon ait: « Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum a peccato (*Prov.* XX)? » Et iterum: « In inferno autem quis confitebitur tibi (*Psal.* VI)? » ubi subaudiendum est per singula, nullus. Ita et in hoc loco abnegative ponitur, cum a Domino dicitur: « Quis ex vobis arguet me de peccato? » subauditur, nullus. Nemo eum de peccato arguere poterat, qui ut peccatores a peccato solveret, in mundum absque peccato venerat. Alii namque homines similes sibi de peccatis redarguere possunt, sive de præteritis, sive de futuris, quæ perpetrari possunt: Dominum autem Jesum Christum nec de præteritis, nec de futuris ullus redarguere prævalet, quia carnem quidem D ex carne traxit Adam, sed tamen nullam culpam peccati ex origine traxit Adæ. De quo veracissime apostolus Petrus ait: « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II). » Et ipse Dominus de seipso: « Venit ad me princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV). » Nec solum ejus sancta conceptio atque nativitas absque peccato fuit, sed etiam omnis ejus operatio, prædicatio, atque inter homines conversatio irreprehensibilis apparuit, sicut ipse ait in Evangelio: « Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo (*Joan* XVIII). » Et iterum: « Opera

A quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me (*Joan.* X). » Ut autem ostenderet eos a peccatis liberari posse, si in eum credere vellent, subjunxit, dicens: « Si veritatem dico, quare non creditis mihi? » Veritas ipse est qui ait: « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). » Ac si diceret: Cum mihi qui veritas sum, a Patre veritatis veniens, veritatem vobis loquenti non creditis, profecto filios illius vos esse ostenditis, qui ab initio mendax fuit, et in veritate non stetit, quoniam veritas in eo non est.

« Qui est ex Deo, verba Dei audit. » In his verbis unusquisque suam conscientiam probare potest, utrum ex Deo sit an non. Qui enim verbum Dei libenter audit, et libentius opere complet, nullo modo se ex Deo esse dubitet, quoniam sicut Dominus ait in Evangelio: « Non est arbor mala faciens fructus bonos (*Matth.* VII). » Qui vero vecors et durus verbum Dei audire contemnit, vel si cum aure corporis audierit, illud nullo studio vel labore in opere mittere conatur, profecto se ex Deo non esse manifestat; quales erant isti, quibus a Domino dicitur: « Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. » In quibus verbis quæstio oritur, quare Dominus dicat Judæis: « Vos ex Deo non estis, » cum alibi scriptum sit: « Vidit Deus cuncta quæ fecit, et erant valde bona (*Gen.* I). » Et iterum: « Qui manet in æternum, creavit omnia simul (*Eccli.* XVIII). » Ad quod dicendum, quia non negat eos natura ex Deo esse, sed vitio. Aliud est enim natura in homine, aliud peccatum: Natura in homine, a Deo creata valde bona est, peccatum a diabolo inventum est. Bonum quippe sine malo esse potest, malum vero sine bono esse non potest; quia privatio boni, nihil aliud est, nisi inventio mali. Igitur conditione ex Deo erant, sed vitio ex Deo non erant. Quod apertius cognoscimus, si paululum hujus lectionis superiora attendamus. Legimus enim quia eosdem Judæos filios Abrahæ confessus est, dicens (*Joan.* VIII): « Scio quia filii Abrahæ estis; » et post pauca esse filios Abrahæ negavit, subjiciens: « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. » Ergo per propaginem carnis filii erant Abrahæ, sed per imitationem humilitatis et fidei, non erant filii Abrahæ. Sic ergo, ut dictum est, natura ex Deo erant, sed vitio ex Deo non erant. Quod genus locutionis adeo usitatissimum est in Scripturis, ut etiam in communi locutione reperiatur. Verbi gratia: video hominem peccatorem; cum hominem nominamus, naturam intelligimus; cum subjungimus peccatorem, vitium. Similiter etiam et homines bonos dicimus et homines malos: bonos, quia a Deo sunt conditi; malos, quia vitiosi. Et dicimus angelum bonum, et angelum malum: non quod ipse per naturam malus esse possit, sed quod vitio se malum esse fecit. Sed quod Dominus verbis de Judæis testatur, scilicet quod ex Deo non essent, ipsi de se operibus manifestant. Nam ex correptione, qua emendari debuerant, deteriores effecti sunt. Quia sicut sequitur:

« Responderunt, et dixerunt ei: Nonne bene « dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmo- « nium habes? » Quod ut ad vituperationem pertineat, illos Dominum dæmonium habere dixisse, manifestum est. Sed quid vituperationis habeat, quod eum Samaritanum nominaverint, propter eos, qui historiam ignorant, commemorandum est. Legimus enim in Regnorum libris (*III Reg.* XII), quod decem tribus filiorum Israel in Samaria ad suggestionem Jeroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israel, relicto Deo patrum suorum, vitulos aureos et argenteos, quos ipse in Bethel et Dan statuerat, coluerint. Et idcirco suscitavit Dominus contra illos Salmanasar regem Assyriorum, qui duxit eos captivos in exteras nationes, ita tamen, ut in eorum regione alias gentes constitueret. Quæ etiam cum ibi deos suos colerent, misit Dominus in eos pessimas bestias, ursos scilicet et leones, ad quorum morsus et plagas cum plures morerentur, miserunt nuntios ad regem, dicentes: « Terra in qua habitamus optima est, sed habitatores suos devorat, eo quod ignoremus legitima Dei terræ colere. » Tunc rex, inito consilio, misit unum de sacerdotibus Hebræorum qui eos legitima Dei terræ colere doceret, et eo tempore ipsæ gentes Deum cœli coluerunt, non tamen idola sua relinquentes. Tribus autem Juda et Benjamin, in quibus reges de stirpe David regnabant, sicut ei Dominus promiserat lucernam ei se daturum ex semine ejus in æternum, necdum adhuc ductæ in captivitatem, in Jerusalem manebant. Ex quo tempore Judæi dicti sunt, non ut quidam putant, a Juda Machabæo. Tanta igitur discordia inter Judæos et prædictos Samaritanos excrevit, ut nullus Judæorum familiariter colloquium habere dignaretur cum eis, nec convivium participare, nec aliquam societatem habere, sicut ostendit mulier Samaritana, quæ Domino dixisse fertur, sicut in Evangelio legitur: « Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim contuntur Judæi Samaritanis (*Joan.* IV). » Quemcunque autem Judæi improperio lacessere volebant, illum Samaritanum vocabant. Unde contra Dominum felle commoti, quia nec vera mala quæ exprobrarent invenire poterant, falsa improperia imposuerunt, dicentes eum dæmonium habere, et Samaritanum esse. Et cum in veritate eis respondere posset, Vos dæmonium habetis, noluit, sed verum malum quod in ipsis esse cognovit, patienter tacuit, imitabilem nobis patientiam ostendens, ut quotiescunque a proximis injurias patimur, eorum vera mala patienter taceamus, ne forte talis correptio non ex dilectione, sed ex vindicta nata videatur.

« Respondit Jesus et dixit illis: Ego dæmonium « non habeo. » Notandum autem quod duo ei opposita fuerunt, sed ipse unum negavit, alterum vero tacendo consensit. Negavit se dæmonium habere, non tamen negavit se esse Samaritanum. Samaritanus quippe interpretatur *custos*. Noluit ergo Dominus se Samaritanum esse negare, se nostrum noverat esse custodem, illum scilicet, cui Propheta suam fragilitatem custodiendam commendavit, cum dixit: « Custodi me, Domine, ut pupillam oculi (*Psal.* X). » Et iterum: « Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi (*Psal.* CXL). » Et: « Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel (*Psal.* CXX). » Et: « Custodiens parvulos Dominus (*Psal.* CXIV). » Iste est enim ille Samaritanus, qui proximum suum inveniens vulneratum, alligavit vulnera ejus, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit (*Luc.* XVII). De quo per prophetam Isaiam dicitur: « Onus Duma ad me clamat ex Seir: Custos, quid de nocte, custos, quid de nocte? Dixit custos: Venit mane et nox. Si quæritis, quærite; convertimini et videte (*Isa.* XXI). » « Sed « honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. » In multis locis Evangelii invenimus Filium Patrem honorificasse. Non solum enim incarnationis suæ mysterium ad Patris gloriam retorsit, sed etiam prædicationem, miraculorum ostensionem et infirmorum, sicut ipse ait: « Ego a meipso non veni, sed Pater meus misit me (*Joan.* VIII). » Et iterum: « Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me, Patris (*Joan.* VII). » Et alibi: « Pater major me est (*Joan.* XIV). » Et iterum: « Pater sancte, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi (*Joan.* XVII). » Et iterum: « Ego a meipso nihil facio (*Joan.* VIII). » Et in passione: « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI). » Sed Judæi Filium Patrem honorantem inhonoraverunt, quando dixerunt: « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Matth.* XII). » Et iterum: « Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes (*Joan.* XIII)? » Et: « Hic homo non est a Deo, qui sabbatum non custodit (*Joan.* IX). » Et: « Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan.* XVIII). »

« Ego non quæro gloriam meam: est qui quærat « et judicet. » Cum Filius Dei multa signa faceret, multas virtutes ostenderet, gloriam suam non quæsivit. Ut nos ejus exemplo instructi, dicamus de bono quod agimus non gloriari, ne forte dirigatur ad nos illa sententia, quæ ait: « Qui superbis, terra et cinis (*Eccli.* X)? » Unde Apostolus gloriantem in se præsumptionem reprimit, dicens: « Quid habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis (*I Cor.* IV)? » Sed quæritur quare dicat: « Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat et judicet, » cum alibi dixisse legatur: « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V)? » Si Pater omne judicium dedit Filio, quare idem Filius post acceptam contumeliam dicit: « Est qui quærat et judicet? » Ad quod dicendum, quia judicium in Scripturis duplicem significationem habet. Aliquando autem ad discretionem, aliquando pertinet ad damnationem. Nisi enim ad discretionem pertineret, nequaquam Psalmista diceret: « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (*Psal.* XLII). » Et: « Deus, in nomine tuo

salvum me fac (*Psal.* LIII). » Et nisi ad condemnationem pertineret, Salvator nullo modo in Evangelio dixisset: «Veniet hora, quando mortui audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala, in resurrectionem judicii (*Joan.* V). » Ergo in hoc loco judicium ad discretionem pertinet, cum ait: « Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat et judicet. » Ac si diceret: Est Pater meus qui discernit inter causam meam et vestram. Mittens enim Deus Pater Filium suum in mundum, non solum a reprobis, sed etiam a justis ejus causam longe discretam ostendit. Alii enim cum peccato nascuntur, ille sine peccato est natus; alii ad mensuram accipiunt Spiritum sanctum, in eo autem habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, sicut Isaias ait: « Et requievit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » De qua discretione per Psalmistam dicitur: « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis (*Psal.* XLIV). » Secundum vero illud judicium, quo reprobi in condemnationem mittentur, Pater non dicitur quemquam judicare, sed omne judicium dedit Filio: quia justum et æquum est ut Filius Dei, qui ab hominibus injuste est judicatus, in universali judicio judex vivorum et mortuorum appareat, et segreget bonos a malis, sicut ipse ait: « Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor separat oves ab hædis (*Matth.* XXV). » De quo judicio alibi in Evangelio legitur: « Potestatem dedit ei Pater facere judicium, quia filius hominis est (*Joan.* V). » Et Apostolus: « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum (*II Cor.* V). » Nec alicui impossibile debet videri, uno judicii nomine duas habere significationes. cum multa talia inveniantur in Scripturis. Est enim tentatio adducens gloriam. et est tentatio adducens peccatum. Est timor servilis, quem perfecta charitas foras expellit: et est timor castus, qui permanet in sæculum sæculi. Sic est et judicium quod pertinet ad discretionem, et judicium quod ad condemnationem. Sed nec ingratus Dominus beneficium suæ prædicationis subtrahit. Nam quos per increpationem corrigi non videbat, blanda promissione ad corrigendum provocat, dicens:

« Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum « servaverit, mortem non videbit in æternum. » Semper enim amen in Evangelio geminatur, ut quod dicit, credatur verius. Quæritur autem quare dicat: « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum, » cum legamus sanctos patres servasse Domini sermonem, et tamen mortem corporis nullo modo evasisse, excepto Elia et Enoch, qui quamvis adhuc vivant, mortem tamen corporis non evadent. Ex quo enim primus parens noster præceptum vitæ contempsit, se suamque sobolem conditioni mortis substravit, juxta sententiam Domini comminantis: « Quocunque die comederitis ex ligno scientiæ boni et mali, morte moriemini (*Genes.* II). » Et unde Scriptura dicit: « Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? » (*Psal.* LXXXVIII.) Subauditur, nullus. Hæc autem lex humanæ conditioni constituta est, ut qui gustaverit vitam, gustet et mortem, maxime cum de Domino scriptum est: « Et Domini Domini exitus mortis (*Psal.* LXVII). » Quare ergo dicit: « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum? » Ad quod dicendum quia alia est mors animæ, et alia corporis. Anima namque per peccatum moritur, sicut scriptum est: « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII): » corpus vero propter pœnam peccati. quia sicut ait Scriptura: « Peccata cum consummata fuerint, generant mortem (*Jac.* I). » Utriusque igitur genus mortis Dominus comprehendit, cum dicit: « Sine mortuos sepelire mortuos suos (*Luc.* IX), » id est ut mortui animæ sepeliant mortuos corporis. Vita quippe corporis, anima est: et vita animæ Deus est. Sicut enim moritur corpus sine anima, sic anima sine Deo. De hac ergo morte, id est de morte animæ, de morte perpetua, de morte gehennali dicit: « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. » Quoniam quicunque præceptum Domini custodierit, licet in mortem corporis incidat, tamen a morte animæ liberabitur, canens cum Propheta: « Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es (*Psal.* XXII). » Unde Dominus in Evangelio: « Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit et credit in me non morietur in æternum (*Joan.* XI). » Et Joannes in Apocalypsi: « Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima (*Apoc.* XX). » In his secunda, id est animæ, mors non habet potestatem, id est quando anima de vitiis in hoc sæculo transit ad virtutes. Quod ut facilius intelligatur, aliquod ponamus exemplum. Verbi gratia, quibusdam dictum est: Adorate idola, alioquin interficiemini. At illi magis mortem corporis timentes quam animæ, adoraverunt, et in mortem animæ inciderunt, nec tantum mortem corporis perenniter evaserunt. De talibus scriptum est: « Mors peccatorum pessima (*Psal.* XXXIII). » Aliis etiam dictum est: Adorate idola, alioquin mittemini in caminum ignis ardentis. Illi vero magis mortem animæ quam corporis timentes, fiducialiter responderunt, dicentes: « Potens est nos Dominus de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti, non adoramus (*Dan.* III). » Et ideo quia magis dilexerunt vitam animæ, quam timuissent mortem corporis, et istam ad tempus evaserunt. Et si in camino morerentur, « pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV). » Sed quæritur quare dixerit, « Mortem non videbit in æternum. » cum hæc visum potius auferat, quam tribuat. Ad quod etiam

respondendum, quia videre in hoc loco pro sentire A vel experiri ponitur. Sicut enim et fossa cæca dicitur, non quod oculis careat, quos nunquam habuit, sed quia eos, quos intra se retinet, non videntes facit; et sicut tristes lupinos dicimus, non quod ipsi tristes vel læti esse possint, sed quia de se gustantes tristes reddunt, propter amaritudinem : sic et mors videri dicitur, eo quod amaritudinem suam sentiri facit. Sed quia Judæi in mortem inciderant animæ, ita ut eam minime viderunt :

« Nunc cognovimus quia dæmonium habes. « Abraham mortuus est et prophetæ: et tu dicis: Si « quis sermonem meum servaverit, non gustabit « mortem in æternum. » Quomodo intellexerunt, ita et responderunt. Ac si dicerent : Et si hucusque indubii fuimus te dæmonium non habere, nunc vera- B citer credimus, cum dicis : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit, cum Abraham mortuus sit. » Quod enim Dominus de morte animæ dicebat, ille de morte corporea intelligentes, cum quodam jurgio responderunt, dicentes :

« Nunquid tu major es patre nostro Abraham, qui « mortuus est? et prophetæ mortui sunt. Quem « teipsum facis? » Ac si dicerent : Nimium extolleris, superflue elevaris, ultra modum erigeris, cum servatores sermonum tuorum Abrahæ et prophetis præferre præsumis, quos constat et sermonem Domini servasse, et tamen mortuos corpore esse. Et quia temporalem gloriam non permanentem vidit eos quærere, ad humilitatem sectandam provocando eos, respondit : « Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est (*Joan.* VIII). » Ac si diceret : Gloria mea C nihil esse posset, si ego meipsum glorificare vellem. Ergo gloria vestra nihil est : quia ab invicem gloriam quæritis : et gloriam quæ a solo Deo est, non desideratis. Scriptum est enim : « Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua (*Prov.* XVII). » Unde et subditur :

« Est Pater meus qui glorificat me, quem vos « dicitis quia Deus noster est. » Si quis historiam sancti Evangelii recenseat, facile potest reperire qualiter Pater Filium glorificaverit. Glorificavit Filium Pater, quando eo baptizato vox de cœlo intonuit, dicens : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui (*Marc.* I). » Glorificavit etiam, quando et coram discipulis in monte transfiguratus est, et eadem vox intonuit, dicens : « Hic est Filius meus D dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite (*Matth.* XVII). » Glorificavit, quando tales virtutes et signa per eum fecit, ut ipsum hominem Deum esse ostenderet. Unde eodem Filio dicente : « Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret (*Joan.* XVII), » respondit Pater : « Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* XI). » Clarificavit alibi Filius Patrem, quando dixit : « Ego a meipso non veni, sed Pater meus misit me (*Joan.* VIII). » Clarificat etiam quando opera et virtutes, quas fecit, ad Patris gloriam reduxit, dicens : « Mea doctrina non est mea' sed ejus qui misit me Patris (*Joan.* VI). » Unde alibi scriptum est : « Pater sancte, ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem (*Joan.* XVII). » Ex nulla vero causa alia magis Judæi contra Dominum irascebantur, quam ex ea, quod Deum illorum Patrem suum esse dicebat, sicut idem Joannes alibi ostendit, cum dicit : « Propterea quærebant Judæi Jesum interficere, quia non solum sabbatum solvebat, sed etiam Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo (*Joan.* V). » Sed quamvis irascerentur, quamvis indignarentur, quamvis fremerent, Veritas semper tamen dicebat veritatem, ostendens nobis quia quotiescunque pro veritate scandalum nascitur, melius est ut scandalum sustineatur, quam veritas relinquatur.

« Et non cognovistis eum. » In hoc se Judæi Patrem non cognovisse ostenderunt, quia Filium ejus ab eo missum non crediderunt. Si enim Patrem cognovissent, utique et Filio ejus credidissent, sicut ipse Filius eis dicit; « Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique et me, quia a Deo exivi et veni (*Joan.* VIII). » Bene etiam subditur : « Ego autem novi eum. » Aliter enim Filius Patrem novit, et aliter nos. Nos vero ex tempore ab illo illuminati, parum de ejus subtili natura sentimus. Illi autem nosse Patrem est, coæternum et consubtantialem semper cum eo esse, sicut ipse dicit : « Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem (*Joan.* X). » « Et si dixero quia nescio « eum, ero similis vobis, mendax. » Cum enim (ut ait Scriptura) « omnis homo mendax (*Psal.* CXV), » Deus autem solus verax, sicut ipse ait : « Ego sum veritas (*Joan.* XIV), » multo deterius Judæi mendaces erant, qui Filium Dei dæmonium habere dicebant. « Sed scio eum, et sermonem ejus servo. » Ac si diceret : Sed invisibilem Deum videre non valetis, ex operibus, quæ in nomine ejus facio, me ab illo missum esse cognoscere potestis, sicut ipse ait : « Si mihi non creditis, vel operibus credite (*Joan.* X). » Et iterum : « Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonia perhibent de me (*Ibid*). » Et quia inde me eum cognoscere manifesto, quia sermonem ejus servo, profecto vos falso illum cognoscere gloriamini, cujus præcepta contemnitis. Unde Joannes apostolus : « Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* II). »

« Abraham pater vester exsultavit ut videret diem « meum; vidit, et gavisus est. » Quærit fortasse aliquis, ubi vel quando beatus Abraham patriarcha diem Christi vidisse, et gavisus esse inveniatur. Sed si ejus opera diligenter inspicimus, et ea spiritualiter consideramus, citius cognoscimus, ubi vel quando diem Christi viderit, et gavisus sit. Legimus enim in Genesi quia, cum esset senex provectæque ætatis, servum seniorem domus suæ vocavit ad se, et ait illi : « Mitte manum tuam sub femore meo, et jura mihi per Deum cœli, quod non accipias uxorem filio meo de filiabus Chanaan, inter quos habito, sed proficiscaris ad terram et cognationem meam, et

inde filio meo Isaac, accipias uxorem (*Gen.* XXIV). » Quid sibi vult talis adjuratio? Quid Deus cœli ad femur Abrahæ pertinet, aut femur Abrahæ ad Deum cœli? Si autem per femur, ut quid per Deum? et si per Deum, ut quid per femur adjuravit? Nimirum per femur propago carnis designatur? Cum igitur servum per Deum cœli et femur adjuravit, ostendit quia intellexit illum de stirpe sua nasciturum, qui sic ad ejus femur pertinet, ut merito Deus cœli crederetur, et sic vidit Abraham diem Christi, et gavisus est; ineffabili namque gaudio potuit exsultare, quando eum de stirpe sua prævidit nasciturum, per quem non solum ipse salvaretur, sed etiam totus mundus redimeretur, et impletur promissio Domini ad eum dicentis: « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII). » Sive aliter: Abraham diem Christi vidit, et gavisus est, quando in figura sanctæ Trinitatis tres angelos meridie hospitio suscepit (*Gen.* XVIII). Tres enim vidit, et unum adoravit, quia in Trinitate unitatem credidit. Ibi ergo personam Christi intellexit, et tunc diem ejus vidit, et gavisus est. Unde ipsa Scriptura statim subjunxit dicens: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (*Rom.* IV). » Et quia sæpe præfati perfidi Judæi profundum divinitatis mysterium penetrare nequibant, in ætate humanitatis cæcis mentibus oberrabant, dicentes:

« Quinquaginta annos nondum habes et Abraham « vidisti? » Quia viderunt Dominum Jesum Christum hominem, non considerabant Deum esse conjunctum, ad humanitatem tantum respicientes, ideo dicebant nondum eum quinquaginta annos habere. Et quoniam Dominus Jesus Christus verus Deus, sine initio et sine fine ubique præsens est, ante quinquaginta annos Abraham viderat, et videbat. Sed ille qui minus quam quinquaginta annos per humanitatem habebat ut ostenderet se ante omnia sæcula per divinitatem esse adjunxit:

« Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fie« ret, ego sum. » Ubi notandum, ut ostenderet se verum Deum esse, non dixit, Ego fui, sed, « antequam Abraham fieret, ego sum. « Sum quippe præsentis temporis verbum, nec præteritum, nec futurum sonat, sed semper præsens. Et ideo illi soli congruit, cui nec præterita transeunt, nec futura succedunt, sed semper illi est esse, æternum et incommutabilem permanere. Unde quærenti Moysi: « Si dixerint mihi » filii Israel, » quod est nomen » tuum, quid dicam eis? respondit: Hæc dices filiis Israel: «Ego sum qui sum; qui est, misit me ad vos (*Exod.* III). » Nec solum ante Abraham est, sed etiam ante omne initium, sicut ipse ait: « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII), » cui in laude sapientiæ dicitur: « Dominus possedit me initio viarum suarum (*Prov.* VIII). » Et iterum: « Ego ex ore Altissimi prodivi (*Eccli.* XXIV). » Postquam a Domino se superatos esse viderunt, ita ut verba verbis opponere non possent, felle invidiæ commoti, lapidibus eum necare conati sunt. Unde et subditur:

« Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. » Recte ad lapides cucurrerunt, qui lapideum cor habebant, quibus bene congruit, quod eorum patribus per prophetam dictum fuerat: « Nervus ferreus cervix tua, et frons tua ænea (*Isa.* XLVIII). » Non enim erant de illis quibus Dominus per prophetam ait: « Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum (*Ezech.* XI), » sed in saxorum soliditate duri erant, quoniam Dominum Jesum Christum Dei Filium, qui per eorum prophetas eis fuerat promissus, miracula facientem, prædicantem, et operantem, sicut scriptum habebant, præsentialiter videbant et non recognoscebant, sed lapidare volebant. Et quia non venerat potestate, sed humilitate hostes suos vincere, jure subditur: « Jesus autem abscondit se, « et exivit de templo. » Væ Judæis a quibus se abscondit. Abscondit enim se ab aspectibus eorum corpore, qui non merebantur eum videre mente. Non enim Dominus ante manus persequentium sese abscondit, ut mori timeret, qui pro nobis mori venerat, sed humilitatis gratia, ut congruo tempore congruam mortem susciperet, videlicet crucis. Dignum namque erat ut, quia primus homo per lignum vetitum ceciderat, per lignum sanctæ crucis restauraretur, quod in sequentibus manifestius habetur. Sed pulchre utraque Domini natura in fine hujus lectionis, divina scilicet et humana, nobis demonstratur, si hanc cum altera conferamus. Legimus enim quia cum ducerent eum usque ad supercilium montis, super quem civitas eorum ædificata erat, ut inde eum præcipitarent, ipse transiens per medium illorum ibat (*Luc.* IV). Et in eodem Joanne, quia cum misissent principes et sacerdotes milites, qui eum comprehenderent, Jesus processit obviam illis, et interrogavit eos: « Quem quæritis? At illi responderunt: Jesum Nazarenum. Ait illis: Ego sum. » Statim ut dixit, ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram (*Joan* XVIII). Quasi ergo homo ab oculis lapidantium se abscondit, sed quasi Deus per medium persequentium transivit, et inimicos prostravit suos. Qui enim solo verbo inimicos prostravit, Deus est. Qui autem corporaliter, ut homo inter alios homines, se abscondit, homo verus erat.

HOMILIA LVII.

FERIA SECUNDA POST *Judica*.

(JOAN. VII.) « In illo tempore: Miserunt principes « et Pharisæi ministros, ut apprehenderent Jesum. » Miserunt ministros, ut eum comprehenderent, quem apprehendere non potuerunt, adhuc nolentem ut comprehenderetur, sed audierunt docentem, qui venerant apprehendere innocentem.

« Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus « vobiscum sum. » Quod modo vultis facere, facturi estis, sed non modo, quia modo nolo. Quare adhuc modo nolo? « Quia adhuc modicum tempus vobiscum sum, et tunc vado ad eum qui misit me. » Implere debeo dispensationem meam, et sic pervenire ad passionem meam.

« Quæretis me et non invenietis me, et ubi sum « ego, vos non potestis venire. » Hic jam resurrectionem suam prædixit. Noluerunt enim agnoscere præsentem, et postea quæsierunt eum, cum viderent multitudinem jam credentem. Magna enim signa facta sunt, etiam cum Dominus resurrexit, et cum in cœlum ascendit, tunc per discipulos facta sunt magna, sed ille per illos, qui et per ipsum. Ille quippe illis dixerat : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv). » Quare non potuerunt venire ? Quia noluerunt credere, quia nullus sine fide salvari potest.

« Dixerunt ergo Judæi, » non ad ipsum, sed ad semetipsos : « Quo hic iturus est, quia non inve-« niemus eum ? Nunquid in dispersionem gentium « iturus est, et docturus gentes ? » Non enim sciebant quid dixerunt, sed quia ille voluit prophetaverunt. Iturus enim erat Dominus ad gentes, non præsentia corporis sui, sed potestate divina in discipulis suis, de quibus dixit per prophetam : « Quam pulchri pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona ! » (*Isa.* xxv ; *Rom.* x.) In his pedibus Christus iturus erat ad gentes, et per eos docturus gentes, ut fidem acciperent gentes, quam Judæi spreverunt. Qui verum nescientes prophetaverunt qui ignoraverunt Christum dicentem : « Et ubi sum ego vos non potestis venire. » Quare vos non potestis venire ? Quia non vultis credere. Quid est quod dixit, « ubi sum ego, » nisi in sinu Patris, consempiternus Patri ? In terra loquebatur, sed in Patris sinu se esse monstrabat. Ante cæteras dispensationes Domini nostri, et doctrinas salutis nostræ, et dubitationes Judæorum de Domino Jesu Christo, quæ dixit, quibus alii confunderentur, alii docerentur, novissimo festivitatis illius die (tunc enim ista agebantur, quæ appellabantur scenopegia, id est tabernaculorum constructio, quia festivitate jam ante meminit charitas vestra fuisse disertum) vocat Dominus Christus, et hoc non utcunque loquendo, sed clamando, ut qui sitit, veniat ad eum. Sitimus, veniamus : et non pedibus, sed affectibus, nec migrando, sed amando veniamus. Quanquam etiam secundum interiorem hominem, et qui amat migrat. Et aliud est migrare corpore, aliud corde. Migrat corpore, qui motu corporis mutat locum. Migrat corde, qui motu cordis affectum mutat. Si aliud amas, aliud amabas, non ibi eras. Clamat ergo nobis Dominus, stabat enim et clamabat :

« Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit « in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre « ejus fluent aquæ vivæ. » Quod hoc esset quando Evangelista exposuit, immorari non debemus. Unde enim dixerit Dominus : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Et qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » consequenter exposuit evangelista, dicens :

« Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi « erant credentes in eum. » Hoc tantum sciamus, quod de charitate hoc clamabat Dominus Jesus. Clamabat ergo et dicit, ut veniamus et bibamus, si intus sit animus. Et dicit, quia, cum biberimus, flumina aquæ vivæ fluent de ventre nostro. Venter interioris hominis est conscientia cordis ejus. Bibito ergo isto liquore, reviviscit purgata conscientia, et hauriens fontem habebit, etiam ipsa fons erit. Quid est fons, vel quid est fluvius, qui manat de ventre interioris hominis ? Benevolentia, qua vult consulere proximo. Bibunt ergo, qui credunt in Domino. Si enim putat, quia quod bibit, soli ipsi debeat sufficere, non fluit aqua viva de ventre ejus. Si autem proximo festinat consulere, ideo non siccatur, quia manat. Videbimus quid nunc sit, quod bibunt, qui credunt in Deum, quia utique Christiani simus, et si credidimus, bibimus. Et unusquisque in se debet cognoscere quod bibit, si bibit ex eo quod bibit. Non enim nos deseret fons, si non deseramus fontem. Exposuit evangelista, et dixit unde Dominus clamasset, ad qualem potum invitasset, quid bibentibus propinasset, dicens : « Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. « Non-« dum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum « fuerat glorificatus. » Quem dicit spiritum, nisi sanctum Spiritum ? Nam unusquisque homo habet in se proprium spiritum, id est animum. Animus enim cujuscunque ejus est spiritus, de quo dicit Paulus apostolus : « Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus qui in ipso est (*I Cor.* II) ? » Sed quid est quod ait : « Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus ? » Nunquid non Spiritus sanctus fuit in sanctis Dei et prophetis, patriarchis, qui multa per Spiritum sanctum futura prædixerunt ? Igitur et de Elizabeth legitur (*Luc.* I), Spiritu sancto repletam esse, et de Zacharia similiter dicente evangelista : « Et Zacharias repletus est Spiritu sancto, et prophetavit. » Quid est quod dicit, Spiritus sanctus nondum fuerat datus ? Multa ergo indicia præcedentis Spiritus sancti habemus, antequam Dominus glorificaretur resurrectione carnis. Non enim alium Spiritum etiam prophetæ habuerunt, qui Christum venturum prænuntiaverunt, sed modus quidam futurus erat donationis hujus, qui omnino antea congregatos homines accepto Spiritu sancto, linguis omnium gentium fecit locutos fuisse. Post resurrectionem autem suam, primum quando apparuit discipulis suis, dixit illis : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* xx). » De hoc ergo dictum est : Non erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus, et insufflavit in faciem eorum. Quo flatu primum hominem quem fecit, vivificavit et de limo erexit. Quo flatu animam membris ejus dedit, significans eumdem esse spiritum, quem insufflavit in faciem eorum, ut a luto exsurgerent, et luteis operibus renuntiarent. Tunc primum post resurrectionem suam, quam dicit evangelista glorificationem, dedit discipulis suis Spiritum sanctum. Deinde commoratus cum eis quadraginta diebus, ut liber Actuum apostolorum demonstrat (*Act.* I, II), ipsis videntibus, et videndo deducentibus, ascendit in cœlum. Ibi peractis decem die-

bus pentecostes, misit illis desuper Spiritum sanctum, qui (sicut dixi) fuerant uno in loco congregati. Accepto autem Spiritu sancto, omnium gentium linguis locuti sunt. Quærit aliquis forsitan, baptizati in Christo, et in charitate præceptorum ejus viventes, quare omnium gentium linguis non loquantur, dum certum est Spiritum sanctum eos accepisse? Quia ipsa Ecclesia, quæ est corpus Christi, omnium gentium linguis loquitur. Quod tunc in primitiva Ecclesia præsignatum est, quæ in Judæa tantummodo gente initiata est, nunc vero ex omnibus gentibus congregata. Quomodo vero unus tunc homo loquebatur linguis, ita modo unitas sanctæ Ecclesiæ omnibus loquitur linguis. Accepimus ergo et nos Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam, si charitate compaginamur, si catholico nomine et fide gaudemus. Igitur quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum sanctum. Habemus ergo Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam. Amamus autem, si in ejus compage et charitate consistimus, quam Apostolus omnibus virtutibus fiducialiter præposuit. Quicunque ipsam habet cuncta habebit bona: quia sine illa nihil proderit, quidquid habere potuerit homo, de qua beatus Jacobus apostolus ait: « Qui autem offenderit in uno, factus est omnium reus (*Jac.* II). » De hac etiam et ipsa Veritas ait: « In hoc enim cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII). »

HOMILIA LVIII.

FERIA TERTIA POST *Judica*.

(JOAN. VII.) « In illo tempore: Ambulabat Jesus « in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambu« lare, quia quærebant eum Judæi interficere, » et reliqua.

Hoc infirmitati nostræ præbebat exemplum, non ipse perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem. Futurum erat (ut dixi) ut aliquis fidelis ejus absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur. Et ne illi pro crimine objiceretur latibulum, præcessit in capite, quod in membris confirmaretur. Potuit enim Christus ambulare inter Judæos et non occidi, qui ait: « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. » Hanc potestatem ostendit dum voluit, dum ad vocem illius retro ceciderunt, qui cum eum armis venerunt apprehendere.

« Erat autem in proximo dies festus Judæorum scenopegia. » Scenopegia dies festus erat Tabernaculorum, quo Judæi mense septimo in tabernaculis sub ramis arborum habitare diebus septem jubebantur, ad memoriam habitationis illorum in eremo. Iste erat dies festus, quem Judæi magna solemnitate celebrabant, ut reminiscerentur beneficiorum Domini, qui eos eduxit de terra Ægypti. Dies festus more Judæorum, dicitur non unus dies, sed quotquot illius festivitatis fuerunt, quasi unum diem festum, propter unius festivitatis consuetudinem nominare solebant.

« Dixerunt ergo ad eum fratres ejus: Transi « hinc, et vade in Judæam. » Fratres enim Domini usitatissimo sanctæ Scripturæ more, consanguinei sanctæ Mariæ semper virginis dicebantur. Nam Abraham et Lot fratres sunt dicti, cum Abraham patruus esset Lot. Et Laban et Jacob fratres sunt dicti, cum esset Laban avunculus Jacob. Cum ergo audieritis fratres Domini, Mariæ cogitate consanguinitatem, non iterum parientis ullam propaginem. Diximus fratres qui fuerint, audiamus quid dixerint: « Transi hinc, et vade in Judæam, ut discipuli tui vi« deant opera tua quæ facis. » Opera Domini discipulos non latebant, sed istos latebant. Isti enim fratres, id est, consanguinei Christum consanguineum habere potuerunt. Credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt, ideo continuo evangelista secutus est:

« Neque enim fratres ejus credebant in eum. » Quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant, dicentes ad eum: « Transi hinc et vade in Judæam, ut discipuli tui videant opera tua quæ facis. »

« Nemo quippe in occulto aliquid facit, et quærit « ipse in palam esse. Si hæc facis, manifesta teip« sum mundo. » Nam his verbis ostenditur, gloriam illius carnaliter quærere eos; quasi dixissent: Facis mirabilia, sed abscondite. Transi in Judæam, ut principatus gentis, et civitas caput regni, videant mirabilia tua. Innotescere, appare omnibus, ut laudari possis ab omnibus. Quid ergo ad hæc Dominus Jesus dicit, audiamus:

« Meum tempus nondum advenit, tempus autem « vestrum semper est paratum. » Apostolus dicit: « Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (*Gal.* IV). » Tempus vero gloriæ Christi necdum venit, cum hæc locutus est, quod illi videntur quærere, qui ei suadebant ire in Judæam miracula facere, mundo innotescere, ne latens ignobilis putaretur. Sed ille voluit altitudinem humilitate procedere et ad ipsam celsitudinem per humilitatis viam pervenire. « Tempus autem vestrum, » id est mundi gloria, « semper est paratum. » Est enim tempus gloriæ, ut qui venit in humilitate, veniat in altitudine: qui venit judicandus, veniat judicaturus: qui venit occidi a mortuis, veniat judicare de vivis et mortuis.

« Vos ascendite ad diem festum hunc. » Quid est hunc? Ubi gloriam humanam quæritis. Quid est hunc? Ubi extendere vultis carnalia gaudia, non æterna cogitate.

« Ego enim non ascendam ad diem festum hunc, « quia tempus nondum impletum est. » In die festo gloriam vos humanam quæritis « meum vero tempus, » id est, gloria mea, « nondum venit. » Ipse enim dies festus meus, non diebus istis percurrens et transiens, sed permanens in æternum, ipse erit festivitas, gaudium sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube.

« Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut

« autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascen- « dit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in « occulto. » Ideo non ad diem festum hunc, quia non gloriari temporaliter, sed aliquid salubriter docere, corrigere homines, de die festo æterno admonere, ab amore sæculi avertere, et ad Deum convertere. Quid est autem quod quasi latenter ascendit ad diem festum? Non vacat et hoc Domini opus. Nam omnes dies festi Judæorum, in figura fuerunt. Ideo Christus latenter ascendebat in eis, quia Christus latuit in illis: populo vero priori occultus, modo vero meliori populo manifestus. Quia quod ille populus in umbra agebat, nos vero manifesta luce facimus. Licet quidam intelligere velint, hanc Domini responsionem, qua ait : « Ego non ascendo ad diem festum hunc (*Joan.* VII), » ad passionem illius pertinere : quia Christus non in festivitate scenopegiæ, sed in festivitate paschali, qua agnus occidi solebat, cruce ascendit.

« Judæis autem quærebant eum in die festo, » antequam ascenderet. Priores enim fratres ascenderunt, et non tunc ascendit ille quando illi putabant et volebant ut jam hoc impleretur quod ait: Non ad hunc, id est, ad quem vos vultis, primum vel secundum diem. Ascendit autem postea, ut Evangelium loquitur, mediato die festo, id est cum jam illius diei festi tot dies præterissent, quod remansissent. Ipsam enim festivitatem quantum intelligendum est, diebus plurimis celebrant.

« Dicebant ergo : Ubi est ille? Et murmur mul- « tum erat de eo in turba. » Unde murmur? De contentione. Quæ fuit contentio? « Quidam enim « dicebant : quia bonus est. Alii autem dicebant : « non, sed seducit turbas. » De omnibus ejus servis hoc dicitur modo, quicunque eminent in aliqua gratia. Alii dicunt, « bonus est: » alii, « non, sed seducit turbas. » Unde hoc? quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hoc patitur corpus Christi usque in finem sæculi a mundi amatoribus, quod tunc passus est a Judæorum murmuratoribus. Necdum frumentum a paleis segregatum est (*Matth.* III), ut grana frumenti congregentur in horreum, et paleæ comburantur igne æterno. Quod dictum est ergo de Domino, valet ad consolationem, de quocunque hoc dictum fuerit Christiano.

« Nemo tamen palam loquebatur de illo propter « metum Judæorum. » « Quidam dicebant, bonus est: alii autem dicebant, non, sed seducit turbas. » Sonitus eorum apparebit tanquam aridorum fluviorum : « seducit turbas, » clarius sonabant: « bonus est, » pressius susurrabant. Modo autem fratres, quamvis nondum venerit illa gloria Christi quæ nos æternos factura est, modo tamen ita crescit Ecclesia ejus, ita enim dignatus est per cuncta diffundere, ut etiam susurretur, seducit turbas; sed clarius personat, bonus est. Nam nova hæresis in angulis occulte susurrat: Christus est adoptivus: sed clarius universalis sanctæ Ecclesiæ vox resonat: Christus est Filius Dei. Propitius sibilant quoque serpentino ore, Christus nuncupatus est Deus: sed expressius firmiusque fidelium omnium unanimitas clamat: Christus Deus est, bonus est, verus Deus est, teste egregio prædicatore, qui ait: Quorum patres ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus.

HOMILIA LIX.

FERIA QUARTA POST *Judica.*

(JOAN. X). « In illo tempore, facta sunt encænia « Hierosolymis, et hiems erat. Et ambulabat Jesus in « templo in porticu Salomonis, » et reliqua. Encænia autem vocabatur solemnitas dedicationis templi, quam populus Dei ex antiqua patrum traditione, per annos singulos celebrare consueverat. Sed notandum est quod hæc encænia, quæ hic leguntur, non ad primam templi dedicationem, sed al ultimam pertinent : quod ex eo facile colligitur, quia hieme facta referuntur. Prima siquidem templi dedicatio a Salomone tempore autumni; secunda autem a Zorobabel et Jesu sacerdote tempore verno ; tertia a Juda Machabæo tempore hiemis est facta, quando specialiter constitutum esse legitur, ut eadem dedicatio per omnes annos in memoriam solemnibus revocaretur officiis : quam etiam ad tempus usque Dominicæ incarnationis observatam fuisse, sicut modo, cum legeretur evangelium, audivimus. Quæ etiam dedicatio, salubri consuetudine, in Ecclesiis Christi reservari moderno tempore dinoscitur. Considerandum nobis est quare evangelista dixisset hæc encænia hiemis tempore facta esse. Omnino propter duritiam Judæorum et infidelitatem, quæ frigoris nomine sæpe designari legitur. « Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis. » Si ergo Dei Filius ambulare voluit in templo, in quo caro et sanguis brutorum animalium offerebatur, multo magis nostræ orationis domum, ubi carnis ipsius ac sanguinis sacramenta celebramus, visitare gaudebit. Si perambulare non despexit porticum, in quo rex quondam mortalis ac terrenus quamvis potentissimus ad orandum stare solebat, quanto magis penetralia cordium nostrorum invisere, atque illustrare desiderat, si tamen ea porticum esse Salomonis, hoc est, si ea timorem suum, qui est « initium sapientiæ (*Psal.* CX), » habere perspexerit. Neque enim putandum est, quia domus solummodo sit. in qua ad orandum vel ad mysteria celebranda convenimus: multo magis templum ejus appellamur et sumus, cum manifeste dicat Apostolus : « Vos estis templum Dei vivi, sicut dixit Deus : Inhabitabo in eis, et inter illos ambulabo (*II Cor.* VI). » Ostendit vero evangelista cur dixisset hiemis tempore, dum inquit :

« Circumdederunt eum Judæi. » Circumdederunt itaque eum tentationis gratia, non veritatis agnoscendæ voluntate. « Et dicebant : Quousque animam « nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. » Hæc vero non voluntate fidei inquirendo, sed illi quem interrogabant insidiando, et calumniam in-

struendo dicebant, ut invenirent quomodo accusarent eum, A nolentes eum credere Deum, sed hominem purum tantummodo futurum, et regem cæteris omnibus excelsiorem esse venturum. Qua etiam dementia posteri eorum usque in præsens, et donec Antichristum pro Christo suscipiant, errare non cessant. Etsi Christum esse responderet, cogitabant eum tradere potestati præsidis puniendum, quasi contra Augustum repugnans, illicitum sibi usurparet imperium. Sed ipse nostræ saluti consulens propter quos hæc scribenda erant, ita responsum temperavit suum, ut ad calumniantium ora concluderet, et quia Christus est, fidelibus aperta voce panderet. Illi enim de homine Christo quærebant, ipse autem divinitatis suæ, qua æqualis est Patri, palam mysteria narrat. Quid ergo Judæi circumdantes Dominum B dixerunt, videamus. « Quousque, inquiunt, animam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam. » Non venit Christus in se credentibus animam tollere, sed animam vivificare. Sed ipsi sibi Judæi animam per infidelitatem tulerunt, qui tentare Christum, non in Christum credere congregati sunt.

« Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis. » Proprie ostendit quis esset dum dixit: « Loquor vobis, » id est, Verbum Dei, coæternum Patri, « quia opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. » Quod est Filius Dei, qui gloriam suam non quæsivit, sed ejus qui misit illum, quia una est gloria Patris et Filii. Sed hanc fidem corda infidelium accipere nequiverunt, de quibus ait :

« Sed vos non creditis. » Causamque reddit cur C non crederent : « Quia non estis ex ovibus meis. » Oves sunt credendo, oves sunt pastorem sequendo, oves sunt Redemptorem non contemnendo, oves sunt per ostium intrando, oves sunt exeundo, et pascua inveniendo. Quomodo ergo istis dixit : « Non estis ex ovibus meis ? » Quia videbat eos ad sempiternam futuros perditionem, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.

« Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco « eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do « eis. » Dicit enim « Cognosco eas. » Consuetudo sanctæ Scripturæ est dicere, Deum nosse quidquid eligit. Apostolo dicente (*II Tim.* II): Novit Dominus qui sunt ejus : et illud nescire, quod non approbat dignum vitæ æternæ. Unde ad impios dicturus erit: D « Non novi vos (*Matth.* VII). » Sequitur de ovibus : « Et ego vitam æternam do eis. » Hæc sunt pascua quæ superius promisit ovibus suis, ubi nulla herba arescit, totum viret, totum viget, totum integrum permanet: et quidquid semel accipitur, semper habetur. « Et non peribunt in æternum. » Hic subaudiendum est, quomodo vos peribitis qui non estis ex ovibus meis. « Et non rapiet eas quisquam de manu « mea, » id est de potestate mea.

« Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus « est. » Quod dedit Pater Filio, majus omnibus est ut ipse illi esset unigenitus Filius, æqualis et consubstantialis. Quid est quod dedit? Utique gignendo dedit, quia non minorem sibi genuit, non tempore posteriorem, sed coæternum, sine initio temporis semper Deum. Non est dicendum, non erat antequam natus erat : nunquam enim non natus erat, qui Patri coæternus erat. Qui sapit, capiat : qui non capit, credat. Nutriatur fide, ut possit capere Verbum Dei, quia Verbum Filius. Semper ergo Filius et semper æqualis. Non enim crescendo, sed nascendo æqualis est, qui semper natus de Patre Filius, de Deo Deus, de æterno coæternus. Pater autem non de Filio Deus, Filius de Patre Deus. Ideo Deus Pater, ideo gignendo dedit ut Deus esset, gignendo dedit ut æqualis esset : hoc est quod majus est omnibus. Ideo transcendit iste Joannes omnes altitudines creaturarum, et millia exercitus angelorum, et magna omnia, pervenit ad illud quod majus est omnibus, et dixit : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Hoc est quod majus omnibus est, id est, ut sim Verbum ejus, ut sim unigenitus Filius ejus, ut sim splendor lucis ejus. Ideo nemo rapit oves de manu mea, et nemo potest rapere de manu Patris mei. Manus Patris et manus Filii, una manus, id est una potestas, una divinitas, una majestas, una æternitas, una æqualitas. Quam videlicet æqualitatem ipse Dominus in divinitate habuit, priusquam mundus esset apud Patrem, ipse in humilitate ex tempore incarnationis accepit.

« Et nemo potest rapere de manu Patris mei. » Aperte dat intelligi unam atque indissimilem esse manum, hoc est virtutem suam et Patris, atque ideo se Christum esse credendum, qui non sicut cæteri sancti factus per gratiam ex tempore, sed verus semper exstiterit Filius Dei (*Joan.* X), quod etiam sequenti sententia luce clarius aperit dicens.

« Ego et Pater unum sumus. » Unum, inquit, sumus, una nobis substantia, una est divinitas, una est æternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. Quibus profecto verbis non præsentem solummodo Judæorum quæstionem, quam, an ipse esset Christus, interrogabant, explicavit, sed etiam hæreticorum perfidiam, quam futuram prævidit, quantum sit exsecranda, monstravit. Conticescat Sabellius, audiens : « Ego et Pater, » qui unam personam Patris et Filii prava doctrina disseruit. Nam, et « ego et Pater, » duæ personæ. Item erubescat Arius, audiens, « unum sumus, » qui duas naturas in Patre et Filio astruit, dum « unum, » unam naturam significat, sicut « sumus, » duas personas. Sequamur apostolicam fidem, quam beatus Petrus princeps apostolorum confessus est : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). » Judæi videlicet verba Domini audientes, hucusque festinaverunt. Dum vero ait : « Ego et Pater unum sumus, » non pertulerunt, sed more suo duri ad lapides cucurrerunt, sicut evangelista dicit :

« Tulerunt lapides ut lapidarent eum. » Dominus non patiebatur quod nolebat pati, et non est passus

nisi quod voluit pati. Adhuc eos lapidare cupientes alloquitur. A

« Sustulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum. « Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi « vobis a Patre meo, propter quod eorum opus me « lapidatis? At illi responderunt: De bono opere « non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, « homo cum sis, facis teipsum Deum. » Ad illud responderunt quod dixerat: « Ego et Pater unum sumus. » Ecce Judæi intellexerunt quod Ariani non intelligunt. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici: « Ego et Pater unum sumus, » nisi ubi æqualitas est Patris et Filii. Deus autem videte quid responderit pravis. Videt eos non ferre splendorem veritatis, et eos tentavit in verbis.

» Nonne scriptum est in lege vestra, » id est vobis B data, « quia: Ego dixi: Dii estis? » Deus dicit per prophetam in psalmo omnibus: « Ego dixi: Dii estis. » Et legem appellavit Dominus generaliter omnes illas Scripturas, quamvis alibi specialiter dicat legem, a prophetis eam distinguens, sicuti est: « Lex et prophetæ usque ad Joannem (*Luc.* XVI). » Et iterum: « In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII). » Aliquando autem in tria distribuit easdem Scripturas, ubi ait: « Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me (*Luc. ult.*). » Nunc vero etiam psalmos legis nomine nuncupavit, ubi scriptum est: « Ego dixi: Dii estis. »

« Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, « et non potest solvi Scriptura, quem Pater sancti- « ficavit et misit in mundum, vos dicitis, quia bla- C « sphemas, quia dixi, Filius Dei sum? » Si sermo Dei factus est ad homines, ut dicerentur dii, ipsum Verbum Dei quidem apud Deum, quomodo non est Deus? Si per sermonem Dei fiunt homines dii, unde participant non est Deus? Si lumina illuminata dii sunt, lumen quod illuminat quomodo non est Deus? Si calefacti quodammodo igni salutari dii efficiuntur, unde calefiunt non est Deus? Accedis ad lumen, illuminaris, et inter filios Dei numeraris: si recedis a lumine, obscuraris et in tenebris computaris. Illud tamen lumen non accedit ad se, quia non recedit a se. Si ergo vos deos fecit sermo Dei, quomodo non est verbum Dei Patris? Ergo sanctificavit Filium suum. et misit in mundum. Forte aliquis dicat: Si Pater eum sanctificavit aliquando non sanctus fuit. Ad quod D dicendum: Sanctificavit quomodo genuit eum, ut sanctus esset. Gignendo ei dedit, quia sanctum genuit eum. Nam si quod sanctificatur, ante non erat sanctum, quomodo dicimus Deo Patri, « Sanctificetur nomen tuum? »

« Si non facio opera Patris mei, nolite credere « mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, « operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia « in me est Pater, et ego in Patre. » Non enim Filius sic dicit: « In me est Pater, et ego in illo, » quomodo possunt dicere homines. Si enim bene cogitemus, in Deo sumus, et si bene vivamus, Deus in nobis est. Fideles enim participantes ejus gratiam, et illuminati ab ipso, in illo sumus et ipse in nobis: sed non sicut unigenitus Filius ille in Patre, et Pater in illo, tanquam æqualis in eo, cui est æqualis. Denique nos aliquando possumus dicere: In Deo sumus, et Deus in nobis: non autem possumus dicere: Ego et Deus unum sumus. Nonne possumus dicere: In Deo es, quia Deus te continet? Deus est in te, quia templum Dei factus es? Sic. Sed nunquid quia in Deo es, Deus es? vel quia in te Deus est, potes dicere: Qui me videt Deum videt, quomodo Unigenitus dixit: « Qui me videt, videt et Patrem? » (*Joan.* XIV). Et iterum: « Ego et Pater unum sumus? » Non. Agnosce proprium Domini, et munus servi. Proprium Domini est æqualitas Patris; munus servi est participatio Salvatoris.

HOMILIA LX.

FERIA QUINTA POST *Judica*.

(JOAN. VII.) « In illo tempore, cum audissent qui- « dam de turba sermones Jesu, dicebant: Hic est vere « propheta. » et reliqua. Cum ergo loquebatur Christus in die novissimo festivitatis ea quæ supra hujus textu Evangelii posita sunt, nata est de illo in turba dissensio, aliis putantibus quod ipse esset Christus, aliis dicentibus quia de Galilæa non exsurget Christus. Qui vero missi fuerant ut eum tenerent, redierunt immunes a crimine, et pleni signo admirationis. Nam et testimonium perhibuerunt divinæ doctrinæ ejus, cum dicerent a quibus missi erant:

« Quare non adduxistis eum? Respondereunt eis: « Nunquam se audisse hominem sic locutum. » Non enim usquam sic loquitur homo. Ille autem sic locutus est, quia Deus erat et homo. Tamen Pharisæi testimonium eorum repellentes, dixerunt eis:

« Nunquid et vos seducti estis? » Videmus enim delectatos vos esse sermonibus illius.

« Nunquid aliquis de principibus credidit in eum, « aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non novit « legem, maledicti sunt. » Qui non noverant legem, ipsi credebant in eum qui miserat legem. Et eum qui miserat legem, contemnebant illi qui docebant legem, ut impleretur quod dixerat ipse Dominus: Ego veni, ut non videntes videant, et videntes cæci fiant. Cæci enim facti sunt Pharisæi doctores, illuminati sunt populi legem nescientes et in auctorem legis credentes. Nicodemus tamen, unus ex Pharisæis, qui ad Dominum nocte venerat, et ipse quidem non credulus, sed timidus (nam ideo et nocte venerat ad lucem, quia illuminari volebat, et sciri timebat), respondit Judæis:

« Nunquid lex vestra judicat hominem nisi au- « dierit ab ipso prius et cognoverit quid faciat? » Volebant enim illi perversi ante esse damnatores quam cognitores. Sciebat enim Nicodemus, vel potius credebat, quia si tantummodo eum patienter vellent audire, forte similes fierent illis, qui missi sunt tenere eum, et maluerunt credere illi quam tenere illum. Responderunt ex præjudicio cordis sui:

« Nunquid et tu Galilæus es? » Id est quasi a Galilæo seductus. Dominus enim Galilæus dicebatur, quoniam de Nazareth civitate erant parentes ejus: secundum Mariam dixi parentes, non secundum virile semen. Non enim quæsivit in terra nisi matrem, quia jam habebat desuper Patrem. Nam utraque ejus nativitas mirabilis fuit: divina, sine matre; humana, sine homine patre. Inquiunt ergo illi quasi legis doctores ad Nicodemum: « Scrutare Scripturas, et vide quia propheta a Galilæa non surgit. » Sed Dominus prophetarum secundum ordinem prophetarum inde surrexit.

« Et reversi sunt, inquit evangelista, unusquisque « in domum suam. »

HOMILIA LXI.

FERIA SEXTA POST *Judica*.

(JOAN. XI.) « In illo tempore, collegerunt pontifices et Pharisæi concilium adversus Jesum, et « dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa « facit? » et reliqua. Nec tamen dicebant, credamus in eum. Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent et perderent, quam quomodo sibi consulerent ne perirent, et tamen timebant et quasi consulebant. Dicebant enim: « Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? »

« Si dimittamus eum sic, omnes credent in eum. « Et venient Romani, et tollent nostrum locum et « gentem. » Temporalia perdere noluerunt, etiam vitam æternam non cognoverunt, ac si utrunque amiserunt. Nam et Romani propter Domini passionem et glorificationem tulerunt ab eis locum et gentem, et pugnando et transferendo. Et illud eos sequitur, quod alibi dictum est: « Filii autem regni ibunt in tenebras (*Matth.* VIII). » Hoc autem timuerunt, ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret, qui adversus Romanos civitatem Dei templumque tutaret: quoniam contra ipsum templum, et contra suas paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant.

« Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum « esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis « quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus « moriatur homo pro populo, et non tota gens « pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed « cum esset pontifex anni illius, prophetavit. » Hic docuit etiam per homines malos prophetiæ spiritum futura prædicere, quod tamen evangelista divino attribuit sacramento, quia pontifex fuit, id est summus sacerdos. Potest autem vos movere quomodo dicatur pontifex anni illius. cum Dominus statuerit unum summum sacerdotem, cui mortuo unus succederet. Sed intelligendum quod per ambitiones et contentiones inter Judæos postea constitutum est ut plures essent qui per annos singulos suis vicibus ministrarent. Nam de Zacharia hoc dicitur: « Factum est autem, ut cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum constitutionem sacerdotii sorte exiit ut incensum poneret. Ingressus autem in templum Domini, » etc. A (*Luc.* I.) Hinc apparet plures eos fuisse et vices suas habuisse. Nam incensum non licebat ponere, nisi summo sacerdoti, et sorte etiam unum annum administrabant, quibus alio anno alii succedebant, ex quibus sorte exiebat qui incensum poneret. Quid est ergo quod prophetavit Caiphas, quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum? Hoc evangelista addidit. Nam Caiphas de sola Judæorum gente prophetavit, in qua erant oves, de quibus ipse Dominus ait: « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. » Sed noverat evangelista alias oves, quæ non erant de hoc ovili, quas oportebat adduci, ut essent unum ovile et unus pastor. Hæc autem secundum prædestinationem dicta B sunt, quia neque oves ejus, nec filii Dei adhuc erant, quia nondum crediderant.

« Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent « eum Jesus autem jam non in palam ambulabat « apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephraim, et ibi « morabatur cum discipulis suis. » Non quia potentia ejus defecerat, in qua utique, si vellet, et palam cum Judæis conversaretur et nihil ei facerent: sed in hominis infirmitate vivendi exemplum discipulis demonstrabat, in quo apparet non esse peccatum, si fideles ejus qui sunt membra ejus, oculis persequentium sese subtraherent, et furorem sceleratorum latendo potius devitarent quam se ostendendo magis accenderent.

C

HOMILIA LXII.

SABBATO POST *Judica* IN VIGILIIS PALMARUM.

(JOAN. VI) « In illo tempore, dixit Jesus turbis « Judæorum: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus « sanguinem, non habebitis vitam in vobis, » et reliqua. Quomodo quidem detur, et quisnam modus sit manducandi istum panem, ignoratis. Verumtamen « nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Hæc non utique cadaveribus, sed viventibus loquebatur. Unde ne istam vitam intelligentes de hac re litigarent, secutus adjunxit:

« Qui manducat meam carnem, et bibit meum « sanguinem, habet vitam æternam. » Hanc ergo D non habet, qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit. Nam temporalem vitam sine illo utcunque homines in hoc sæculo, qui non sunt per fidem in corpore ejus, habere possunt: æternam autem nunquam, quæ sanctis promittitur. Ne autem putarent, sic in isto cibo et potu (quem carnaliter sumunt, et non spiritaliter intelligunt in fide) promitti vitam æternam, ut qui eam sumerent, jam nec corpore morerentur, huic cogitationi est dignatus occurrere. Nam cum dixisset: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, » continuo subjecit, et dixit:

« Ego resuscitabo eum in novissimo die. » Utsci-

licet habeat interim secundum spiritum vitam æternam in requie, quæ sanctorum Spiritus suscipit : quod autem ad corpus attinet, nec id vita æterna fraudetur in resurrectione mortuorum in novissimo die.

« Caro enim mea, inquit, vere est cibus, et san- « guis meus vere est potus. » Cum enim cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus et potus qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit, id est societas ipsa sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut etiam hoc ante nos intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud, scilicet panis, in unum ex multis granis conficitur Aliud, scilicet vinum, in unum ex multis acinis conficitur. Denique jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare corpus ejus et sanguinem bibere.

« Et qui manducat meam carnem, et bibit meum « sanguinem, in me manet, et ego in eo. » Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se bibere. At per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter ejus carnem, licet carnaliter, et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit, qui immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta, quæ alius nemo digne sumit, nisi qui mundus est, de quibus dicitur : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v). »

« Sicut me misit, inquit, vivens Pater, et ego vivo « propter Patrem. Et qui manducat me, et ipse vivet « propter me. » Non enim Filius participatione Patris fit melior, qui natus est æqualis : sicut participatione Filii, per unitatem corporis ejus et sanguinis, quod illa manducatio potatioque significat, efficit nos meliores. Vivimus ergo nos, propter ipsum manducantes eum, id est, per ipsum accipientes æternam vitam, quam non habebamus ex nobis. Vivit autem ipse propter Patrem missus ab eo, quia semetipsum exinanivit, factus obediens usque ad lignum crucis. « Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, et ipse vivet propter me. » Ac si diceret : Ut vivam propter Patrem, id est, ad illum tanquam ad majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit. Ut autem quisquam vivat propter me, participatio facit, quia manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille rectus vivit propter me. Non de ea natura dixit qua semper est æqualis Patri, sed de ea in qua minor factus est Patre ; de qua etiam superius dixit : « Sicut Pater habet vitam in semet- « ipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso

A (*Joan.* v), » id est genuit Filium vitam habentem in semetipso.

« Hic est panis qui de cœlo descendit, » ut illum manducando vivamus, quia æternam vitam ex nobis habere possumus. « Non sicut manducaverunt, in- « quit, Patres vestri manna et mortui sunt. Qui « manducat hunc panem, vivet in æternum. » Quod ergo illi mortui sunt, ita vult intelligi, ut non vivant in æternum. Nam temporaliter profecto et hi moriuntur qui Christum manducant : sed vivunt in æternum, quia Christus est vitæ æternæ signum. Qui manducat et bibit, hoc est, si manet et manetur, si habitat et inhabitatur, si hæret ut non deseratur. Hoc ergo nos docuit et admonuit mysticis verbis, ut simus in ejus corpore sub ipso capite in membris B ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus. Sed qui aderant plures, non intelligendo scandalizati sunt. Non enim cogitabant hæc audiendo, nisi carnem, quod ipsi erant, Apostolus autem dicit, et verum dicit : « Sapere secundum carnem, mors est (*Rom.* VIII). » Carnem suam dicit nobis Dominus manducare, et sapere tamen secundum carnem mors est. Cum de carne sua dicat, quia cibus est vitæ æternæ, ergo nec carnem debemus sapere secundum carnem, sicut in his verbis :

« Multi itaque audientes, » non ex discipulis, sed « ex ejus discipulis, dixerunt : Durus est hic sermo, « quis potest eum audire ? » Si discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici ? Et tamen sic oportebat ut diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, C non adversos. Isti autem cito defecerunt, talia loquente Domino Jesu Christo, non crediderunt aliquid magnum dicentem, et verbis illis aliquam gratiam cooperantem : sed prout voluerunt, ita intellexerunt, et more hominum, quasi qui apud eos erat Jesus, hoc disponeret carnem, qna indutum erat Verbum, veluti concisam distribuere credentibus in se. « Durus est, inquiunt, hic sermo, quis potest eum audire ? »

« Sciens autem Jesus apud semetipsum quia mur- « murabant discipuli ejus de eo. » Sic enim apud se ista dixerunt, ut ab illo non audirentur : sed ille qui eos noverat in seipsis, audiens apud semetipsum, respondit et ait : « Hoc vos scandalizat ? » Quia dixi, carnem meam do vobis manducare, et D sanguinem meum bibere, hoc vos nempe scandalizat.

« Si ergo videretis Filium hominis ascendentem « ubi erat prius. » Quid est hoc ? Hic solvit quod illos moverat, hinc eruet unde fuerant scandalizati, hinc plane videbitur quod non intelligerent. Illi enim putaverunt illum erogaturum corpus suum, ille autem se dixit ascensurum in cœlum, utique integrum. « Cum videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, » certe vel tunc videbitis quia non eo modo quo putatis, erogat corpus suum : certe vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non consumitur morsibus. In his verbis perspicue intelligitur Christum esse unam personam, dum dixit filium homi-

nis esse prius in cœlo. In terra loquebatur, in cœlo se esse dicebat. Quo pertinet, nisi ut intelligamus unam personam esse Christum Deum et hominem, non duas? ne fides nostra sit quaternitas, non trinitas. Christus ergo unus est, verbum, anima, caro: unus Christus, Filius Dei et filius hominis. Unus Christus Filius Dei semper filius hominis ex tempore. Tamen unus Christus secundum unitatem personæ in cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cœlo, quomodo Filius Dei erat in terra: Filius Dei in terra, in suscepta carne: filius hominis in cœlo, in unitate personæ. Quod mox latius exponit, quid intersit inter spiritum et carnem, et quid inter carnaliter Christum manducare velle, vel spiritaliter accipere. Ait enim:

« Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. » Paulo ante dixit: « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; et modo dicit: « Caro non prodest quidquam, » id est si carnaliter vultis intelligere quæ dico. « Caro non prodest quidquam, » si sic carnem intelligitis manducandam, sicut alium cibum, sicut carnes quæ emuntur in macellis. » Spiritus ergo est qui vivificat, » per spiritum prodest caro, quæ per seipsam non prodest: quia « littera occidit, spiritus autem vivificat. » Nam per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit, quod habebat, per quam spiritus salvavit nos, utens organo carnis ad salutem humani generis: quia diabolus utebatur serpente quasi organo ad subversionem primi parentis nostri. « Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam, » sicut illi intellexerunt carnem, non sicut ego do ad manducandum meam carnem. Proinde: « Verba, inquit, quæ « ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Diximus enim hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suæ et potatione sanguinis sui, ut in illo maneamus et ipse in nobis. Manemus autem in illo cum sumus membra ejus, manet autem ipse in nobis cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, unitas nos compaginat; ut compaginet unitas, quid facit, nisi charitas Dei? Unde Apostolus: « Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v). » Ergo spiritus est qui vivificat, spiritus enim facit viva membra. Nec viva membra spiritus facit, nisi quæ in corpore, quod vegetat ipse spiritus, invenit. Nam spiritus qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, nunquid vivificat membrum, quod separatum invenerit a carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non vivificat, nisi membra quæ sunt in carne tua: unum si tollis, jam ex anima tua non vivificatur, quia unitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur ut amemus unitatem et timeamus separationem. Nihil enim sic debet formidare Christianus quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus; si est membrum ejus, non vegetatur spiritu ejus. « Quisquis autem, inquit Apostolus, spiritum Christi non habet, hic non est ejus. » — « Spiritus ergo est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Quid est « spiritus et vita sunt? » Spiritaliter intelligenda sunt. Si ergo intellexisti carnaliter, spiritus et vita tibi sunt: si intellexisti carnaliter, etiam sic illa spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt, o homo, qui spiritaliter ea non intelligis, nec fide ea venerari nosti.

« Sed sunt quidam in vobis qui non credunt. » Et ideo non intelligunt quia non credunt. Propheta enim dixit: « Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa.* VII, *secundum LXX*). » Per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. Prius hæreamus per fidem ut sic post vivificemur per intellectum. « Sciebat « enim ab initio Jesus qui essent credentes, et quis « traditurus esset eum. » Nam ibi Judas erat inter eos qui scandalizati sunt, quem Christus non siluit, nec aperte ostendit, ut omnes timerent, quamvis unus periret. Sed posteaquam dixit et distinxit credentes a non credentibus, expressit causam quare non credant.

« Propterea dixi vobis, inquit, quia nemo potest « venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. » Dabitur enim a Patre credentibus fides, ut nemo glorietur in fide sua, quæ a se non est, quasi propria, sed a Deo data, quasi grata.

« Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, « et jam non cum illo ambulabant. » Abierunt retro, non post Christum, sed post Satanam. Isti autem sic redierunt retro, quomodo præcisi a corpore Christi, nec ultra redeuntes ad eum, quia fixi fideliter in corpore ejus non fuerunt; et hi non pauci, sed multi. Audiamus ergo quod ad paucos dixerit, qui remanserunt.

« Dixit ergo Jesus ad duodecim: Nunquid et vos « vultis abire? » Non discessit tunc Judas, sed quia remanebat cum Domino, jam non apparebat, postea manifestatus est. Respondit Petrus pro omnibus, unus pro multis, unitas pro universis. Ait enim evangelista:

« Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad « quem ibimus? » Quasi dicat: Repellis nos a te? da nobis alterum similem te, ad quem ibimus, si te relinquimus? Si a te recedimus, « ad quem ibimus? »

« Verba vitæ æternæ habes. » Videte quemadmodum Petrus dante Domino, recreante Spiritu sancto, intellexit. Unde, nisi quia credidit verba vitæ æternæ? Vitam enim æternam habes in ministratione corporis et sanguinis tui.

« Et nos credimus, quia cognovimus. » Non dixit: Nos cognovimus et credimus, sed « credimus et cognovimus. » Credimus enim ut cognosceremus. Nam si prius cognoscere et deinde credere vellemus, nec cognoscere nec credere valeremus. Quid credimus, vel quid cognovimus? « Quia tu es Christus Filius Dei. » Id est, quia ipsa vita æterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo nisi quod es.

« Respondit Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi,

« et unus ex vobis diabolus est ? Dicebat autem de A « Juda Simonis Scariothis. Hic enim erat eum tradi« turus, cum esset unus ex duodecim. » Unus ex duodecim erat, non fide, sed numero ; non veritate, sed simulatione. Sed quomodo intelligendum est : « Nonne ego vos duodecim elegi, » dum ille unus, id est filius diaboli dicitur esse, nisi quia aliter electi sunt illi undecim, aliter et ille unus ? Electi sunt illi ut manerent in Christo, et ut sonus illorum exiret per orbem terrarum : electus est ille unus, ut dispensatio divinæ misericordiæ in salute humani generis impleretur per eum : unde bonitas Dei bene utitur malitia ejus. Sicut in venditione Joseph bene usus est Deus malitia fratrum, ut ex opere malo illorum bonitas Dei ostenderetur in salutem multorum : sic malum Judæ in bonum versum est nostrum Quod B facit malus male utendo bonis Dei, sibi nocet, non bonitatem Dei destruere poterit. Quare duodecim elegit Christus ? Duodenarius numerus sacratus est. Non enim quia periit inde unus, ideo illius numeri honor ademptus est, nam in loco pereuntis alius subrogatus est. Mansit numerus consecratus, numerus duodenarius : quia per universorum orbem, hoc est per quatuor cardines mundi, Trinitatem fuerant annuntiaturi. Ideo quaterni electi, sunt, ut sancta Trinitas per quatuor partes orbis prædicaretur. Nam et annus duodenario numero currit, et ordo signorum in cœlis, per quæ sol et luna currere noscuntur, duodenario numero distinguitur. Ideo hoc numero primos prædicatores Dominus Christus direxit in mundum. Nec numerus Juda pereunte violatus est, sed alius eo loco subrogatus, de cujus numeri sacra- C tissima significatione ipse Christus in Evangelio ait, de excellentissima sanctorum gloria : « Cum autem sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). »

HOMILIA LXIII.

DOMINICA PALMARUM.

(MATTH. XXI.) « In illo tempore, cum appropinquas« sent Hierosolymis, et venissent Bethphage, » et reliqua. Cum appropinquassent, Dominus videlicet et apostoli ilius, Hierosolymis, tendebat Jesus ad passionem, quia jam instabat tempus passionis suæ. Quinque siquidem dies ante paschalem festivitatem venit cum turba multa in Jerusalem. Post hanc autem vicem D non recessit inde, donec ibi pateretur et ibi resurgeret. « Ad montem Oliveti. » Mons Oliveti non longe ab Jerusalem erat, sed distat (sicut in libro Antiquorum invenimus) spatium mille passuum. Bethphage viculus est, viculus dico, quia in terra repromissionis omnes villæ maxime muratæ erant, unde et vici et villæ una appellatione censentur. Bethphage enim interpretatur *domus buccæ* vel *maxillarum*, ea de causa, quoniam sacerdotes in templo Domini per octonos dies vicem suæ administrationis explentes, completo divino mysterio, nocte ad eumdem viculum succedebant, et hostias et sacrificia quæ in die a populo accipiebant, nocte ibi consumebant et comedebant. Vel certe ideo *domus buccæ* vel *maxillarum* interpretatur, quia sacerdotes ibidem jugiter legem Domini corde meditabantur et ore ruminabant. Cum ergo Dominus ad hunc montem Oliveti venisset, et ad hunc viculum Bethphage :

« Misit duos discipulos, dicens eis : Ite in castel« lum quod contra vos est. » Castellum despective appellavit Jerusalem. Quæ enim antea civitas magni regis appellabatur, et urbs sancta, postmodum, imminente tempore Dominicæ passionis, quia Dominum erat interfectura, non jam civitas, sed castellum despective nuncupatur. De quo bene dicitur, « quod est contra vos, » quia et doctrinæ Christi, et doctrinæ apostolorum contraria existebat. Spiritualiter Bethphage significat Ecclesiam primitivam. Et bene Bethphage vicus in monte positus dicitur, quia omnis Ecclesia Christi in monte consistit, hoc est, in Christo. Unde per prophetam dicitur : « Venite, ascendamus ad montem Domini, » etc. (*Mich.* IV.) Et bene etiam in latere montis positus esse dicitur, quia videlicet ex Domini latere præcessit consecratio et redemptio primitivæ Ecclesiæ. Legimus enim cum Dominus in cruce positus esset, et jam spiritum emisisset, unus ex militibus lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Quo sanguine sancta Ecclsia redimitur, aqua vero quotidie a peccatis abluitur. Cum ergo venisset Dominus per incarnationis mysterium ad populum Judæorum salvandum, misit duos discipulos Jerusalem, hoc est in hunc mundum, ut sua prædicatione rebellium corda gentilium fidei Christi subjugarent, et universas gentes fidei suæ subjicerent. Et bene dicitur « quod est contra vos. » Quia totus mundus jugum fidei recipere nolebat, misit duos discipulos, hoc est duos ordines prædicatorum, scilicet Judæorum et gentium. Vel duos misit propter geminæ dilectionis præceptum, quo præcipimur ut diligamus Deum ex toto corde, et proximum nostrum tanquam nosipos. Vel ideo binos misit, propter doctrinam et operationem, quia doctor et in doctrina et in opere perfectus debet esse. « Ite, et invenietis asinam aligatam, et « pullum cum ea. » Juxta litteram quidem humilitas magna Salvatoris commendatur, qui Jerusalem tendens, non equo superbo neque phalerato invehi voluit, sed potius asinam et pullum ejus, vilia scilicet animalia, ad sedendum quæsivit. Juxta spiritalem intelligentiam, per hæc duo animalia onus duorum populorum aperte declaratur. Asina enim, quæ oneribus ferendis assueta est, populum Judæorum significat, qui longo tempore sarcinam legis traxerat. Pullus ergo, qui lascivus et liber est, significat gentilium plebem, quæ ante adventum Domini sine legis doctrina et prophetarum quasi libera et vaga incessit. Et bene utrique alligati dicuntur fuisse, quia veniens Redemptor in mundum, utrumque populum vinculis peccatorum suorum alligatum invenit. Unde et apostolus Paulus dicit : « Quia non est distinctio, omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom.* X). »

« Solvite. » Solvite gentes a vinculis peccatorum. « Et adducite mihi, » vestra prædicatione et miraculis. Licet enim omnipotens Deus gentes ad tempus dereliquerit, ut salvaret, non tamen in æternum contempsit, ut perderet. Necesse est enim ut fiat hoc quod per Psalmistam dixit : « Homines et jumenta salvabis, Domine (*Psal.* XXXV). »

« Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet. » Præcepit Dominus apostolis suis ut tempore suæ prædicationis non cederent principibus et regibus gentium prohibentibus eos a doctrina et salute populorum. Legimus enim secundum alios evangelistas (*Marc.* XI, *Luc.* XIX), quia cum discipuli venissent ad domum solventes pullum, dixerunt domini domus : « Quid facitis solventes pullum? » At illi dixerunt, quia Dominus operam ejus desiderat. Mox enim ut sancti apostoli, accepto divinitus præcepto, mundo prædicaverunt, statim reges gentium et principes eis obsistere cœperunt, ne pullum solverent, id est ne populum gentilem a cultura idolorum averterent : sed discipuli illis constanter insinuaverunt quod Dominus operam illorum desiderasset. Quo in loco queri potest cur discipuli de animalibus dicant, « Dominus hic opus habet, » cum Ecclesia ei decantet : « Bonorum meorum non indiges? » (*Psal.* XV) Gentibus (ut de numerositate illarum construat sibi « Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam) » ideo Dominus opus habet, ut damna patriæ cœlestis, quæ labentibus pravis angelis contraxerat, multitudine gentium reparentur. « Et confestim dimittet eos. » Completo ministerio illorum animalium, animalia quidem ad pristinum dominum reducta sunt, sed figura illorum animalium penes Dominum remansit. Non ergo debemus putare quod postquam animalia, hoc est populus credentium, ad Dominum adducuntur, iterum ad pristinos dominos, id est ad servitium dæmonum dimittantur : sed ita potius intelligendum est quod dicit : « Et confestim dimittet eos, » quia cum homines ad fidem Christi adducuntur, mox remittuntur non in dæmoniacum servitium. sed in liberum arbitrium rediguntur. « Hoc autem totum factum est. » Quid totum? Ut Dominus propter animalia adducenda discipulos in civitatem mitteret, ut vilibus animalibus in civitatem regiam portaretur. Consuetudo est beati Matthæi evangelistæ ut cuncta quæ de Domino nostro Jesu Christo narrat esse completa, dicat etiam testimoniis propheticis ante fuisse prædicta.

« Dicite filiæ Sion. » Hoc exemplum de Zacharia propheta sumptum est (*Zach.* IX). Sciens enim sanctus propheta per Spiritum sanctum incredulitatem animi Judæorum, prænoscens etiam Spiritu sancto revelante, quod veniente domo Jerusalem, essent eum contradicturi, et blasphemiis et contumeliis affecturi, præsumptionem cordis eorum antea curavit reprimere, et adventum Redemptoris studuit prædicere, quibus indiciis possent eum agnoscere. Et est vox prophetæ conversa ad apostolos et cæteros qui Dominum comitabantur, alloquentis : « Dicite filiæ

A Sion. » Vos apostoli et cæteri qui Dominum comitamini Jerusalem tendentem, « dicite filiæ Sion, » id est populo Jerusalem ad festivitatem congregato. Historialiter filiam Sion appellat Jerusalem. Sion enim arx erat eminens in medio civitatis, et principatum tenens super ædificia civitatis. « Ecce rex tuus, » non alienigena, non extraneus ut Herodes, de te carnis originem sumens. « Venit tibi. » Non vacat quod dixit « tibi » Hoc est, si intellexeris adventum ejus, et eum devote receperis, « venit tibi, » id est ut salvet te. Si autem non intellexeris adventum illius, repelleris, veniet contra te, hoc est ut perdat te. « Mansuetus. » Ista sunt indicia regis tui. Mansuetus, non ferox, non crudelis, sicut alii reges, qui antea dominabantur tui, sed mitis, sicut ipse dixit:
B « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. » (*Matth.* II.)

« Sedens super asinam et pullum, » id est non venit ad te sedens super equum amatorem litis et discordiæ, sed sedens super asinam. pacis et tranquilitatis amicam. Allegorice Sion illam partem sanctæ Ecclesiæ debemus intelligere quæ est in illis sanctis qui jam cum Christo regnant et charitatem illius contemplantur. Filium vero Sion debemus intelligere præsentem Ecclesiam, quæ adhuc a Christo peregrinatur in terra. Quæ merito filio supernæ civitatis dicitur, quia illi qui nos ad cœlestem patriam præcesserunt, fidem et bona opera nos docuerunt, illi etiam sacro baptismate nos regeneraverunt. Est igitur vox prophetæ ad prædicatores dicentis : Dicite, vos sancti prædicatores, qui adhuc peregrimini in
C terris a Christo, dicite sanctæ Ecclesiæ : « Ecce rex tuus. » Rex sanctæ Ecclesiæ in primo adventu venit mansuetus, ut eam redimeret : in secundo etiam adventu veniet mansuetus, ut eam ab hoc sæculo subtrahat, et in numerum cœlestium civium transferat. Juxta litteram non facile est credendum, ut Dominus in tam parvo itinere utrique animali insederit. Ferunt enim doctores a monte Oliveti usque Jerusalem mille tantum spatium pedum interesse, sed aut asinæ insedit, et pullus liber incessit : aut, quod potius credendum est, pullo insedit, et asina absque sessore fuit. Sed ubicunque historia deficit, aut aliquid turpitudinis habet, ad spiritualem intellectum est recurrendum. Nam et si Dominus utrique animali insidere non potuit, juxta mysterium tamen
D utrique populo, Judæorum videlicet et gentium, præsidet, et præsidendo ducit eos Jerusalem, hoc est ad visionem patriæ cœlestis.

« Euntes autem discipuli. » Accepto prædicandi præcepto, apostoli universum orbem peragraverunt, et seminarium divinæ fidei ubique disperserunt.

« Et imposuerunt super eos vestimenta sua. » Vestimenta apostolorum, quæ nudis tergis animalium imposuerunt, significant doctrinam et præcepta eorum, quibus corda gentium calefecerunt ut Dominum potuissent habere sessorem. Nisi enim illi qui in Christo crediderunt, vestimentis apostolorum ador-

nati fuissent, nequaquam Dominum sessorem habere A meruissent.

« Plurima autem turba. » Plurima turba quæ vestimenta sua stravit sub pedibus animalium Dominum portantium, multitudinem martyrum significat, qui vestimenta sua, id est corpora sua, in via istius vitæ straverunt, ut animalibus portantibus Dominum, id est simplicibus, iter gradiendi ad patriam cœlestem facerent : et ut nos quoque inoffenso gradu possimus pervenire ad Jerusalem, id est ad cœlestem patriam. Potest et aliter intelligi quod animalia Dominum portantia, super se quidem vestimenta apostolorum ferebant, quasi majoris dignitatis, turbæ vero confusæ et vulgaris vestimenta sub pedibus conculcabant. Turbarum enim vestimenta cæremonias veteris legis significant ; vestimenta apostolo- B rum, doctrinam et præcepta Novi Testamenti demonstrant. Animalia ergo Dominus portantia vestimenta apostolorum super se habent, vestimenta turbarum sub pedibus suis conculcant : quia omnes in Christum credentes præcepta apostolorum super se attendunt, mandata vero et neomenias atque institutiones Testamenti Veteris pro nihilo deputant. Quotiescunque enim circumcisionem spernimus, sabbatum violamus, neomenias abjicimus, quid aliud quam vestimenta turbarum pedibus nostris conculcamus ?

« Alii cædebant ramos de arboribus. » Per arbores debemus intelligere divinas Scripturas. Ramos ergo de arboribus cædunt, qui de Scripturis diversis utilia quædam excerpunt, ad utilitatem illorum qui ad cœlestem patriam tendunt. Potest et aliter intelligi. C Per arbores possumus intelligere paganos ; per ramos arborum, paganorum filios. Ramos ergo de arboribus abscidit quisquis filios paganorum a ritu et superstitione patrum suorum abstrahit.

« Turba autem quæ præcedebat et quæ sequeba- « tur. » Memores turbæ mirabilium quæ Dominus inter eos fecerat, mortuos suscitando, leprosos curando, super mare non infusis vestigiis ambulando, et cætera talia mirabilia faciendo, appropinquante illo ad passionem, laudes et gratias ei devota mente referre studebant de miraculis et bonis operibus, quæ inter eos fecerat, dicentes :

« Osanna filio David, » etc. Sed spiritualiter quod turba quæ Dominum præcedebat, et quæ sequebatur, consona voce laudis dominum collaudabant, D hoc significat quod populus Judæorum, qui in fide præcessit, et gentes quæ eos secutæ sunt, pari et æquali fide et concordi Deum omnipotentem collaudant. Eadem enim fides quæ fuit in patriarchis et prophetis ante adventum Salvatoris, eadem est in omnibus gentibus post resurrectionem illius. « Osanna filio David. » Osanna compositum est ex duobus sermonibus Hebræis. Osia enim apud illos *salvifica* vel *salvum fac* sonat, et *na* interjectio obsecrantis est, sed composito nomine fit *osanna* per elisionem *i* vocalis, et per geminationem *n* consonantis, cum rectius diceretur *Osiana :* interpretatur autem *salva*, sive *salvifica*, ut subaudiatur, populum tuum Israel, vel totum mundum, vel (ut alii volunt) interpretatur *salus*, ut sit sensus : « Osanna filio David, » id est salus filio David.

« Benedictus qui venit in nomine Domini. » Quod dicit, benedictus qui venit in nomine Domini, « intelligitur, quia Filius a Patre venit in mundum. Quia quidquid secundum carnem in hoc mundo egit, totum ad gloriam et nomen Patris sui retulit, dicens : « Pater in me manens, ipse facit opera (*Joan.* IV). » Quod addunt : « Osanna in excelsis, » est sensus quod incarnatio et passio Domini Salvatoris non solum hominibus salus fuit, sed etiam salus et gaudium angelorum in cœlo. Deus enim multitudo credentium ad cœlos transfertur, numerus angelorum, qui labentibus pravis angelis imminutus fuerat, multitudine gentium restauratur.

HOMILIA LXIV.

IN DIE SANCTO PALMARUM

Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum.

(MATTH. XXVI, XXVII.) « In illo tempore, dixit Jesus « discipulis suis : Scitis quia post biduum Pascha fiet, » et reliqua. Legimus Dominum ante sex dies Paschæ venisse Hierosolymam, cum frequentia turbarum et cum ramis palmarum. Ab illo ergo die quo Hierosolymam vectus asino intravit, usque ad hunc diem quo hæc prædicebat apostolis suis, intelligimus præcessisse quadriduum et superesse biduum usque ad Pascha. Allegorice vero biduum significat duo Testamenta, Vetus et Novum, quæ sectatores et observatores suos ad claritatem vitæ æternæ perducunt. « Post biduum » vero, id est, post manifestationem duorum Testamentorum, verum Pascha in mundo celebratum est. Pascha autem non est Græcum, ut quidam autumant, sed Hebræum. Hebraice enim PESACH interpretatur *transitus*. Primo ideo transitus, quia in hac die transit Dominus super Ægyptum. Ægyptios vastans et Israeliticum populum liberans. Deinde, quia ipsa die transiens exterminator per regnum Ægyptiorum, primogenita eorum interfecit. Tertio, quoniam in hac celebritate festivitatis, Redemptor noster de hoc mundo transivit ad Patrem, sicut Joannes plenius manifestat, dicens : « Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit ejus hora ut transeat ex hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIX). » Quarto modo, ut nos mystice informaremur quia per Christi passionem transitum ab hac mortalitate ad veram immortalitatem transire habuimus. « Et filius hominis tradetur ut crucifiga- « tur. » Errant qui putant Dominum horruisse vel timuisse passionem, cum non solum ante biduum passionem suam prædixit, verum multo ante eamdem passionem prædixerat. Et instante eadem passione, noluit declinare insidias, sed cæteris ire nolentibus, sponte se ad passionem obtulit. Multis modis traditus est Dominus : Primum tradidit eum Deus Pater, sicut Paulus apostolus dicit : « Proprio Filio

suo non pepercit Deus, sed pro omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII). » Deinde tradidit ipse Filius semetipsum, sicut idem Paulus dicit : « Qui tradidit semetipsum pro nobis (*Ephes.* V). » Tertio tradidit eum Judas Judæis, Judæi tradiderunt eum Pilato ad judicandum, Pilatus militibus ad crucifigendum.

« Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et « seniores populi in atrium principis sacerdotum. « qui dicitur Caiphas. » Reprehenditur in hoc loco iniquitas et malevolentia Judæorum. Qui enim vicino Pascha debuerant se præparare, parietes templi levigare, pavimentum verrere, et hostias et sacrificia, quæ offerenda erant in solemnitate Paschæ, præparare, et semetipsos ad festum Paschæ celebrandum præparare, congregantur ineuntes consilium, quomodo Dominum morti tradant.

« Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tu« multus fieret in populo. » Sic videtur simplex sermo sonare, quasi ob seditionem caverint Judæi dominum in die festo comprehendere, timentes seditionem turbarum. Quod non procedit, sed potius ita intelligendum est, quia timebant ne auxilio populi de manibus illorum tolleretur, quia omnes sicut prophetam eum habebant. « Ne forte tumultus, » id est ne motio « fieret in populo. »

« Cum autem esset Jesus in Bethania, in domo « Simonis leprosi. » Recte exsequendum putabat evangelista quid Dominus egerit in Bethania ante sex dies Paschæ, pridie antequam iret Jerusalem sedens asino. Quod autem dicit, « in domo Simonis leprosi, » Simonem hunc non debemus putare eo tempore fuisse leprosum, sed quidem leprosus fuerat, et mirabiliter a Domino curatus, pristino scilicet nomine permanente, ad memoriam curationis illius : sicut Matthæus publicanus dicitur, non quia adhuc publicanus esset, sed quia olim publicanus exstiterit. Et pulchre Dominus ante passionem in Bethania fuisse legitur. Bethania quippe interpretatur *domus obedientiæ*, ut aperte ostenderet quia per summam obedientiam ad passionem veniret.

« Accessit ad eum mulier, habens alabastrum un« guenti pretiosi. » Hæc mulier ipsa est Maria Magdalena, de qua Dominus septem dæmonia ejecit. Quæ primum quidem ad Dominum accedens in domo Pharisæi, lacrymis pedes ejus abluit et capillis tersit. Postmodum vero familiaris Domino effecta, ad ipsum caput ungendum accessit. Et quia multum dilexit, multorum peccatorum veniam promeruit. Alabastrum genus est marmoris pretiosi, variis coloribus intertincti quod ferunt medici optimum esse ad unguenta incorrupta servanda. « Pretiosi. « Alius evangelista dicit quomodo hoc unguentum fuerit pretiosum, narrans illud ex nardo pistica factum. Nardus autem frutex est aromatica, pingui et tenui radice, principatum tenens inter omnes species, de quibus conficiuntur uguenta. Pistica, id est fidelis, non corrupta, sicut solent medici quibusdam herbis veritatem unguentorum corrumpere. Alius evangelista ut ostenderet hoc unguentum pretiosissimum fuisse,

A narrat quia ex spicis nardi fuerit confectum. Fit quidem ex radice optimum, sed pretiosius est quod fit ex spicis. Mystice, devotio Mariæ fidem Ecclesiæ significat, quæ Domini quidem caput ungit cum potentiam divinitatis illius prædicat, dicens cum Joanne apostolo : « In principio erat Verbum (*Joan.* I). » Pedes ungit, cum infirmitatem humanitatis ejus prædicat, dicens cum eodem Joanne : « Et Verbum caro factum est (*Ibid.*). »

« Videntes autem discipuli, indignati sunt dicen« tes : Ut quid perditio hæc ? » Hic videntur dissonare Matthæus et Joannes, cum Joannes, solummodo hanc indignationem Judæ designaverit, reddens causam quare indignatus sit in effusione unguenti, scilicet quia fur erat, et loculos habens ea quæ mittebantur

B portabat. Sed tropus quidam est, qui appellatur synecdoche, plerumque singularem pro plurali, frequenter vero pluralem pro singulari numero ponens. Hoc ergo genere locutionis possumus dicere hic a Matthæo positum esse plurale pro singulari, discipulos videlicet dicens indignatos fuisse. Dicendum est autem quia si alii discipuli indignati sunt ; Judas autem non causa pauperum, sed causa invidiæ, dolens sacculis suis subtrahi quod in Domini capite fundebatur.

« Potuit enim istud venundari multo, » subauditur pretio, « et dari pauperibus. »

« Sciens autem Jesus, ait illis : Quid molesti estis « huic mulieri ? Opus bonum operata est in me. » Mitis et benignus magister non arguit discipulos de mulieris indignatione, non addit ad ultimum ipsum

C suum proditorem et traditorem invidia erga se laborantem, sed dixit : « Opus bonum operata est in me. »

« Nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem semper non habebitis. » Et hoc contrarium esse videtur illi sermoni quo dicit Dominus : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Sed illud de divinitate accipiendum est, illud vero de humanitate : nam secundum humanitatem non semper cum eis est moraturus. « Nam, inquit, semper habebitis pauperes, » et misericordiam eis poteritis impendere, « me autem non semper habebitis. »

« Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus « meum, ad sepeliendum me fecit. » Et est sensus

D istorum verborum : Unguentum quod vos putatis esse causam perditionis, officium est meæ sepulturæ. « Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. » Id est, corpus meum prævenit ungere dum adhuc vivo, quod factura est mortuo, si licuerit ei. Legimus namque quia Maria, posito Domino in monumento, cum aliis sanctis mulieribus emit aromata et alia unguenta pretiosa, ut venientes ungerent corpus Domini. Quod tamen minime implere potuit, quia præventa fuit resurrectione Domini. Hoc illo pertinet quod Dominus ait : « Ad sepeliendum me fecit, » id est quod mortuo factura est, si licuerit ei, vivo mihi exhiberi studuit.

« Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit « hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod « hoc fecit in memoriam ejus. » Notandum est quia Dominus, post biduum passurus et crucifigendus a Judæis, Evangelium suum prædicit per universum orbem esse prædicandum. Prædicatur ergo inter alia miracula Salvatoris etiam Mariæ benevolentia, et ejus devotio ab omnibus laudatur, scilicet quod caput Domini unxerit, quod pedes illius lacrymis infuderit, quod capillis terserit. Et non tam devotio Mariæ prædicatur quam fides et devotio sanctæ Ecclesiæ. « Dicetur et quod hoc » subaudiatur opus, « fecit in memoriam ejus. »

« Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas « Scarioth, ad principes sacerdotum. » Dicendo « tunc abiit, » ostendit hunc non invitum Dominum Salvatorem prodidisse, sed sponte ad perditionem accessisse, et, cupiditate ductum, ejus perditionem promisisse.

« Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? » Non constituit eis pretium, sed in illorum arbitrio posuit quid ei dare vellent, ut non Dominum, sed quasi vile mancipium vendere putaretur. « At illi constituerunt ei triginta argenteos. » Impletum est hoc quod omnipotens Deus per Zachariam questus fuerat, dicens : « Si bonum est in oculis vestris, afferte mihi mercedem : sin autem, quiescite, et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis (*Zach.* XI). » Pro universis beneficiis quæ Dominus operatus fuerat in eis, triginta argenteorum pretio appretiaverunt eum. Sciendum vero est, quod Joseph non viginti aureis venditus est (ut quidam putant, secundum quod editio Septuaginta declarat), sed potius viginti argenteis, ne servus pretio chariori Domino venderetur.

« Et exinde quærebat opportunitatem ut eum tra« deret. » Id est, opportunum locum, quo eum tradere posset, quærebat. Quam opportunitatem quærebat, alius evangelista manifestat, videlicet, ut traderet eum sine turbis, id est sine suffragio populi : quia timebat eum de manibus suis adjutorio populi liberari.

« Prima autem die Azymorum accesserunt disci« puli ad Jesum. » Primam Azymorum appellat quartam decimam diem primi mensis, quando ad vesperam agnus immolabatur. Azyma autem dicebantur reliqui dies septem sequentes, eo quod sine Azyma, id est sine fermento essent. Non enim licebat in illis diebus fermentatum aliquid comedere. Ponitur tamen et Azyma pro Pascha, et Pascha pro Azyma, sicut hic, ubi ipsam festivitatem paschalem Azyma appellat. « Ubi vis paremus tibi comedere pascha? » Intelligimus in hoc loco quod Judas simul cum aliis discipulis accesserit ad eum. Pauper, inquiunt, es, et pauperem te nos pauperes sumus secuti, causa tui amoris, quidquid habere potuimus, dereliquimus, « Ubi vis ergo paremus tibi comedere pascha? »

A « At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, « et dicite ei : Magister dicit, Tempus meum prope « est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. » Idioma Hebraicæ linguæ est, sine denominatione certarum personarum loqui, quod in hac ratione servatum est. Et pulchre Dominus non exprimit nomen illius, apud quem celebraturus sit Pascha, ostendens quia nemo excipitur a celebritate paschali, quicunque cum Domino voluerit ea celebrare. « Et dicite ei : Magister dicit, tempus meum, » id est tempus passionis meæ, « prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. »

« Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, « et paraverunt pascha. » Alius evangelista dicit, quia euntes discipuli invenerunt cœnaculum ma-
B gnum stratum, et ibi paraverunt. Non enim vacat a magno mysterio, quod Dominus in cœnaculo Pascha celebraverit. Significat enim cœnaculum altitudinem spiritualis intelligentiæ. Transcensis ergo carnalis litteræ instrumentis, in cœnaculo celebravit Pascha, hoc est in altitudine Novi Testamenti, dans nobis exemplum, ut si Pascha cum Domino volumus celebrare, ima et infima transcendamus, et in cœnaculo, hoc est in divinæ contemplationis altitudine, Pascha cum Domino celebremus.

« Vespere autem facto, discumbebat cum duode« cim discipulis suis. » Vesper significat ultimam ætatem, in qua verus Sol occubuit patiendo crucem, quam pro salute generis humani sustinuit. Hoc ergo vespere discubuit cum duodecim discipulis suis, hoc est, quietem æternam per sanguinis sui effusio-
C nem eis præparavit.

« Amen dico vobis, quia unus vestrum me tra« diturus est. » Poterat quidem Dominus traditorem nominatim exprimere, sed noluit, ne, impudentia victus, in barathrum negationis incideret. Admonet ergo illum generaliter ad salutem, ut admonitione correctus pœnitentiam ageret.

« Et contristati valde, cœperunt singuli dicere : « Nunquid ego sum, Domine? » Et vere valde sunt contristati, quia non solum poterant mortem Domini meditari, sed etiam nec audire. Unde Petrus apostolus audiens Dominum de passione sua loquentem dixit : « Absit hoc a te, non morieris (*Matth.* XVI). » Sciebant quidem omnes apostoli, quod nil tale in Dominum cogitaverunt, sed conscii suæ fra-
D gilitatis, plus magistro quam suæ fragilitati credentes, dicebant : « Nunquid ego sum, Domine? »

« At ipse respondens ait : Qui intingit mecum « manum in paropside, hic me tradet. » Jam superius dixerat : « Unus vestrum me traditurus est, » sed quia ille admonitus non egerat pœnitentiam, jam apertius illum designat, dicens : « Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. » Paropsis vas est quadratum, dictum quod sit paribus absidibus, id est æquis lateribus. Est autem vas escarum, quod Marcus evangelista catinum appellat, quod est vas fictile. Intelligitur ergo in mensa Domini fuisse aliquod vas escarum, quod contineret liquamen, in

quo Judas manum cum magistro intinxit, ut bonam A conscientiam mentiretur.

« Filius quidem hominis vadit, » subaudiatur ad passionem, « sicut scriptum est de illo. » Væ autem « homini illi, per quem Filius hominis tradetur. » Sed usque hodie væ homini illi qui corpus sui Redemptoris non Judæis, sed membris suis peccatoribus tradit, integritatem fidei corrumpentibus. Multi sunt qui scelus Judæ detestantur, quod impie egerit, quod magistrum suum tradiderit : illum autem reprehendentes, ipsi reprehensionem minime in semetipsis cavent. Dum enim veritatem pro pecunia subvertunt, quid aliud quam Christum tradunt ? Ipse enim dixit : « Ego sum veritas (*Joan.* XIX). » Dum fraternam charitatem aliqua fractione violant, quid aliud quam Christum tradunt ? Unde B scriptum est : « Deus charitas est (*I Joan.* IV). » — « Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. » Non ita est intelligendum quod Judas antea fuisset, vel esse posset, quam nasceretur, qui nec bene nec male agere posset : sed simpliciter accipiendum est, quia melius est non subsistere quam male subsistere.

« Respondens autem Judas, qui tradidit eum, di« xit : Nunquid ego sum, rabbi ? » Quod dicit rabbi, signum est infidelitatis, vel etiam argumentum est excusationis, quod non Dominum, sed magistrum eum vocat : quasi aliquam excusationem habeat, ut non Dominum, sed magistrum saltem tradiderit.

« Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, « et benedixit, ac fregit, » etc. Expletis solemniis Paschæ, transit Dominus ad sacramenta novi Paschæ C demonstranda. Postquam cœnavit, dedit eis panem et vinum, in mysterio videlicet corporis et sanguinis sui. Quia enim panis confirmat cor hominis, et vinum auget sanguinem in homine, merito idem panis in carnem Domini mutatur, et idem vinum in sanguinem Domini transfertur : non per figuram neque per umbram, sed per veritatem. Credimus enim quia in veritate caro est Christi, similiter et sanguis. Sed quia humana fragilitas non consuevit carnibus crudis vesci, et sanguinem potare, translata est eadem caro in panem, et idem sanguis in vinum. Sed merito quæritur cur nos jejuni tantum sacramentum quotidie sumimus, cum Dominus, finito convivio, panem corporis sui et calicem sanguinis sui in mysterio discipulis suis propinaverit. Ad quod di- D cendum est quia primum decebat significativum Pascha consummari, ac deinceps Pascha verum induci. Postmodum vero patres Novi Testamenti, videlicet apostoli et sequaces illorum, statuerunt ut in veneratione tanti sacramenti a jejunis quotidie sumeretur. Illud vero perpendendum est, quod a nullis panis solus, neque vinum sine aquæ permistione offertur. Quia enim, dicente Joanne, aquæ populi sunt, miscetur aqua vino, ut videlicet nos intelligamus quia passio Christi pro nobis perpetrata est. Neque passio Christi absque utilitate generis humani celebrata est, et nos sine Christi passione salvari non poteramus. Si enim solum vinum sine aquæ permistione offerretur, posset talis esse intelligentia, quod nos absque adjutorio Christi et passione salvari possemus. Sed jungitur aqua vino, et panis conficitur cum aqua, ut aperte detur intelligi quod neque passio Christi sine salute nostra possit fieri, neque nostra salus sine illius adjutorio consistere valeat. « Accepit panem, » quod erat corpus suum, « benedixit et fregit, » ut ostenderet corpus suum omni benedictione esse repletum, et ita per passionem esse frangendum, ut tamen Divinitatis plenitudine esset repletum. « Deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite. » Hoc valet contra eos qui mortuis hominibus eucharistiam largiuntur. Cum enim Dominus dicit, « accipite » statim subjunxit, « et comedite : » quia non sufficit accipere, nisi quisquis comedat ad salutem suam, quia quod in vita sua accipere non potuerunt, post mortem accipere non poterunt.

« Similiter accipiens calicem, gratias egit, et de« dit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. » Ut sciamus quia quicunque accipit, bibere debet.

« Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti. » Quod enim dicit, « hic est Novi Testamenti sanguis, » ad differentiam Veteris Testamenti dicit. In Veteri Testamento sanguis hircorum et vitulorum effundebatur, et inde aspergebantur qui mundandi erant. « Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Pro omnibus effusus est Christi sanguis, sed non omnibus prodest, sed illis solummodo qui credunt in passionem suam : et illis qui eodem Spiritu sancto regenerantur quo Christus in utero Mariæ est conceptus.

« Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc ge« nimine vitis, usque in diem illum, cum illud bi« bam vobiscum novum in regno Patris mei. » Juxta litteram promittit se nunquam esse bibiturum de genimine vitis, donec resurgeret a mortuis. Postquam autem resurrexit, non solum comedit, sed etiam bibit cum discipulis suis, sicut Petrus apostolus declarat, dicens : « Nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis (*Act.* X). » Sed qui altius intelligunt, spirituale mysterium ibi requirunt. Vitis enim nomine significatur plebs Israelitica, ut in Psalmo : « Vineam de Ægypto transtulisti (*Psal.* LXXIX). » Et iterum in Isaia : « Vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est (*Isa.* V). » Dicit ergo : « Non bibam de hoc genimine, » id est de generatione hujus vitis, « donec bibam illud novum in regno Patris mei. » Regnum Patris sui appellat hic fidem credentium. Ait ergo : Non recipiam ab hac hora meæ passionis carnales victimas ac cæremonias, donec vinum dulcissimum bibam, id est fidem illorum vobiscum in regno Patris mei. Nam post resurrectionem illud vinum bibit. Bibi enim dulcissimum vinum de genimine istius vitis, in illis videlicet qui post resurrectionem crediderunt prædicantibus apostolis, sicut in Actibus apostolorum legimus, prædicante Petro, una die credidisse quin-

que millia, alia die tria millia, et deinceps multa A millia : in illis bibit vinum dulcissimum post suam resurrectionem.

« Et, hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. » Hoc est, quod Psalmista ait : « Edent pauperes, et saturabuntur : et laudabunt Dominum, qui requirent eum (*Psal.* xx). » Hinc etenim consuetudo exorta est, ut quando cœlesti pane pascimur, sive terreno cibo reficimur, hymnum Deo dicamus. Vel etiam hymnum possumus intelligere illam orationem per quam Patri discipulos commendavit, quam Joannes ad plenum exsecutus est, quæ ita inchoatur : « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te (*Joan.* xvii) : » in qua non solum pro apostolis oravit, sed etiam pro omnibus qui credituri erant per verbum illorum in ipsum. Quod autem Dominus post cœnam in montem Oliveti exiit, B aperte dedit nobis exemplum, ut, postquam divino pabulo pascimur, ad culmen virtutum quantocius properemus.

« Tunc dixit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. » Σχάνδαλον enim Græce, Latine dicitur offensio, sive impactio pedum. Prædicit enim Dominus quod scandalum passuri essent in eum, ut veniente hora scandali non desperarent propter scandalum, sed potius ad pœnitentiam converterentur. Et pulchre ait, « in ista nocte, » quoniam sicut qui inebriantur, nocte inebriantur, ita qui scandalum patiuntur, in nocte, hoc est, in tenebris incredulitatis et ignorantiæ, patiuntur. « Scriptum est enim : Percutiam pastorem et dispergentur « oves gregis. » Hoc in Zacharia propheta scriptum C est, aliis quidem verbis, et ex alterius persona. Ibi enim prophetæ persona loquitur ad Dominum (*Zach.* xii) : « Percute pastorem, » id est Christum, qui dicit : « Ego sum pastor bonus (*Joan.* x), » — « et dispergentur oves gregis, » id est apostoli, qui, relicto eo, omnes fugerunt.

« Postquam autem resurrexero, præcedam vos « in Galilæam. » Impletum est hoc, quando duodecim apostoli post resurrectionem abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoravesunt.

« Respondens autem Petrus, ait illi : Et si omnes « scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandali- « zabor. » Non temeritatis quidem hæc sunt verba, sed potius ardoris magni, quem in Dominum Petrus D habebat. Eodem autem ardore, quo et cætera loquebatur, et faciebat, etiam hæc loquebatur. Sed Petrus, qui infirmus erat, de infirmitate sua præsumebat, Dominus autem, omnium conscius, quod futurum erat prædicebat.

« Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dici- « tur Gethsemani. » Gethsemani vallis est juxta Jerusalem, in qua monstratur usque hodie locus ubi Dominus oravit, cum ecclesia superexstructa. Interpretatur autem Gethsemani *vallis pinguium*, vel *pinguedinum*. Non autem frustra in monte aliquando orabat, et aliquando in valle. In monte etenim orat, ut tempore orationis nostræ humilitatem, et contritionem cordis nos habere doceat. Et hoc in valle pinguium sive pinguedinum, ut scilicet oratio nostra condita sit pinguedine charitatis. Vel aliter, in monte unusquisque orat, qui cœlestis patriæ præmia poscit. In valle autem nihilominus orat, qui carnalia a Deo petit, mortem videlicet inimicorum, ultionem hostium, abundantiam temporalium facultatum.

« Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedæi, cœ- « pit contristari et mœstus esse. » Contristabatur, non timore vicinæ passionis, propter quam sufferendam venerat, sed propter perditionem Judæ, et propter dispersionem populi Judæorum, et scandalum discipulorum, et eversionem miseræ Jerusalem, his causis contristatur Dominus.

« Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad « mortem. » Errant qui putant Dominum non veram animam habere : si enim non habuit veram animam, quare dicit : « Tristis est anima mea usque ad mortem ? » Et notandum est, quia non dicit propter mortem, sed usque ad mortem, hoc est, donec apostolos meos et omnes credentes effusione sanguinis mei redimam. « Sustinete hic, et vigilate me- « cum. » Non admonet ergo Dominus vigiliam corporis, quæ tunc temporis non erat, sed potius spiritualem vigiliam mentis, ne videlicet mens apostolorum sive fidelium sopore infidelitatis torperet.

« Et progressus pusillum, procidit in faciem « suam. » Procidit autem Dominus in faciem suam, ut humilitate corporis humilitatem mentis demonstraret. « Mi Pater, » Blandientis affectu loquitur. « Si « possibile est, transeat a me calix iste. » Orat ut si fieri possit, quatenus genus humanum salvetur sine passione sua, transeat ab eo calix passionis, non timens eamdem passionem sufferre, sed dolens Judæos tantum scelus admittere in passione sua. Vel potest aliter intelligi : « Si possibile est, transeat a me calix iste, » id est, si possibile est ut Ninive salvetur, nisi cucurbita aruerit, hoc est, si fieri potest ut gentilitas per universum mundum liberetur sine Judæorum perditione et interitu, transeat a me calix passionis. Sed quia ex infirmitate carnis Patri hæc dixerat, redit ad semetipsum : et quod per infirmitatem abnegaverat, ex Divinitatis persona confirmat, dicens : « Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut « tu, » id est ut non hoc fiat, quod ego ex parte humanitatis loquor, sed propter quod ad terram tua voluntate descendi.

Et venit ad discipulos et invenit eos dormientes. » Quia videlicet gravati erant tam tristitia, quam Domini passione. « Et dicit Petro : Sic non potuistis « una hora vigilare mecum ? » Ac si diceret : Quomodo pro me mori poteritis, qui pro me una hora vigilare non potuistis ?

« Vigilate et orate, ut non intretis in tentatio- « nem. » Impossibile est hominem, quandiu in hac vita fuerit, non tentari : unde omnes tam justi quam peccatores, quotidie in oratione dicunt : « Ne nos inducas in tentationem (*Matth.* vi). » Non ergo præcipit Dominus

orandum, ut non tentemur, sed ne in tentationem inducamur Aliud est enim tentari, et aliud in tentationem induci. Tentatur quilibet, quando vel animo vel corpore in delectatione alicujus vitii titillatur: inducitur vero in tentationem, si suæ delectationi cœperit consentire. Verbi gratia, tentatus est autem quiuam martyr, cum cogeretur Dominum negare, sed non inductus est in tentationem. Si enim negasset Dominum, utique in tentationem induceretur.» Hoc ergo præcepit Dominus, ut orent, ne intrent in tentationem, id est, ne metu persecutorum recedant a fide Christi, ut cogantur illum negare. « Spiritus « quidem promptus est, » ad passionem sufferendam, « caro autem infirma. » Exponit quare superius dixerit, « tristis est anima mea usque ad mortem, » quod scilicet spiritus illius promptus erat ad passionem sufferendam, « caro autem infirma » ad supplicia toleranda.

« Iterum secundo abiit, et oravit, dicens: Mi Pa« ter, si non potest hic calix transire, nisi bibam « illum, fiat voluntas tua. » Id est, si non potest genus humanum sine passione mea salvari, vel si non potest universus orbis salutem consequi, nisi populus Judæorum in perditionem ruat, fiat voluntas tua. Non secundum hoc fiat quod ex parte humanitatis loquor, sed propter quod ad terram tua voluntate descendi.

« Et relictis illis iterum abiit, et oravit tertio « eumdem sermonem dicens. » Oravit tertio, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum (*Deut.* XIX). Oravit autem non pro se, sed pro nobis, scilicet ut illa oratio esset discipulorum confirmatio.

« Tunc venit ad discipulos suos. » Postquam oravit ad Patrem, et impetravit salutem discipulorum suorum, venit ad eos et dixit:

« Dormite jam et requiescite. Ecce appropinqua« vit hora, et Filius hominis tradetur in manus pec« catorum. Surgite, eamus. Ecce appropinquabit qui « me tradet. » Intelligimus quia, cum dixisset ut dormirent discipuli et requiescerent, aliquantulum tacuisse, ut impleretur quod dixit, et inde diceret: « Surgite, eamus. »

« Adhuc ipso loquente, ecce Judas unus de duo« decim. » Unus non merito, sed numero, sicut superius Dominus dixit: « Nonne vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? » (*Joan.* VI.)

« Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens: « Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. » Infelix Judas æstimans Dominum signa magicis artibus patrasse, recolens eum transfiguratum fuisse in monte coram tribus discipulis, æstimans etiam eum in hora passionis suæ similitudinem in aliam mutare, ideo dat signum persecutoribus suis, ut quemcunque oscularetur, ipsum comprehenderent, æstimans Dominum persecutores suos eludere, et in aliam formam se transfigurare.

« Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave, « rabbi. Et osculatus est eum. » Summa dementia infelicis Judæ! Nam osculum pacis porrigit ei quem vult tradere persecutoribus suis. Adimpletum est hoc loco quod per Psalmistam dicitur: « Qui edebat panem meum, ampliavit adversum me supplantationem (*Psal.* XL). »

« Amice, ad quod venisti? » Duobus modis est intelligendum et distinguendum est. Sed ita distinguendum est, ut dicamus: « Amice, ad quod venisti? » ut interrogantis modo legatur, vox Domini est miserum increpantis, et dolentis quod a summo gradu apostolatus ad apostasiam devolutus erat, ut sit sensus? « Amice, ad quod venisti? » id est, ad quantum malum dejectus es, ut de apostolo fieres apostata, et de doctore veritatis, fieres magister erroris? Si vero plenam distinctionem ibi fecerimus, ut dicamus: « Amice, ad quod venisti, » ut subaudiatur, perfice, ac si diceret: Relinque osculum pacis, et imple traditoris officium.

« Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, exten« dens manum, exemit gladium suum, et percutiens « servum principis sacerdotum, amputavit auricu« lam ejus. » Hoc Petrus apostolus fecisse legitur secundum Joannem eo ardore mentis, quo et cætera faciebat. Nam servus principis sacerdotum, cujus auricula amputata est, Malchus vocabatur, qui interpretatur *rex*. In quo servo nihil aliud quam Judæorum populus designatur, cujus dextera auricula amputata est, quia, ablata spirituali intelligentia, sola in eis ariditas litteræ remansit, tanquam videlicet sinistra auricula. Sed Dominus restauravit tactu manus suæ auriculam dexteram illius, quia in illis, qui credituri sunt circa diem judicii, spiritualem intelligentiam reparabit. Unde idem, rex et servus principis sacerdotum dicitur. Quomodo enim rex et servus? Si rex, quomodo servus? Sed rex in illis, qui fidem Christi accepturi sunt: servus in illis, qui in servitute peccati remansuri sunt.

« Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in « locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium « gladio peribunt. » Juxta litteram non omnes accipientes gladium, gladio pereunt. Nam et multi homicidiis insistunt, et tamen gladio non cæduntur. Sed altius ostendit esse intelligendum, ac si diceret: Ea temeritate, qua alium punis vel judicas, necesse est, ut eadem temeritate a Domino puniaris.

« An putas, quia non possum rogare Patrem meum, « et exhibebit mihi plusquam duodecim legiones an« gelorum? » Ac si diceret: Non indigeo auxilio duodecim apostolorum, quoniam si voluero Patrem meum rogare, possum ab eo impetrare duodecim legiones angelorum. Legio enim apud veteres sex millibus constabat. Duodecim autem legiones, septuaginta duo millia efficiunt. Tot autem gentes leguntur ad turrim Babel in diversitatem linguarum divisæ esse. Et est sensus: Non egeo auxilio et defensione duodecim apostolorum, quoniam si totus mundus in necem meam conspiraverit, possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi contra unamquamque gentem mille angelos.

« Tanquam ad latronem existis cum gladiis et

« fustibus, » et tumultu, « ad me comprehendendum, » et in nocte, « qui manifeste vobis in die « apparui, et in templo quotidie docui. » Stultum ergo cum gladiis me quærere, qui sponte me vestræ potestati trado.

« Hoc autem totum factum est,ut adimplerentur « Scripturæ prophetarum. » Id est, ut implerentur vaticinia prophetarum,quæ de Christi passione prædicta erant, quæ longum est enumerare. E quibus unum est : « Foderunt manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI), » etc. Et : « Sicut ovis ad occisionem ducetur (*Isa.* LIII). » Et iterum : « Ab iniquitatibus populi mei ductus sum ad mortem. «

« At illi, tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham « principem sacerdotum, ubi scribæ et Pharisæi « convenerant. » Præceperat omnipotens Deus per Moysen, ut legitima successio sacerdotum in perpetuo permaneret. Instante autem tempore Dominicæ passionis, destructa erat sacerdotalis dignitas.Adeo erat prævaricata,ut quicunque sacerdotium pecunia redimere posset,sacerdos efficeretur. Non enim servabatur ibi jam successio generis, sed potius intuitus cupiditatis.Iste ergo Caiphas(sicut Josephus narrat) redemerat sibi unius anni pontificatum a Romanis. Mirum autem non est si injustus sacerdos injustam sententiam de Domino proferat.

« Petrus autem sequebatur a longe, usque in « atrium principis sacerdotum. » Divina verba sic aliud dicunt, ut tamen aliud intelligendum significent.Juxta litteram,Petrus a longe eum sequebatur, quia timebat ne pariter cum illo teneretur. Allegorice,longe eum sequebatur,quia videlicet in proximo erat eum negaturus. « Et ingressus intro, sedebat « cum ministris, ut finem videret. » Vel amore Domini ingressus est post illum in atrium principis sacerdotum, vel etiam curiositate humanitatis, ut videret finem illius, an si ei parcerent, et castigatum eum dimitterent, an etiam morti adjudicarent.

« Novissime autem venerunt duo falsi testes, et « dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum « Dei, et post triduum reædificare illud. » Mirum valde est, cur dicantur esse falsi testes,cum illa dicant,quæ Dominum alibi legimus dixisse.Sed falsus testis est, qui verba alio sensu interpretatur,quam ille qui dixerat,sicut isti,qui non solum sensum,sed etiam verba permutaverant. Quod enim ille dixerat de templo corporis sui,hoc isti interpretati sunt de templo materiali,quod erat in Jerusalem. Sed in his verbis quamdam calumniam struunt contra Dominum. Illi dixerunt : « Possum destruere templum Dei. » Ipse autem dixerat (*Joan.* II): « Solvite templum hoc,»id est,vos solvite, non ego :qui illicitum est, ut nobismetipsis manus inferamus. Illi dixerunt : « Et post triduum reædificabo illud, » ut de templo materiali dicere videretur :ille autem dixerat de spiranti et animanti corpore : « Et in triduo excitabo illud, » quasi dormientem a somno.

« Et surgens princeps sacerdotum, ait illi : Nihil « respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur ?» Provocat princeps sacerdotum ad respondendum falsis testibus, ut quem falsi testes damnare non poterant, ex responsione sua eum arguere.. Sed Dominus prævidens, quia quidquid diceret, calumniam diceret, principi quidem sacerdotum nulla respondit, Pilato vero pauca.

« Dicit illi Jesus : Tu dixisti, » subauditur, quia ego sum. Et Pilato et principi sacerdotum iisdem verbis Dominus respondit, ut utrumque propri sententia condemnaret. « Verumtamen dico vobis « amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextri « virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. » Ill Judæis dicit, quos post suam resurrectionem credituros esse sciebat : « Verumtamen dico vobis amodo, » id est ab hac hora sive tempore meæ passionis, « videbitis, » id est intelligetis et credetis : « Filium hominis sedentem in dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli, » ad judicandum videlicet.

« Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta « sua, dicens : Blasphemavit. Quid adhuc egemus « testibus ? » Ipse furor, qui eum superius de solio suo excusserat, ipse etiam furor provocat eum ad vestimenta scindenda. Erat autem consuetudo in populo Judæorum,ut quotiescunque aliquid durum vel blasphemiæ contra Dominum audirent, vestimenta sua scinderent,ut ex scissione vestimentorum dolorem cordis ostenderent. Quod legimus Paulum et Barnabam fecisse in quadam civitate, cum populus eis vellet immolare victimas et sacrificia, quasi deos adorantes.Spiritualiter, scissio vestimentorum principis sacerdotum significabat scindendam esse dignitatem sacerdotii in populo Judæorum. In excussione sacerdotis de solio suo, significabatur vacuam esse remansuram sedem pontificis in populo Judæorum.

« At illi respondentes,dixerunt :Reus est mortis.» Impletum est quod olim Psalmista ex persona Domini dixerat : « Circumdederunt me canes multi (*Psal.* XXI). »

« Tunc exspuerunt in faciem ejus,et colaphis eum « ceciderunt. » Ut impleretur quod prædictum erat per prophetam : « Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me (*Isa.* LVI). »

« Alii autem palmas in faciem ei dederunt,dicen- « tes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te « percussit ? » Ut impleretur illud propheticum : « Dedi genas meas vellentibus, et maxillas meas percutientibus (*Ibid.*). »

« Et accessit ad eum una ancilla, dicens : Et tu « cum Jesu Galilæo eras. » Quid sibi vult quod in Domini passione, non vir, sed femina Petrum ad negandum compulit ? Divinitus hoc actum est, ne videlicet iste sexus in Domini passione videretur esse immunis, sed sic uterque sexus videretur peccasse in Domini passione, et congrua similitudine Sicut enim mulier primum parentem ad peccatum allexit, ita etiam mulier ostiaria Petrum ad negandum compellebat. « Et iterum negavit cum cum ju-

« ramento, quia non novi hominem. » Excusant quidam Petrum apostolum, quod non negaverit Christum Dominum, sed potius hominem, quasi diceret : Deum scio, hominem nescio, quasi minoris culpæ sit hominem negare quam Deum, cum constat esse verum Deum et hominem. Sed qui Petrum volunt defendere, Christum coguntur mendacii arguere, qui dixit : « Antequam gallus cantet, ter me negabis. » — « Nam et loquela tua manifestum te facit. » Una quidem erat loquela et illorum qui arguebant, et illorum qui arguebantur, ut nec dissimilis erat locutio, quia omnes Hebræi erant. Sed quia unaquæque provincia vel civitas vernaculum locutionis sonum habet, quem non potest vitare, ideo dicunt : « Nam et loquela tua manifestum te « facit. » Sicut legimus in libro Judicum, quod Ephratæi transeuntes vada Jordanis, cum cogerentur ab hostibus ut diceret cheboleth, quod interpretatur *spica*, cum non poterant exprimere, dicebant seboleth.

« Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixe« rat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et « egressus foras, flevit amare. » Sicut alius evangelista dicit, respexit Dominus Petrum (*Luc.* XXII). Respectus Domini misericordiam illius designat, qua Petrum dubitantem respexit, et in fide confirmabat. quia peccatores etiam quosque respicit, et corda illorum ad pœnitentiam convertit. Et hoc notandum est quia gallo cantante Petrus ad pœnitentiam redit, quia videlicet quando per negligentiam corporis delinquimus, per prædicatorum admonitionem ad pœnitentiam redire debemus. Sæpe enim gallorum nomine prædicatores solent significari.

« Mane autem facto, consilium inierunt omnes « principes sacerdotum et seniores populi adversus « Jesum, ut eum morti traderent. » Notanda est sollicitudo Judæorum, qui tota nocte in malum laboraverunt, ut effunderent sanguinem innocentem, et mane facto consilium inierunt, et tradiderunt Jesum Pilato. Et non solum Pilato traditus est, sed (sicut Joannes clarius manifestat) primum deductus est ad Annam, deinde ad Caipham, qui principatum inter pontifices gerebant eo tempore : tertio ductus est ad Pilatum, novissime ad Herodem. Et (sicut Lucas evangelista dicit) sprevit illum Herodes cum omni exercitu suo, et indutum veste alba, remisit illum ad Pilatum. Ad omnes missus est, ut omnes eum illuderent, et nemo immunis esset a passione Christi.

« Et vinctum duxerunt eum, et tradiderunt Pon« tio Pilato præsidi. » Consuetudo autem erat, ut quemcunque morti traderent, vinctum illum præsidi adducerent.

« Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod « damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta « argenteos principibus sacerdotum, et senioribus, « dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. » Videns Judas Dominum morti adjudicatum, et se quoque morti æternæ in proximo esse damnandum, A propterea quod tradiderit Dominum et magistrum, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, quos acceperat a principibus sacerdotum : quasi in ejus potestate esset persecutorum sententiam permutare. Sed licet mutaverit voluntatem suam, tunc nihil profuit, quia priorem exitum non immutavit. Sed si Judas peccavit, sicut ipse dixit : « Peccavi, tradens sanguinem justum, » quid meruerunt qui discipulum ad traditionem sanguinis magistri provocaverunt ? « Quid ad nos ? » subauditur pertinet. « Tu videris. » Tu, inquiunt, illud probasti cum accepisti, tu videris quid acturus sis.

« Et projectis argenteis in templo, recessit, et « abiens laqueo se suspendit. » Avaritiæ magnitudinem impietatis pondus excludit. Nihil profuit Ju- B dæ quod pœnitentiam egit de Domini proditione, quoniam culpam quam contraxerat, solvere non potuit. Sic quicunque in fratrem suum peccat, ut hoc quod in eo offendit, emendare valeat, ei dimitti potest : qui autem ita peccat, ut hoc quod peccaverit, non valeat emendare, non dimittetur ei. Quia frustra assumitur in voce pœnitentia, quandiu manet culpa. De Juda autem et de similibus ejus per Psalmistam dicitur : « Et oratio ejus fiet in peccatum (*Psal.* CVIII). » In peccatum ergo oratio Judæ reputata est, quia non solum prius peccatum solvere non potuit, sed etiam homicidium proditioni Domini copulavit.

« Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium « sanguinis est. » Corbona Hebraice, Latine interpretatur *donum*. Quo nomine gazophylacium appel- C latur, locus scilicet ubi thesaurus a populo oblatus servabatur. Et impletum est hic, quod Dominus improperat Scribis et Pharisæis ante passionem suam, dicens : « Culicem excolantes, et camelum glutientes (*Matth.* XXIII). Si enim in corbonam pretium sanguinis mittere non licuit, multo magis ipsum sanguinem innocentem, effundere non licuit.

« Et consilio inito, emerunt ex illis agrum figuli « in sepulturam peregrinorum. » Illi quidem hoc alia mente fecerunt, tamen etiam facientes nostræ saluti providerunt. Ager namque Domino interpretante, hic mundus intelligitur, figulus vero ipse Dominus est, qui finxit mare et mundum, et omnia quæ in eis sunt. De pretio ergo sanguinis Christi emptus est ager, quia nos qui peregrini eramus a D testamento Dei, requiem animæ et corporis in sanguine Christi habere cœpimus.

« Tunc impletum est, quod dictum est per pro« phetam Jeremiam, dicentem : Et acceperunt tri« ginta argenteos, » etc. Hoc exemplum non invenitur scriptum in Jeremia, simile autem aliquid in Zacharia invenimus. Proinde non curavit Matthæus evangelista vel primum ponere Zachariam, vel etiam postea emendare, quia videlicet universa quæ Spiritus sanctus per ora prophetarum locutus est, et communia sunt omnium, et propria singulorum. Quidquid enim dixit Jeremias, reputandum est Zachariæ, et quod Jeremias dixit, et cæteri prophetæ locuti sunt, utique fuerunt Zachariæ. Quia (sicut

dixi) universa quæ Spiritus sanctus per ora prophetarum locutus est, et communia fuerunt omnium, et propria singulorum.

« Et interrogavit eum præses, dicens : Tu es rex « Judæorum ? Dicit illi Jesus : Tu dicis. » Subauditur, quia ego sum. Notandum est quia hoc quod ei objectum fuerat a scribis et Pharisæis, hoc etiam Pilatus interrogat, utrum videlicet se regem Judæorum esse diceret, sicut scribæ et Pharisæi eum accusaverunt. Sed Dominus ita suum temperavit responsum, ut veritatem diceret, et tamen sermo illius calumniæ non pateret.

« Et cum accusaretur a principibus sacerdotum « et senioribus, nihil respondit. » Intuendum est quod Dominus Pilato interroganti, pauca respondit: ideo, quia non suo arbitrio, sed populi accusatione eum morti adjudicabat. Principibus autem interrogantibus, nihil respondit, quos sua responsione indignos esse judicabat. Vel certe ideo non respondit, ne si semetipsum digna responsione purgaret, utilitas passionis differretur, et genus humanum sine passione sua salvari non poterat.

« Per diem autem solemnem consueverat præses « unum dimittere ex vinctis quem voluissent. » Memoriam enim Judæi liberationis suæ de Ægypto, hanc habebant consuetudinem, ut in die festo unum vinctum a morte eriperent, in memoriam suæ liberationis, quando de Ægypto liberati sunt.

« Habebant autem tunc unum vinctum insignem, « qui dicebatur Barabbas. » Barabbas autem propter seditionem et homicidium (sicut Lucas testatur) conclusus tenebatur in carcere.

« Sedente autem illa pro tribunali. » Tribunal est sedes judicis, sicut solium sedes regis, cathedra autem sedes magistri. « Misit ad eum uxor ejus di« cens : Nihil tibi et justo illi. » Tunc primum intellexit diabolus per passionem Domini se potestate, quam habebat in mundo, privandum, et spoliis, quæ apud inferos et super eos habebat, esse spoliandum : et ideo satagere conatus est, ut saltem per passionem uxoris Pilati Dominum a morte retraheret. « Multa enim passa sum hodie per visum propter « eum. » Notandum est, quia gentilibus sæpe somnia revelantur a Deo, non ob eorum merita, sed aut pro futurorum, vel etiam pro cautela aliorum, sicut legimus Nabuchodonosor distributionem omnium regnorum terræ vidisse (*Dan.* II) : et sic legimus Pharaonem somnium vidisse, quod Joseph cum prudenter disseruisset, dominus constitutus est in terra Ægypti (*Gen.* XLI).

« Principes autem sacerdotum et seniores populi « persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Je« sum vero perderent. » Non est mirum Judæi quiete et pace carent, qui principem seditionis elegerunt, et auctorem pacis, id est Dominum morti tradiderunt.

« At illi dixerunt : Barabbam. » Barabbas qui interpretatur *filius magistri*, vel *patris eorum*, typum Antichristi tenet, quem Judæi in fine sæculi pro Do- A mino suscepturi sunt, sicut Dominus eis dicit: « Ego in nomine Patris mei veni, et non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis (*Joan.* V). » Bene filius patris eorum, id est filius diaboli, qui est pater eorum, sicut Dominus eis improperat, dicens : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan*, VIII), » quoniam cujus opera quis agit, ejus filius est, Barabbas, si legitur per duo *rr*, interpretatur *filius magistri*, quia rabbi dicitur magister. Si autem legatur per unum *r*, et per duo *bb*, erit interpretatio *filius patris eorum*, quia abba Hebraice, Latine dicitur pater.

« Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed « magis tumultus fieret, accepta aqua, manus lavit « coram populo, dicens : Innocens ego sum a san- B « guine justi hujus, vos videritis. » Legerat fortassis Pilatus scriptum in Psalmo : « Lavabo inter innocentes manus meas (*Psal.* XXV). » Et ideo abluit manus, ut exsors videatur esse a scelere Dominicæ passionis, ac si diceret Ego (inquit) volui eum liberare et innocentem ostendere, sed quia rebellionis crimen mihi contra Cæsarem impingitur, vos videritis. Ego legum minister sum, vox ipsa vestra sanguinem fudit.

« Et respondens universus populus, dixit: San« guis ejus super nos et super filios nostros. » Hæc maledictio perseverat in Judæis usque hodie, et usque in diem judicii perseverabit. Non enim sufficit eis ut semetipsos, qui tunc temporis erant, damnarent, sed etiam omnem progeniem, quæ necdum nata erat, sub hac maledictionis noxa cons- C tringerent. Manet enim sanguis Domini, id est vindicta Domini, super Judæos, et super omnem progeniem eorum usque in finem sæculi.

« Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifi« geretur. » Inconsequens esse videtur, ut ille qui superius Dominum voluerat liberare, modo eum flagellaverit, et flagellatum potestati eorum tradiderit. Quod duobus modis solvendum est: ideo flagellasse, ut satisfaceret legibus Romanorum, quorum consuetudo erat, ut is qui morti esset addictus, primum flagellaretur, et postmodum occideretur. Sive ideo flagellavit eum, ut videlicet illi satiati pœnis illius, cessarent ultra mortem ejus petere, ut crucifigeretur.

« Cohortem universam congregaverunt. » Co- D hors erat apud Romanos milites triginta.

« Et exuentes eum vestimentis propriis, chlamydem coccineam circumdederunt ei. » Opprobrii causa Domino chlamydem coccineam circumdederunt pro purpura regali : et pro corona aurea, coronam de spinis imposuerunt capiti illius, et pro sceptro imperiali, arundinem in manu dextra illi dederunt. In his autem omnibus nostræ salutis celebratur sacramentum. Quod enim Dominus coccinea veste, id est rubro vestimento, induitur, significatur nostrorum peccatorum susceptio : quoniam, cum sine peccato esset, nostra peccata in semetipso suscepit. Quod autem spineam coronam in capite accepit; hoc si-

gnificabatur, quod peccata nostra quæ per spineas intelliguntur, ipse esset ablaturus a nobis: et maledictum quod primo homini dictum est: « Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* III), » per suam passionem solveret. Quod autem arundinem in dextra manu ferebat, designabat se sacrilegium Judæorum scribere. Sive etiam hoc significabatur, quod in sua passione vaticinia prophetarum implebantur. Solemus enim calamo plerumque scribere. Et in calamo venenata animalia occidit.

« Ave, rex Judæorum, » quasi dicerent, qui te dixisti regem esse Judæorum.

« Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, « et percutiebant caput ejus. « Semel hoc factum est Domino corporaliter, quotidie hæretici hoc faciunt, qui spiritaliter caput ejus percutiunt, et in faciem illius spuunt. « Caput enim Christi Deus est, » teste Paulo apostolo (*I Cor.* XI). Caput ergo Christi percutit quisquis in illo Divinitatem illius abnegat fuisse, sicut Arius, qui dicit Filium minorem esse Patre. in faciem spuit, quisquis præsentem illum in carne venientem denegaverit, sicut Manichæus, qui dicit veram in Christo non fuisse carnem.

« Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum chla- « myde, et induerunt eum vestimentis suis, » Quandiu Dominus illusionem passus est, et sputa sustinuit, et coronam spineam in capite habuit, non propria vestimenta habuit induta, sed aliena. Mox autem ut hora despectionis transiit, propria vestimenta resumpsit. Quia quod passus est, et quod flagellatus est, non fuit proprium Divinitatis illius. Quod autem die tertia resurrexit, quasi proprium vestimentum resumpsit, per quod significabatur, quod horam mortem erat gustaturus, et iterum ad tempus peracta passione de sepulcro resurrecturus. Impleta est in eo prophetia quæ dicit: « Ut faciat opus suum, alienum est opus ejus: ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo (*Isa.* XXVIII). » Ut enim operaretur opus suum, id est salutem generis humani, opus illius alienum fuit, quia passionem quam pertulit, ejus Divinitati aliena fuit.

« Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyre- « næum nomine Simonem, hunc angariaverunt ut « tolleret crucem ejus. » Non est contrarius Matthæus Joanni evangelistæ qui scripsit Dominum crucem sibi bajulasse, sed intelligendum quod primum exiens de prætorio crucem sibi portaverit: deinde vero, obviante Simone, angariaverunt eum ut tolleret crucem Domini usque ad locum quo figenda erat, quod a magno mysterio non vacat. Siquidem Simon, qui interpretatur *obediens*, gentilem populum designat. Unde bene Cyrenæus fuisse dicitur, qui hæres interpretatur. Nam de gentili populo a Deo Patre Filio repromittitur: « Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). »

« In locum qui dicitur Golgotha, quod est Cal- « variæ locus. » Quidam locum Calvariæ dictum autumant a sepultura primi parentis, eo quod caput, A hoc est, calvaria ipsius, eodem loco sit tumulata. Quod perspicue falsum est, quia videlicet, sicut liber Jesu Nave refert, non juxta Jerusalem, sed inter Hebron et Cariatharbe tumulatus est. Verior ergo sensus est, quod calvariam dicimus locum illum ex consuetudine antiqua: siquidem extra omnes civitates locus deputatur, ubi reorum capita detruncabantur. In calvaria ergo ibi truncabantur capita eorum, et recte idem locus calvariæ nuncupabatur, id est a capitibus damnatorum. Et merito ibi Dominus crucifixus est, ut ibi prius erigebantur aræ damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii. Vel, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia (*Rom.* V).

« Et dederunt ei bibere vinum cum felle mistum. » Impletum est hic quod per Prophetam dicitur: « Et B dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto (*Psal.* LXVIII). » Quod erant, hoc ei dederunt. Ipsi enim erant acetum, degenerantes a vino patriarcharum et prophetarum, et nequaquam aliud ei poterant dare quam quod erant. Quod autem dicitur: « Et cum gustasset, noluit bibere. » Et non accepit: vinum fellitum quidem gustavit, sed non bibit, aperte designans quod passionem et mortem ad tempus suscepit, sed in æternum eadem morte teneri noluit.

« Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt « vestimenta ejus, sortem mittentes. » Vestimenta quidem Domini diviserunt, super tunicam vero quæ inconsutilis erat, et dividi non poterat, sortem miserunt. Vestimenta etenim Domini significant electos illius. Quadripartita enim vestis illius Ecclesiam de- C signat per quadripartitum orbem divisam. Tunica autem illius inconsutilis desuper texta, unitatem ipsius Ecclesiæ designat, quia omnis unitas regni in corpore sanctæ Ecclesiæ consistit. Quæ unitas non humano arbitrio, sed divina dispensatione regitur, per charitatem Dei omnipotentis, de qua Paulus apostolus dicit: « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro (*I Cor.* XII). » Ideo jure eadem tunica desuper contexta perhibetur.

« Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius « scriptam. » Causam videlicet mortis capiti illius superscripserunt: « Hic est rex Judæorum. » Et scripserunt hoc Hebraicis litteris, Græcis et Latinis, ut Joannes evangelista dicit (*Joan.* XIX), quia tunc temporis hæ tres linguæ principatum tenebant inter D reliquas linguas. Hebraica propter Judæos gloriantes in lege. Græca autem propter gentilium philosophos, Latina autem propter Romanos, qui tunc temporis omnibus gentibus imperabant. Velint nolint Judæi, omnis lingua et omnis natio confitetur quod Jesus est rex Judæorum, hoc est, omnium in se credentium et se confitentium.

« Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus « a dextris, et unus a sinistris. » Juxta litteram impletum est illud, quod per prophetam dicitur: « Et cum iniquis deputatus est (*Isa.* LIII). » Allegorice autem duo latrones, qui cum Domino crucifixi sunt, significant duo genera hominum, qui sub confes-

sione nominis Christi, vel agonem martyrii, vel arctioris vitæ instituta subeunt. Illi enim qui solo intuitu remunerationis super se talia assumunt, laude et merito dextro latroni coæquantur. Illi autem qui qualibet alia causa, vel agonem martyrii, vel arctioris vitæ instituta ducunt, sinistri latronis perfidia designantur, qui sub confessione nominis Christi, sed non amore illius arctioris vitæ institutta subeunt.

« Prætereuntes autem blasphemaverunt eum. » Prætereuntes dicuntur, quia prætericrunt vitam, id est Christum, moventes capita sua contra Dominum, qui prius moverant pedes a rectitudine viæ justitiæ.

« Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. » Velint nolint Judæi confitentur quod Dominus Jesus alios salvos fecit, Sed quia alios fecit salvos, consequens est ut etiam semetipsum salvum faciat si vult. Sed si Dominus tunc temporis in illorum insultatione de cruce descenderet, etiam illorum insultationibus cedens, virtutem patientiæ nobis non monstraret. Sed sustinuit Dominus probra, et irrisiones pertulit. Plus enim fecit, qui de cruce noluit vivus descendere, de sepulcro surrexit mortuus, et non crediderunt ei. Plus enim fuit de morte resurgere, quam de cruce vivens descendere.

« Idipsum autem et latrones qui crucifixi erant « cum eo, improperabant ei. » Hoc synecdochicos intelligendum est. Non enim uterque latro Domino insultavit, sed sicut Lucas distinctius loquens manifestat, uno in blasphemia perseverante, alter de cruce increpavit eum, dicens: « Nunquid et tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Nos quidem digna factis recepimus, hic autem quid fecit? » Et conversus ad Jesum, dixit: « Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum (*Luc* XXIII). » Possumus autem dicere, quod primum quidem uterque latro Dominum blasphemaverat, sed, visa magnitudine signorum, obscuratione videlicet solis et commotione terræ, et apertione sepulcrorum, unus confestim pœnitentiam egerit, alter vero in blasphemia perseverarit.

« A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super « universam terram, usque ad horam nonam. » Sexta hora Dominus crucifixus est, secundum tres evangelistas. Nam quod Marcus confirmat eum tertia hora esse crucifixum, ad voces Judæorum debemus respicere, quorum vocibus tertia hora crucifixus est. Bene autem Dominus sexta hora crucifixus legitur, quoniam eadem hora legimus primum hominem in paradiso peccasse: et dignum erat ut per passionem Filii Dei eadem hora redimeretur. Quidam autem, contraria veritati sancti Evangelii intelligentes, dicunt naturale solis deliquium contigisse, quod non intelligentes apostoli, super Domini passionem interpretati sunt. Quibus respondendum est, quod deliquium solis nunquam nisi prima luna fieri potest. Constat autem festivitate paschali, quando crucifixus est Dominus, plenilunium fuisse. Ne autem ista solis obscuritas repente et subita fuisse dicatur, non solum una hora, sed etiam tribus horis protelata est, id est a sexta hora usque ad nonam horam. Credendum vero est quod sicut sol super terras obscuritatem passus est, ita etiam luna sub terris radios lucis suæ abstraxit. Impleta est hic prophetia Joelis dicentis: « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem (*Joel.* II). » Subtraxit autem radios suos, ne vel morientem Dominum suum in cruce videret: sive etiam, ut Judæi ministri iniquitatis lumine illius non fruerentur.

« Et circa horam nonam clamavit Jesus voce « magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabachtani? » Sicut sitire, et lassari, et dormire non est proprium Divinitatis, sed humanitatis ita etiam hæc vox ex parte humanitatis processit, non ex parte Divinitatis. Nam secundum Divinitatem nunquam relinquitur a Patre, secundum vero humanitatem ad tempus visus est derelinqui a Patre, quando permissus est cruci affigi. Et enim dicitur *Deus*, I, *meus*: lamma, *ut quid*? sabachtani, *dereliquisti me*.

« Eliam vocat iste. » Hoc non Judæos, sed Romanos intelleximus dixisse milites, quia non intelligebant Hebraicam proprietatem. Sed si quis contentiosus exstiterit, et dixerit non a Romanis, sed potius a Judæis dictum fuisse, non aberrat a fide: quoniam more solito quidquid diceret Dominus, ad infamiam detorquebant.

« Et continuo currens unus ex eis, acceptam « spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et « dabat ei bibere. » Quod erant, hoc ei propinabant, quia jam a vino degeneraverunt, id est a bonis operibus patriarcharum et prophetarum. Spongia cavernosa significat cor Judæorum malitiosis fraudibus plenum. Hyssopus autem herba humilis et pectus purgans, humilitatem Christi designat. Hyssopo circumdederunt spongiam, quoniam humilitatem Christi circumdederunt: et circumvenisse putaverunt, quam variis fraudibus circumdederunt. Calamus autem in quo posita est spongia, significat Scripturam quæ hoc facto implebatur.

« Jesus autem iterum clamans voce magna, emi« sit spiritum. » Divinæ potestatis indicium, spiritum emisisse. Nemo enim potest spiritum emittere nisi Creator omnium spirituum. Spiritum autem pro anima posuit, quia anima utique spiritualis natura est, sicut in Psalmo legimus: « Auferes spiritum eorum et deficient (*Psal.*. CIII). »

« Et ecce velum templi scissum est in duas par« tes, a summo usque deorsum. » Duo erant vela templi, unum interius ante arcam, et aliud exterius ante altare. Videtur ergo beato Hieronymo illud exterius velum scissum esse, ut paterent nobis sacramenta cœlestia, quæ in Veteri Testamento tenebantur occulta. Et non solum velum templi scissum est, sed etiam virtutes angelicarum potestatum ibi auditæ sunt, dicentium: Transeamus ab his locis, vel sedibus. « Et terra mota est, et petræ scissæ

« sunt. » Juxta litteram commotio terræ et petrarum scissio, terrorem creaturarum significat, non sustinentium mortem Domini sui. Sed si altiorem intelligentiam ibi requiramus, per commotionem terræ et scissionem petrarum, significantur terrenorum corda hominum ad pœnitentiam commovenda.

« Et multa corpora sanctorum, quæ dormierant, « surrexerunt. » Sicut Lazarus suscitatus est, ita et isti suscitati sunt, ut Domino resurgenti testimonia perhiberent. Licet enim Domino pendente in cruce monumenta aperta sunt, tunc nemo illorum sanctorum surrexit, usque quo Dominus resurgeret, ut ipse esset primogenitus ex mortuis.

« Venerunt in sanctam civitatem. » Sanctam civitatem appellat Jerusalem, non quod tunc sancta esset, sed quia olim sancta fuisset propter cultum unius Dei, nomine scilicet pristino permanente. « Et « apparuerunt multis. » Non omnibus, sed illis duntaxat qui digni fuerunt eorum visione.

« Centurio autem, et qui cum ipso erant, custo« dientes Jesum, viso terræmotu, et his quæ fie« bant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei « erat iste. » In fide centurionis, qui gentilis erat, fides omnium gentium designatur. Credente autem centurione, Judæi non solum non crediderunt, sed etiam timuerunt: quia, gentibus Christum suscipientibus, Judæi in sua perfidia remanserunt.

« Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ « secutæ erant Jesum a Galilæa ministrantes ei. » Consuetudo erat apud Judæos, nec reputabatur ad culpam, si mulieres religiosæ ministrarent præceptoribus suis de substantia sua. Quod Paulus apostolus, ne scandalum gentibus faceret, vitavit, dicendo: « Nunquid potestatem non habemus circumducendi sorores nostras (*I Cor.* IX)? » Hæ ergo mulieres, quæ viventi Domino ministraverant, etiam ad passionem procedentem sequebantur, ut cui viventi servierant, etiam mortuo obsequerentur.

« Inter quas erat Maria Magdalene. » Maria Magdalene ipsa est, de qua Dominus septem dæmonia ejecerat. Dicta autem Magdalene a Magdalo castello, « et Maria Jacobi. » Mater videlicet Jacobi et Joseph, qui in Evangelio fratres Domini appellantur. Hæc Maria fuit Domini matertera.

« Cum sero autem factum esset, venit quidam « homo dives ab Arimathia, nomine Joseph, qui et « ipse discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pila« tum, et petiit corpus Jesu. » Arimathia, ipsa est Ramathaim, civitas videlicet Elcanæ et Annæ. Dives autem Joseph dicitur, non ob jactantiam scriptoris, ut Dominus divitem discipulum habere videretur, sed ut ostendatur, quia aliter a præfecto corpus Domini non poterat impetrare, nisi dives esset. Tunc enim temporis nemini licebat, nisi potenti et diviti ad præsidem intrare. Dives etenim, et non minus justus dicitur. Si enim dives non esset, corpus Domini impetrare non potuisset. Si autem justus non esset, nequaquam dignus Dominica sepultura fuis-

A set. Jungitur autem justitia cum potentia, ut impetret corpus Christi.

« Et accepto corpore Christi, Joseph involvit illud in sindone munda. » Ex simplici sepultura Domini, condemnatur ambitio divitum, qui neque in tumulis quidem possunt carere divitiis. Et ex hoc possumus simpliciter intelligere, quod sicut corpus Domini linteo puro involutum fuit in monumento, ita mysterium sancti altaris non licet in pannis de auro textis celebrari, sed in munda sindone. Per significationem enim ille Jesum in munda sindone involvit, qui sacramentum illius pura mente suscipit.

« Et posuit in monumento suo novo quod exci« derat in petra. » Bene in monumento novo Dominus ponitur, et non in veteri, ne scilicet aliis rema-
B nentibus, Domino resurgente, alios surrexisse fingant. De monumento ferunt, qui illud viderunt, quod sit domus rotunda, excisa de subjacente rupe: et tantæ altitudinis, ut qui intus fuerit, extenta manu cacumen illius tangere possit. Habens introitum ab orientali parte, cui lapis ille magnus appositus est. In cujus aquilonari parte corpus Domini jacuit, habens septem vel octo pedum longitudinem trium palmarum eminens a cætero pavimento. Erat autem rubri et candidi coloris hujuscemodi lapis, quod personæ Salvatoris aptissime convenit, cui Ecclesia in Cantico amoris dicit: « Dilectus meus candidus et rubicundus (*Cant.* V). » Candidus scilicet, quia peccatum non fecit: rubicundus, quia propriæ passionis cruore respersus est. « Et advolvit saxum « magnum ad ostium monumenti, et abiit. » Divina
C providentia actum est, ut magnum saxum advolverint ad ostium monumenti, ne si modicum advolveretur, calumniam struerent scribæ et Pharisæi, quod furto mulierum vel discipulorum sublatum fuisset corpus Jesu.

« Erat autem ibi Maria Magdalene, » etc. Sanctæ mulieres qui Dominum arctius amaverant, etiam morientem usque funus subsecutæ sunt.

« Altera autem die, quæ est post parasceven, « convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad « Pilatum. » Altera autem die, id est, die sabbati. Siquidem sexta feria Dominus crucifixus est, sabbato quievit in sepulcro, octavo, qui est primus, resurrexit. Et pulchro ordine, quia homo sexta die factus est, et Deus septimo requievit die ab omnibus
D operibus suis, pulchra ratione Dominus sexta feria genus humanum sua passione redemit, sabbato in sepulcro quievit, octavo die resurrexit. Quod etiam pro nostra salute constat esse actum. Siquidem per sex sæculi ætates cum Domino patimur, septima autem, quæ nunc est, post Domini adventum in anima cum Domino requiescimus, exspectantes diem octavum, et resurrectionem generalem, ut receptis corporibus, simus immortales in corpore et incorruptibiles in mente.

« Domine, recordati sumus quia seductor ille « dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. » Et nomine seductoris et furis, licet nolentes, veritatem

loquuntur Judæi. Seductor autem est Dominus, non a veritate ad falsitatem, a bono ad malum: sed econtrario ab iniquitate ad justitiam. Fures autem apostoli fuerunt, quia fidem Christi, quam Judæi respuerunt, a Judæis auferre, et ad populos gentium transducere studuerunt.

« Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus. » Non autem sufficit scribis et Pharisæis ut Dominum interficerent cruce, sed etiam ad sepulcrum ipsius custodes adhibuerunt. Et quanto illis fuit, resurgenti manus opposuerunt. Sed quanto majori diligentia sepulcro custodes adhibuerunt, tanto nos certiores de fide illius reddiderunt.

HOMILIA LXV.

FERIA SECUNDA PALMARUM.

(JOAN. XII.) « In illo tempore, ante sex dies Paschæ venit Jesus Bethaniam, ubi Lazarus erat mortuus, quem suscitavit, » et reliqua. Sciens autem Dominus conspirasse de se occidendo Judæos, non fugit insidiantium manus, sed certus de gloria resurrectionis, primo venit Bethaniam proximam Hierosolymis civitatem, ubi Lazarum suscitaverat a mortuis: deinde etiam Hierosolymam, ubi ipse pateretur, et resurgeret a mortuis. Hierosolymam quidem, ut ipse ibi moreretur. Bethaniam vero, ut resuscitatio Lazari cunctorum memoriæ arctius imprimeretur, et magis magisque confunderentur, atque inexcusabiles convincerentur impii principes, qui occidere non timerent eum, qui suscitare posset a mortuis. Et nec beneficiis suscitationis provocati nec divina suscitantis virtute perterriti animos ab injusta cæde retraherent. Nec transitorie legendum est, quare ante sex dies Paschæ venisset Jesus Bethaniam. Magna vero dignitas senarii numeri est in sacris Scripturis, et multa opera Domini Dei nostri in senario numero perfecta esse demonstrantur. Quia senarius numerus in seipso per suas proprias partes divisus, vel conjunctus, perfectus esse constat. Habet enim partes tres in seipso denominatas, id est unum, duo et tres. Nam sexta ejus pars unum est, tertia vero duo dimidia, itaque tres. Unum vero, et duo, et tres sex esse dinoscuntur. Nec aliud ex his tribus partibus conjunctis confici potest, nisi sex tantum, nec in alias partes senarius numerus dividi potest, nisi in has tres, id est unum, duo, et tres. Nam ipse Dominus creator omnium, hujus mundi creaturas sex diebus perfecisse notissimum est, et sexta die hominem fecisse constat, quem serpentina fraude perditum, ante sex dies Paschæ venit ipse Filius Dei, per quem creatus est, Bethaniam ad liberandum: ut qui sexta die creatus est, sexta feria liberaretur. Nam sexta feria Christum esse passum, nemini ignotum esse reor. Igitur et mense sexto annuntiante archangelo, virgo sacra inspiratione Spiritus sancti eumdem Redemptorem nostrum concepisse legitur. Qui etiam sexta hora perfecta ætate super puteum sedens, mulieri Samaritanæ divini fontis fluenta aperire dignatus est. Sexta quoque ætate mundi ipse Creator Redemptor mundi juxta fidem sacræ historiæ, venisse jam legitur. Habent quoque tres partes, id est unum, duo, et tres, ex quibus, ut diximus, senarius constat, aliquid mysterii in dispensatione salutis humanæ. Primo itaque tempore sub lege naturæ, veluti in quadam unitate, sancti patres Deo serviebant. Secundo vero tempore, lex addita est ad naturam, ut quod mala consuetudo vitiavit in natura, lex reformaret in littera. Et fuerunt duo, natura et lex. Tertio itaque tempore venit gratia cœlestis per Jesum Christum, et sunt tria, natura, lex et gratia. Sicut nec lex naturæ bonum destruit, nec gratia legem solvit, sed adimplevit, naturamque pristinæ reddidit nobilitati. Natura tamen et lex, sine gratia impleri non potuerunt. Nec sic homini liberum arbitrium datum est, vel legis præceptum, ut gratiæ non indigeret, sicut Pelagiana hæresis affirmat. Et ne dicerent machinatores calumniarum phantastice suscitatum fuisse Lazarum, facta ibi Domino cœna, et ipse unus ex discumbentibus cum eo erat: ut dum viventem, loquentem, epulantem, cum suis familiariter conversantem viderent, sive audirent, vel sic suscitandis potentiam agnoscerent, et gratiam acciperent. Mystice autem, cœna hæc Dominica, ubi Martha ministrabat, et Lazarus inter alios discumbebat, fides est Ecclesiæ, quæ per dilectionem operatur in qua cœna Martha ministrat, anima quæque fidelis operam Domino suæ dilectionis impendit.

« Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. » Cum etiam hi, qui post peccatorum mortem resuscitati ad justiam sunt, una cum eis qui in sua justitia permansere, de præsentia veritatis exsultant, pœnitentes simul cum innocentibus cœlestis gratiæ muneribus aluntur. Et bene eadem cœna in Bethania celebratur quæ est civitas in latere montis Oliveti, et interpretatur domus obedientiæ. Domus namque obedientiæ, Ecclesia est, quæ fideliter jussis Domini obtemperat. Et ipsa est civitas, quæ super montem misericordiæ constituta, nunquam potest abscondi: ipsa, quæ de sui latere constructa Redemptoris, id est aqua ablutionis, et sanguine sanctificationis, quæ de ipsius latere pro se morientis exiere imbuta est. Ubi etiam altera soror Lazari Maria, magnæ incidium dilectionis ostendit, sicut in sequentibus monstrat evangelica lectio.

« Accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis pedes ejus. » Quo non solum suæ dat indicium devotionis, sed et aliarum fidelium Deo animarum signat pietatis obsequium. « Maria autem accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi. » Quid namque per libram unguenti, nisi perfectio justitiæ exprimitur, quod unguentum ex nardo pistica dicitur esse confectum? Qui enim per unguentum, nisi bonus odor opinionis insinuat? Et hoc unguentum ex nardo pistica, id est nardo fideli. Nam πίστις Græce, Latine fides dicitur. Sine fide enim Deo placere impossibile est (*Heb.* II): nec bona fama, sine fide catholica fieri poterit. O homo, unge pedes Jesu bene vivendo, Dominica sectare vestigia

et capillis exterge, ac si habeas superflua, pauperibus eroga, hoc est capillis pedes Jesu tergere, quæ tibi superflua sunt, pedibus Domini necessaria sunt id est minimis quibusque in Ecclesia de quibus in fine dicturus erit Dominus : « Quandiu fecisti uni ex minimis his, mihi fecistis. » Domus autem pietatis est odor, id est Ecclesia, vitæ religiosæ fama bona. Nam odor bonus est bona vita. Audi Apostolum : « Christi bonus odor sumus, inquit, in omni loco (*I Cor.* II). » Et in Cantico canticorum : « Unguentum effusum nomen tuum (*Cant.* I). » Item : « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum (*ibid.*) » Ubi aperte, quid Maria semel fecerit, typice autem quid omnis Ecclesia, quid anima quæque perfecta semper faciat, ostenditur.

« Dixit ergo unus ex discipulis ejus Judas Scariothis, qui erat eum traditurus : Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? » Væ impio traditori. væ complicibus ejus nequitiæ, etiam nunc membra Christi persequentibus qui famam virtutis, quam ipsi non merentur habere, proximis qui habent, invidere non cessant. Et quidem putare possumus Judam cura pauperum hæc fuisse locutum, sed prodit mentem illius testis verax, qui ait : « Dixit autem hoc, non quia de egenis pertineret ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens ea quæ mittebantur, portabat. » Non ergo tunc Judas periit, quando pecunia corruptus Dominum prodidit, sed jam perditus Dominum sequebatur, qui loculos habens dominicos, ea quæ mittebantur, portabat in ministerium pauperum, quæ etiam infideli mente furari solebat. Videns ergo Dominus cor illius cupiditatis jam sorde pollutum, prævidens pejori proditionis sorde polluendum, commisit ejus fidei quidquid habebant in sæculis, cumque de his quæ vellet facere permisit, velut collati honoris vel habitæ memoria pecuniæ mentem ab ipsius venditione revocaret. Verum quia avarus semper eget, neque unquam beneficiorum per fidem meminit impius, a furto pecuniæ quam portabat, pervenit ad traditionem Domini, qui pecuniam sibi servandam commendabat.

« Dixit ergo Jesus : Sine illam, ut die sepulturæ meæ servet illud. » Quasi innocenter interroganti Judæ Dominus simpliciter et mansuete, quo ministerium Mariæ pertineret exposuit : quia ipse videlicet moriturus, et ad speliendum aromatibus esset ungendus : ideoque Mariæ, cui ad unctionem mortui corporis ejus, quamvis multum desideranti pervenire non liceret, donatum sit adhuc viventi impendere obsequium, quod post mortem celeri præventa resurrectione nequiret. Unde bene Marcus Dominum de illa dixisse testatur : « Quo habuit hæc fecit, prævenit ungere corpus meum in sepulturam (*Marc.* XIV). » Quod est aperte dicere : Quia corpus meum jam defuncti tangere non potuit, solum quod potuit fecit, prævenit vivum adhuc funerandi officio donare.

« Pauperes enim semper habetis vobiscum, me

A « autem non semper habebitis. » Et hic magnæ moderamine patientiæ, Dominus non Judam arguit avaritiæ, et non pauperum gratia de pecunia loqui : sed ex ratione demonstrat, non esse culpandos eos qui ei inter homines conversati de facultatibus suis ministrarent, cum tam parvo tempore ipse apud Ecclesiam corporaliter mansurus, pauperes autem quibus eleemosyna fieri posset, in ea semper essent habendi.

« Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est et venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. » Curiositas hos, et non charitas duxit ad Jesum. Sed nos versa vice, fratres charissimi, si cognoscimus ubi Jesus est, ubi mansionem facit, ubi Bethaniam, id

B est domum animæ obedientis, in qua habitet invenit, veniamus illuc contemplatione, non propter hominem tantum, quem a morte animæ suscitatum spiritaliter vivere donavit, sed ut bonam hominis vitam imitando per hoc ad visionem Jesu pertingere mereamur. Quia pro certo cognovimus ubi Jesus est, resurrexit enim post mortem, et ascendit in cœlum, ibi habet mansionem perpetuam, ipsa est civitas vera, Bethania scilicet cœlestis, quam nullus valet, nisi obediens intrare.

« Cogitaverunt principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. » O cæca cæcorum versutia, occidere velle suscitatum, quasi non possit suscitare occisum, qui poterat defunctum. Et quidem utrumque posse docuit, et qui Lazarum

C defunctum, et semetipsum suscitavit occisum. Postquam Dominus quatriduanum mortuum suscitavit, stupentibus Judæis, et aliis eorum videndo credentibus, aliis in videndo pereuntibus : et postquam discubuit in domo Jesus, recumbente quoque Lazaro, qui fuerat a mortuis suscitatus, post unguentum effusum super pedes ejus, unde domus odore completa est, de quibus in superioribus, quantum potuimus tractavimus, nunc videndum est, quid ante Domini passionem gestum esse constat. Dicit enim evangelista :

« In crastinum autem turba multa, quæ convenerat ad diem festum, cum audisset quia Jesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Osanna.

D benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. » Rami palmarum laudes sunt significantes victoriam, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus. et trophæo crucis diabolum mortis principem triumphaturus. « Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini. » Notandum sane quod OSIA, verbum Hebraicum, compositum est ex duobus corruptis et integro : *salva* namque sive *salvifica* apud Judæos dicitur. NA vero interjectio deprecantis, quomodo apud Latinos interjectio est dolentis *heu*, et interjectio admirantis, *papæ*. Denique in Psalmo, ubi septuaginta interpretes transtulerunt : « O Domine, salvum me fac (*Psal.* LXVIII), » in He-

bræo scriptum est: Anna adonai osiana, quod interpres noster Hieronymus, diligentius elucidans, ita transtulit: « Obsecro, Domine, salva, obsecro. » Idem namque significat *o* per interjectionem obsecrantis, quod *obsecro, Domine*, per ipsum verbum obsecrationis. Osanna itaque *salva obsecro* significat, consumpta littera vel vocali, quæ verbum prius interminat, cum perfecte dicitur osi, per virtutem litteræ vocalis aleph, a qua verbum sequens incipit anna, quod metrici in verbis scandendis synalœphen vocant, quamvis illi scriptam litteram scandentes transiliant; in hoc autem verbo osanna, *iot* littera nec saltem scribatur, sed sensu loquentium salvo, funditus intermittatur. « Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel, » sic accipiendum est, ut in nomine Patris intelligatur, quamvis possit habere intelligentiam, in nomine suo. Quia et ipse Dominus est, unde alibi scriptum est: « Pluit Dominus a Domino. » Verba ejus melius nostrum dirigant intellectum, qui ait: « Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis (*Joan.* v). » Humilitatis enim magister est Christus, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). Non itaque amittit Divinitatem, quando nos docet humilitatem. In illa Patri est æqualis, in hac nobis similis. Per hoc quod Patri æqualis est, nos ut essemus creavit per quod nobis est similis, ne periremus redemit. Has enim laudes turba dicebat: « Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. » Quam vocem mentis invidentia principes Judæorum perpeti non poterant, quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat. Sed quid fuit Domino, regem esse Israel? quid magnum fuit, regem sæculorum regem fieri hominum? Non enim rex Israel Christus, ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armando, hostesque debellando: sed rex Israel, qui mentem regat, qui in æternum consulat, qui in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Dei ergo Filius, æqualis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quod rex esse voluit Israel, dignatio est, non promotio: miserationis indicium est, non potestatis augmentum. Qui enim appellatus est rex Judæorum, in cœlis est Dominus angelorum.

« Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum. » Hic breviter dictum est. Nam quemadmodum sit factum, apud alios evangelistas plenissime legitur. Adhibetur autem huic facto propheticum testimonium, ut appareret, quod maligni principes Judæorum cum non intelligebant, in quo implebantur quæ legebant. Invenit ergo Jesus asellum, et sedit super eum.

« Sicut scriptum est: Noli timere, filia Sion, ecce « rex tuus venit tibi, sedens super pullum asinæ. » Hæc filia Sion, cui divinitus ista dicuntur, in illis erat ovibus, quæ vocem pastoris audiebant: in illa erat multitudine, quæ Dominum venientem tanta devotione laudabat, tanto agmine deducebat. Dictum est, « Noli timere: » illum agnosce, quia laudatur, et noli trepidare cum loquitur, quia ille sanguis fundetur, per quem tuum delictum deleatur, et vita redimatur. Sedet super pullum asinæ, in quo nemo sederat (hoc enim apud alios evangelistas invenitur): intelligitur populus gentium, qui legem Domini non acceperat. Super asinam vero sedet, quia utrumque jumentum Domino adductum est plebem eam significans, quæ veniebat ex populo Israel, non indomitam esse, sed quæ præsepe Domini agnovit.

« Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum, « sed quando glorificatus est Jesus. » Id est quando virtute suæ resurrectionis ostendit, tunc recordati sunt quia hæc sunt scripta de eo. Recolentes quippe secundum Scripturam, quæ ante passionem sive in passione Domini completa sunt, ibi et hoc invenerunt, ut secundum eloquia prophetarum in pullo asinæ sederet.

« Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat « cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, « et suscitavit eum a mortuis. » Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum hoc signum fecisse. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: « Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abiit (*Joan.* XII). » Turba turbavit turbam. Quid autem invides, cæca turba, quia post eum vadit mundus, per quem factus est mundus?

« Erant autem gentiles quidam ex iis qui ascen« derant ut adorarent in die festo. Hi ergo accesse« runt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, « et rogabant eum dicentes: Domine, volumus Je« sum videre. Venit Philippus et dicit Andreæ. An« dreas rursum, et Philippus dicebant Jesu. » Videamus quid Dominus ad ista responderit. Ecce voluerunt eum Judæi occidere, gentiles videre. Sed etiam illi ex Judæis erant, qui clamabant: » Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. » Ecce, illi ex circumcisione, illi ex præputio, velut parietes de diverso venientes, et in unam fidem Christi pacis osculo concurrentes. Audiamus igitur vocem lapidis angularis.

« Jesus autem, inquit, respondit eis, dicens: « Venit hora ut clarificetur Filius hominis. » Hic quisquam forsitan putat ideo se dixisse glorificatum quia gentiles eum volebant videre. Non ita est, sed videbat ipsos gentiles post passionem et resurrectionem suam in omnibus gentibus credituros. Quia, sicut dicit Apostolus: « Cæcitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret (*Rom.* XI). » Ex occasione igitur istorum gentilium, qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudnem gentium. Et promittit jamjamque adesse horam glorificationis suæ, qua facta in cœlis, in eum gentes fuerant crediture. Unde prædictum est: « Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua (*Psal.* LVI). » Hæc est gentium plenitudo, de qua dicit Apostolus: « Cæcitas ex parte in Israel facta est, donec penitudo gentium intraret. » Sed

altitudinem glorificationis oportuit ut præcederet humilitas passionis, ideo secutus adjunxit :

« Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti « cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum « manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum « affert. » Se autem dicebat ipsum granum esse mortificandum, et multiplicandum : mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide omnium populorum. Jam vero exhortans discipulos suos ad passionis suæ sectandum vestigia, ait :

« Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. » Quod duobus modis intelligi potest : Quia amat, perdet, id est, si amas, perdes. Si vitam cupis tenere in Christo, noli timere mori pro Christo. Item alio modo : « Qui amat animam suam, perdet eam. » Noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Hoc autem quod posterius dixi, magis habere videtur evangelicus sensus. Sequitur : « Et qui odit animam « suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit « eam. » Ergo quod supra dictum est, « qui amat, » subintelligitur, in hoc mundo, ipse utique perdet. Qui autem odit, utique in hoc mundo, in vitam æternam ipse custodit eam. Magna et mira sententia, quemadmodum homini sit in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti : si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Hic animæ nomine, vita præsens designatur, vel etiam hujus vitæ delectatio, quæ perdenda est, ut feliciter invenias voluntatem tuam in regno Dei, quam fortiter vicisti in hoc sæculo. Nam sancti martyres odio habuerunt hanc præsentem vitam pro Christi nomine, dum magis voluerunt hanc præsentem vitam perdere, quam Christum negare, implentes quod sequitur :

« Si quis mihi ministrat, me sequatur. » Quid est « me sequatur, » nisi me imitetur ? « Christus enim pro nobis passus est, » ait apostolus Petrus, « relin, quens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus (*I Petr.* II). » Ecce quod dictum est, si quis mihi ministrat, me sequatur. Quo fructu ? qua mercede ! quo præmio ? « Et ubi ego sum, illic et minister « meus erit. » Merces est amoris, et operis pretium quo ministratur, esse cum illo cui ministrat. Ubi enim bene erit sine illo ? aut quomodo male esse poterit cum illo ? Audi evidentius : « Si quis mihi « ministraverit, honorificabit eum Pater meus. » Quo honore, nisi ut sit cum Filio ejus ? Quod enim superius ait : « Ubi ego sum, illic et minister meus erit, » hoc intelligitur exposuisse cum dicit : « Honorificabit eum Pater meus. » Nunquam majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est unicus, non æqualis factus Divinitati, sed conscius æternitati. Quid sit ministrare, cui operi tanta merces promittitur, considerandum est. Si quis mihi ministrat, me sequatur, hoc intelligi voluit ac si diceret : Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrat ergo Jesu Christo, qui non sua quærit, sed quæ Jesu Christi. Hoc est enim, « me sequatur, » vias

A meas ambulet, non suas, sicut alibi scriptum est : Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. Etiamsi porrigit esurienti panem, de misericordia facere debet, non de jactantia : non aliud ibi quærere, nisi opus bonum, nesciente sinistra quid faciat dextra, id est ut alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Illi dicitur : Cum uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Nec ea tantum quæ pertinent ad misericordiam temporalem, sed omnia opera propter Christum faciens, tunc erunt bona, quoniam finis legis Christus ad justitiam omni credenti. Credens, minister est Christi, usque ad illud opus magnæ charitatis, quod est animam suam ponere pro fratribus. Hoc est enim et pro Christo ponere, quia et hoc propter sua membra dicturus

B est : Cum pro istis fecistis, pro me fecistis. De tali quippe hora Dominus etiam se ministrum facere et appellare dignatus est, ubi ait : Sicut non venit ministrari Filius hominis, sed ministrare, et animam ponere pro multis (*Matth.* XX). Hinc ergo est unusquisque minister Christi, unde est et minister Christus. Sic ministrantem Christo, honorificat Pater ejus honore illo magno, ut sit cum Filio ejus, nec unquam deficiat fides ejus. Communiter vero de omnibus ait : « Si quis mihi ministrat. » Omnis enim quicunque hic bene in Christo ministrat, cum Christo mercedem accipiet. Unde unusquisque pro modulo suo ministrare debet Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus, quibus potuerit, prædicando. Qui vero bene viventes exhortatur, ut permaneant in bene vivendo, ministrat

C Christo. Qui vero humiliter admonenti se obedit, ministrat Christo. Et qui feliciter in hoc sæculo ministrat Christo, feliciter in futuro, sæculo regnabit cum Christo. Cum Dominus Jesus prædixisset in grano sinapis passionem suam, et suos exhortaretur ministros, ut sequerentur eum, ad nostram rursum infirmitatem suum temperavit affectum, et ait :

« Nunc anima mea turbata est. » Unde, Domine Jesu, anima tua turbata est ? Nunquid non ideo animam concepisti et hominem perfectum, ut in eo patereris ? Video, Domine, nostram infirmitatem in te transferre, et in te causam suscipere nostram. Ideo turbatus es, quia voluisti, sicut natus fuisti. Nam paulo ante de eo dictum est, ubi Lazarum suscitavit, turbavit semetipsum. Nam his verbis, ab infirmitate

D nostra rapuit nos ad infirmitatem suam. Vox est enim fortitudinis Domini, ubi ait : Venit hora ut clarificetur Filius hominis. Vox est infirmitatis nostræ, dum ait : « Nunc anima mea turbata est. » O Domine mediator, Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam. Nam quod tu tantus, tuæ charitatis voluntate turbaris, multos in tuo corpore, qui suæ infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant, consolaris. Audi ergo, o miles Christi, quid deinde subjungat, cum dixisset : « Nunc anima mea turbata est. »

« Et quid dicam ? » inquit. « Pater, salvivifica me in « hac hora. Sed propterea veni ad horam hanc. Pa-

« ter clarifica tuum nomen. » Docuit te quid cogites, docuit quid dicas, quem invoces, in quo speres, cujus voluntatem certam atque divinam tuæ voluntati humanæ infirmæque proponas. Non ideo tibi videatur ex alto diffidere, quia te vult ab initio proficere. Nam et tentari dignatus est a diabolo, a quo utique si nollet, non tentaretur : et ea respondit diabolo, quæ tu in tentationibus debeas respondere. Et ille quidem tentatus est, sed non periclitatus, ut doceret te in tentatione periclitantem tentatori respondere, et post tentatorem non ire, sed periculo tentationis exire. Sicut autem hic dicit : « Nunc anima mea turbata est, » ita etiam ibi dixit : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » Et iterum : « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste (*Ibid.*). » Hominis suscepit infirmitatem, ut doceat sic conturbatum et contristatum, quod sequitur dicere : « Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater (*Ibid.*). » Sic enim homo ab humanis in divina erigitur, cum voluntati humanæ voluntas divina proponitur. Quid est autem, « clarifica nomen tuum, » nisi in sua passione et resurrectione ? Quid est ergo aliud, nisi ut Pater clarificet Filium suum, qui clarificat nomen suum etiam in similibus passionibus servorum suorum ? » Venit ergo vox de cœlo, « dicens : Et clarificavi, et iterum clarificabo. » Et clarificavi antequam facerem mundum, et iterum clarificabo resurgentem a mortuis, et ascendentem in cœlum. Et aliter intelligi potest. Et clarificavit, cum de virgine natus est, cum de cœlo indice stella a magis adoratus est, cum a sanctis sancto Spiritu plenis agnitus est, cum descendente Spiritu in specie columbæ declaratus, cum voce de cœlo monstratus, cum in monte transfiguratus, cum miracula multa fecit, cum multos sanavit atque mundavit, cum de paucis panibus tantam mutitudinem pavit, cum ventis et fluctibus imperavit, cum mortuos suscitavit. Et iterum clarificatus est, cum resurgeret a mortuis, cum mors ei ultra non dominabitur, cum exaltabitur super cœlos Deus, et super omnem terram gloria ejus.

« Turba autem quæ stabat et audiebat, dicebat « tonitruum factum esse. Alii autem dicebant : Angelus ei locutus est. Respondit Jesus et dixit : Non « propter me vox hæc venit, sed propter vos. » Hic ostendit ille voce non sibi indicatum, quod idem jam sciebat, sed eis quibus indicari oportebat. Sicut autem illa vox, non propter eum, sed propter illos in Divinitate facta est, sic anima ejus, non propter eum, sed propter alios voluntate turbata est.

« Nunc judicium est mundi. » Non enim de futuro judicio hoc dictum esse putamus, quod in fine mundi futurum est : ubi boni et mali separabuntur æterna divisione, sed de judicio quod quotidie in sancta Dei ecclesia solet esse. Possidebat ergo diabolus genus humanum, et reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum, dominabatur in cordibus infidelium ad creaturam colendam, deserto Creatore, deceptos captivosque trahebat. Per Christi autem A fidem, quæ morte ejus et resurrectione firmata est, per ejus sanguinem, qui in remissione fusus est peccatorum, millia credentium a dominatu diaboli liberantur, Christi corpore copulantur, et sub tanto capite uno ejus spiritu fidelia membra ejus vegetabantur. Hoc vocabat judicium, hanc discretionem, et a suis redemptis diaboli expulsionem. Denique attende quid dicat, quasi quæreremus quid esset quod ait, « Nunc judicium est mundi, » secutus exposuit, ait enim ?

« Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Audivimus quale dixerit esse judicium non ergo illud quod in fine venturum est, ubi vivi et mortui judicandi sunt, aliis ad sinistram, aliis ad dexteram separatis : sed judicium, quo princeps hujus mundi B ejicietur foras. Quomodo ergo intus erat, quod eum dixit ejiciendum foras ? « Nunc, inquit, princeps mundi ejicietur foras. » Hoc intelligendum quod nunc fit, non tantum quod post futurum esset in novissimo die. Prævidebat ergo Dominus, quod sciebat post passionem et glorificationem suam per universum mundum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat, cui quando ex fide renuntiant, ejicietur foras. Sed dicit aliquis : Nunquid de cordibus patriarcharum et prophetarum veterumque justorum non est ejectus foras? Plane : ergo quomodo dictum est nunc, ejicietur foras ? quomodo putamus, nisi quia tunc quod in hominibus paucissimis factum est, nunc in multis magnisque populis jam mox futurum esse prædictum est ? Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum C erat glorificatus, potest similem habere quæstionem, et similem solutionem. Non enim sine Spiritu sancto futura prænuntiaverunt prophetæ, aut non etiam Dominum infantem in Spiritu sancto Simeon senex, et Anna vidua cognoverunt, et Zacharias, et Elizabeth, qui de illo nondum nato, sed jam concepto tanta per Spiritum sanctum prædixerunt : sed Spiritus nondum erat datus, id est illa abundantia gratiæ spiritalis, qua congregati linguis omnium loquerentur, ac sic in linguis omnium gentium futura prænuntiaretur Ecclesia, qua gratia spiritali populi congregarentur, qua longe lateque peccata dimitterentur, et millia millium Deo reconciliarentur. Quid est ergo, ait quispiam quia diabolus de credentium cordibus ejicietur foras ? jam fidelium neminem tentat? D Imo vero tentare non cessat, sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare, aliud est vulnerare, aliud occidere. Sed si vulnerat, est qui sanet. Quia sicut pugnantibus dictum est (*I Joan.* II), « Hæc scribo vobis, ut non peccetis, » ita qui vulnerantur, quod sequitur audiunt : « Et si peccaveritis, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum ; ipse est propitiatio peccatorum nostrorum. » Quid enim oramus cum dicimus (*Matth.* VI) : « Debita nostra nobis dimitte, » nisi ut vulnera nostra sanentur ? Et quid aliud petimus, cum dicimus (*Ibid.*) : « Et ne nos inducas in tentationem, » nisi ut ille qui insidiatur, vel certe extrinsecus nulla

erumpat ex parte, nulla nos fraude decipiat, nullis nos subvertat machinis, quando non tenet locum cordis, unde fide ejectus est foras? Sed « nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam (*Psal.* CXXVI). » Nolite ergo de vobis ipsis præsumere, si non vultis foras ejectum diabolum intro iterum revocare. Absit autem ut diabolum mundi principem ita dictum existimemus, ut eum cœlo et terræ dominari posse credemus. Sed mundus appellatur in malis hominibus, qui toto terrarum orbe diffusi sunt, sicut appellatur domus ab his a quibus habitatur. Secundum quod dicimus, bona domus est, vel mala domus est, non quando reprehendimus sive laudamus ædificium parietum atque tectorum, sed quando mores vel bonorum hominum vel malorum : sic ergo dictum est, princeps hujus mundi, id est princeps malorum hominum, qui habitant in mundo. Appellatur etiam mundus in bonis, qui similiter toto orbe terrarum diffusi sunt. Inde dicit apostolus, » Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*II Cor.* V) : » hi sunt, ex quorum cordibus princeps mundi ejicitur foras. Cum ergo dixisset : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, » adjunxit continuo :

« Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham « post me. » Quæ omnia trahit, nisi ex quibus diabolus ejicitur foras? Non autem dixit omnes, sed omnia. Non enim omnium est fides. Non itaque hoc ad universitatem hominum retulit, sed ad creaturæ integritatem, id est, spiritum et animam et corpus : ad illud scilicet, quod intelligimus, et illud quod vivimus, et illud quod visibiles et corruptibiles sumus. Quod enim dixit. Capillus capitis vestri non peribit, omnia trahit post se. Aut, si omnia ipsi homines intelligenti sunt, omnia prædestinata ad salute possumus dicere, ex quibus omnibus ait nihil esse periturum, cum supra de suis ovibus loqueretur : aut certe, omnia hominum genera, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnium, sive in diversatibus ingeniorum omnibus, sive in artium licitarum omnium, et utilium professionibus omnibus : et quidquid aliud dici potest, secundum innumerabiles differentias, quibus inter se per sola peccata homines distant, ab excelsissimis usque ad humillimos, a rege usque ad mendicum. « Omnia, » inquit, « traham post me, » ut sim caput eorum, et illi membra mea. « Sed si exaltatus, » inquit, « fuero a terra, » hoc est, cum exaltatus fuero. Non enim dubitat futurum esse quod venit implere. Hoc refertur ad illud quod superius ait : « Si autem mortuum fuerit granum frumenti, multum fructum affert. » Nam exaltationem suam quid aliud dixit, quam in cruce passionem? Quod et ipse evangelista non tacuit ; subjunxit enim et ait :

« Hoc autem dicebat, significans qua morte esset « moriturus. Respondit ei turba : Nos audivimus ex « lege, quia Christus manet in æternum. Quomodo » tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis « est iste filius hominis? » Memoriter tenuerunt Quod Dominus dicebat assidue filium hominis se esse. Nam hoc loco non ait, si exaltatus fuerit a terra filius hominis, sed sicut superius dixerat, quando nuntiati sunt gentiles illi qui eum videre cupiebant : « Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. » Hoc itaque isti animo retinentes, et quod nunc ait, « Cum exaltatus fuero a terra, » mortem crucis intelligentes, quæsierunt ab illo, et dixerunt : « Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum. Quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? » Si enim Christus est, inquiunt, manet in æternum : si manet in æternum, quomodo exaltabitur a terra, id est quomodo crucis passione morietur? Hoc enim eum dixisse intelligebant, quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum istorum obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia.

« Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum lumen in « vobis est. » Hinc est quod intellegitis, quod Christu manet in æternum. « Ergo ambulate dum « lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehen-« dant. » Ambulate, accedite, totum intelligite, et moriturum Christum, et victurum in æternum, et sanguinem fusurum, quo redimat, et ascensurum in sublimia, quo perducat. Tenebræ autem non comprehendant, si eo modo credideritis Christi æternitatem, ut non negetis in eo mortis humilitatem. » Et « qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat, » sed potest offendere in lapidem offensionis et petram scandali, quæ fuit Dominus cæcis Judæis, sicut credentibus lapis, quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli. Hinc dedignati sunt credere in Christum, quia eorum impietas contempsit mortuum, irrisit occisum, et ipse erat mors grani multiplicandi, et exaltatio trahentis post se omnia.

« Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lu-« cis sitis. » Cum aliquid veri auditum habetis credite in veritatem, ut renascamini in veritate. Hæc « locutus est Jesus, et abiit et abscondit se ab eis. »

HOMILIA LXVI.

FERIA TERTIA PALMARUM

Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Marcum.

(MARC. XIV, XV). « In illo tempore, erat Pascha et « Azyma post biduum, » et reliqua. Pascha autem, quod Hebraice dicitur *phase*, non a passione, ut plerique arbitrantur, sed a transitu nominatur, eo quod exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum pertransierit, nec percusserit eos. Vel ipse Dominus præbens auxilium populo suo, desuper ambulaverit, cujus sacramentum vocabuli sublimius exponens evangelista Joannes ait : « Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. » Ubi manifeste declarat, ideo solemnitatis hujus diem per legem mystice transitum esse vocatum, quod agnus Dei, qui peccata mundi tolleret, in eo de hoc mundo, sive ipse

transiturus, sive nos salubri transitu quasi de Ægyptia esset servitute ducturus. Hoc sane (juxta Veteris Testamenti Scripturam) inter Pascha et Azyma distat, quod Pascha ipse solus dies appellatur in quo agnus occidebatur ad vesperam, hoc est, quartadecima luna primi mensis. Quintadecima autem luna, quando egressus est de Ægypto, succedebat festivitas Azymorum, quæ septem diebus, id est usque ad vigesimum diem ejusdem mensis ad vesperam, est statuta solemnitas. Verum evangelistæ indifferenter, et diem Azymorum pro Pascha, et pro diebus Azymorum Pascha ponere solent. Dicit enim Marcus: «Erat autem Pascha et Azyma post biduum (*Marc.* XIV). » Dicit Lucas : « Dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha (*Luc.* XXII). » Item Joannes, cum proximo die, id est quintadecima luna res ageretur, ait : « Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha (*Joan.* XVIII). » Quod ideo fecere, quia et Paschæ dies in azymis panibus est celebrari præceptus, et nos quasi Pascha perpetuum facientes, semper ex hoc mundo transire præcipimur. Uno quippe die agno immolato ad vesperam, septem ex ordine dies sequuntur Azymorum, quia Christus Jesus semel pro nobis in plenitudine temporum passus in carne, per totum nobis hujus sæculi tempus, quod septem diebus agitur, in azymis sinceritatis et veritatis præcepit esse vivendum, omnique semper nisu nos desideria terrena, quasi Ægypti retinacula fugere, et velut a mundana conversatione secreta solitudine iter admonet subire virtutum.

« Et quærebant summi sacerdotes et scribæ quo« modo Jesum dolo tenerent, et occiderent. Dice« bant autem : Non in die festo, ne forte tumultus « fieret in populo. » Qui debuerant Pascha vicino parare victimas, levigare templi parietes, pavimenta verrere, vasa mundare, et secundum ritum legis purificari, ut esu agni digni fierent, congregantur, ineuntes consilium quomodo occidant Dominum, non timentes seditionem, ut simplex sermo demonstrat, sed caventes ne auxilio populi de suis manibus tolleretur.

« Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, « et recumberet. » Passurus pro omni populo, et universas nationes suo sanguine redempturus, moratur in Bethania, *domo obedientiæ*, quæ quondam fuit Simonis leprosi, non quod leprosus illo tempore permaneret, sed quia, antea leprosus, postea a Salvatore mundatus est, nomine pristino permanente, ut virtus curantis appareat. Nam in catalogo apostolorum cum pristino vitio et officio Matthæus publicanus appellatur, qui certe publicanus esse desierat. Quidam Simonem leprosum volunt intelligere partem populi qui crediderat Domino, et ab eo curata sit. Simon quoque ipse obediens dicitur. « Venit mulier habens alabastrum unguenti nardi « spicati pretiosi, et, fracto alabastro, effudit super « caput ejus. » Mulier ista Maria erat Magdalene, soror Lazari, quem suscitavit Jesus a mortuis, ut

A Joannes aperte commemorat, qui etiam hoc factum ante sex dies Paschæ testatur, pridie quam asino sedens cum palmis et laude turbarum Hierosolymam veniret. Ipsa est autem, non alia, quæ quondam (ut Lucas scribit) peccatrix, ad hoc veniens pedes Domini lacrymis pœnitentiæ rigavit, et unguento confessionis linivit. Et quia multum dilexit, multorum veniam peccatorum a pio judice promeruit. Nunc vero justificata, et familiaris effecta Domino, non tantum pedes ejus, utidem Joannes narrat, verum ejus caput (ut Matthæus Marcusque perhibent) oleo sancto perfudit. Est autem alabastrum genus marmoris candidi, variis coloribus intertincti, quod ad vasa unguentaria cavare solent, eo quod optime servari ea incorrupta dicantur. Nascitur circa Thebas Æ-

B gyptias et Damascum Syriæ cæteris candidius, probatissimum vero in India. Nardus vero est frutex aromatica, gravi (ut aiunt) et crassa radice, sed brevi ac nigra fragilique, quamvis pingui, sic redolente, ut cypressus, aspero sapore, folio parvo densoque, cujus cacumina in aristas se spargunt : ideoque gemina dote pigmentarli nardi spicas ac folia celebrant. Et hoc est quod Marcus ait, unguenti nardi spicati pretiosi. Quia videlicet unguentum illud, quod attulit Maria Domino, non solum de radice confectum nardi, verum etiam quo pretiosius esset, spicarum quoque et foliorum ejus adjectione, odoris ac virtutis illius erat accumulata gratia. Ferunt autem de nardo physiologi, quia principalis sit in unguentis, unde merito unctioni capitis et pedum Domini oblata est. Sunt quidem multa ejus genera,

C sed in omnibus herbæ præbent indicium, quod pretiosus est. Mystice autem devotio hæc Mariæ Domino ministrantis, fidem ac pietatem designat Ecclesiæ sanctæ, quæ loquitur in cantico amoris, dicens : « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum (*Cant.* I). » Quæ nimirum verba et semel juxta litteram Mariæ manibus complevit, et quotidie in omnibus suis membris spiritaliter implere non desinit, quæ toto diffusa orbe gloriantur et dicunt : « Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ per nos manifestat in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II). » Quicunque potentiam divinæ virtutis ejus, quæ illi una cum Patre est, digna reverentia confitetur, laudat et prædicat, caput profe-

D cto illius unguento perfundit pretioso. Cum vero assumptæ mysteria humanitatis æque digna reverentia suscipit, in pedes utique Domini unguentum nardi pisticum, id est, fidele verbum perfundit, quia illam ejus naturam, qua terram contingere, hoc est, inter homines conversari dignatus est, pia prædicatione commendat ac devotis veneratur obsequiis.

« Erant autem quidem indigne ferentes intra se« metipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista un« guenti facta est ? Poterat enim istud venundari « unguentum plusquam trecentis denariis, et dari « pauperibus. » Marcus hæc quomodo et Matthæus synecdochicos loquitur, pluralem videlicet numerum

pro singulari ponens. Nam Joannes distinctius loquens, Judam hæc locutum esse testatur, et hoc gratia cupiditatis, eo quod fur esset, et loculos habens, ea quæ mittebantur portaret. Potest autem intelligi quod et alii discipuli, aut senserint hoc, aut dixerint, aut eis Juda dicente persuasum sit, atque omnium voluntatem Matthæus, Marcus etiam verbis expresserint, sed Judas propterea dixerit, quia fur erat, cæteri vero propter pauperum curam. Joannem autem de solo ideo commemorasse voluisse, cujus ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam. Quod vero subditur : « Et fremebant in eam, » nequaquam de bonis ac diligentibus Christum apostolis dictum crediderim, sed de illo potius sub numero plurali, qui nec Domino et discipulis ejus fideliter adhæsisse, neque pauperum curam habere probatus est.

« Jesus autem dixit : Sinite eam. Quid illi molesti « estis ? Bonum opus operata est in me. Semper « enim pauperes habebitis vobiscum, et cum volue« ritis, potestis illis benefacere : me autem non semper habebitis. » Alia hic oritur quæstio, quare Jesus post resurrectionem dixerit ad discipulos : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII), » et nunc loquitur : « Me autem non semper habebitis. » Sed mihi videtur de præsentia corporali in hoc loco dicere, quia nequaquam cum eis ita futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni convictu et familiaritate. Cujus rei Apostolus memor, ait : « Et si noverimus Jesum Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus eum (*II Cor.* V). »

« Quod habuit hæc, fecit : prævenit ungere « corpus meum in sepulturam. » Quod vos putatis perditionem unguenti, officium sepulturæ est. Nec mirum, si mihi bonum odorem suæ fidei dederit, cum ego pro ea fusurus sim sanguinem meum.

« Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit « istud Evangelium in universo mundo, et quod fecit « hæc, narrabitur in memoriam ejus. » Attende notitiam futurorum, quod passurus post dies paucos, sciat Evangelium suum toto orbe celebrandum. Notandum autem, quia, sicut Maria gloriam adepta est toto orbe, quocunque Ecclesia sancta diffusa est, de obsequio quod Domino piæ devotionis exhibuit: ita, e contrario, ille qui obsequio ejus detrahere temeraria lingua non timuit, perfidiæ nota longe lateque infamatus, et Deo simul atque hominibus merito factus est exosus. Sed Dominus bonum laude digna remunerans, futuras impii contumelias tacendo præteriit.

« Et Judas Scariotis unus ex duodecim, abiit ad « summos sacerdotes, ut proderet eum illis. » Infelix Judas, quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare. Nec certe jam postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi vile tradens mancipium, in potestate

A eminentium posuit, quantum vellent dare. Quod autem dixit :« Abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis, » ostendit eum non a principibus invitatum, non ulla necessitate constrictum, sponte propria sceleratæ mentis iniisse consilium.

« Qui audientes, gavisi sunt, et promiserunt ei « pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum « opportune traderet. » Multi hodie de scelere, quo Dominum ac magistrum Deumque suum pecunia vendiderit, velut immane et nefarium scelus exhorrent, nec tamen cavent. Nam cum pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt, profecto quia veritatem pro pecunia negant, Deum pecunia vendunt. Ipse enim dixit : « Ego sum veritas (*Joan.* XIV). » Cum societatem fraternitatis aliqua

B discordiæ peste commaculant, Dominum produnt, quia Deus charitas est. Qui ergo veritatis et charitatis jura spernunt, Deum utique, qui est charitas et veritas, produnt, maxime cum non infirmitate vel ignorantia peccant, sed in similitudine Judæ quærunt opportunitatem, qualiter arbitris absentibus mendacio veritatem, virtutem crimine mutent.

« Et primo die Azymorum quando pascha immo« labant, dicunt ei discipuli : Quo vis eamus et pa« remus tibi comedere pascha ? « Primum diem Azymorum quartum decimum primi mensis appellat, quando fermento abjecto immolare, id est agnum occidere, solebant ad vesperam. Quod exponens Apostolus, ait : « Etenim pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* V). » Qui licet die sequenti, hoc est, quintadecima sit luna crucifixus, hac tamen

C nocte qua agnus immolabatur, et carnis sanguinisque suis discipulis tradidit mysteria celebranda, et a Judæis teutus ac ligatus, ipsius immolationis, hoc est, passionis suæ sacravit exordium.

« Et mittit duos ex discipulis suis et dicit eis : « Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam « aquæ bajulans. » Indicium quidem præsciæ divinitatis est, quod cum discipulis loquens, quod alibi futurum sit, novit. Pulchre autem paraturis pascha discipulis, lagenam homo, sive (juxta alium evangelistam) amphoram aquæ bajulans occurrit, ut ostendatur hujus paschale mysterium pro oblatione perfecta mundi totius esse celebrandum. Aqua quippe lavacrum gratiæ, lagena fragilitatem eorum designat, per quos eadem erat gratia mundo ministranda.

D Unde aiunt :« Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV). » Parant ergo pascha discipuli, ubi aqua infertur lagena, ut adesse tempus insinuent, quo cultoribus veris paschæ typicus de limine ac postibus cruor offeratur, et ad tollenda mundi crimina vivifici fontis baptisma compleretur.

« Sequimini eum, et quocunque introierit, dicite « domino domus, quia magister dicit : Ubi est diver« sorium, ubi est refectio mea, ubi pascha cum « discipulis meis manducem ? » Consulte sive aquæ bajuli, seu domini domus sunt prætermissa vocabula, ut omnibus verum pascha celebrare volentibus, hoc est, Christi sacramentis imbui, cumque suæ mentis

hospitio suscipere quærentibus facultas danda signetur.

« Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grandem « stratum, et ibi parate nobis. » Cœnaculum magnum lex spiritualis est, quæ de angustiis litteræ egrediens, in sublimi loco recipit Salvatorem. Nam qui adhuc occidentem litteram servaverit, quid aliud magnum quam pecus intellexerit? Iste nimirum minus pascha facit, quia majestatem spiritus in verbis Dei comprehendere necdum didicit. At qui aquæ bajulum, hoc est, gratiæ præconem in domum fuerit Ecclesiæ consecutus, hic per Christum illustrantem super faciem litteræ transcendendo in alto mentis solario Christo refectionem parat: quia cuncta vel paschæ sacramenta, vel cætera legis decreta, ejus esse sacramenta cognoscit.

« Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et « discumbentibus eis et manducantibus, ait Jesus: « Amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet, « qui manducat mecum. » Qui de passione sua prædixerat, et de proditore prædicit, dans locum pœnitentiæ, ut cum intellexisset sciri cogitationes suas, et occulta consilia, pœniteret eum facti sui: et tamen non designat specialiter, ne manifeste coargutus, impudentior fieret. Mittit crimen in numerum, ut agat conscius pœnitentiam.

« At illi cœperunt contristari, et dicere ei singu- « latim: Nunquid ego? » Et certe noverant undecim discipuli quia nil tale contra Dominum cogitarent, sed plus credunt magistro quam sibi: et timentes fragilitatem suam, tristes interrogant de peccato, cujus conscientiam non habebant.

« Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit « mecum manum in catino. » O mira Domini patientia! prius dixerat: Unus ex vobis me tradet, perseverat traditor in malo, manifestius arguit, et tamen nomen proprie non designat Judas, cæteris contristatis, et retrahentibus manum, et interdicentibus cibos ori suo, temeritate et impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in catinum, ut audacia bonam conscientiam mentiretur.

« Et filius quidem hominis vadit, sicut scriptum « est de illo. Væ autem homini illi per quem filius « hominis tradetur. » Nec primo nec secundo correptus, a proditione retrahit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, et thesaurizat sibi iram in die iræ. Pœnam prædicit, ut quem pudor non vicerat, corrigant denuntiata supplicia. Sed et hodie et quoque in sempiternum, væ illi homini qui ad mensam Domini malignus accedit, qui præcordiis aliquo scelere pollutis, mysteriorum Christi oblationibus sacrosanctis participare non metuit. Et ille enim in exemplum Judæ Filium hominis tradit, non quidem Judæis peccatoribus, sed tamen peccatoribus membris, videlicet suis, quibus illud inæstimabile et inviolabile Domini corporis ac sanguinis sacramentum temerare præsumit. Ille Dominum vendit, qui, ejus timore atque amore neglecto, terrena

A pro illo et caduca, imo etiam criminosa diligere et curare convincitur. « Bonum erat ei, si non esset « natus homo ille. » Non ideo putandus est ante fuisse quam nasceretur, quia nulli possit esse bene, nisi ei qui fuerit. Sed simpliciter dictum est, multo melius esse non subsistere, quam male subsistere.

« Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, et « benedixit, ac fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, « hoc est corpus meum. » Finitis Paschæ veteris solemniis, quæ in commemoratione antiquæ de Ægypto liberationis populi Dei agebant, transiit ad novum, quod in suæ redemptionis memoriam ecclesiam frequentare volebat, ut videlicet pro carne agni, sui corporis sanguinisque sacramentum substitueret, ipsumque sese esse monstraret, cui « juravit Do-
B minus et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec (*Psal.* cix.) » Frangit autem ipse panem quem discipulis porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem, non absque sua sponte ac procuratione venturam, sed sicut alibi dicit potestatem se habere ponendi animam suam, et potestatem se habere iterum sumendi eam (*Joan.* x). Quem videlicet panem certi quoque gratia sacramenti, priusquam frangeret, benedixit: quia naturam humanam, quam passurus assumpsit, ipse una cum Patre et Spiritu sancto gratia divinæ virtutis implevit. Benedixit panem ac fregit, quia hominem assumptum ita morti subdere dignatus est, ut ei divinæ immortalitatis veraciter inesse potentiam demonstraret, ideoque velocius eum a morte resuscitandum esse doceret.

C « Et accepto calice, gratias agens, dedit eis. Et « biberunt ex illo omnes. » Cum appropinquaret passioni, etiam accepto pane gratias egisse perhibetur. Gratias itaque agit, qui flagella alienæ iniquitatis suscipit. Et qui nihil dignum percussione exhibuit, humiliter in passione benedicit: ut hinc videlicet ostendat quid unusquisque in flagello culpæ facere debeat, si ipse æquanimiter flagella culpæ portat alienæ. Ut hinc etiam ostendat, quid in correptione faciat subditus, si in flagello positus, Patri gratias agit æqualis.

« Et ait illis: Hic est sanguis meus Novi Testa- « menti, qui pro multis effundetur. » Quia panis corpus confirmat, vinum vero sanguinem operatur in carne, hic ad corpus Christi mystice, illud refertur
D ad sanguinem. Verum quia et nos in Christo, et in nobis Christum manere oportet, vinum Dominici sanguinis aqua miscetur; attestante enim Joanne, aquæ populi sunt. Et neque aquam solam, neque solum vinum, sicut granum frumenti solum sine aquæ admistione et confectione in panem cuiquam licet offerre: ne talis videlicet oblatio, quasi caput a membris secernendum esse significet, et vel Christum sine nostræ redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione salvari ac Patri offerri posse contingat. Quod autem dicit: « Hic est sanguis meus Novi Testamenti, » ad distinctionem respicit Veteris Testamenti, quod hircorum et vitulorum est

sanguine dedicatum, dicente inter aspergendum legislatore : Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Necesse est enim exemplaria quidem eorum his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis, juxta quod Apostolus per totam ad Hebræos Epistolam, inter legem distinguens et Evangelium, pulcherrima expositione et plenaria ratione demonstrat.

« Amen amen dico vobis, quia jam non bibam de « genimine vitis usque in diem illum, cum illud bi« bam novum in regno Dei. » Vitem sive vineam Domini appellatam esse Synagogam et omnis Scriptura sparsim, apertius tamen testatur Isaias in cantico de illa cantato : « Vinea, inquiens, Domini Sabaoth, domus Israel est (*Isa* v). » De qua nimirum vinea Dominus multo tempore fructum habebat, quamvis pluribus ramis in amaritudinem vitis alienæ conversis. Quidam tamen, et si multis de illa plebe exorbitantibus, a recto fidei itinere non defuere; plurimi toto legis tempore fuere, quorum piis cogitationibus summisque virtutibus delectaretur Deus. Verum passo in carne Domino, ac resurgente a mortuis, tempus fuit, ut illa legalis ac figuralis observatio cessaret, atque ea quæ secundum litteram gerebantur, in spiritualem translata sensum, melius in Novo Testamento, juvante sancti Spiritus gratia, tenerentur. Iturus ergo ad passionem Dominus, ait : « Jam non bibam de genimine vitis usque ad diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. » Ac si aperte dicat : Non ultra carnalibus Synagogæ cæremoniis delectabor, in quibus etiam ista paschalis Agni sacra locum tenuere primum. Aderit enim tempus meæ resurrectionis, aderit dies ille, cum ipse in regno Dei positus, id est gloria vitæ immortalis sublimatus, de salute ejusdem populi fonte gratiæ spiritualis generati, novo vobiscum gaudio perfundar.

« Et, hymno dicto, exierunt in montem Olivarum. » Hoc est quod in Psalmo legimus. « Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum (*Psal.* xxi). » Potest etiam hymnus ille intelligi, quem Dominus secundum Joannem Patri gratias agens decantabat, in quo et pro seipso, et pro discipulis, et pro eis qui per verbum eorum credituri erant, et elevatis sursum oculis precabatur. Et pulchre discipulos sacramentis sui corporis ac sanguinis imbutos, et hymno piæ intercessionis Patri cumulatos, in montem educit Olivarum, ut typice designetur, nos per acceptionem sacramentorum suorum, perque opem suæ intercessionis, ad altiora virtutum dona, charismata sancti Spiritus, quibus in corde perungamur, conscendere debere.

« Et ait illis Jesus : Omnes scandalizabimini in me « in ista nocte. » Prædicit quæ passuri sunt, ut cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur. Et signanter addidit, in nocte ista scandalizabimini, quia quomodo qui inebriantur, nocte inebriantur, sic et qui scandalum patiuntur, in tenebris et in nocte sustinent. Nos vero

A dicamus : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* xiii). » Quia scriptum est : « Percutiam pa« storem, et dispergentur oves. » Hoc aliis in Zacharia propheta verbis scriptum est : et, nisi fallor, ex persona prophetæ ad Deum dicitur : « Percute pastorem, et dispergentur oves, » sexagesimo quoque octavo psalmo, qui totus a Domino canitur, huic sensui congruente : « Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt. » Percutitur autem pastor bonus, ut ponat animam suam pro ovibus suis, et de multis gregibus errorum fiat unus grex et unus pastor.

« Petrus autem ait ei : Et si omnes scandalizati « fuerint, sed non ego. » Non est temeritas neque mendacium, sed fides apostoli Petri est, et ardens affectus erga Dominum Salvatorem.

B « Et ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia tu hodie « in nocte hac, priusquam bis gallus vocem dederit, « ter me es negaturus. » Et Petrus de ardore fidei promittebat, et Salvator quasi Deus futura noverat. Et nota quia Petrus in nocte negat, et negat tertio, Postquam autem gallus cecinit, et decrescentibus tenebris vicina lux nuntiata est, conversus flevit amare, negationis sordes lacrymis lavans. Non est sane arbitrandum esse contrarium quod Marco dicente : « Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus, » cæteri evangelistæ simpliciter dixerunt : « Priusquam gallus cantet, ter me negabis. » Tota enim Petri negatio, trina negatio est, In eadem namque permansit negatione animi, propositoque mendacii, donec admonitus quid ei prædictum sit, amaro fletu et cordis dolore sanaretur. Hæc autem C tota, id est trina negatio, si post primum galli cautum inciperet, falsum dixisse viderentur tres, qui dixerunt, quod antequam gallus cantaret, ter eum Petrus esset negaturus. Rursus, si totam trinam negationem ante peregisset quam gallus cantare inciperet, superfluo dixisse Marcus deprehenderetur de persona Domini : « Amen dico tibi, quia tu in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. » Sed quia ante primum galli cantum tota possit intelligi, attenderunt. Quamvis enim verbis ante primum cœpta, ante secundum autem galli cantum peracta sit tota illa trina negatio, tamen affectione animi et timore Petri primum tota concepta est. Nec interest quantis moratum sit intervallis, priusquam trina voce enuntiata sit, cum cor ejus D etiam ante primum galli cantum tota possideret, tunc magna scilicet formidine inhabita, ut posset semel non solum Dominum, sed iterum et tertio interrogatus negare, ut rectius diligentiusque attendentibus, quomodo jam mœchatus est mulierem in corde suo, qui eam viderit ad concupiscendum (*Matth.* v). Sic Petrus quandocunque verbis ediceret timorem, quem vehementer animo conceperat, ut perdurare posset usque ad tertiam Domini negationem, tota trina negatio ei tempori deputanda est, quando eum trinæ negationis sufficiens timor invasit.

« Et veniunt in prædium cui nomen Gethsemani. » Monstratur usque hodie locus Gethsemani, in quo

Dominus oravit, ad radices montis Oliveti tunc, nunc ecclesia desuper ædificata. Interpretatur autem Gethsemani *vallis pinguium*, sive *pinguedinum*. Quia vero non solum dicta vel opera Salvatoris, verum etiam loca vel tempora, in quibus operatur et loquitur, mysticis, ut sæpe dictum est, sunt plena figuris, cum in monte orat Dominus, quasi tacite nos admonet sublimia tantum orando inquiri, et pro cœlestibus bonis supplicari debere. Et cum in valle orat, et hoc in valle pinguium, sive pinguedinis ipsius æque insinuat nobis humilitatem in orationibus, et in æternæ pinguedinem dilectionis esse servandam. Neque videlicet orans Dominum jactare sua merita in exemplum Pharisæi superbientis audeat, quin potius humili voce ac mente proclamet: « Deus, propitus esto mihi peccatori (*Luc.* XVIII). » Ne aridum a dilectione proximi cor gestans, ad placandam sibi Conditoris gratiam genuflectat: juxta eum, qui centum denarios fratri, quos sibi debebat, dimittere nolens, decem millia talenta sibi a Domino frustra precabatur remitti (*Matth.* XVIII): ne jejunum ab amore Conditoris pectus habens, temporalia quælibet potius in oratione, quam ejus visionem requirat, annumerandus in eis, de quibus ait ipse: « Quia receperunt mercedem suam (*Matth.* VI). » Imo quippe cogitationem in rebus terrenis ponere, quid est aliud, quam quædam ariditas mentis? Qui autem intellectu cœlestium jam per sancta desideria in supernis delectationibus intime pascuntur, quasi largiori alimento pinguescunt. Hac enim pinguedine saginari Psalmista concupierat, cum dicebat: « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII). » Quantum vero ad ipsam Dominicæ passionis dispensationem pertinet, apte appropians morti Dominus in valle pinguedinis oravit, quia per vallem humilitatis, et pinguedinem charitatis pro nobis mortem subiit. « Humiliavit enim semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). » Et majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV).

« Et assumit Petrum et Jacobum et Joannem secum, et cœpit pavere et tædere. Et ait illis: Tristis « est anima mea usque ad mortem. » Timet Christus, cum Petrus non timeat. Christus timet, Petrus dicit: Animam meam pono pro te. Christus dicit: Anima mea turbatur. Utrumque verum est, et plenum utrumque ratione: quod et ille qui est inferior, non timet: et ille, qui est superior, gerit timentis affectum. Ille enim quasi homo, vim mortis ignorat: iste autem quasi Deus in corpore constitutus, fragilitatem carnis exponit, ut eorum qui sacramentum abjurant incarnationis, excluderetur impietas. Denique et hæc dixit, et Manichæus non credidit, Valentinus negavit, Marcion phantasma judicavit. Eo autem usque hominem, quem in veritate corporis demonstrabat, æquabat affectu ut diceret: « Sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. » Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter nomino tristitiam, quia crucem prædico. Mea est voluntas, quam suam dixit: quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus est, et ideo: « Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. » Mea est tristitia, quam meo suscepit affectu. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret: et sequestrata delectatione Divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. « Tristis est, » inquit, « anima usque ad mortem. » Non propter mortem tristis est Dominus, quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam quia corpus suscepit, omnia debuit quæ corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur, Divinitas autem commutari per hos nescit affectus.

« Sustinete hic, et vigilate. Et cum processisset « paululum, procidit super terram. » Quia præcepit: « Sustinete hic et vigilate, » non a somno prohibet, cujus tempus non erat imminente discrimine, sed a somno infidelitatis et corporis et mentis. Dato autem eis præcepto, ut sustinerent vigilarentque secum, paululum procidens ruit in faciem suam, et humilitatem mentis habitu carnis ostendit.

« Et orabat ut, si fieri posset, transiret ab eo « hora, et dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia « sunt, transfer calicem hunc a me. » Quid erat illa vox, nisi sonus infirmitatis nostræ? Multi adhuc infirmi contristantur futura morte, sed habeant rectum cor, vitent mortem quantum possunt, sed si non possunt, dicant quod ipse Dominus, non propter se, sed propter nos dixit. Quid enim dixit, « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste? « Ecce habet voluntatem humanam Christus, vide jam rectum cor: « Sed non quod ego volo, sed quod tu. » Non veni facere, inquit, « voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit (*Joan.* VI). » Suam voluntatem dixit quam temporaliter sumpsit ex virgine: voluntatem vero ejus, qui eum misit, eam videlicet signans, quam intemporaliter æternus habuit cum Patre communem. Orat transire calicem, ut ostendat vere quia et homo erat: reminiscens autem propter quod missus est, perficit dispensationem ad quam missus est, et clamat: « Sed non quod ego volo, sed quod tu. » Si moritur mors me non moriente, secundum carnem videlicet, transeat, ait, calix. Verum quia non aliter hoc fiet, ait: « Non quod ego volo, sed quod tu. » Quod autem Patrem invocans, duplici nomine dicit, Abba Pater, utriusque populi, et Judæorum scilicet illum et gentilium Deum esse ac Salvatorem ostendit. Idem namque abba, quod et pater significat, sed abba Hebræum, pater Græcum est et Latinum. Ut ergo utrumque populum in eum crediturum ab utroque eum invocandum esse doceret utraque lingua eum primus ipse invocat. Ipse est enim bonus pastor, qui animam suam dat pro ovibus suis, unum de duobus gregibus ovile perficit (*Joan.* X). Ideo utriusque voce gregis auxilium Patris flagitat, ut nos utroque exemplo illius informati, ubi adversa imminere senserimus, nos Patrem Deum, Hebræi Abba invocantes, una fidei et charitatis devotione præsidium cœleste quæramus. Unde doctor

egregius formam docendi a Domino sumens, ita suos auditores alloquitur : « Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater (*Rom.* VIII). » Abba nimirum illi, qui de Israelitico populo: nos Pater, qui de gentibus ad fidem Christi venimus.

« Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro : « Simon, dormis? Non potuisti una hora vigilare? « Ille qui supra dixerat : « Et si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor, nunc tristitiæ magnitudine somnum vincere non potest.

« Vigilate et orate, ut non intretis in tentatio« nem. » Impossibile est humanam animam non tentari. Unde et in oratione Dominica dicimus (*Matth.* VI): « Ne nos inducas in tentationem, » quam ferre non possumus, tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes. Ergo et impræsentiarum non ait : « Vigilitate et orate » ne tentemini, sed « ne intretis in tentationem,» hoc est, ne tentatio vos superet ultima et intra suos casus teneat. Verbi gratia, martyr, qui pro confessione Domini sanguinem fudit, tentatus quidem est, sed tentationis retibus non ligatus. Qui autem negat, in plagas tentationis incurrit. « Spiritus quidem prom« ptus, caro autem infirma. » Hoc adversum temerarios dictum est, quia quidquid crediderint, putant se posse consequi. Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus. Sed tamen juxta Apostolum, spiritu carnis opera mortificantur. Facit hic locus adversum Eutychianos, qui dicunt unam in Mediatore Dei et hominum Domino et Salvatore nostro operationem et unam fuisse voluntatem. Cum enim dicit : « Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma, » duas voluntates ostendit : humanam videlicet, quæ est carnis: et divinam, quæ est Deitatis. Ubi humana quidem propter infirmitatem carnis, recusat passionem, divina autem ejus est promptissima : quoniam formidare quidem in passione humanæ fragilitatis est, suscipere autem dispensationem passionis, divinæ voluntatis atque virtutis est.

« Et iterum abiit, et oravit, eumdem sermonem « dicens. » Solus orat pro omnibus, sicut et solus patitur pro universis. Languebant autem et opprimebantur apostolorum oculi, negatione vicina.

« Et venit tertio, et ait illis : Dormite jam, et re« quiescite. Sufficit. Venit hora, ecce Filius hominis « tradetur in manus peccatorum. » Cum dixisset : « Dormite jam et requiescite, » et adjungeret : « Sufficit, » ac deinde inferre : « Venit hora, ecce tradetur Filius hominis, » utique intelligitur post illud quod eis dictum est : « Dormite et requiescite, » siluisse Dominum aliquantum, ut hoc fieret quod præmiserat, et tunc intulisse : « Ecce appropinquabit hora, sive venit hora ; ideo post illa verba positum est : « Sufficit, » id est, quia requievistis, jam sufficit. Sed quia commemorata ipsa non est interpositio silentii Domini, propterea coarctat intellectum, ut in illis verbis alia pronuntiatio requiratur.

« Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, prope est.» Postquam tertio oraverat et apostolorum sequentem timorem pœnitentia impetraverat corrigendum, securus de passione sua pergit ad persecutores, et ultro se interficiendum præbet, dixitque discipulis: « Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, prope est. » Non vos inveniat quasi timentes et retractantes, ultro pergamus ad mortem, ut confidentiam, et gaudium passuri videant.

« Dederat autem traditor eis signum, dicens : « Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum « et ducite caute. Et cum venisset, statim accedens « ad eum, ait : Rabbi. Et osculatus est eum. » Impudens quidem et scelerata confidentia, magistrum invocare, et osculum ingerere ei quem tradebat : tamen adhuc aliquid habet verecundiæ discipuli, cum non eum palam tradidit persecutoribus, sed per signum osculi. Suscipit autem Dominus osculum traditoris, non quo simulare nos doceat, sed ne proditionem fugere videatur, simul et illud David implens : « Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus (*Psal.* CXIX). »

« Unus quidem de circumstantibus educens gla« dium, percussit servum summi sacerdotis, et am« putavit illi auriculam. » Petrus hoc fecit, ut Joannes evangelista declarat, eodem nimirum mentis amore, quo antea multa fecerat. Sciebat enim quomodo Phinees puniendo sacrilegos mercedem justitiæ et sacerdotii perennis acceperit. Lucas autem addit, quia Dominus tangens auriculam servi, sanaverit eum : Nunquid ergo pietatis suæ obliviscitur Dominus, qui et hostes suos non patitur vulnerari? Illi justo mors infertur, ipse persecutorem vulnera sanat, mystice docens etiam eos, qui in suæ mortis consensione vulnus animæ contraxerant, si fructum pœnitentiæ dignum fecerint, salutem mereri.

« Et respondens Jesus, ait illis : Tanquam ad la« tronem existis cum gladiis et fustibus comprehen« dere me ? Quotidie eram apud vos in templo do« cens, et non me tenuistis. » Stultum est, inquit, eum cum gladiis et fustibus quærere, qui ultro se tradidit vestris manibus: et in nocte quasi latitantem, et vestros oculos declinantem per proditorem investigare, qui quotidie in templo doceat. Sed ideo adversum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra in tenebris est.

« Tunc discipuli ejus, relinquentes eum, omnes « fugerunt. » Impletur sermo Domini, quod dixerat, quod omnes discipuli scandalizarentur in illo in ipsa nocte. Nam et si turba permittente ad petitionem Domini fugerunt, ut Joannes scribit, pavorem tamen ac timiditatem suæ mentis ostendebant, quo ad fugæ præsidium promptiores, quam ad fiduciam patiendi exstiterant.

« Adolescens autem quidam sequebatur eum ami« ctus sindone super nudo, et tenuerunt eum. At « ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis. » Quia ait, amictus sindone super nudo, subauditur corpore, id est corpore super nudo, qui non aliud in

dumentum, quam solam habebat sindonem. Quis A autem fuerit iste adolescens, evangelista non dicit. Quisquis vero fuerit, majorem in se quam in cæteris amorem Domini permansisse comprobat : quia illis jam fugientibus, ipse donec ab hostibus comprehenderetur, vinculo charitatis attractus, eum prosequi non omisit, quamvis needum habuit perfectam charitatem, qui a comitatu Salvatoris vel tentus profugere potuit. Quia sicut perfecta charitas foras mittit timorem, ita timor mentem obsidens, imperfectam arguit charitatem. Sed notandum solertius, quod de hoc adolescente scribens evangelista, non ait, qui fugit a comitatu Domini, vel a sequendo Dominum, sed rejecta, inquit, sindone, nudus profugit ab eis. Fugit enim ab hostibus, quorum præsentiam detestabatur et facta. Non enim fugit a Domino Salvatore, B a magistro suo, cujus amorem etiam corpore absens fixum in corde servavit. Neque aliquis vetat intelligi Joannem hunc fuisse adolescentem, dilectum præ cæteris magistro discipulum. Nam et illum eo tempore fuisse adolescentem, longa post hæc in carne vita ejus indicio est. Potuit enim fieri, ut ad horam tenentium manibus elapsus, mox resumpto indumento redierit : et sub dubia luce noctis sese turbis ducentium Jesum, quasi unus de ipsis immiscuerit, donec ad atrium pontificis, cui notus erat, perveniret, juxta quod in suo Evangelio ipse commemorat. Sicut autem Petrus, qui culpam negationis pœnitentiæ lacrymis abluit, et confessione Dominici amoris funditus exstirpavit, recuperationem eorum ostendit, qui in martyrio labuntur : ita cæteri discipuli, qui ad articulum comprehensionis fugiendo perve- C nerant, cautelam fugiendi docent eos, qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt, quibus tutius est multo, præsidia latebrarum petere, quam se discrimini certaminum exponere. Ita etiam iste adolescens, qui rejecta sindone nudus profugit ab impiis, illorum et opus designat et animum, qui ut securiores ab incursibus hostium fiant, quidquid in hoc mundo possidere videntur, abjiciunt, ac nudi potius Domino famulari, quam adhærendo mundi rebus, materiam tentandi, atque a Deo revocandi adversariis dare didicerunt, juxta exemplum beati Joseph (*Gen.* XXXIX), qui, relicto in manibus adulteræ pallio, foras exsilivit, malens Deo nudus, quam indutus cupiditatibus mundi, meretrici servire.

« Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem. » D Summum sacerdotem Caipham significat ; sicut Joannes evangelista scribit, erat pontifex anni illius, de quo consentanea testatur Josephus, quod pontificatum sibi absque merito dignitatis emerit a principe Romano. Non est mirum, si iniquus pontifex, inique judicat.

« Petrus autem a longe secutus est eum usque « intro in atrium summi sacerdotis : » Merito a longe sequebatur, quem proximus erat negaturus. Nusquam enim negare posset, si Christo proximus adhæsisset. Verum in hoc maxima nobis est admiratione venerandus, quod Jesum non reliquit, etiam cum timeret. Quod enim timet, naturæ est : quod sequitur, devotionis : quod negat, obreptionis : quod pœnitet, fidei. Aliter, quod ad passionem euntem Dominum sequebatur a longe Petrus, significabat Ecclesiam secuturam quidem, hoc est, imitaturum vestigia passionis Domini, sed longe differenter. Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro Ecclesia. « Et sedebat cum mini- « stris, et calefaciebat se ad ignem. » Est dilectionis ignis, est cupiditatis : de hoc dicitur : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat (*Luc.* XII) ? » De illo (*Ose.* VII) : Omnes adulteratores velut clibanus corda eorum ; iste, super credentes in cœnaculo Sion descendens, variis linguis eos Deum laudare docuit : ille in atrio Caiphæ instinctu maligni spiritus accensus, ad negandum ac blasphemandum Dominum noxias perfidorum linguas armabat. Quod enim intus in domo principis sacerdotum synodus maligna gerebat, hoc ignis in atrio foris inter frigora noctis materialiter accensus typice præmonstrabat. Quicunque ergo vitio obnoxius potest dicere cum propheta Domino : « Quia factus sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus (*Psal.* CXVIII). » In quibuscunque autem flammam charitatis turbida vitiorum flumina obruunt, a Domino audiunt : « Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV). » Quo frigore torpens ad horam apostolus Petrus, quasi prunis ministrorum Caiphæ calefieri cupiebat, quia temporalis commodi solatium perfidorum societate quærebat. Sed non mora, respectus a Domino, cum ignem pravorum corpore, tunc infidelitatem corde reliquit, ac post resurrectionem Domini sancto igne recreatus, funditus excessum trinæ negationis, trina dilectionis confessione purgavit. Tunc etenim, completa illa memorabili piscium captura, cum veniret ad Dominum, vidit cum discipulis suis prunas positas, et piscem superpositum et panem : moxque videns, sui cordis arcana prunis inflammavit amoris.

« Et quidam surgentes, falsum testimonium fere- « bant adversus eum, dicentes : Quoniam nos audi- « vimus eum dicentem : Ego dissolvam templum hoc « manufactum, et post triduum aliud non manufa- « ctum, ædificabo. » Quomodo falsi testes sunt, si ea dicunt quæ Dominum dixisse legimus ? Sed falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui, sed in ipsis verbis calumniabantur, et paucis additis vel mutatis, quasi justam calumniam faciunt. Salvator enim dixerat : « Solvite templum hoc, » isti commutant et aiunt : « Ego dissolvam templum hoc manufactum. » Vos, inquit, solvite, non ego : quia illicitum est ut nos ipsi nobis inferamus mortem. Deinde illi vertunt : « Et per triduum aliud non manufactum ædificabo, » ut proprie de templo Judaico dixisse videatur. Dominus autem, ut ostenderet animal vivum et spirans templum, dixerat : « Et ego in triduo suscitabo illud. » Aliud est ædificare, aliud suscitare.

« Et exsurgens summus sacerdos in medium, in-

« terrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam « ad ea quæ tibi objiciuntur ab his? Ille autem tace- « bat, et nihil respondit. » Ira præceps et impatiens, non inveniens calumniæ locum, excutit de solio pontificem, ut insaniam mentis motu corporis demonstraret. Quanto Jesus tacebat ad indignos responsione sua, falsos testes et sacerdotes impios, tanto magis pontifex furore superatus, eum ad respondendum provocat, ut ex qualibet occasione sermonis locum inveniat accusandi, nihilominus Jesus tacet. Sciebat enim, quasi Deus, quidquid respondisset, torquendum ad calumniam. Rursum summus sacerdos interrogat eum, et dicit ei :

« Tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus autem « dixit illi : Ego sum : » In Matthæo scriptum est, quod interroganti et juranti se pontifici, si esset Christus, responderit : Tu dixisti, pro quo Marcus posuit, « Ego sum, » ut videlicet ostenderet tantum valere quod dixit Jesus. « Tu dixisti : » Quantum si diceret, « Ego sum. » « Et videbitis Filium hominis a dex- « tris sedentem virtutis Dei, et venientem in nubi- « bus cœli. » Si ergo tibi in Christo, o Judæe, pagane et hæretice, contemptus, infirmitas et crux contumelia est, vide quia per hæc Filius hominis ad dexteram Dei Patris sessurus, et ex partu virginis homo natus, in sua cum cœli nubibus est majestate venturus. Unde et Apostolus, cum crucis objecta descripsisset, dicens (*Philip.* II) : « Qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, » adjunxit atque ait : « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum : et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. »

« Summus autem sacerdos scindens vestimenta « sua, ait : Quid adhuc desideramus testes? Audistis « blasphemiam. » Quem de solio sacerdotali furor excusserat, eumdem rabies ad scindendas vestes provocat. Scindit vestimenta sua, ut ostendat Judæos sacerdotalem vestem vel gloriam perdidisse, et vacuam sedem habere pontificis. Sed et consuetudinis Judaicæ est, cum aliquid blasphemiæ et quasi contra Deum audierint, scindere vestimenta sua, quod Paulum quoque et Barnabam, quando in Lycaonia deorum cultu venerabantur, fecisse legimus (*Act.* XIV). Herodes autem, quia non dedit honorem Deo, sed acquievit immoderato favori populi, statim ab angelo percussus est. Altiori autem mysterio factum est, ut in passione Domini pontifex Judæorum sua ipse vestimenta disciderit, cum tunica Domini nec ab his, qui eum crucifixere, militibus scindi potuerit. Figurabatur enim, quod sacerdotium Judæorum pro sceleribus ipsorum pontificum esset scindendum, et a suæ statu integritatis omnimodis solvendum. Soliditas vero sanctæ universalis Ecclesiæ, quæ vestis sui Redemptoris solet appellari, nunquam valeat disrumpi, quin potius, et si Judæi, si gentiles, si hæretici, mali catholici humilitatem Domini Salvatoris contemnant, ejus tamen usque ad consummationem sæculi, in illis, quos sors electionis invenerit, inviolata sit mansura castitas.

« Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare « faciem ejus, et colaphis eum cædere, et dicere ei : « Prophetiza. Et ministri alapis eum cædebant. » Impleta est hoc loco prophetia, quæ ait : « Dedi maxillas meas alapis, et faciem meam non averti a confusione sputorum (*Isa.* L). » Sed qui tunc cæsus est colaphis, sive alapis Judæorum, cæditur etiam nunc blasphemiis falsorum Christianorum. Qui tunc consputus est salivis infidelium, nunc usque vesaniis nomine tenus infidelium exhonoratur, atque irritatur opprobriis. Velaverunt autem faciem ejus, non ut eorum ipse scelera non videat, sed ut a seipsis, sicut quandoque Moysi fecerant, gratiam cognitionis ejus abscondant. Si enim crederent Moysi, crederent forsitan et Domino. Quod velamentum usque hodie manet super cor eorum non revelatum, nobis autem in Christum credentibus ablatum est. Neque enim frustra eo moriente velum templi scissum est medium, et ea quæ toto legis tempore latuerant, et abscondita carnali Israeli fuerant, Novi Testamenti cultoribus sunt patefacta sancta sanctorum arcana. Quod vero dicunt ei : « Prophetiza, » et juxta alios evangelistas : « Quis est qui te percussit? » quasi in contumeliam faciunt ejus, qui se a populis prophetam voluerit haberi. Sed ipso dispensante, qui patitur, omnia pro nobis fiunt, sicut Petrus hortatur (*I Petr.* IV) : Christo in carne passo, nos eadem cogitatione armemur, atque ad toleranda pro nomine ejus irrisionum opprobria præparemur.

« Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una « ex ancillis summi sacerdotis. Et cum vidisset Pe- « trum calefacientem se, aspiciens illum ait : Et tu « cum Jesu Nazareno eras. At ille negavit, dicens : « Neque scio, neque novi quid dicas. » Quid sibi vult, quod prima eum prodit ancilla, cum viri utique magis eum potuerunt recognoscere, nisi ut et iste sexus peccasse in necem Domini videretur, et iste sexus redimeretur per Domini passionem? Et ideo mulier resurrectionis accipit prima mysteria, et mandata custodit, ut veterem prævaricationis aboleret errorem.

« Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. » De hoc galli cantu cæteri evangelistæ tacent, non tamen factum esse negant, sicut et multa alia alii silentio prætierierunt, quæ alii narrant.

« Rursum autem cum vidisset alia eum ancilla, « cœpit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est. « At ille iterum negavit. » Non hæc eadem quæ prius accusabat, ancilla esse credenda est. Dicit namque Matthæus apertissime : « Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi (*Matth.* XXVII). » In hac autem negatione Petri discimus, non solum abnegare Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed ab illo etiam, qui cum sit negat se esse Christianum. Dominus autem non ait Petro : Discipulum meum te negabis, sed « me ne-

gabis. » Negavit ergo ipsum, cum se negavit ejus A esse discipulum.

« Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant « Petro: Vere ex illis es. Nam et Galilæus es. » Non quod alia lingua Galilæi quam Hierosolymitæ loquerentur, qui utrique fuerunt Hebræi, sed quia unaquæque provincia et regio suas habeat proprietates, ac vernaculum loquendi sonum vitare non possit. Unde in Actibus apostolorum cum hi, quibus Spiritus sanctus insederat, omnium gentium linguis loquerentur, inter alios qui e diversis mundi plagis advenerant, etiam illi qui habitabant Judæam, dixisse referuntur: « Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? (*Act.* xi.) » Et Petrus fratribus loquens in Jerusalem: « Et B notum, inquit, factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille Haceldama (*Act.* i), » Quare lingua eorum, nisi quod idem nomen aliter illi, hoc est, Hierosolymitæ, aliter sonabant Galilæi?

« Ille autem cœpit anathematizare et jurare, quia « nescio hominem istam quem dicitis. Et statim ite« rum gallus cantavit. » Solet Scriptura sacra meritum causarum, per statum designare temporum. Unde Petrus qui media nocte negavit, ad galli cantum pœnituit: qui etiam post resurrectionem Domini diurna sub luce illum, quem tertio negaverat, tertio æque se amare professus est. Quia nimirum, qui in tenebris oblivionis erravit, et speratæ jam lucis rememoratione correxit, et ejusdem veræ lucis adepta præsentia, plene totum quidquid muta- C verat erexit. Hunc opinor gallum aliquem doctorem intelligendum, qui nos jacentes excitans, et somnolentos increpans, dicat: « Evigilate, justi, et nolite peccare (*I Cor.* xv). »

« Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei « Jesus: Priusquam gallus cantet bis, ter me nega« bis. Et cœpit flere. » Quam nociva pravorum colloquia! Petrus ipse inter infideles vel hominem se nosse negavit, quem inter condiscipulos jam Dei Filium fuerat confessus. Sed nec in atrio Caiphæ retentus poterat agere pœnitentiam; egreditur foras, ut alii narrant evangelistæ, quatenus ab impiorum concilio secretus, sordes pavidæ negationis liberis fletibus absolvat.

« Et confestim mane consilium facientes summi D « sacerdotes cum senioribus et scribis, et universo « concilio, vincientes Jesum, duxerunt, et tradide« runt Pilato. » Non solum ad Pilatum, sed etiam ad Herodem ductus est, ut uterque Domino illuderet. Et cerne sollicitudinem sacerdotum in malo: tota nocte vigilaverunt, ut homicidium facerent, « Et vinctum « tradiderunt Pilato. » Habebant enim hunc morem, ut quem adjudicassent morti, ligatum judici traderent. Attamen notandum quod non tunc primum ligaverunt eum, sed mox comprehensum nocte in horto, ut Joannes declarat, ligaverunt, et sic adduxerunt eum ad Annam primum.

« Et interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Judæo« rum? » Pilato nihil aliud criminis interrogante, nisi utrum rex Judæorum sit, arguuntur impietatis Judæi, quod ne falso quidem invenire potuerint quod objicerent Salvatori. « At ille respondens, ait « illi: Tu dicis. » Sic respondit, ut et verum diceret, et sermo ejus calumniæ non pateret. Et attende quod Pilato, qui in vitiis sententiam ferebat, aliqua in parte responderit, sacerdotibus autem et principibus noluerit, indignosque suo sermone judicaverit.

« Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: « Non respondes quidquam? Vide in quantis te ac« cusant. Jesus autem amplius nihil respondit. » Ethnicus quidem est qui condemnat Jesum, sed causam refert in populum Judæorum. « Vide in quantis te accusant. » Jesus autem nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur a præside, et crucis utilitas differretur.

« Pontifices autem, concitaverunt turbam ut ma« gis Barabbam dimitteret eis. » Usque hodie hæret Judæis sua petitio, quam tanto labore impetrarunt. Qui enim data sibi optione pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem, pro datore vitæ elegerunt ademptorem, merito salutem perdiderunt et vitam, et latrociniis sese ac seditionis intantum subdiderunt, ut et patriam regnumque suum quod plus Christo amavere, perdiderint, et hactenus, quam vendidere, sive animæ, seu corporis libertatem recipere non meruerint.

« Pilatus autem iterum respondens, ait illis: « Quid ergo vultis faciam regi Judæorum? At illi « iterum clamaverunt: Crucifige eum! Pilatus vero « dicebat eis: Quid enim mali fecit? » Multas liberandi Salvatorem Pilatus occasiones dedit. Primum latronem justo conferens, deinde inferens: « Quid ergo vultis faciam regi Judæorum? » Cumque responderent: « Crucifigatur! » statim non acquievit, sed, juxta suggestionem uxoris, quæ mandaverat ei, ut Matthæus scribit: « Nihil tibi et justo illi (*Matth.* xxvii), » ipse quoque respondens ait: « Quid enim mali fecit? » Hoc dicendo Pilatus absolvit Jesum.

« At illi magis clamabant, dicentes: Crucifige « eum! » Ut impleretur quod in vicesimo primo psalmo dixerat: « Circumdederunt me canes multi, congregatio malignantium obsedit me. » Isaias quoque in hac sententia congruenter: « Exspectavi ut faceret judicium (*Isa.* 5). » Et illud Jeremiæ: « Facta est mihi hæreditas mea sicut leo in silva, dederunt super me vocem suam (*Jer.* xii). » Fecerunt autem iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem,

« Pilatus autem, volens populo satisfacere, dimisit « eis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut « crucifigeretur. » Jesus autem flagellatus non ab alio quam ab ipso Pilato intelligendus est. Scribit namque aperte Joannes: « Clamaverunt rursum dicentes omnes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro (*Joan.* xviii). » — « Tunc ergo Pilatus ap-

prehendit Jesum et flagellavit. » Ac deinde subjungit: « Et milites, plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. » Quod quidem ideo fecisse, atque ideo credendum est militibus eum illudendum tradidisse, ut, satiati pœnis et opprobriis ejus Judæi mortem ejus ultra sitire desisterent. Hoc autem factum est ut, quia scriptum erat: « Multa flagella peccatorum (*Psal.* XXXI), » illo flagellato, nos a verberibus liberaremur, dicente Scriptura: « Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo (*Psal.* XC). »

« Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, et convocant totam cohortem, et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam, et cœperunt salutare eum: Ave, rex Judæorum. » Milites quidem, quia rex Judæorum fuerat appellatus, et hoc si scribæ et sacerdotes crimen objecerant, quia sibi in populo Israel usurparet imperium, illudentes hoc faciunt, et nudatum pristinis vestibus, induunt purpura, qua reges veteres utebantur. Et pro diademate imponunt ei spineam coronam, sceptro regali dant calamum, ut Matthæus scribit, et adorant quasi regem. Nos autem omnia hæc intelligamus mystice. Quomodo enim Caiphas dixit: « Oportet unum hominem mori pro populo (*Joan.* XVIII), » nesciens quod diceret: sic et isti quidquid fecerunt, licet alia mente fecerunt, tamen nobis qui credimus, sacramenta tribuebant. Notandum autem, quia pro eo quod Marcus ait: « Et induunt eum purpura, » Matthæus ita posuit: « Et exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei (*Matth.* XXVII). » Pro regia enim purpura, chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat, et est rubra quædam purpura cocco simillima. Potest enim fieri, ut purpuram etiam Marcus commemoraverit, quam chlamys habebat, quamvis coccinea esset. Mystice enim purpura, qua indutus est Dominus, ipsa ejus caro, quam passionibus objecit, insinuat, de qua præmissa dixerat prophetia: « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? (*Isa.* LXIII.) » In corona vero quam portabat spinea, nostrorum susceptio peccatorum, pro qua mortalis fieri ostenditur, juxta quod præcursor istius testimonium ejus perhibens ait: « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Namque spinas in significatione peccatorum poni solere testatur ipse Dominus, protoplasto in peccatum prolapso dicebat: « Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* III). » Quod est aperte dicere: Csnscientia tua punctiones tibi et aculeos vitiorum procreare non desistet. Quod vero, juxta evangelium Lucæ, Dominus ad Herodem alba veste induitur, in cæteris vero evangelistis a militibus Pilati sub purpureo sive coccineo habitu illusus esse perhibetur, collata utraque ratione, in uno innocentia et castitas assumptæ humanitatis, in altero autem veritas passionis, per quam ad gloriam regni immortalis esset perventurus, exprimitur. Sicut enim purpura colorem sanguinis qui pro nobis effusus est imitatur, ita et habi-

A tum regni, quod post passionem Dominus intravit, nobisque intrandum patefecit, insinuat. Verum quia dixit Apostolus: « Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Gal.* III), » et Isaias Domino de electis: « Omnibus his velut ornamento vestieris (*Isa.* XLIX), » potest in hoc utroque Domini habitu, non inimicorum quidem sententia probrosa, sed ipsius Domini electione gloriosissima, omnis electorum ejus multitudo, quæ in martyres venerandos, et cætera fidelium plebe distinguitur, aptissime designari. Alba etenim veste induitur, cum munda justorum confessione circumdatur. Purpura sive cocco vestitur, cum in triumpho victoriosorum martyrum gloriatur.

« Et percutiebant caput ejus arundine, et con-

B spuebant eum, et ponentes genua adorabant eum. » Hæc tunc fecere milites Pilati, hæc usque hodie faciunt hæretici et pagani, milites utique diaboli. Quia enim caput Christi Deus, caput ejus percutiunt, qui eum verum Deum esse denegant. Et quia Scriptura per arundinem solet confici, quasi arundine caput Christi feriunt, qui, divinitati illius contradicentes, errorem suum confirmare auctoritate sacræ Scripturæ conantur. Spuunt in faciem Christi, qui præsentiam gratiæ ejus verbis exsecrandis ex interna cæcæ mentis insania conceptis respuunt, et Jesum Christum in carne venisse denegant. Et quidem milites eum quasi qui Deum seipsum falsum dixisset, illudentes adorabant. Sed sunt hodie qui sunt gravioris vesaniæ, qui eum certa fide ut Deum verum adorant sed perversis actibus mox verba ejus quasi fabu-

C losa despiciunt, ac promissa regni illius temporalibus illecebris post longe ponunt.

« Et educunt illum, ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus. » Magnæ tunc opinionis Simon iste videtur fuisse, cum filii quoque ejus, quasi jam noti omnibus, designentur ex nomine. Sed cavendem ne cui videatur contrarium, quod Joannes scribit, ipsum Dominum sibi crucem portasse, cæteri vero evangelistæ hunc Simonem Cyrenæum eam bajulasse referunt. Primo namque a Domino portata, ac deinde Simoni, quem exeuntes forte obvium habuerant, portanda imposita est. Et hoc congruo satis ordine mysterii, quam nimirum

D ipse passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus (*I Petr.* II). Et quia Simon iste non Hierosolymita, sed Cyrenæus esse perhibetur (Cyrenæ enim civitas Libyæ est, ut in Actibus apostolorum legimus [*Act.* II]) recte per eum populi gentium designantur, qui quondam peregrini et hospites testamentorum, nunc obediendo cives sunt et domestici Dei, et, sicut alibi dicitur, « hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII) » Unde apte Simon, *obediens*; Cyrenæ, *hæres* interpretatur. Nec prætereundum, quia idem Simon de villa venisse refertur. Villa enim *pagus* dicitur, unde paganos appellamus eos, quos a civitate Dei alienos, et

quasi urbanæ conversationis videmus esse expertes. Sed de pago Simon egrediens, crucem portat post Jesum, cum populus nationum, paganis ritibus derelictis, vestigia Dominicæ passionis obedienter amplectitur.

« Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est « interpretatum Calvariæ locus. » Extra urbem et foris portam loca sunt in quibus truncantur capita bellatorum, et Calvariæ, id est decollatorum sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius erat area damnatorum, erigerentur vexilla martyrii. Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, et flagellatus, et crucifixus, sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigitur.

« Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, et non « accepit. » Deus loquitur ad Jerusalem : « Ego te plantavi vineam meam veram, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ? « (*Jer.* II.) Amara vitis amarum vinum facit, et propinat Domino Jesu, ut impleatur quod scriptum est : « Dederunt in cibum meum fel, et in siti mea potaverunt me aceto (*Psal.* LXVIII). » Quod autem dicitur : « Et non accepit, » vel secundum Matthæum (*Matth.* XXVII) : « cum gustasset, noluit bibere, » hoc indicat, quod gustaverit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit. Quod enim ait Marcus : Non accepit, » intelligitur, non accepit ut biberet : gustavit autem, sicut Matthæus testis est. Et quod idem Matthæus ait : « Noluit bibere, » hoc Marcus dixerat : « Non accepit. Sed et hoc quod ait Marcus : « Myrrhatum vinum, » intelligendum est Matthæum dixisse « cum felle mistum. » Fel quippe pro amaritudine posuit, et myrrhatum vinum amarissimum est : quanquam fieri et possit ut et felle et myrrha vinum amarissimum redderent.

« Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta « ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolle- « ret. » Hæc Joannes evangelista plenius exponit (*Joan.* XIX), quia milites cætera in quatuor partes juxta suum numerum dividentes, de tunica quæ inconsutilis erat, desuper contexta per totum, sortem miserunt. Quadripartita autem vestis Domini, quadripartitam ejus figuravit Ecclesiam, toto scilicet (quæ quatuor partibus constat) terrarum orbe diffusam, et omnibus eisdem partibus æqualiter (id est concorditer) distributam. Tunica vero illa sortita, omnium partium significat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. Si enim charitas, juxta Apostolum, et supereminentiorem habet viam, et superemineat scientiæ, et super omnia præcepta est, merito vestis, qua significata est, desuper contexta perhibetur. In sorte autem quid, nisi Dei gratia commendata est? Sic quippe in uno ad omnes pervenit, cum sors omnibus placuit : quia et Dei gratia in uno ad omnes pervenit, et cum sors mittitur, non personæ cujusque vel meritis, sed occulto Dei judicio ceditur. Et quia, sicut ait Apostolus, verus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuetur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato (*Rom.* VI), quandiu id agunt opera nostra, ut evacuetur corpus peccati, quandiu exterior homo corrumpitur, ut interior renovetur de die in diem, tempus est crucis. Hæc sunt et bona opera quidem tamen adhuc laboriosa, quorum merces requies est. Sed ideo dicitur, spe gaudentes, ut requiem futuram cum hilaritate in laboribus operemur. Hanc enim hilaritatem significat crucis altitudo in transverso ligno, ubi figuntur manus. Per manus enim, opera intelligimus ; per latitudinem, hilaritatem operantis, quia tristitia facit angustias ; per altitudinem autem, cui caput adjungitur, exspectationem retributionis de sublimi justitia Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua, his quidem secundum tolerantiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus, vitam æternam. Itaque jam longitudo, qua totum corpus extenditur, ipsam tolerantiam significat. Unde longanimes dicuntur qui tolerant. Profundum quod terræ infixum est, secretum sacramenti præfigurat : quæ verba apostoli instar de significatione crucis expediam, ubi ait : « In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo et profundum (*Ephes.* III). »

« Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum. » Sunt qui arbitrantur hora quidem tertia Dominum crucifixum, a sexta autem hora tenebras facta usque ad nonam, ut consumptæ intelligantur tres horæ, ex quo crucifixus est usque ad tenebras factas. Et posset quidem hoc rectissime intelligi, nisi Joannes diceret, hora quasi sexta Pilatum sedisse pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabatha. Sequitur enim : « Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta, et dicit Judæis : Ecce rex vester (*Joan.* XIX). » Si igitur quasi sexta Pilato sedente pro tribunali, traditus est crucifigendus a Judæis, quomodo hora tertia crucifixus est, sicut verba Marci non intelligentes quidam putaverunt? Jam certe dixerat Marcus : « Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus. » Si ergo ejus rei gestæ tempus voluit commemorare, sufficeret dicere : Erat autem hora tertia. Ut quid adjunxit, » et crucifixerunt eum, » nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod quæstum inveniret, cum Scripturæ ipsa illius temporibus legeretur, quibus universæ Ecclesiæ notum erat, qua hora Dominus ligno suspensus est, unde posset hujus vel error corrigi, vel mendacium refutari? Sed quia sciebat a militibus Dominum crucifixum, non a Judæis, occulte ostendere voluit, eos magis crucifixisse, qui clamaverunt ut crucifigeretur, quam illos qui ministerium principi suo secundum officium suum præbuerunt. Intelligitur ergo fuisse hora tertia, cum clamaverunt Judæi ut Dominus crucifigeretur , et veracissime demonstratur, tunc eos crucicixisse quando clamaverunt, maxime quia volebant non videri se hoc fecisse. Et propterea eum Pilato tradiderunt, quod per eorum verba satis indicatur secundum Joannem. Quod ergo maxime videri fecisse

nolebant, hoc eos hora tertia fecisse Marcus ostendit, verissime indicans magis fuisse Dominum necatum lingua Judæorum quam militum manu.

« Et erat titulus causæ ejus inscriptus : Rex Ju-« dæorum. » Titulus positus supra crucem ejus, in quo scriptum erat: Rex Judæorum, illud ostendit, quod nec occidendo efficere potuerunt, ut cum regem non haberent : quia ejus manifestissima potestate secundum sua opera redditus est. Unde in Psalmo canit: « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psal.* II). » Qui apte etiam, quoniam rex et pontifex est, cum eximiam Patri suæ carnis hostiam in altari crucis offerret, regis quoque, qui rex prædictus erat, dignitatem titulo prætendit. ut cunctis legere, hoc est, audire et credere volentibus insinuaret, quia per crucis patibulum non perdiderit suum, sed confirmaverit potius et corroboraverit imperium.

« Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a « dextris, et alium a sinistris. » Latrones, qui cum Domino crucifixi sunt, significant eos qui sub fide et confessione Christi, vel agone martyrii, vel quælibet continentiæ arctioris instituta subeunt. Sed quicunque hæc pro æterna solum cœlestique gloria egerunt, hi profecto dextri latronis merito ac fide designantur. At qui, sive humanæ laudis intuitu, sed qualibet minus digna intentione mundo abrenuntiant, non immerito blasphematoris ac sinistri latronis mentem imitantur et actus, de qualibus dicit Apostolus : « Si tradidero corpus meum ut ardeat, si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, si alia plura pietatis opera facerem, ut dona gratiæ spiritalis accepisse videar, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII). » Beati autem qui sua propter Dominum et propter Evangelium relinquunt. « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). »

« Similiter et sacerdotes summi illudentes, ad « alterutrum cum scribis dicebant : Alios salvos « fecit, seipsum non potest salvum facere. » Etiam nolentes, confitentur scribæ et pontifices quia alios salvos fecerit. Itaque vos vestra condemnat sententia. Qui enim alios salvos fecit, utique, si vellet, seipsum salvare poterat.

« Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut « videamus et credamus. » Fraudulenta promissio. Quid est plus, de cruce adhuc viventem descendere, an de sepulcro mortuum surgere? Surrexit, et non creditis; ergo etiam si de cruce descenderit, similiter non credetis. « Et qui cum eo crucifixi erant « conviciabantur ei. » Quomodo hoc verum est, quandoquidem unus eorum conviciatus est, secundum Lucæ testimonium, alter et compescuit eum, et in Deum credidit, nisi intelligamus Matthæum et Marcum breviter perstringentes, hoc loco pluralem numerum pro singulari posuisse, sicut in Epistola ad Hebræos legimus (*Hebr.* XI) pluraliter dictum, « clauserunt ora leonum, » cum solus Daniel significari intelligatur: et pluraliter dictum, « secti sunt, » cum de solo Isaia intelligatur? Quid enim usitatius, verbi gratia, quam ut dicat aliquis: Et rustici mihi insultant, etiamsi unus insultet. Tunc enim esset contrarium, quia Lucas de uno manifestavit, si illi dixissent ambos latrones conviciatos Domino, tamen posset sub numero plurali unus intelligi. Cum vero dictum est, latrones, vel qui cum eo crucifixi erant, nec additum est, ambo, non solum si ambo fecissent, posset hoc dici, sed etiam quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum significari. Quia vero, Luca testante, unus latro Dominum blasphemat, dicens ; « Salvum fac temetipsum et nos, » alter vero et illum digna invectione redarguit, et Dominum fidei supplicatione precatur, dicens : « Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum (*Luc.* XXIII), » usque hodie idem geri in Ecclesia videmus, cum mundanis tacti afflictionibus, veri simul et falsi Christiani: illi quidem, qui ficta mente Dominicæ passionis sacramenta gestant, ad præsentiis vitæ gaudia, cupiunt liberari a Domino, atque simplici intentione cum Apostolo non gloriantur in sola cruce Domini nostri Jesu Christi, ita potius a præsentibus ærumnis optant erui, ut spiritus suum commendent in auctoris manus, unaque cum ipso regni cœlestis desiderent esse participes. Unde bene ille, qui fide dubia Dominum precabatur, funditus est contemptus a Domino, neque ulla responsione dignus habitus. At vero preces illius, qui æternam a se salutem quærebat, pia mox Dominus exauditione suscipere dignatus est. Quia nimirum, quicunque in tribulationibus positi, temporalia tantum a Domino solatia requirunt, a temporalibus reparatur, et æternis gaudiis privantur. Qui enim veraciter bona patriæ cœlestis suspirant, ad hæc absque ulla dubietate, Christo miserante, perveniunt.

« Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per to-« tam terram, usque in horam nonam. » Clarissimum mundi lumen retraxit radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur. Et notandum quia Dominus sexta hora, hoc est, oriente jam sole, resurrectionis suæ mysteria celebravit. Statutum enim temporis signavit, quo effectu temporis exhibuit. Qui mortuus est, propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Nam et Adam peccante scriptum est quia audierit vocem Domini Dei deambulantis, in paradiso ad auram post meridiem (*Gen.* III). Post meridiem namque inclinata luce fidei : ad auram vero, refrigescente fervore charitatis : deambulans autem audiebatur, quia ab homine peccante recesserat. Rationis igitur, imo divitiæ pietatis ordo poscebat, ut eodem temporis articulo, quo tum Adæ prævaricanti occluserat, nunc latroni Dominus pœnitenti januam reseraret paradisi, et qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo invexit, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destrueret.

« Et hora nona exclamavit Jesus voce magna,

« dicens : Eloi, Eloi, lamma sabachtani ? Quod est A « interpretatum : Deus meus, Deus meus, ut quid « dereliquisti me ? » Ut quid, etc. Principio vicesimi primi psalmi usus est. Illud vero quod est in medio versiculi : Respice in me, superfluum est. Legitur enim in Hebræo : Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti ? Ne mireris verborum humilitatem, querimonias derelicti, cum formam servi sciens,scandalum crucis videas. Sicut enim esurire et sitire et fatigari non erant propria Divinitatis, sed corporalis passionis, ita, et quod dicitur, « Ut quid me dereliquisti ? » corporalis vocis erat proprium : qua solet secundum naturam corpus nullatenus velle a sibi conjuncta vita fraudari. Licet enim et ipse dicebat hoc, sed proprie ostendebat corporis fragilitatem, manens virtus et sapientia Dei. Ut ergo B homo loquitur, meos (*sic*) circumferens motus, quod in periculis positi, a Deo deseri nos putamus, vel ut homo turbatur, ut homo flet, ut homo crucifigitur.

« Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant : Ecce Eliam vocat. » Non omnes, sed quidam, quos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligentes sermonis Hebræi proprietatem, sed ex eo quod dixit : Eli, Eli, putantes ab eo vocatum. Sin autem Judæos, qui hoc dixerunt, volueris intelligere, et hoc more sibi solito faciunt, ut Dominum imbecillitate infament, quod Eliæ auxilium deprecetur.

« Currens autem unus,et implens spongiam aceto, « circumponensque calamo,potum dabat ei,dicens : « Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum C « eum. » Quam ob causam Domino acetum sit potui datum,Joannes ostendit plenius,dicens :« Postea sciens Jesus,quia jam consummata sunt omnia, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum, Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes,obtulerant ori ejus (*Joan.* XIX). » Vidit ergo quoniam consummata sunt omnia quæ oportebat ut fierent,antequam acciperet acetum, et traderet spiritum, atque ut hoc etiam consummaretur, quo ait : « Et in siti mea potaverunt me aceto (*Psal.* LXVIII). » Siti, inquit, tanquam hoc diceret : Hoc minus fecistis, date quod estis. Judæi quippe ipsi erant acetum, degenerantes a vino patriarcharum et prophetarum,tanquam de pleno vase,de iniquitate mundi hujus im- D pletum cor habentes, velut spongiam cavernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum quo circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis,et pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus, quam circumdederunt, et se circumvenisse putaverunt. Unde est illud in Psalmo : « Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor (*Psal.* L). » Christi namque humilitate mundamur,quia nisi humiliasset semetipsum,factus obediens usque ad mortem,mortem autem crucis,non utique sanguis ejus in remissionem peccatorum, hoc est in nostram mundationem,fuisset effusus.Per arundinem vero, cui imposita est spongia, Scriptura significatur,quæ implebatur in facto. Sicut lingua dicitur vel Græca, vel Latina,vel alia quælibet,sonum significans qui lingua promitur, sic arundo dici potest littera, quæ arundine scribitur. Sed significantius sonos vocis humanæ usitatissime dicimus linguas, Scripturam vero arundinem dici,quo minus usitatum,eo magis est mystice figuratum.

« Jesus autem, emissa voce magna, exspiravit. » Quid hac voce magna dixerit Dominus,Lucas aperte designat : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc, inquit, dicens,exspiravit (*Luc.* XXIII). » Quod vero scribit Joannes, quia cum accepisset acetum, dixit :« Consummatum est.Et inclinato capite tradidit spiritum (*Joan.* XIX), » inter illud quod ait : « Consummatum est,» et illud ;«inclinato capite tradidit spiritum, » emissa est illa vox magna, quam tacuit Joannes,cæteri autem tres commemoraverunt.

« Et velum templi scissum est in duo, a summo « usque deorsum. » Scinditur velum templi,ut arca Testamenti et omnia legis sacramenta, quæ tegebantur appareant, atque ad populum transeant nationum, Ante etenim dictum fuerat : « Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus (*Psal.* LXXV) : » nunc autem : « Exaltare super cœlos,Deus, et super omnem terram gloria tua (*Psal.* LVI). » Et in Évangelio prius dixit : « In viam gentium ne abieritis (*Matth.* X) ; » post passionem vero suam : « Euntes in mundum universum, docete omnes gentes (*Matth.* XXVIII). »

« Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, « quia sic clamans exspirasset, ait : Vere hic homo « Filius Dei erat.»Manifesta causa miraculi centurionis exponitur,quod videns Dominum sic exspirasse, hoc est spiritum emisisse, dixerit : « Vere homo hic Filius Dei erat. » Nullus enim habet potestatem emittendi spiritum,nisi qui animarum conditor est. Et hoc considerandum quod centurio ante crucem in ipso scandalo passionis veri Dei Filium confiteatur, et Arius in Ecclesia prædicat creaturam. Unde merito per centurionem fides Ecclesiæ designatur, quæ vel mysteriorum cœlestium per mortem Domini reserata, continuo Jesum et vere justum hominem, et vere Dei Filium, Synagoga tacente, confirmat.

« Erant autem et mulieres de longe aspicientes, « inter quas erat Maria Magdalene,et Maria Jacobi « minoris, et Joseph mater, et Salome. Et cum « esset in Galilæa,sequebantur eum et ministrabant « ei. » Jacobum minorem dicit Jacobum Alphæi, qui et frater Domini dicebatur, eo quod esset filius Mariæ materteræ Domini, cujus in Evangelio suo meminit Joannes, dicens : « Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus,et soror matris ejus Maria Cleophæ. » Mariam autem Cleophæ eam videtur dicere a patre, sive cognatione. Vocabat vero minorem Jacobum, ad distinctionem majoris Jacobi, videlicet filii Zebedæi, qui inter primos apostolo

vocatus est a Domino et electus. Consuetudinis autem Judaicæ est, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquæ, ut mulieres de substantia sua victum et vestimentum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjecisse se memorat: « Nunquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut cæteri apostoli faciunt? » (*I Cor.* IX). Ministrabant autem Domiuo de substantia sua, ut meteret earum carnalia, cujus illæ metebant spiritalia. Non quo indigeret cibis Dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Sed videamus quales comites habuerit: Mariam Magdalenam, a qua septem dæmonia ejecerat, et Mariam Jacobi et Joseph materteram suam, et alias quas in cæteris Evangeliis legimus,

« Et cum jam sero esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum, venit Joseph ab « Arimathæa, nobilis decurio. » Decurio vocatur, qui sit de ordine curiæ, et officium curiæ administret, qui etiam curialis a procurando munera civilia solet appellari. Arimathæa autem ipsa est Ramathaim civitas Elcanæ et Samuelis, in regione Chananitica juxta Diospolim παρασκευή vero Græce, Latine *præparatio* dicitur, quo nomine Judæi, qui inter Græcos morabantur, sextam sabbati appellabant, eo quod in illo ea, quæ requiei sabbati necessaria essent, præparare solerent, juxta hoc quod de manna olim præceptum est. «Sexta autem die colligetis duplum (*Exod.* XVI), » etc. Quia ergo homo sexta die factus, et tota est mundi creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit, unde et hoc sabbatum, hoc est requiem voluit intelligi, recte Salvator eadem sexta die crucifixus, humanæ restaurationis implevit arcanum. Ideoque cum accepisset Jesus acetum, dixit: « Consummatum est, » hoc est sexta die, quod pro mundi refectione suscepit, jam totum est expletum. Sabbato autem in sepulcro requiescens, resurrectionis quæ octava die ventura erat, exspectabat eventum. Ubi nostræ simul devotionis ac beatæ retributionis prælucet exemplum, quos in hac quidem sæculi ætate pro Domino pati, et velut mundo necesse est crucifigi. In septima vero ætate, id est cum lethi quis debitum solvit, corpora quidem in tumulis, animas autem secreta in pace cum Domino manere, et post bona oportet opera quiescere, donec octava tandem veniente ætate, etiam corpora ipsa resurrectione glorificata, cum animabus simul incorruptionem æternæ hæreditatis accipiant. « Venit, inquit, Joseph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui et ipse erant exspectans regnum Dei. Et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. » Magnæ quidem Joseph iste dignitatis ad sæculum, sed majoris apud Deum meriti fuisse laudatur. Talem namque existere decebat, qui corpus Domini sepeliret, qui et per justitiam meritorum tali ministerio dignus fuisset, et per nobilitatem potentiæ sæcularis, facultatem possit obtinere ministrandi. Non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad præsidem accedere, et crucifixi corpus poterat impetrare.

« Joseph autem mercatus sindonem, et deponens « eum, involvit in sindone. » Et ex simplici sepultura Domini ambitio divitum condemnatur, qui nec in tumulis quidem possunt carere divitiis. Possumus autem juxta intelligentiam spiritalem hoc sentire, quod corpus Domini non auro, neque gemmis et serico, sed linteamine purum obvolutum sit, quamquam et hoc significet, quod ille in sindone munda involvit Jesum, qui pura mente eum susceperit. Hinc Ecclesiæ mos obtinuit ut sacrificium altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini est in sindone munda sepultum, juxta quod in gestis pontificalibus a beato papa Silvestro legimus esse statutum. De monumento Domini ferunt, qui nostra ætate Hierosolymis Britanniam venere, quod domus fuerit rotunda, de subjacente rupe excisa, tantæ altitudinis, ut intro consistens homo, vix manu extenta culmen possit attingere, qua habet introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus advolutus atque appositus est. In cujus monumenti parte aquilonari sepulcrum ipsum, hoc est locus Dominici corporis, de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmarum mensura, cætero pavimento altius eminens. Qui videlicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patulus est, unde corpus inferebat; color autem ejusdem monumenti ac loculi, rubicundo et albo dicitur esse permistus.

HOMILIA LXVII.

FERIA QUINTA PALMARUM, IN COENA DOMINI.

(JOAN. XIII.) « In illo tempore: Ante diem festum « Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut tran« seat ex hoc mundo ad Patrem » et reliqua. Pascha non, sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum. Pascha *transitus* dicitur in sua lingua, propterea, quia tunc primum Pascha celebravit populus Domini, quando ex Ægypto fugientes, Rubrum mare transierunt. Quæ figura in Christo secundum veritatem impleta est, cum per passionem suam transiret ex hoc mundo ad Patrem. Ita nobis quoque transeundum est ex hoc mundo ad Patrem, a temporalibus ad æterna, ab iniquitate ad justitiam, a deceptore diabolo ad Salvatorem Christum. « Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, « usque in finem dilexit eos. » Utique ut ipsi de hoc, ubi erant, ad suum caput, quod hinc transisset, ejus dilectione transissent. In finem, id est in æternum dilexit eos. Vel in finem, in Christo, quia finis legis est Christus.

« Et cœna jam facta. » Non ita debemus intelligere cœnam factam, veluti jam consumptam et transactam. Adhuc enim cœnabatur, cum Dominus surrexit, et pedes lavit discipulis suis: nam postea iterum recubuit, et buccellam suo traditori dedit. Cœ-

na dicta est jam parata convivantibus discipulis cum magistro.

« Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet « eum Judas Simonis Scariothis. » Si quæris quid missum sit in cor Judæ, hoc utique ut traderet eum. Missio ista, spiritalis suggestio est : non in aures corporales, sed in cor consentiens iniqua. Sicut enim bonas cogitationes benignus spiritus immittit, sic malas cogitationes malignus suggerit. Sed interest quibusnam eorum mens humana consentiat, divino auxilio, vel deserta per meritum, vel adjuta per gratiam. Sine fide Dei proditor ad convivium non credens Deum esse, quem tradere non cogitabat, videbatur et tolerabatur in eo quem falli putabat, fallebatur, cujus malitia bonitas Dei utebatur ad salutem aliorum.

« Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, » ergo et ipsum traditorem. Nam si eum in manibus non haberet, non utique illo uteretur ut vellet. Sciebat enim Dominus quid faceret pro amicis, qui patienter utebatur inimicis. Sciens etiam « quia a Deo « exiit, et ad Deum vadit. » Nec Deum, cum inde exiret, nec nos deserens, cum rediret.

« Surgit a cœna, et ponit vestimenta sua. » Locuturus evangelista de tanta Domini humilitate, prius ejus celsitudinem voluit commendare. Ad hoc pertinet quod ait : « Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus. » Non Dei Domini, sed hominis servi implevit officium. Tanta est quippe humanæ humilitatis utilitas, ut eam commendaret suo exemplo etiam divina sublimitas. « Surgit a cœna, » descendit de cœlestibus. « Posuit vestimenta sua, » id est, semetipsum exinanivit. « Cum accepisset lin« teum, præcinxit se, » formam servi induens.

« Mittit aquam in pelvim, » id est, fudit sanguinem suum in terram, ut mundaret in se credentium vestigia quæ terrenis peccatis sordida fuerant, et extergeret linteo, quo erat, id est, corporis sui linteo quo erat præcinctus, purgaret, quia tota ejus passio est purgatio. Dum formam servi accepit, non quod habebat dimisit, sed quod non habebat assumpsit.

« Venit ergo ad Simonem Petrum. » Non ita intelligendum est quasi, aliorum pedibus lavatis, venisset ad primum apostolum, sed quia inde primum cœpit, ideo expavescit Petrus, ut Dei Filius ei pedes lavaret, Dominus servo, Deus homini. Quando ergo pedes discipulorum lavare cœpit, venit ad eum, a quo cœpit, id est, ad Petrum. Et tunc Petrus (quod etiam quilibet eorum expavisset) expavit, atque ait : « Domine, tu mihi lavas pedes ? » Tu Deus, ego homo, tu Dominus, ego servus ; tu Redemptor, ego peccator.

« Respondit Jesus, et dixit ei : Quod ego facio, « tu nescis modo, scies autem postea. » Hujus facti mysterium needum intelligis, sed postea intelliges.

« Quia si te non lavero, non habebis partem me« cum. Dixit Petrus : Non lavabis mihi pedes in « æternum. » Æternum, pro nunquam posuit : sed territus responsione Domini, dixit :

« Domine, non tantum pedes, sed et manus et « caput. » Quandoquidem sic minaris lavanda tibi mea membra, non solum ima non subtraho, verum etiam prima substerno. Ne mihi neges capiendam tecum partem, nullam tibi nego abluendam mei corporis partem.

« Respondit ei Jesus : Qui lotus est, non habet « opus nisi pedes lavare, sed est mundus totus. » Quomodo totus est mundus, et utique tamen pedes ei lavandi sunt, nisi quia mundus est in lavacro sancti baptismatis ? In baptismo namque donantur nobis omnia delicta. Sed sicut pes, qui terram calcat, non potest absque sordibus esse, sic nemo potest vivere sine peccatis, pro quibus quotidie oramus : « Dimitte nobis debita nostra (*Matth.* VI). » Iterum pulvere terrenæ habitationis homo sordidatus, necesse habet iterum lavari per gratiam divinæ pietatis, licet prius eadem gratia esset totus mundatus, apostolo Joanne attestante : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I). » Quotidie igitur pedes lavat nobis, qui interpellat pro nobis : et quotidie nos habere opus, ut pedes lavemus, in ipsa oratione Dominica confitemur, cum dicimus : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » « Et vos mundi estis, sed « non omnes. » Quod Evangelista sequentibus verbis exponit, ideo transeamus ad cætera.

« Postquam ergo lavit pedes eorum. » Id est, impleta redemptionis nostræ purgatione, per sanguinis sui effusionem, accepit vestimenta sua, tertio die de sepulcro resurgens, et eodem corpore quo moriebatur in cruce, immortalis factus et vestitus. « Et cum recubuisset, » hoc est, iterum ascendit in cœlum, in dexteram Dei sedens, et in majestate paternæ divinitatis recumbens, unde iterum venturus est judicare vivos et mortuos. Sequitur enim : « Dixit eis : Scitis quid fecerim vobis ? » Hoc ait, quod ante promiserat, dum Petro apostolo respondit : « Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. » Nunc est illud ante promissum.

« Vos vocatis me Magister et Domine, et bene « dicitis. » Utique ; quia verum dicitis. « Sum ete« nim. » Non arrogantiæ typo, sed veritatis obsequio dixit.

« Si ergo ego lavi vestros pedes Dominus et Ma« gister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. » Si ego Deus et Dominus dimisi vobis peccata vestra, et vos debetis alter alterius peccata dimittere. Et hoc est quod Apostolus ait : « Donantes vobis metipsis si quis adversus aliquem habet querelam, sicut Dominus donavit vobis, ita et vos invicem (*Col.* III). » Itaque nobis delicta donemus, et pro nostris delictis invicem oremus atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavemus. Licet hoc corporaliter charitatis officio et humilitatis exemplo aliquibus utiliter facere placeat, tamen spiritaliter in corde omnibus;

agendum est, ut debita nostra invicem dimittamus nobis, sicut a Deo nobis debita nostra dimitti deprecamur. Sequitur :

« Amen, amen dico vobis, non est servus major « domino suo, neque apostolus major eo qui misit « illum. Si hæc scitis beati eritis, si feceritis ea. » Hoc ideo dixit, quia laverat pedes discipulorum magister humilitatis, ut verbo et exemplo eos instrueret in charitatis officio.

« Non de omnibus vobis, » id est, non omnes vos beatos dico. « Ego scio quos elegerim, » ad hanc beatitudinem, ut meorum sequaces præceptorum. « Sed ut impleatur Scriptura : Qui manducat panem « mecum levabit contra me calcaneum suum. » Id est, calcabit me. Manducat panem non ad salutem sibi, sed ad pœnam : quia manducavit, ut lateret proditor, non ut proficeret amator. Quid est quod alio loco dixit : « Nonne vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est (*Joan.* VI) ? » et hic dicit : « Ego scio quos elegerim ? » Electus est enim ille Judas, non ad beatitudinem, sed ad perditionis perfidiam : ob salutem mundi, non suam, quia dictum est de eo : « Melius esset homini illi si non fuisset natus. » Isti vero, de quibus modo dixit : « Ego scio quos elegerim, » ad beatitudinem æternæ gloriæ electi sunt.

« Amodo dico vobis, inquit, priusquam fiat, ut « credatis, cum factum fuerit, quia ego sum. » Id est, ego sum de quo illa Scriptura præcessit, ubi dictum est : « Qui manducat mecum panem, levabit super me calcaneum (*Psal.* XL). »

« Qui accipit si quem misero, me accipit. Qui « autem me accipit, accipit eum qui me misit. » Cum hæc dicebat, non unitatem naturæ divisit, sed mittentis auctoritatem ostendit. Sic utique unusquisque eum qui est missus accipiat, ut in illo, eum qui misit accipiat vel attendat. Si ergo attendas Christum in Patre, invenies discipuli præceptorem : si autem attendas Patrem in Filio, invenies unigeniti genitorem : ac sic in eo, qui missus est, sine ullo accipit errore mittentem.

« Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et « protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis, « quia unus ex vobis tradet me. » Turbavit eum imminens passio, et periculum proximum, et traditoris impendens manus, cujus fuerat præcognitus animus. Turbatus est itaque spiritu, tanto scelere traditoris. Turbata est in eo nostra infirmitas, non sua potestas. Sicut pro nobis passus est, ita pro nobis turbatus est. Qui ergo protestante mortuus est, potestante turbatus est, ne nostra perturbatio in desperationem cadat, sed in miseratione proximorum una pœnitentia peccatorum vel nostrorum avertatur : quia illius perturbatio nostra est consolatio. « Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. » Unus numero, non merito ; specie, non virtute ; commistione corporali, non vinculo spiritali ; carnis adjunctione, non cordis socius unitate. Quid est ex vobis, nisi ex vobis iturus est qui tradet me ?

« Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsi« tantes de quo diceret. » Sic quippe in eis erat erga magistrum suum pia charitas, ut tamen eos humana alterum de altero stimularet infirmitas. Nota fuit unicuique sua conscientia, sed alterius incognita.

« Erat autem recumbens unus ex discipulis ejus « in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. » Quod dixerat in sinu, paulo post dicit super pectus Jesu : ipse est Joannes, cujus est hoc Evangelium, sicut postea manifestatur. Erat enim hæc eorum consuetudo qui sacras nobis litteras ministrarunt, ut quando ab aliquo eorum divina narrabatur historia, cum ad seipsum veniret, tanquam de alio loqueretur : et sic se insereret ordinationi narrationis suæ, tanquam rerum gestarum scriptor, non tanquam ipsius sui prædicator. Hoc fecit et beatus Moyses, ita de seipso, tanquam de alio cuncta narravit. Diligebat non præ omnibus unum, sed quiddam in eo dilexit, quod in aliis non dilexit, id est, ut pace transiret ex hac vita, non per passionem finiret hanc vitam. In sinu Jesu, id est in secreto, de quo illud mirabile, et in omnibus sæculis inauditum eructavit sacramentum : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). »

« Innuit autem huic Simon Petrus, et dixit ei. » Innuendo dicit non loquendo : significando, non sonando. Quid dicit innuendo ? Quod sequitur : « Quis « est de quo dicit ? » Hæc verba Petrus innuit, non sono vocis, sed motu corporis dixit.

« Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu. » Hic est utique pectoris sinus sapientiæ secretum.

« Dicit ei : Domine, quis est ? Respondit ei Je« sus : Cui ego intinctum panem porrexero. Et cum « intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariothis. « Et post panem, tunc introivit in illum Satanas. » Expressus est traditor, nudatæ sunt latebræ tenebrarum. Bonum est quod accepit, sed malo suo accepit : quia male bonum malus accepit. Hic enim docetur quam diligenter nobis cavendum sit male accipere bonum. Multum quippe interest, non quid accipiat, sed quis accipiat : nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur. Intravit ergo post hunc panem Satanas in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat, ut deciperet. Auxit enim peccatum traditionis præsumptio sacramenti : cum homini ingrato intrasset panis in ventrem, hostis in mentem. Fortassis ergo panis intincti illius significans fictionem, qui fictus ad cœnam venit amicus, et falsus ad magistrum vadit discipulus.

« Quod facis, fac citius. » Non præcepit facinus, sed prædixit Judæ malum, nobis bonum. Quid enim Judæ pejus, et quid nobis melius, quam traditus est Christo ab illo utilis ? Hoc est, plus paratus ad passionem, quam iratus ad vindictam, non tam ad perniciem perfidi sæviendo dixit, quam ad salutem fidelium fe-

stinando. « Quod facis, fac citius. » Non quia in tua potestate est quem tradas, sed quia hoc vult qui omnia potest. A

« Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid « dixerit ei, Quidam enim putabant quia loculos ha- « bebat Judas, quia dixit ei Jesus: Eme ea quæ « opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid « daret. » Habebat ergo Dominus loculos, etiam fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ut intelligeremus quod præcepit non cogitandum esse de crastino, nec ad hoc fuisse præceptum, ne quid pecuniæ servetur a sanctis, sed ne Deo pro ista serviatur.

« Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit con- « tinuo. Erat autem nox. » Erat enim nox, quia exivit filius tenebrarum. Exivit ergo ad suæ perditionis ministerium et ad nostræ salutis dispensationem: non nostræ salutis consideratione, sed suæ negotiationis intentione. Hinc impletur quod Psalmista ait (*Psal.* XII): « Dies dici eructat verbum, » id est Christus discipulis promebat verbum salutis; « et nox nocti indicat scientiam, » id est Jndas Judæis proditoris malitiam ostendit. Nunc majori intentione verba Domini consideranda sunt, quæ ipsa nocte ante traditionis horam discipulis singulariter loquebatur, profundissima sunt in mysteriis. Ideo ubi multum aboraturus est disputator, non remissus debet esse auditor. Altius consideranda sunt Altissimi dicta, qui occultat ut quæramus, et manifestat ut inveniamus. Ipse est qui claudit et aperit: claudit ut quæramus; aperit ut inveniamus: ut inquisitor C fructum accipiat sudoris sui, et largitor laudem et gratiam bonitatis suæ habeat.

« Et dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius ho- « minis, et Deus clarificatus est in in eo. » Hic aliquid magnum significat in hac clarificatione. Exivit Judas, et clarificatus est Jesus: exivit filius perditionis, et clarificatus est Filius hominis. Exeunte itaque in mundo omnes mundi remanserunt, et cum suo mundatore remanserunt. Tale aliquid erit, cum victus a Christo transeat hic mundus cum, zizaniis a tritico separatis, justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. De hac clarificatione futura sanctorum locuturus, verbo præteriti temporis usus est. Quod enim futurum in sanctis est, hoc in prædestinatione Dei factum esse dicitur: « Nunc clarificatus D est Filius hominis; » tanquam diceret: Ecce in illa mea clarificatione quid erit, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit. Sic autem non est dictum, nunc significatus est Filius hominis significatione, quemadmodum non est dictum: petra significabat Christum, sed petra erat Christus. Cum autem dixisset: « Nunc clarificatus est Filius hominis, » adjunxit: « Et Deus clarificatus est in eo. » Est enim clarificatio Filii hominis, ut Deus clarificetur in eo. Non enim ipse in scipso, sed Deus in illo clarificatur, tunc et illum Deus in se clarificat. Denique tanquam ista exponens adjungit. et dicit:

« Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarifica- « vit eum in semetipso. » Hoc est: si Deus clarificatus est in eo, qui non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum, et Deus clarificavit eum in semetipso; ut natura humana, in qua est Filius hominis, quæ a Verbo æterno suscepta est, etiam immortali æternitate donetur: « Et continuo, inquit, clarificabit eum, » resurrectione scilicet sua, non sicut nostra in fine sæculi, sed continuo futura.

HOMILIA LXVIII.

FERIA SEXTA PARASCEVES.

Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem.

(JOAN. XVIII, XIX.) « In illo tempore: egressus Jesus B « cum discipulis suis trans torrentem Cedron, » et reliqua. Κεδρῶν genitivus pluralis est in Græco, quod potest Latine Cedrorum dici. Tunc appropinquavit tempus de quo Psalmista legitur: « De torrente in via bibet, » id est, in via hujus vitæ de torrente passionis bibit, « propterea exaltabit caput (*Psal.* CIX), » quod Apostolus ita exposuit: « Christus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis propter quod et Deus exaltavit illum (*Philip.* II). » « Ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli « ejus. » Bene in horto miseriæ nostræ comprehensus est, ut nos in hortum beatitudinis suæ induceret. Igitur in horto deliciarum, id est in paradiso primus pater humani generis peccavit, et inde ejectus est in hanc vallem lacrymarum. Ideo Christus, secundus Adam, se in horto comprehendi voluit, ut peccatum quod in horto paradisi, qui hortus deliciarum interpretatur, primus homo commisit, deleretur.

« Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, lo- « cum; quia frequenter Jesus convenerat illuc cum « discipulis suis. » Hoc quod narrat ingressum Dominum cum discipulis suis in hortum, non continuo factum est, cum ejus illa finita esset oratio, de cujus verbis ait: « Hæc cum dixisset Jesus; » sed alia quædam sunt interposita, quæ ab isto prætermissa apud alios evangelistas leguntur, sicut hic inveniuntur multa quæ illi similiter in sua narratione tacuerunt. Ad hoc vero valet quod dictum est « Hæc cum dixisset Jesus, » ut non eum ante opinemur venire in hortum, quam illa verba finiret et illam orationem, quæ leguntur. « Et Judas, qui tradebat eum, sciebat locum. » Ordo verborum est: Sciebat locum, qui tradebat eum, quod frequenter Jesus, inquit, convenerat illuc cum discipulis suis. Ibi ergo lupus ovina pelle contectus, et inter oves alto patrisfamilias consilio toleratus, didicit ut ad tempus exiguum dispergeret gregem, insidiis appetendo pastorem.

« Judas ergo, inquit, cum accepisset cohortem, et « a pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis. » Cohors non Judæorum, sed militum fuit. A præside itaque intelligatur accepta tanquam ad tenendum reum, servato ordine legitimæ potestatis, ut nullus tenentibus auderet ob-

sistere. Ideo tanta manus inimicorum congregata A est, ut nullus apprehendentibus, vel contradicere, vel defendere Jesum auderet. Ita quippe ejus abscondebatur potestas, et obtendebatur infirmitas, ut hæc inimicis necessaria viderentur adversus eum. Bene utens bonus malis, et faciens bona de malis,

« Jesus autem, » sicut evangelista secutus adjunxit, « sciens omnia quæ ventura erant super eum. » Sciebat et voluit ut comprehenderetur, quia ad hoc venit in mundum, ut hoc fieret quod voluit; « processit et dixit : Quem quæritis? » Processit paratus ad passionem, et interrogans quem quærerent, non quasi ignarus eorum voluntatis, sed ut scirent ipsum esse quem quærerent.

« Responderunt: Jesum Nazarenum. » Jesus Nazarenus dicebatur, quia in Nazereth nutritus est, ut B impleretur prophetia: « Quoniam Nazareus vocabitur. » « Dicit eis: Ego sum. » Non abscondit se, sed ostendit, quia voluntate sua posuit animam suam pro mundo.

« Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum « ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt re- « trorsum, et ceciderunt in terram. » Ubi tunc militum cohors, et ministri principum ac Phærisæorum? ubi terror et munimen armorum? Nempe una vox dicentis: « Ego sum, » tantam turbam odii ferocem, armisque terribilem, sive ullo telo percussit, repulit, et stravit. Deus enim latebat in carne, et sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis et facibus quæreretur occidendus a tenebris. « Ego sum, » dicit, et impios dejecit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? quid regnaturus C poterit, qui moriturus hoc potuit? Et nunc ubique per Evangelium : « Ego sum, » dicit Christus, et a Judæis exspectatur Antichristus, ut retro redeant, et in terram cadant. Quare qui venerunt ad comprehendendum non tenuerunt, a quo audierunt : « Ego sum? » Illi quærebant eum comprehendere et occidere, illi quærebat eos redimere et vivificare, propter quod venit ad nos. Ostendit quærentibus potestatem, quia habuit in potestate animam suam ponere, quando posuit, hora passionis ostendit, ut nostræ redemptionis impleretur mysterium.

« Iterum ergo eos interrogavit : Quem quæritis? » Si quæritis, quare non apprehenditis, nisi quia non est in vestra potestate apprehendendi hora, sed in ejus qui venit ut apprehendatur?

« Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum. Respon- D « dit Jesus : Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me « quæritis, sinite hos abire. » Inimicos videte, et hoc faciunt quod jubet : sinite hos abire quos non vult perire. Nunquid autem non erant postea morituri? Cur ergo si tunc morerentur, perderet eos, nisi quia nondum in eum sic credebant, quomodo credunt quicunque non pereunt?

« Simon ergo Petrus, habens gladium, eduxit eum, « et percussit pontificis servum, et abscidit ejus au- « riculam dexteram. Erat autem nomen servo Mal- « chus. » Solus hic evangelista etiam nomen servi hujus expressit, sicut Lucas solus, quod ejus auriculam Dominus tetigerit, et sanavarit eum. Malchus autem interpretatur *regnaturus*. Quid ergo auris pro Domino amputata et a Domino sanata significat, nisi auditum amputata vetustate renovatum, ut sit in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ? Quod cui præstitum a Christo fuerit, quis dubitet regnaturum tunc esse cum Christo? Servus dictus est propter servitutem legalem; sanatus autem dicitur, propter evangelicam libertatem. Factum tamen Petri Dominus improbavit, et progredi ultra prohibuit, dicens :

« Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem « dedit mihi Pater, non bibam illum. » Non bibam illum, interrogative, vel increpative legendum est, quasi dixisset: Nonne bibam illum calicem quem Pater mihi bibere præcepit? Quare resistere voluntati vis omnipotentis Patris, imo et salutis tuæ calici? In suo quippe facto illo discipulus magistrum defendere voluit, nescius adhuc dispensationem paternæ voluntatis, quod ex hoc fieri venturum voluisset. Quod autem a Patre sibi dicit datum calicem passionis, profecto illud est, quod ait Apostolus: « Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui Filio proprio non perpecit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII). » Verum auctor hujus calicis est, etiam ipse qui bibit, unde idem Apostolus ait: « Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis (*Isa.* V). »

« Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judæorum « comprehenderunt Jesum et ligaverunt eum. » Comprehenderunt ad quem accesserunt, quoniam dies ille, illi vero tenebræ permanserunt, nec audierunt: « Accedite ad eum, et illuminamini (*Psal.* XXXIII.) » Tunc autem, quando illo modo eum comprehenderunt, tunc ab eo longius discesserunt. « Et ligaverunt eum, » a quo solvi potius velle debuerunt. Postquam persecutores, tradente Juda, comprehensum Dominum ligaverunt, qui nos dilexit et tradidit semetipsum pro nobis, et cui Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum :

« Adduxerunt ad Annam primum. » Nec enim Joannes istam tacet causam quare hoc fecissent, dicens :

« Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni « illius. Erat autem Caiphas qui consilium dedit Ju- « dæis, quia expedit unum hominem mori pro po- « pulo. » Ductus est ad Annam primum, et postea ad Caipham, ut cognatio sanguinis sceleris eos faceret consortes. Moyse jubente, præceptum erat ut pontifices patribus succederent, ut generationis in sacerdotibus series conservaretur. Refert Josephus istum Caipham unius tantum anni ab Herode pretio redemisse sacerdotium. Non est ergo mirum si iniquus pontifex iniquum judicaret. Sæpe qui per avaritiam ad sacerdotium accedit, per injustitiam versatur in eo, ut sceleratum initium funesto fine consummetur.

« Sequebatur autem, inquit, Jesum Simon Petrus, A « et alius discipulus. » Quisnam sit iste discipulus, non temere affirmandum est, quia tacetur. Solet autem idem Joannes ita se significare, et addere, « quem diligebat Jesus (*Joan.* XIII). » Fortassis ergo et hic ipse est qui juxta crucem Jesu stabat, cui ille matris commendavit custodiam. Dicit et Matthæus de Petro : « Petrus sequebatur eum a longe (*Matth.* XXVI) » Sequebatur Dominum a longe, qui erat eum negaturus, ut videret finem. Vel amore magistri, vel humana curiositate, scire cupiens quid pontifex judicaret de Jesu, utrum eum neci addiceret, an flagelis cæsum dimitteret.

« Discipulus autem, inquit, ille erat notus ponti-« fici, et intravit cum Jesu in atrium pontificis. Pe-« trus autem stabat ad ostium foras. » Foras autem B stabat, qui negaturus erat Dominum, nec erat in Christo, qui Christum confiteri non fuit ausus.

« Exivit ergo discipulus alius qui erat notus pon-« tifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum. Dixit « ergo Petro ancilla ostiaria : Nunquid et tu ex disci-« pulis es hominis istius? Dixit ille : Non sum. » Hic agnoscitur quam verum sit, quod Veritas paulo ante ait : « Quia sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV). » Ecce columna fortissima ad unius auræ impulsum tota contremuit. Ubi illa promittentis audacia, et de se plurimum præsumentis ? ubi sunt verba illa, quando ait : « Quare non possum sequi te modo ? animam meam pro te ponam (*Joan.* XII)? » Hoc non est sequi magistrum, se negare discipulum esse. Sic ne pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur ? Sane hoc loco considerandum C est quam periculosum sit Christiano Christianum se esse negare. Non enim Petrus in hoc loco dixit se Christum negare, sed discipulum Christi; tamen ipse Christus ante prædixerit : « Ter me negaturus es. » Qui enim discipulum se Christi negavit esse, Christum negavit ; similiter, qui se Christianum negat esse propter aliquem timorem, etiam Christum negat.

« Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia « frigus erat, et calefaciebant se. » Frigus erat infidelitatis in cordibus illorum intantum etiam ut ille princeps apostolorum in eo frigore torpescat, quia necdum calore sancti Spiritus inflammatus fuit ; in quo non solum ipse iterum post acceptum sancti Spiritus donum non timuit Christum coram imperatore et populo Romano confiteri, sed etiam pueri im- D berbes et puellæ, sancti Spiritus calore inflammati, Christum publice usque ad mortem confitebantur, et pro eo mori non metuebant, quem claviger cœli confiteri ad unius ancillæ vocem formidavit.

« Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis « suis et de doctrina ejus. » Non cognoscendæ veritatis amore interrogavit, sed ut causam inveniret qua etiam accusari posset, et tradi Romano præsidi ad damnandum.

« Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum « mundo, ego semper docui in synagoga et in tem-« plo, quo omnes Judæi convenerant, et in occulto « locutus sum nihil. » Quid est quod palam se dicet loqui, in occulto nihil loqui, dum alias apostolis dixit, cum per parabolas turbis loqueretur : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis (*Marc.* IV)? » Intelligendum est ita eum dixisse: « Palam locutus sum mundo, » ac si dixisset: Multi me palam audierunt loquentem, et rursum non erant palam, ipsum etenim palam, quodammodo erat palam, et quodam modo non erat palam. Palam quippe erat quia multi audiebant, et rursus non erat palam quia non intelligebant. Et quod seorsum discipulis loquebatur, non in occulto utique loquebatur. Quis namque in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur, cum scriptum sit : « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum (*Deut.* XVII) ; » præsertim si hoc loquitur paucis quod per eos vellet innotescere multis, ergo et hoc ipsum, quod ab eo dictum videbatur occulte, quodammodo non dicebatur in occulto. Quia non ita dicebatur ut ab his quibus dictum fuerat taceretur, sed ita potius ut usquequaque prædicatur.

« Quid me interrogas ? Interroga eos qui audie-« runt quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quæ « dixerim ego. » Quasi dixisset : Quid me interrogas, a quo veritatem audire non desideras, sed quem damnare cupis ? Interroga magis eos, de quorum dictis non habeas invidiam. Ita temperavit Dominus suam responsionem, ut nec veritatem tacere, nec se defendere videretur.

« Hæc autem cum dixisset, unus assistens mini-« strorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respon-« des pontifici ? » Hic impletur quod prophetatum est de eo : « Dedi maxillas meas percutientibus (*Isa.* L). » Percussit eum quasi reum responsionis, sed ille injuste percussus mansuete respondit :

« Si male locutus sum, testimonium perhibe de « malo. » Omnis itaque qui contra veritatem loquitur, male loquitur : si ego autem veritatem non dixi, da testimonium contra me in quo mendacium dixissem. « Si autem bene, » id est vere, « quid me cædis ? » Quid in ista responsione verius, mansuetius, justius ? Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari? Quid enim horum per potentiam non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset, a quo vincitur mundus ? Forte aliquis hic dicit quare alteram maxillam percuti non daret? Secundum præceptum suum, itaque non solum alteram dedit maxillam percutienti, sed etiam totum corpus suum ad crucifigendum tradidit. Et magis vult præcepta sua Dominus in cordis tranquillitate servare, quam in corporis ostentatione demonstrare.

« Et misit eum Annas ligatum ad Caipham ponti-« ficem. » Hi duo Annas et Caiphas principes fuerunt sacerdotum, et per vices annuas sacerdotium administrabant : et erat tunc annus Caiphæ, cum passus est Christus. Et credendum est secundum

voluntatem Caiphæ factum esse, ut prius duceretur A ad Annam, ut minoris culpæ videretur, si alterius quoque consacerdotis sui damnaretur sententia. Sed cum dixisset evangelista quod eum ligatum miserit Annas ad Caipham, reversus est ad locum narrationis, ubi reliquerat Petrum, ut explicaret quod in domo Annæ de trina ejus negatione contigerat.

« Erat autem, inquit, Simon Petrus stans, et « calefaciens se. » Hoc recapitulat quod ante jam dixerat; deinde quæ secuta sunt jungit : « Dixerunt « ergo ei : Nunquid et tu ex discipulis ejus es ? Ne« gavit ille, et dixit : Non sum. » Jam semel negaverat ad ancillæ vocem, ecce iterum eodem timore perterritus dixit, vel negavit. Deinde ut tertia quoque negatio perficeretur, et in eo verbum Dei prædicentis impleretur. B

« Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, « cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te « vidi in horto cum illo ? Iterum ergo, sicut antea, « negavit Petrus, et statim gallus cantavit. » Ecce medici est completa prædictio, ægroti convicta præsumptio. Non enim factum est quod iste dixerat : « Animam meam pro te ponam, » sed factum est quod ille prædixerat : « Ter me negabis. » Sed hæc trina negatio timoris, trina confessione amoris diluitur, Necdum fuit amor qui foras mitteret timorem ; sed adhuc timor servilis valuit in corde ejus : sed necdum respexit eum, qui hæc prædixit ei ; sed hoc magna Dei dispensatione gestum esse credere debemus, quatenus ille, cui oves suas ad Patrem rediens Christus commendaturus erat, per suam disceret fragilitatem alii misereri, et fratrum culpas igno- C scere, dum suum recordaretur peccatum : et aliorum compati possit fragilitati, qui sui casus ignarus non esset. Peracta itaque trina hac negatione Petri, reversus est evangelista ad ordinem narrationis suæ, ubi eam reliquerat :

« Adducunt ergo Jesum ad Caipham in prætorium. » Ad Caipham quippe ab Anna collega et socero ejus dixerat missum. Sed si ad Caipham, cur in prætorium ? quod nihil aliud vult intelligi, quam ubi præses Pilatus habitabat, aut damnationis Christi causa Caiphas perrexit in prætorium ad Pilatum, aut Pilatus in domo Caiphæ prætorium habebat. Et tanta fuit amplitudo, ut utrosque capere potuisset, et seorsum habitantem dominum suum, et seorsum judicem ferret. Ecce quanta est sollicitudo D sacerdotum in malo, tota nocte vigilaverunt ut homicidium facerent. « Erat autem mane. » Et ipsi, id est qui ducebant Jesum, « non introierunt in « prætorium, » hoc est in eam partem domus quam Pilatus tenebat. Si ipsa domus erat Caiphæ, cur autem non introierunt in prætorium ? Exponens causam : « Ut non contaminarentur, inquit, sed ut man« ducarent Pascha. » Dies enim agi cœperat Azymorum, quibus diebus contaminatio illis erat in alienum habitaculum intrare. O impia et stulta cæcitas, habitaculo videlicet alieno se violari putaverunt, et non proprio scelere inquinari se videbant ! Alienigenæ judicis domo contaminari timebant, et fratris innocentis sanguine non timebant. Sciendum est quid sit inter Pascha et dies Azymorum. Pascha dicebatur proprie dies illa in qua agnus ad vesperam quartadecima luna occidebatur ; septem dies sequentes, dies Azymorum dicebantur. Dies Azymorum fuerunt in quibus nihil fermentatum in domibus illorum debuit inveniri : sed tamen dies paschalis invenitur inter dies Azymorum nominari, ut in alio Evangelio legitur : « Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ? » (*Matth.* XXVI.) Sequitur :

« Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam « accusationem affertis adversus hunc hominem ? « Responderunt et dixerunt ei : Si non esset hic « malefactor, non tibi tradidissemus eum. » Hunc enim morem habebant Judæi, ut quem morte dignum dijudicarent, vinctum eum præsidi traderent. Interrogentur, atque respondeant ab immundis spiritibus liberati, languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, utrum sit malefactor Jesus. Sed ista dicebant, de quibus per Prophetam ipse prædixerat : « Retribuebant mihi mala pro bonis (*Psal.* XXXIV). »

« Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et se« cundum legem vestram judicate eum. » Justior fuit illis judex gentilis. Quasi diceret : Legem habetis, et secundum legem vestram judicate eum : vos melius nostis quid de talibus vestra lex judicet : secundum quod justum sciatis, judicate. « Dixerunt « ergo Judæi : Nobis non licet interficere quem« quam. » Quid est quod loquitur insana crudelitas? an non interficiebant quem interficiendum offerebant ? An non forte interficiebant, dum clamabant : Crucifige, crucifige ! » Quid est quod dixerunt : « Nobis non licet interficere quemquam, » dum lex mandat homicidas, adulteros, et talium reos scelerum occidere vel lapidare, nisi forte hoc ideo dixissent propter sanctitatem diei festi, ut non liceret eis secundum legem in die festo occidere hominem, ob cujus diei festi venerationem etiam prætorium judicis intrare noluerunt ? Quomodo, o Judæi, o falsi Israelitæ, non occidistis eum quem apprehendistis, quem duxistis, quem præsidi tradidistis, quem crucifigi poposcitis ? Audite quod contra vos est, et jam propheta clamabat : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta (*Psal.* LVI). » Ecce quibus armis, quibus sagittis, qua machæra justum interfecistis. Deinde sequitur evangelista :

« Ut sermo Jesu impleretur quem dixit, signifi« cans qua esset morte moriturus. » Itaque intelligendum est Dominum hoc significare non aliam mortem crucis, sed illam mortem qua Judæi eum gentibus tradebant ad occidendum, minore tamen scelere quam Judæi, qui se isto modo ab ejus interfectione velut alienos facere voluerunt, non ut

eorum innocentia, sed ut dementia monstraretur. Sequitur.

« Introivit iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : Tu es rex Judæorum ? » In his verbis ostendit Pilatus hoc Judæos objecisse ei criminis, ut diceret se regem esse Judæorum.

« Respondit Jesus : A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me ? » Sciebat utique Dominus et quod ipse interrogabat, et quod ille responsurus fuit : sed tamen dici voluit, non propter se, qui omnia sciebat, sed propter nos, ut scriberetur quod nos cire voluit.

« Respondit Pilatus : Nunquid ego Judæus sum? « gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi : « quid fecisti ? » Abstulit a se suspicionem, qua posset putari a semetipso dixisse quod Jesum regem dixerat esse Judæorum, id se a Judæis accepisse demonstrans, dicendo : « Qui fecisti? « Satis ostendit illud ei pro crimine objectum, tanquam diceret : Si regem te negas, quid fecisti ut traderis mihi? Quasi mirum non esset, si puniendus judici traderetur, qui se diceret regem esse. Si autem hoc non diceret, quærendum ab illo esset quid aliud forte fecisset, unde tradi judici dignus esset.

« Respondit Jesus : Regnum meum non est de « hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum « ministri mei utique decertarent ut non traderer « Judæis. Nunc autem regnum meum non est « hinc. » Hoc est quod bonus magister scire nos voluit. Sed prius nobis demonstranda fuerat vana hominum de regno ejus opinio, sive gentium. sive Judæorum, a quibus id Pilatus audierat : quasi fuisset propterea morte plectendus, quod illicitum affectaverit, regnum, vel quoniam solent regnaturis invidere regnantes. Poterat autem dominus, quod ait : « Regnum meum non est de hoc mundo, » ad primam interrogationem præsidis respondere, ubi dixit : « Tu es rex Judæorum? » sed eum vicissim interrogans, utrum hoc a semetipso diceret, an audisset ab aliis, illo respondente, ostendere voluit hoc sibi apud illum fuisse a Judæis velut crimen objectum, patefaciens nobis cogitationes hominum, quas ipse noverat quoniam vanæ sunt. Quod vero ait : « Regnum meum non est de hoc mundo, » id est in hoc mundo, audite, omnes reges terræ : Non venit Christum regnum tollere, sed dare : non minuere, sed augere. Regem se, non contra dixit, sed carnaliter in hoc mundo se regnare non dixit. Quid est enim regnum, nisi credentes in eum? Quod tradet regnum Deo Patri in fine sæculi, id est adducet ad Deum Patrem, ut sine fine regnet cum illo. Sed ut hoc probaret, ut regnum ejus de hoc mundo non esset, adjecit : « Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis. » Non ait : Nunc autem regnum meum non est hic, sed non est hinc. Hic est enim regnum ejus usque in finem sæculi, sed in sanctis suis, de quibus dixit in alio Evangelio : « Regnum Dei intra vos est (*Luc*, XVII). Nam regnum Dei sancta Ecclesia est : unde et ad sanctam Mariam angelus ait : « Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*Luc.* I) : » spiritale regnum, quo in cœlis regnat, demonstrare volens, non carnale, quod sæpe impii habent in hoc mundo. De regno quippe suo dicit paulo ante : « De mundo non estis, sed ego vos de mundo elegi (*Joan.* XV.) »

« Dixit itaque ei Pilatus : « Ergo rex et tu? Re« spondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego. » Non quia se regem timuit confiteri, sed : « Tu dicis » ait, ut et verum diceret, et sermo ejus calumniæ non pateret. Dictum est : « Tu dicis, » ac si diceret : Carnalis carnaliter dicis. Deinde subjungit : « Ego in hoc natus « sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium « perhibeam veritati. » Non est producenda hujus pronominis syllaba, quod ait : In hoc natus sum, tanquam dixerit : In hac re natus sum, sed corripienda, tanquam dixerit : Ad hoc natus sum, vel ob hoc natus sum, sicut ait : Ad hoc veni in mundum. » In Græco namque Evangelio nihil post hujus locutionis ambiguum. Unde manifestum est eum temporalem nativitatem suam hic commemorasse, qua incarnatus venit in mundum : non illam sine initio, qua Deus erat, per quam Pater condidit mundum : utique nascendo de Virgine, ut testimonium perhibeat veritati. Sed quia non omnium est fides, adjunxit atque ait : « Omnis qui est ex veritate, audit meam « vocem. » Audit utique interioribus auribus, id est, obedit meæ voci, quod tantumdem valeret, quasi diceret : Credit mihi. Cum itaque Christus testimonium perhibet veritati, profecto testimonium perhibet sibi : ejus quippe vox est : « Ego sum veritas (*Joan.* XIV). » Hic commendat gratiam, per quam vocati sumus Ait itaque : « Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. » Non ideo est ex veritate, quia ejus audit vocem, sed ideo audit quia ex veritate est, id est, quia hoc illi donum ex veritate collatum est. Quod quid est aliud quam, donante Christo, credere in Christum ? Sequitur :

« Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? Nec exspectavit audire quid responderet ei Jesus, quia forte dignus non fuit audire, sed :

« Cum hæc dixisset, iterum exiit ad Judæos, et dixit « eis : Ego nullam invenio in eo causam. Est con« suetudo vestra ut unum dimittam vobis in Pascha « vultis dimittam vobis regem Judæorum ? » Credo, cum dixisset Pilatus : Quid est veritas, in mentem illi venisse continuo consuetudinem Judæorum, qua solebat eis dimittere unum in Pascha : et ideo non exspectavit ut audiret ab Jesu quid esset veritas, ne mora fieret, cum recoluisset morem quo possit eis per Pascha dimitti. Hæc vero consuetudo dimitendi fortassis propter Pascha apud Judæos remansit, et memoriam liberationis illorum ex Ægypto ; quia in Pascha liberati sunt a servitute. Sed omnes audientes clamaverunt rursum, omnes dicentes :

« Non hunc, sed Barabbam. Erat Barabbas latro. » Barrabas iste *filius magistri eorum*, interpretatur, id est diaboli, qui magister fuit vel huic latroni in

celere suo, vel Judæis in impietate perfidiæ suæ. Non reprehendimus, o Judæi, quod per Pascha liberatis nocentem, sed quod occidistis innocentem. Quod tamen nisi fieret, verum Pascha non fieret. Sed umbra veritatis a Judæis errantibus tenebatur, et mirabili dispensatione divinæ sapientiæ per homines fallaces ejusdem umbræ veritas implebatur. Quod ut verum Pascha fieret, Christus velut ovis immolabatur.

« Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. » Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judæi satiati sufficere sibi existimarent, et usque ad ejus mortem sævire desisterent. Ad hoc pertinet, quod idem præses cohortem suam permisit facere, quæ sequuntur :

« Et milites, plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus ; et veste purpurea circumdederunt eum, et veniebant ad eum, et dicebant : « Ave, rex Judæorum : et dabant ei alapas. » Sic implebantur quæ prædixerat de se Christus : sic martyres ad omnia informabantur, quæ persecutoribus libuisset facere, perferenda : sic paululum occultabatur tremenda potentia, quæ commendabatur prius imitanda patientia : sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate superavit. Sic illud granum multiplicandum seminabatur pœna horribili, ut postea pullularet in gloria.

« Exiit iterum Pilatus foras, dixit eis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio. Exiit ergo Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum « et dicit eis : Ecce homo. Hinc apparet non ignorante Pilato hæc a militibus facta, sive permiserit, illa scilicet causa quam supra diximus, ut hæc ejus ludibria inimici libentissime viderent, et ulterius sanguinem non sitirent. Egrediebatur ad eos Jesus, portans spineam coronam et purpureum vestimentum : non clarus imperio, sed plenus opprobrio. « Et dicit eis : Ecce homo. » Si regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis. Flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus est : fervet ignominia, frigescat invidia : sed non frigescit, inardescit potius et increscit.

« Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, « clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. « Dixit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite. « Ego enim non invenio in eo causam. Responderunt Judæi : Nos legem habemus, et secundum « legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. » Ecce altera major invidia : parva illa quippe videbatur, velut affectaret regnum illicito ausu regiæ potestatis, et tamen neutrum sibi Jesus mendaciter usurpavit, sed utrumque verum est : et unigenitus Dei Filius est, et rex a Deo constitutus super Sion montem sanctum ejus : et utrumque nunc demonstraret, nisi quanto erat potentior, tanto mallet esset patientior.

« Cum ergo audisset Pilatus hoc verbum, magis « timuit. Et ingressus est prætorium iterum, et « dixit ad Jesum : Unde es tu ? Jesus autem responsum non dedit ei. » Hoc silentium Domini nostri Jesu Christi non semel factum, collatis omnium evangelistarum narrationibus reperitur, et apud principes sacerdotum, et apud Herodem, et apud Pilatum : tamen propter illos, quibus respondere noluit, ad hoc data est de agno similitudo, ut in suo silentio non reus, sed innocens haberetur.

« Respondit Jesus : Non haberes adversum me « ullam potestatem, nisi tibi datum esset desuper. « Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum « habet. » Ecce respondit, et tamen non ubique respondit, non sicut reus sive dolosus, sed sicut agnus, hoc est sicut simplex atque innocens non aperuit os suum. Proinde ubi non respondebat, sicut ovis silebat : ubi respondebat, sicut pastor docebat. Dicamus ergo quod dixit, quod et per Apostolos docuit : quia non « est potestas nisi a Deo (*Rom.* XIII). » Et quia plus peccat qui potestatis innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa, si eum cum timore alterius majoris potestatis occidit. Talem quippe Dominus Pilato dederat potestatem, ut esset etiam sub Cæsaris potestate, quapropter inquit : « Non haberes adversum me ullam potestatem, » id est, quantulamcunque habes, nisi hoc ipsum, quidquid est, tibi esset datum desuper. Sed quoniam scio quantum sit (non enim tantum est, ut tibi omnimodo liberum sit), « propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. » Ille quippe me tuæ potestati tradidit invidendo, tu vero eamdem potestatem in me exercitaturus es metuendo : nec timendo quidem, præsertim innocentem, homo hominem non debet occidere, sed tamen id zelando facere multo magis malum est quam timendo. Et ideo non ait verax magister : Qui me tradidit tibi ipse habet peccatum, tanquam ille non haberet : sed ait : « majus habet peccatum, « ut etiam se habere intelligeret. Nque enim propterea illud nullum est, quia hoc majus est.

« Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. » Quid est hoc quod dicitur « exinde, » quasi antes non quærebat? Lege superiora, et invenies jamdudum eum quærere dimittere Jesum. Exinde itaque intelligendum est propter hoc, id est ex causa, ne haberet peccatum occidendo innocentem sibi traditum, quam vis mitius peccans quam Judæi, qui illum ei tradiderant occidendum. Exinde ergo, id est ideo ne hoc peccatum faceret : non nunc primo, sed ab initio quærebat eum dimittere.

« Judæi autem clamabant, dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se « regem facit, contradicit Cæsari. » Majorem timorem se ingerere putaverunt Pilato, terrendo de Cæsare, ut occideret Christum, quam superius ubi dixerant : « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. » Eorum legem quippe ille non timuit ut occideret, sed magis Filium Dei timuit occidere. Nunc vero, non sic potuit contemnere

Cæsarem auctorem potestatis suæ, quemadmodum legem gentis alienæ. Ait adhuc :

« Pilatus autem cum audisset hos sermones, ad« duxit foras Jesum, et sedit pro tribunali, in loco « qui dicitur Lithostratos, Hebraice autem Gabatha. « Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta. » Qua hora sit Dominus crucifixus, propter evangelistæ alterius testimonium, qui dixit : « Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum (*Marc.* xv), » quoniam magna disceptatio solet oboriri, cum ad ipsum locum, ubi crucifixus narratur, ventum fuerit, ut potuerimus, si Dominus voluerit, disseremus. Cum pro tribunali sedisset Pilatus :

« Dixit Judæis : Ecce rex vester. Illi autem cla« mabant : Tolle, tolle, crucifige eum ! Dicit eis Pi« latus : Regem vestrum crucifigam ? » Adhuc terrorem, quem de Cæsare ingesserant, superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere, dicendo : « Regem vestrum crucifigam ? » Quos de ignominia Christi mitigare non potuit ; sed timore Pilatus mox vincitur : unde subditur :

« Responderunt pontifices : Non habemus regem « nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut « crucifigeretur. » Apertissime quippe contra Cæsarem venire videretur, si regem se nisi Cæsarem non habere profitentibus, alium regem vellet ingerere, dimittendo impunitum, quem propter hos ausus ei tradiderunt occidendum. Non autem dictum est : Tradidit eis illum ut crucifigerent illum, sed ut crucifigeretur, scilicet judicio ac potestate præsidis, ut evangelista dicit : « Tradidit ergo illum eis ut crucifigeretur. » Sed nunquid aliud et ante cupiebat, cum dicebat : « Accipite eum vos, et crucifigite : » vel etiam superius : « Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum ? » Cur autem illi tantopore voluerunt, dicentes : « Nobis non licet interficere quemquam, » et omni modo instantes, ut non ab eis, sed a præside occideretur, et ideo eum occidendum accipere recusantes, si nunc eum accipiunt occidendum ? aut si hoc non sit, cur dictum est : « Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur? » Sed ideo illis traditum dixit evangelista, ut eos crimine implicatos, a quo alieni esse conabantur, ostenderet. Non enim Pilatus hoc faceret, nisi ut id quod eos cupere cernebat, impleret. Unde et sequitur :

« Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. » Potest ad milites jam referri, vel apparitores præsidis. Nam postea evidentius dicitur : « Milites ergo cum crucifixissent eum : » quamvis evangelista etiam si totum Judæis tradidit, merito facit. Ipsi enim susceperunt, quod audacissime flagitaverunt : et ipsi fecerunt quidquid ut fieret extorserunt. Judicante atque damnante Pilato pro tribunali Dominum Jesum Christum, hora quasi sexta susceperunt eum, et eduxerunt.

« Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui di« citur Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha, « ubi eum crucifixerunt. » Quid est quod Marcus evangelista ait : « Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum (*Marc.* xv) ; » Joannes vero dicit : « Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta, quando sedit pro tribunali. » Hora tertia crucifixus est Dominus linguis Judæorum, hora sexta manibus militum, ut intelligamus horam quintam jam transactam fuisse, et aliquid de sexta captum, quando sedit pro tribunali Pilatus, quæ dicta est quasi sexta : et cum duceretur ut in longo cum duobus latronibus crucifigeretur, et juxta crucem ejus gererentur quæ gesta narrantur, hora sexta integra compleretur, ex qua hora usque ad nonam solem obscuratum et tenebras factas trium evangelistarum, Matthæi, Marci et Lucæ contestatur auctoritas. Sed quoniam Judæi facinus interfecti Christi a se in Romanos, id est Pilatum et ejus milites transferre conati sunt, propterea Marcus, suppressa ea hora qua Christus a militibus crucifixus est, quæ agi sexta jam cœperat, tertiam potius horam recordatus expressit. Qua hora intelliguntur apud Pilatum clamare potuisse : « Crucifige, crucifige, » ut non illi tantum reperiantur crucifixisse Jesum, id est milites, qui eum ligno sexta hora suspenderunt, verum etiam Judæi, qui ut crucifigeretur, tertio clamaverunt. « Bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha, ubi eum crucifixerunt, et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum. » Isti duo latrones erant, sicut aliorum evangelistarum narratione didicimus, cum quibus crucifixus et inter quos crucifixus est Christus. De quo præmissa dixerat prophetia : « Et cum iniquis deputatus est (*Isa.* LIII). »

« Scripsit autem titulum Pilatus, et posuit super « crucem. Erat autem scriptum : Jesus Nazarenus, « rex Judæorum. » Hunc ergo titulum multi legerunt Judæorum, quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraice, Græce et Latine. Hæ quippe tres linguæ ibi præ cæteris eminebant, Hebræa propter Judæos in lege gloriantes, Græca propter gentium sapientes, Latina propter Romanos multis ac pene omnibus jam tunc gentibus imperantes.

« Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum : Noli « scribere : Rex Judæorum, sed quia ipse dixit : « Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus : Quod « scripsi, scripsi. » O ineffabilem vim divinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium, nonne occulta vox quædam Pilato intus, quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante in Psalmorum litteris prophetatum est : Ne corrumpas tituli inscriptionem ? Nunquid enim propterea non erit verum, quia Jesus ait : Rex sum Judæorum? Sed quid loquimini, insani pontifices? Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod Veritas dixit? Sed Judæorum tantum Rex est Christus, an etiam gentium? imo et gentium. Cum enim dixisset in prophetia : « Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psalm.* II), » prædicans præceptum ejus, ne propter Sion montem solis Judæis eum Regem diceret constitutum, conti-

nuo subjecit : « Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes (*Psal.* II), etc. » Cur ergo magnum volumus intelligere in hoc titulo sacramentum, in quo scriptum erat : Rex Judæorum, si rex est Christus et gentium? Quia scilicet oleaster factus est particeps pinguedinis olivæ, non oliva particeps facta est amaritudinis oleastri ; nam in eo quod de Christo veraciter scriptus est titulus : Rex Judæorum, qui sunt intelligendi Judæi, nisi semen Abrahæ, filii repromissionis, qui sunt etiam filii Dei ? Quoniam non qui filii carnis, ait Apostolus (*Rom.* IV), filii Dei, sed qui filii repromissionis, deputantur in semine Abrahæ. Et gentes erant quibus dicebat : « Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes (*Galat.* III). » Rex ergo Judæorum Christus, sed Judæorum circumcisione cordis et spiritu, non littera. Quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo, pertinentium ad Jerusalem liberam, matrem nostram, æternam in cœlis, Saram spiritalem, ancillam et filios ejus de domo libertatis ejicientem. Ideo enim Pilatus quod scripsit scripsit, quia Dominus quod dixit dixit.

« Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt « vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, uni« cuique militi partem et tunicam. » Unde apparet quatuor fuisse milites qui in eo crucifigendo præsidi paruerunt. Manifeste quippe ait : « Milites ergo cum crucifixissent eum, etc., » subaudiendum est acceperunt : ut iste sit sensus : Acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam acceperunt. Et sic locutus est, ut de cæteris vestimentis missam esse videamus nullam sortem, sed de tunica, quam simul cum cæteris acceperunt, sed non similiter diviserunt. De hac enim sequitur exponens : « Erat autem tunica « inconsutilis, desuper contexta per totum. » Cur autem de illa sortem miserunt narrat, dicens :

« Dixerunt ergo adinvicem : Non scindamus eam, « sed sortiamur de illa cujus sit. » Apparet itaque in aliis vestibus æquales eos habuisse partes, ut sortiri necesse non fuerit. Quia erat forte aliquid, quod significet in tot partes vestimentorum facta divisio, et de tunica illa sortitio. Quadripartita enim vestis Domini nostri Jesu Christi quadripartitam ejus figuravit Ecclesiam, toto scilicet quæ quatuor partibus constat terrarum orbe diffusam, et omnibus eisdem partibus æqualiter, id est concorditer distributam. Propter quod alibi dicit missurum se angelos suos, ut colligant electos suos a quatuor ventis. Quod quid est, nisi a quatuor partibus mundi, oriente, occidente, aquilone et meridie? Tunica vero illa sortita omnium partium significat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. De charitate autem locuturus Apostolus : « Supereminentiorem, inquit, viam vobis demonstro (*I Cor.* XII). » Et alio loco ait : « Cognoscere autem supereminentem scientiæ charitatem, quæ est vinculum perfectionis (*Ephes.* III). » Si ergo charitas supereminentiorem habet viam, A et supereminet scientiæ, et super omnia præcepta est, merito vestis qua significatur desuper contexta perhibetur. Inconsutilis autem, ne aliquando dissuatur. Et ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit, sicut et apostolos. Cum esset enim ipse numerus duodenarius, id est quadripartitus inter eos, et omnes essent interrogati, solus Petrus respondit : « Tu es Christus Filius Dei vivi. » Et ei dicitur : « Tibi dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI), » tanquam ligandi et solvendi solus acciperet potestatem, cum et illud unus pro omnibus dixerit, hoc est cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius unitatis. Ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus. Unde hic cum dixisset « desuper contexta, » addidit « per totum. » Quod si referamus ad id quod significat, B nemo ejus est expers qui pertinere inveniatur ad totum : quo toto, sicut Græca indicat lingua, catholica vocatur Ecclesia. In sorte autem quid, nisi Dei gratia commendata est? Sic quippe in uno ad omnes pervenit, cum sors omnibus placuit, quia et Dei gratia in uno ad omnes pervenit. Et cum sors mittitur, non personæ cujusque vel meritis, sed occulto Dei judicio creditur. Et ideo ista non aliquid boni significasse quid dixerit, quia per malos facta sunt, non scilicet per eos qui Christum secuti, sed qui sunt persecuti. Quid enim de ipsa cruce dicturi sumus, quæ certe similiter ab inimicis atque impiis Christo facta et impacta est : et tamen ea significari recte intelligitur, quod ait Apostolus, quæ sit « latitudo, longitudo, altitudo et profundum (*Ephes.* III). » Lata est quippe in transverso ligno quo exten- C duntur pendentes manus, et significat opera bona in latitudine charitatis ; longa est a transverso ligno usque ad terram, et significat perseverantiam in longitudine temporis usque ad finem ; alta est in cacumine, quod a transverso ligno sursum rursus extenditur, et significat supernum finem, quo cuncta opera referuntur : quoniam cuncta quæ latitudine bene ac perseveranter fiunt, propter altitudinem divinorum facienda sunt præmiorum ; profunda est etiam in ea parte quæ in terra figitur : ibi quippe occulta est, nec videri potest : sed cuncta ejus apparentia et eminentia inde consurgunt, sicut bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi ac dijudicari non potest, universa procedunt. Sed et si crux Christi et hoc solum significet, quod ait Apostolus : « Qui D autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis (*Gal.* V), » quam magnum bonum est? Nec tamen hoc facit, nisi concupiscens adversus carnem spiritus bonus, cum illam crucem Christi fecerit inimicus, id est malignus spiritus. Postremo quid est (quod omnes noluerunt) signum crucis, nisi crux Christi ? Quid signum, nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive aqua ipsa, ex qua renascantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum vita perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni significatur, quando per crucem Christi, quam fecerunt mali, in celebratione sacramentorum

ejus bonum nobis omne signatur. Crucifixo Domino, posteaquam divisio vestimentorum ejus etiam missa forte completa est, quæ deinde narrat Joannes evangelista, videamus.

« Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem « juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus « Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset « ergo Jesus matrem et discipulum stantem, quem « diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus: « Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. » Hæc nimirum est illa hora in qua Jesus aquam conversurus in vinum, dixerit matri: « Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea (*Joan.* II). » Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat in qua deberet agnosci a matre moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam reprehendebat: nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendebat humano. Tunc enim, qui Mariam creaverat, innotescebat virtute: nunc vero, quem Maria pepererat, pendebat in cruce. Moralis igitur insinuatur locus, ita facit quod faciendum admonet, et exemplo suo instruxit suos præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus, tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. « Et ex illa hora ac« cepit eam discipulus in sua. » De semetipso dicens sic quippe commemorare solet, quod eum diligebat Jesus, qui utique omnes, seipsum præ cæteris familiarius diligebat, ita ut in convivio supra pectus suum residere faceret. Credo ut istius Evangelii, quod per eum fuerat prædicaturus, divinam excellentiam hoc modo altius commendaret.

« Postea Dominus sciens quia jam omnia con« summata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: « Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. illi « autem spongiam aceto plenam hyssopo circumpo« nentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset « Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et incli« nato capite, tradidit spiritum. » Quis potest quæ facit ita disponere, quomodo disposuit homo iste qui passus est? sed homo mediator Dei et hominum, homo de quo prædictum legitur: Et homo est, et quis agnoscit eum? Quoniam omnes, per quos hæc fiebant, videbant hominem, sed non agnoscebant Deum. Homo namque apparebat, quia Dominus latebat. Patiebatur hæc omnia, qui apparebat: et idem ipse disponebat hæc omnia, qui latebat. Vidit ergo, quoniam consummata sunt omnia quæ oportebat ut fierent antequam acciperet acetum. et traderet spiritum, atque ut hoc etiam consummaretur quod ait: « Et in siti mea potaverunt me aceto (*Psal.* LXVIII), » Sitio, inquit, tanquam hoc diceret: Hoc minus fecistis, date quod estis. Judæi quippe ipsi erant acetum, degenerantes a vino patriarcharum et prophetarum. Tanquam de pleno vase, de iniquitate mundi hujus impleti, cor habentes velut spongiam cavernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem, cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, et pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus, quam circumdederunt, et se circumvenisse putaverunt. Unde illud in psalmo: « Asperges me, » Domine, « hyssopo et mundabor (*Psal.* L). » Christi namque humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem crucis (*Philip.* II), utique sanguis ejus in remissionem peccatorum, hoc est, in nostram mundationem non fuisset effusus. Nec moveat quoniam spongiam ori ejus potuerunt admovere, qui in cruce fuerat exaltatus a terra. Sicut enim apud alios evangelistas legitur, quod hic prætermisit, in arundine esse factum, ut in spongia talis potus ad crucis sublimia levaretur. Per arundinem vero Scriptura significatur, quæ implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur, vel latina, vel alia qualibet, sonum significans qui lingua promitur, sic arundo dici potest littera, quæ arundine scribitur, sed significantius sonos vocis humanæ usitatissime dicimus linguas. Scripturam vero arundinem dici, quominus est usitatum, eo magis est mystice figuratum. « Cum ergo Jesus accepisset acetum, dixit: Consummatum est. » Quid, nisi quod paulo ante prophetia prædixerat? deinde quia nihil remanserat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oportebat. Tanquam ille, qui potestatem habebat ponendi animam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X), peractis omnibus, quæ ut peragerentur exspectabat, inclinato capite tradidit spiritum. Quis ita dormit quando voluerit, sicut Jesus mortuus est, quando voluit?. Quis ita vestem deponit quando voluerit, sicut Jesus animam quando voluit? Quis ita cum voluerit obiit, quomodo obiit quando voluit Jesus? Quanta speranda vel timenda potestas est judicantis, si apparuerit tanta morientis? Posteaquam Dominus Jesus peractis omnibus, quæ ante suam mortem peragi oportere præsciebat, quando voluit tradidit Spiritum. Quæ deinde secuta sunt, evangelista narrante, videamus.

« Judæi ergo, » inquit, « quoniam parasceve erat, « ut non remanerent in cruce corpora sabbato « (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt « Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tolle« rentur. » Non crura tollerentur, sed hi quibus ideo frangebantur ut morerentur, auferrentur ex ligno, ne pendentes in crucibus, magnum diem festum sui diuturni cruciatus horrore fœdarent.

« Venerunt ergo milites, et primi quidem frege« runt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. « Ad Jesum autem cum venissent, et viderunt eum « jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Sed unus « militum lancea latus ejus aperuit, et continuo ex« ivit sanguis et aqua. » Vigilanter verbis evangelista usus est, non ut diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ

vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum, hoc lavacrum præstat et potum. Hoc prænuntiabat, quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de viri latere dormientis, et appellata virago, mater quoque virorum. Magnum quippe significantur bonum, antea et magnum prævaricationis malum, in habitu jacentis atque dormientis. Et hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quæ de latere dormientis defluxit. O mors, unde mortui reviviscunt!

« Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: « Os non comminuetis ex eo (*Exod.* XII). Et iterum « alia Scriptura dicit: Videbunt in quem pupugerunt (*Zach*, XII). » Duo testimonia de Scripturis reddidit singulis rebus, quas factas fuisse narravit. Nam quia dixerat: « Ad Jesum autem cum venissent, non fregerunt ejus crura, » ad hoc pertinet testimonium: « Os non comminuetis ex eo. » Quod præceptum est eis, qui celebrare Pascha jussi sunt ovis immolatione in veteri lege, quæ Dominicæ passionis umbra præcesserat. Unde Pascha nostrum immolatus est, de quo et Isaias propheta prædixit: « Sicut ovis ad immolandum ductus est (*Isa.* LIII). » Item subjunxerat, dicens: « Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, » ad hoc pertinet alterum testimonium, hoc est: « Videbunt in quem compunxerunt. » Ubi promissus est Christus in ea, qua crucifixus est, carne venturus.

« Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arima-« thæa, eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem « propter metum Judæorum, ut tolleret corpus Jesu. « Et permisit Pilatus. Venit ergo et tulit corpus « Jesu. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad « illum nocte primum, ferens misturam myrrhæ et « aloes quasi libras centum. » Non ita distinguendum est, ut dicamus, primum ferens misturam myrrhæ, sed hoc quod dictum est « primum » ad superiorem sensum pertinet. Venerat enim Nicodemus ad Jesum nocte primum, quod idem Joannes narravit in prioribus Evangelii sui partibus. Hic ergo intelligendum est, ad Jesum non tunc solum, sed tunc primum venisse Nicodemum: ventitasse autem postea, ut fieret audiendo discipulus. Quod certe modo in revelatione corporis beati Stephani fere omnibus gentibus declaratur.

« Erat autem ubi crucifixus est, hortus, et in horto « monumentum novum, in quo nondum quisquam po-« situs fuerat. » Sicut in Mariæ virginis utero nemo ante illum vel post illum conceptus est, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.

« Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta « erat monumentum, posuerunt Jesum. » Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne advesperasceret, quoniam jam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi usitatius apud nos vocant, facere aliquid non licebat.

A

HOMILIA LXIX.

IN VIGILIA PASCHÆ.

(COL. III.) « Fratres, si consurrexistis cum Chri-« sto, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est, in « dextera Dei sedens. » Et reliqua. Domini nostri Jesu Christi honorabilem solemnitatem, sua favente clementia, fratres charissimi, fideliter veneremur, pietatem ejus ineffabilem admiremur, qui non solum nostræ redemptionis causa humanam carnem suscepit, verum etiam diversa pœnarum genera pro nostra salute subire dignatus est, ut licet post multum inertiæ et pigritiæ nostræ somnum, non inviti, sed

B

voluntarii, sanctæ Christianæ religionis dulcedine provocante in sanctissimæ solemnitatis conventu ex-pergefacti, libenter et devote cum omni sollicitudine resurgamus, secundum illud quod Apostolus ait in præsenti lectione: « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. »

« Quæ sursum sunt sapite, non quæ super ter-« ram. » Ac si diceret: Nos qui ad imaginem sanctæ Trinitatis reformamur, ad eamdem renovemur imaginem: et qui trino peccato maxime decidimus in consensum operum malorum, tertio elevati de fonte remissione omnium peccatorum percepta, per Christi gratiam, sicut ipse tertia die resurrexit, nos resurgamus ad vitam. Nos vero, si consurgere cupimus cum Christo, prius moriamur mundo et concupiscen-

C

tiis carnalibus, et deponentes veterem hominem, id est malam voluntatem, vel usum pravum et delectationes pessimas, induamus nos benignitatem, ut proximis nostris cum omni devotione faciamus bonum, et post Dei dilectionem nihil amori proximi præponamus, sed ut nosmetipsos, illos diligamus. Sequitur: « Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » Tantum ea quæ cœlestia sunt, non quæ terrestria quærentes: terræ mori, vivere autem Deo: cœlestem sectari sapientiam, non terrenam. Nam subditur:

« Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est « cum Christo in Deo. « Cum enim mortui erimus mundo, et facultatibus ejus atque desideriis, vita nostra abscondita est in Deo, quia filii Dei sumus. Unde sequitur:

D

« Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc « et vos apparebitis cum ipso in gloria. » Nondum enim apparet quid aut quales facti sumus ad judicium. Cum autem Christus ad judicandum vivos et mortuos apparuerit, tunc et nos simul cum illo apparebimus in gloria resurrecturi. Nobis etenim et pro nobis Christus nascitur, patitur et resurgit, ut nos per ipsum in vitam renascamur in tribulationibus, et cum eo in virtutibus resurgamus. Omnia enim per ipsum in hac nocte restaurata sunt. In hac quippe nocte quasi primitiæ ipse resurrexit, ut nos omnes postea resurgamus. In hac ergo nocte capti-

vitas nostra solvitur, vita in Adam amissa restauratur. In hac nocte protoplastus Adam resurgit, peregrinus rediit ad patriam paradisi. Ab hac enim nocte Dominicæ resurrectionis paradisus omnibus patet, nulli clauditur, nisi a seipso; nulli aperitur, nisi a Christo. Et ideo cum omni sollicitudine caveamus, ne propter opera diaboli quæ pertrahunt in interitum, apertum nobis iter regni cœlestis nos ipsi claudamus, sed potius per opera justitiæ et misericordiæ, planum nobis iter faciamus ad regnum cœlorum. Ergo humilitate nostra, humilitatem pro nobis Domini nostri in memoriam revocemus. Humiliter in ista nocte vigilemus, humiliter oremus ad Deum, qui gloria sui luminis illuminavit hanc noctem, cui dicimus: « Deus meus, illumina tenebras meas (*Psal.* XVII), » illumque rogemus, ut præbeat lucem B cordibus nostris, ut quemadmodum gaudentibus oculis istum splendorem luminum cernimus, ita hujus noctis præclaram gloriam illuminata mente videamus, ipsumque precemur, ut exaudiat nos vigilantes in solemnitate sua, qui dormivit pro salute nostra. Vigilemus ergo et oremus forinsecus, hanc vigiliam celebremus. Deus nobis loquitur in lectionibus suis, Deo loquamur in precibus nostris. Si eloquia ejus obedienter audierimus, in nobis habitat quem rogamus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXX.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

(MARC. XVI.) « In illo tempore: Maria Magdalene, « et Maria Jacobi, et Salome, emerunt aromata, ut C « venientes ungerent Jesum. » Et reliqua. Commendat nobis hæc sacratissima lectio, sanctarum mulierum devotionem, commendat et angelorum apparitionem, et, quod his majus est, Dominicam resurrectionem. Sed cuncta per ordinem videamus. Ait enim evangelista: « Maria Magdalene, » etc. Prædictæ namque mulieres (ut Lucas evangelista commemorat) a Galilæa Dominum secutæ fuerant, de suis substantiis ei ministrantes: quia licitum erat apud Judæos, nec ducebatur in culpam, ut mulieres prædicatoribus de suis facultatibus victum et vestitum ministrarent. Quam consuetudinem tenuerunt apostoli, post Domini resurrectionem, vel ascensionem, quod apostolus Paulus probat; sed ipse, propter vitandum scandalum inter gentes, hac consuetudine D uti noluit, dicens: « Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et cæteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas (*I Cor.* IX)? » Cephas Syriace, Latine dicitur Petrus. Ac si diceret, habemus. Et in Actibus apostolorum de ipsis apostolis legitur: « Hi omnes erant unanimiter perseverantes in oratione cum mulieribus et Maria matre Jesu (*Act.* I). » Sed mulieres quæ Dominum secutæ fuerant, videntes eum comprehendi, ligari, flagellari et crucifigi, discipulis qui dicebant prius, « Eamus et nos, ut moriamur cum illo (*Joan.* XI), » fugientibus, ipsæ cum eo remanserunt: et sic impletum est tempore Dominicæ passionis, quod olim per beatum Job in ejus persona dictum fuerat: « Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos (*Job.* XIX). » Quasi enim consumptis carnibus, pellis ossi adhæserat, quando discipulis fugientibus, mulieres cum Domino perseverabant. Sed quæ arctius eum viventem dilexerant, nec a mortuo separari poterant. Nam videntes eum sepeliri, sedentes contra sepulcrum, ut evangelista refert, notaverunt locum, ut abeuntes emerent aromata, et illa nocte, quantum potuerunt, unguenta præparaverunt: sabbato autem, secundum mandatum legis siluerunt. Occidente vero sole, quod supererat in præparandis unguentis desudaverunt. Mane autem prima sabbati, antequam illucesceret, cum præparatis aromatibus ad sepulcrum venerunt, cupientes ejus sacratissimum corpus saltem mortuum ungere, quem viventem nimio dilexerant amore. Et hoc est quod Marcus ait: « Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome, emerunt aromata, » etc. Et pulchre mulieres uno nomine censentur, ut quibus una erat voluntas, parque desiderium, unum esset et vocabulum. Quarum nominum distinctionem evangelica lectio ostendit, per adjectiva nomina, cum ait: « Magdalene, Jacobi, et Salome. » Maria Magdalene a Magdalo dicta est castello: ipsa quoque soror fuit Lazari, quæ quondam (ut Lucas narrat) peccatrix in civitate fuit: sed quia dilexit multum, dimissa ei sunt peccata multa. Maria Jacobi a filio suo Jacob dicta est, quæ matertera fuit Domini, id est soror matris, et mater Jacobi et Joseph. Maria Salome, vel a vico, vel a viro dicta est. Tradunt enim eam habuisse duos viros, Cleopham scilicet et Salomen: ipsam volunt esse, quæ alibi Maria Cleophæ appellatur. Maria autem Syriace, *nobiscum stella maris*, sive *domina* interpretatur: significat vero Ecclesiam, quæ in medio nationis pravæ et perversæ lucet tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ continens. Quæ significatio, quamvis Dei genitrici spiritualiter congruat, per cujus partum virgineum Sol justitiæ mundo resplenduit, tamen et istis potest congruere, quæ cum aromatibus venientes ad sepulcrum, primum splendorem Dominicæ resurrectionis mundo nuntiaverunt. Mystice autem, per has devotissimas mulieres, sancta Ecclesia designatur, quarum nominum interpretatio recte illis congruit. Magdalus vero, a quo Maria Magdalena dicta est, ut diximus, *turris* interpretatur, et significat Ecclesiam. Turris quippe non solum sublimior sed etiam domus est, non facile hostibus patens: ac per hoc Ecclesiam significat, quæ et terrena deserit, et cœlestia desiderat, pugnans inter spiritales nequitias, quotidie sibi auxilium a Deo de supernis postulando, ut antiqui hostis insidias superare possit, fortitudinemque suam non sibi, sed Domino committit, orans cum Propheta: « Esto mihi, Domine, turris fortitudinis, a facie inimici (*Psal.* LX). » Hæc enim illa est turris fortis et inexpugnabilis, cui voce sponsi in Canticis canticorum dicitur: « Sicut turris David collum tuum, quæ

ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium (*Cant.* IV). » Et de qua Salomon ait : Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus, et exaltabitur. Maria Jacobi interpretatur *supplantatrix:* significat et ipsa Ecclesiam, quæ ut virtutes accipere possit, vitia supplantare novit. Maria Salome interpretatur *pacifica* : congruit et ipsa Ecclesiæ, quæ non solum in prosperis, sed etiam in adversis invisibilem pacem servat, dicens cum prophetis : « Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus (*Psal.* CXIX). » Et iterum : « In pace factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus (*Psal.* LXXV). » Veniunt ergo devotissimæ mulieres cum aromatibus sepulcrum Domini visitare, quia Ecclesia per devotionis studium, quotidie Deo appropinquat, dicens cum Psalmista : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL). « Aromata quoque orationes sanctorum significant, quæ autem Græce aromata. Latine dicuntur odoramenta, ac per hoc devotæ orationis fragrantiam designant, sicut Joannes in Apocalypsi ait : « Et habebant phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum (*Apoc.* V). » Et iterum : « Stetit angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, ut adoleret ea ante altare aureum, quod est ante oculos Domini (*Apoc.* VIII). » Cum enim aromata semper sint odorifera, tamen tunc majorem odoris fragrantiam exhibent, cum in igne posita fuerint : quia orationes sanctorum tanto magis ante Deum suavius redolent, quanto magis ab igne compunctionis excoctæ fuerint : in tantum, ut suavitate delectatus rex dicat : « Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii ? » (*Cant.* III). Cui sancta anima nihil de se præsumens, ait : « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I). » Quasi enim aromata emimus, quæ ad sepulcrum deferamus, quando ingressuri ecclesiam ad orationem, nostras conscientias a sordibus cogitationibus emundamus, dicente cum Propheta : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum cantabo, et psalmum dicam Domino. » Illæ ergo mulieres angelos vident, quæ cum aromatibus ad sepulcrum veniunt : quia illæ animæ ad consortium angelorum pertinent, quæ cum opinione boni operis assiduitatem habent orationis. Talis erat ille qui dicebat : Christi bonus odor sumus, Deo in omni loco (*II Cor.* II). » Imitemur ergo et nos easdem sanctas et devotissimas mulieres, ut sicut illæ cum aromantibus Dominum toto desiderio quærebant in sepulcro, quod est proprius mortuorum locus : ita et nos, non in sepulcro, sed cum aromatibus, scilicet orationibus, toto affectu mentis quæramus eum in cœlo, quo ipsum ascendisse novimus.

« Et valde mane una sabbatorum veniunt ad mo- « numentum, orto jam sole. » Hic inquirendum est quare iste evangelista dicat : « Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, » cum Matthæus describat : « Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulcrum. » Ad quod prudens lector facile respondere potest, quia voluntate et desiderio mentis vespere, sicut Matthæus dicit, venire cœperunt, sed tenebris noctis impedientibus, secundum Marcum valde mane corporaliter ad Domini sepulcrum pervenerunt. Vel certe cum Matthæus ait : « Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venerunt videre sepulcrum (*Matth.* XXVII), » a parte noctis, qua venerant, totam noctem intelligere voluit : quia usus Scripturæ est aliquando a parte totum significare. Sed, ut lucidius et apertius intelligatur, sciendum est quia sicut habet dies vesperam, ita et nox. Hoc tamen inter utrumque distat. quia vesper diei tenebrescere consuevit in noctem vesper autem noctis lucescere in diem. Ut ergo Matthæus non vesperam diei, sed noctis descripsisse se ostenderet, postquam dixit, « vespere sabbati, » adjecit, « quæ lucescit in prima sabbati, » et ideo unum idemque est quod Marcus ait, « valde mane, » et quod Matthæus dicit, « vespere sabbati. » In Domini namque resurrectione, etiam ipse ordo temporis mutatus est. Ab initio enim sæculi usque ad Domini resurrectionem, dies præcedebat, et sequebatur nox : a Domini vero resurrectione, nox præcedens ad sequentem diem pertinet : quia qui in hujus noctis ultima parte a mortuis resurrexit, ipsam noctem lucidam atque coruscam reddidit, et quodammodo in diem commutavit. De qua scriptum est : « Et nox sicut dies illuminabitur (*Psal.* CXXXVIII). » Et iterum : « Et nox illuminatio mea, in deliciis meis (*Ibid.*). » Et apte quondam dies præcedebat noctem, quia primus homo a vera luce discedens, in tenebras erroris incidit. Apte etiam nunc dies noctem sequitur, quia per Domini resurrectionem de tenebris erroris liberari, ad veram lucem conversi sumus, sicut ait Apostolus : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII). » Iterum autem contrarium sonare videtur, quod Marcus ait, « Veniunt ad monumentum, orto jam sole, » Joanni, qui dicit, « Cum adhuc tenebræ essent, venit Maria Magdalene ad monumentum. » Ubi dicendum est, quia propter magnitudinem amoris Maria Magdalene primum sola, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum venit, sicut Joannes narrat : postea vero cum duabus ejusdem nominis feminis iterum orto sole, sicut Marcus commemorat. Est tamen et alia ratio, per quam nihil contrarium inter se evangelistæ sensisse cognoscuntur. Quotidie enim oculis cernimus, quod crepusculo diei appropinquante, cum sol concavas terrarum partes relinquens, radios suæ lucis aperire cœperit, ita fit lux in oriente, ut non desint tenebræ in occidente. Igitur si partes orientis consideráverimus, nihil contrarium videtur dixisse Marcus cum ait, « orto jam sole : » si partes occidentis, non videtur dissonum quod dicit Joannes, « cum adhuc tenebræ essent. » Forte quæritur, quare Joannes unam tantummodo nominans, angelos vidisse asserat, cum Marcus tres scribat? Ad

quod dicendum, quia, ut diximus, vel prius venit Maria Magdalene, et postea iterum cum aliis : vel tres simul venerunt, et Joannes unam nominans, alias venisse negavit. Juxta vero spiritalem intelligentiam,tenebræ in cordibus mulierum erant,quando Deum velut mortuum quærebant inter mortuos. Ortus est eis sol,quando auditam ab eis resurrectionem crediderunt, solis enim nomine in Scripturis, aliquando Dominus Jesus Christus intelligitur,sicut scriptum est : « Sol cognovit occasum suum (*Psal.* CIII), » id est Christus passionem. Et iterum :« Vobis qui timetis Dominum orietur sol justitiæ,et sanitas in pennis ejus (*Mal.* IV). » Quod autem ait : « una sabbatorum » primam sabbati intelligere debemus,id est primum diem post sabbatum,quam ob honorem et reverentiam Dominicæ resurrectionis, Dominicam nominamus.Sicut enim nos primam feriam, secundam feriam, tertiam feriam, et cæteros perordinem dies dicimus,sic Judæi primam sabbati, secundam sabbati, tertiam sabbati nominabant. Et sicut Cantica canticorum, et Sancta sanctorum pro sui magnitudine in Scripturis dicuntur,sic iste dies sabbatum sabbatorum propter gloriam resurrectionis Dominici dici potest.Hæc autem dies et una est de septem,'et extra septem. In hac enim hebdomada exordium sumit, et terminum accipit. Sic enim est prima, ut sit tertia: et sic tertia, ut etiam sit octava : prima quidem, in conditione ;tertia, in resurrectione ;octava, in revolutione. Qui ergo in hac die resurgere dignatus est, octonarium numerum ad resurrectionem pertinere monstravit. Resurrexit in ipsa, ut ostenderet humanum genus in octava ætate sæculi resurrecturum. Unde per Salomonem dicitur :« Da partes septem, necnon et octo (*Eccle.* XI). » Sicut enim septima die Deus ab operibus suis requievit, sic septima ætas dicitur requies sanctorum,cum animæ absque corporibus sunt in requie.Octava autem ætate accipient ipsæ corpus, et erunt in requie. In cujus typo vel figura,octo animæ in arca salvæ factæ sunt Noe. Hæc est enim illa dies de qua dicitur : « Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea (*Psal.* CXVII). »

« Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis « lapidem ab ostio monumenti ?»Matthæus evangelista dicit, quod cum Joseph sepeliisset Dominum in sepulcro suo novo, advolvit ad ostium monumenti saxum magnum,et abiit, Judæis signantibus ipsum cum custodibus. Ergo istæ mulieres venientes sepulcrum Domini visitare, et sexus sui fragilitatem considerantes, et magnitudinem lapidis recolentes,qui tam magnus fuisse fertur ut vix a viginti hominibus moveri posset, dicebant : « Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ? »Sed quamvis talia dicerent,non tamen a cœpto itinere cessabant,credentes divinitus fieri possibile quod humanæ fragilitati videbatur impossibile.Quarum mulierum constantia in libris Regum pulchre præfigurata est, quando Allophyli arcam Domini captam in terram Israel remittentes,junxerunt duas vaccas fœtas ad plaustrum, vitulosque earum recluserunt domi. Et sicut scriptum est : « Ibant vaccæ in directum, per viam quæ ducit Bethsamis, pergentes et mugientes, nec tamen ad dexteram vel ad sinistram declinantes (*I Reg.* XI) :» ita et hæ mulieres pergentes Dominicum sepulcrum invisere, quasi mugientes et gementes dicebant: « Quis revolvet nobis lapidem, » etc. nec tamen propter sexus fragilitatem, nec propter magnitudinem lapidis, nec propter metum custodum, a cœpto itinere declinabant. Imitemur igitur et nos harum constantiam mulierum, ut per viam Dei ambulantes, nec propter tentationem dæmonum, nec propter metum hominum, nec propter curam parentum a recto itinere deviemus: quia inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur, Domino dicente: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.» (*Matth.* LXIV.)

« Et respicientes, viderunt revolutum lapidem. » Qualiter vel quomodo revolutio lapidis facta sit, alius evangelista, Matthæus scilicet, declarat, dicens: « Angelus quippe Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum (*Matth.* XXVIII). » Revolvit ergo angelus lapidem, et non ut egressuro Domino viam panderet, sed ut egressus ejus indicium omnibus daret, id est ut omnes eum a mortuis resurrexisse crederent Non enim indiguit in resurrectione auxilio angelorum, qui propria virtute claustra dissipavit inferorum,

« Erat quippe magnus valde. » Spiritaliter lapis iste ad ostium monumenti positus, ipsam oblationem designat inferorum, qua etiam justi per prævaricationem primi reatus tenebantur obnoxii. Qui magnus valde fuisse dicitur, quia obligatio originalis peccati in tantum dura et insolubilis fuit, ut nullus tam justus fuisse legatur, qui se aliosque ab ea liberare posset, quoadusque ille venit qui factus est inter mortuos liber, Sed Dominus Jesus Christus, qui est magni consilii angelus, ab ostio monumenti lapidem revolvit, quia hodierna die a mortuis resurgens, Cherubim et flammeum gladium atque versatilem, a via paradisi removit; unde scriptum est: « Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ (*Psal.* XXIII). » Nec solus ipse a mortuis resurrexit, sed etiam omnes animas justorum de inferni claustris liberavit, impleta prophetia Oseæ qui ait: « Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne (*Ose.* XIII). » Et Dominus: « Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII).» Cujus singularem virtutem resurrectionis Samson ille fortissimus præfiguravit, de quo in libro Judicum legimus (*Judic.* XVI), quia cum Gazam civitatem fuisset ingressus ad meretricem, audientes Philistæi ejus introitum, civitatem munierunt custodesque deportaverunt, et quasi jam se eum habere comprehensum gavisi sunt. Sed quid fecit Samson audiamus. Non solum media nocte exiit, sed etiam utrasque portas civitatis cum postibus propriis humeris in montem tulit, custodesque inanes et illusos reliquit. Quem Samson ille fortissimus significavit,

nisi Dominum Jesum Christum, de quo scriptum est: « Dominus fortis et potens: Dominus potens in prælio? » Cum ergo fuisset in civitatem ingressus, adamavit meretricem, id est, Christus Ecclesiam, quæ post idolorum culturam ad festum Christi vocata est. Quid Gaza civitas, nisi infernum; quid Philisthæi, nisi Judæos designant? Samson ergo Gazam civitatem ingresso, Philisthæi lætabantur: quia Judæi sepulto Domino ad inferni claustra descendente, lætati sunt, putantes nomen ejus se habere exstinctum. Sed qui Samson noster, scilicet Dominus Jesus Christus, fecit? Non solum liber exiit, sed etiam portas tulit: quia non solum ipse ab inferis liber exiit, sed etiam omnes animas justorum de inferno liberavit, et ad montana, id est, ad cœlestia revocavit. Cui per prophetam Zachariam dicitur: « Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua (*Zach.* IX). » Et ne aliquis de resurrectione dubitaret, etiam aliquantos corpore resuscitavit: quia (sicut scriptum est) « multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt (*Matth.* XXVII). »

« Et introeuntes in monumentum. » Postquam devotæ mulieres lapidem ab ostio monumenti revolutum viderunt, sine ulla tarditate in ipsum introierunt. Sed forte movet aliquos, qui tantum consueta monumenta considerant, quomodo sepulcrum Domini ædificatum fuerit, quod tot mulieres una cum angelis capere posset. Ad quod respondendum, quia sicut illi testati sunt, qui hoc viderunt, et scriptum ad nostram memoriam reliquerunt, tali modo ædificatum fuit. Erat enim lapis magnus in horto, guttulis purpureis intinctus, colore candido refulgens, in cujus latere erat sepulcrum excisum, tantæ magnitudinis, ut octo vel novem homines capere posset: et tantæ altitudinis, ut quisque in ejus pavimento stans, erecta manu culmen pertingere posset. In cujus aquilonari parte sepulcrum Domini excisum est, septem pedes et medium (ut dicunt) habens longitudinis, et tres palmas et mediam latitudinis. Ostium vero speluncæ, patulum est ad orientem, unde introeuntibus locum Dominici corporis in dextris habetur: quia Dominicum corpus ita in monumento jacuit, ut caput illius ad occidentem, et pedes ad orientem respicerent: dextera quoque manus ad meridiem, sinistra ad aquilonem. Ex quo tempore consuetudo excrevit, Christianorum corpora ad hanc similitudinem sepeliri. Et recte in tali loco Dominus sepulturam suam elegit, ubi nulla possibilitas effodiendi esset, quatenus omnem occasionem calumniandi Judæis auferret-ne forte, si maceria vel quolibet pariete circumclusus esset, dicerent ipsum discipulos ipsius furatos fuisse. Post ascensionem Domini et resurrectionem, Christiani zelo divini amoris Ecclesiam in eodem loco rotundo miræ magnitudinis ædificaverunt, cujus pavimentum ex marmore albo straverunt tectum autem laminis aureis desuper ornaverunt, interiora autem parietum crustulis aureis decoraverunt. Super sepulcrum autem crucem auream miræ pulchri-

A tudinis statuerunt, appendentes ante eam pharum argenteum cum lampadibus. In tantum namque sepulcrum Domini mirabile factum est, ut etiam prophetia Isaiæ juxta litteram impleretur dicentis: « In die illa radix Jesse quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum (*Isa.* XI). » « Viderunt juvenem sedentem « in dextris, coopertum stola candida. » Joannes evangelista dicit, quod respiciens Maria Magdalene in monumentum, vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. In quo loco considerandum est, quam pulchre utraque Domini natura, divina pariter et humana, nobis commendatur. Per caput namque divinitas designatur, sicut Apostolus ait: « Caput

B Christi Deus (*I Cor.* XI): » per pedes vero humanitas, unde Moses dicit: « Et qui appropinquant ad pedes ejus, accipient de doctrina ejus (*Deut.* XXXIII). » Quasi ergo angelus ad caput sedet, cum Joannes clamat: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Quasi ad pedes, cum idem evangelista ait: « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Ibid.*). » Marcus autem eumdem angelum in dextris sedisse describit, ut Dominum de mortalitate ad immortalitatem transisse insinuet. Sicut enim per sinistram præsens vita, sic et per dextram futuræ vitæ immortalitas designatur, teste Salomone, qui ait: « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (*Cant.* I). » Et recte testis ejus resurrectionis angelus in dextris apparuit, ut ostenderet eum de cor-

C ruptione ad incorruptionem, de mortalitate ad immortalitatem transisse, quia, sicut ait Apostolus, « Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, et mors illi non ultra dominabitur (*Rom.* VI). » Et iterum: « Et si novimus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus (*II Cor.* V). » Et ut inimicum humani generis perfecte a Domino superatum declararet, non stans, sed sedens angelus apparere voluit. Stare enim pugnantis est, sedere regnantis, sive judicantis. Sedet enim rex in throno gloriæ suæ, miles autem post victoriam quiescit. Quia ergo Dominus caput antiqui serpentis contriverat, omneque electos Dei de ejus potestate liberaverat, recte testis resurrectionis ejus, non stans, sed sedens, ut dictum est, apparuit. Qui etiam bene stola candida coopertus

D apparuit, ut ineffabile gaudium Dominicæ resurrectionis in ipso habitu demonstraret. Cum enim in Veteri Testamento sæpissime ab hominibus angeli visi legantur, non facile reperies quemquam stola candida indutum apparuisse, quia hoc privilegium Dominicæ resurrectioni servabatur. Et quia consuetudo est Palæstinis dies festos celebrantibus, ut alba vestimenta induant, cum stola candida indutus apparuit, festivitatem Dominicæ resurrectionis se celebrare ostendit. Ubi si quis quærat utrum suam an nostram, intelligere potest et suam et nostram. Domini enim resurrectio festivitas angelorum fuit, quoniam numerus eorum, qui retrogradiens per aposta-

tam angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium adimpletur. Nostra festivitas est, quia de perditione nos liberans, ad societatem angelorum revocavit. In sua igitur festivitate et in nostra angelus in candidis vestibus apparuit, ut ineffabile gaudium hujus festivitatis ostenderet. Si ergo gaudium est in cœlo coram angelis super uno peccatore pœnitentiam agente, quale putamus gaudium fuisse, quando tot millia animarum sanctarum ad suum consortium transire viderunt? » Hæc est namque dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea (*Psal.* CXVII). » « Et obstupuerunt. » Consuetudo mortalium est, ut cum aliquid super se viderint, infra se pertimescunt. Ex eo enim tempore, quo primus homo a consortio angelorum peccando discessit, in tantam dilapsi sumus miseriam, ut supernos cives sine metu videre non possimus. Et ideo sanctæ mulieres, non solum quia angelum viderunt coopertum stola candida, obstupuerunt, sed etiam, quia vacuum monumenti locum conspexerunt. Nam idem ipse angelus testis Dominicæ resurrectionis in tali specie apparuit, ut ex ipsa sua visione, et terrorem reprobis, et blandimentum piis mentibus exhiberet. Quod Matthæus evangelista manifestat, dicens : « Erat aspectus ejus sicut fulgur, vestimenta ejus sicut nix. » In fulgure etenim timoris terror, in nive blandimentum lenitatis ostenditur. Quia ergo in fulgureo vultu et in niveo candore angelus apparuit, ostendit quia Dominus Jesus, qui est angelus magni consilii dictus, in ultima et generali resurrectione et terribilis reprobis, et blandus apparebit justis. Quasi enim in fulgureo vultu apparebit illis, quibus dicturus est : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth* XXV). » Quasi in niveo candore illis, quibus dicet : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Ibid.*). » Hanc descriptionem ostendit angelus testis Dominicæ resurrectionis, quando præ timore illius exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui : mulieres autem, ne timerent, protinus blandam consolationem acceperunt. Unde subditur:

« Qui dicit illis : Nolite expavescere. » Ac si diceret : Paveant illi qui supernorum civium adventum non diligunt; pertimescant illi qui sepulcrum Domini maligno animo custodiunt. Vos autem timere non debetis, quæ concives vestros conspicitis. Et quare mulieres timere non deberent, causam protinus demonstrat, cum subjungit : « Jesum quæritis. » Jesus Hebræo sermone, Latine *salvator*, sive *salutaris* dicitur. Ac si deret : Quæ Salvatorem quæritis, Salvatoris nuntium non debetis timere, sed magis diligere. Et ne forte de alio aliquo Jesu dIci putaretur, subjunxit : « Nazarenum. » Nazarenus dictus est Dominus, eo quod in civitate Nazareth sit conceptus, atque nutritus. Sed quia Nazaræus *sanctus* interpretatur, recte hoc nomen specialiter illi congruit, qui est Sanctus ssctorum, et Rex regum, et Dominus dominantium. De quo per Prophetam dicitur : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV). » Et ne aliquis in Nazareth tali nomine vocaretur, adjunxit :

« Crucifixum. » Crucifixus est pro nobis, ut per lignum sanctæ crucis, lignum prævaricationis excluderet. « Surrexit. » Surrexit per humanitatem, qui nullum casum patitur in divinitate. Et ideo resurgere voluit, qui nunquam cecidit, ut ille erigeretur, qui stare noluit. Quod autem ait : « Non est hic. » De præsentia corporali dixit : quia per divinitatis potentiam ubique est totus, ubique est præsens, sicut ipse ait per prophetam : « Cœlum et terram ego impleo (*Jer.* XXIII). » Et ut omnem dubitationem a cordibus eorum expelleret, adjecit .

« Ecce locus ubi posuerunt eum. » Ac si diceret : Si meis non creditis verbis, saltem vacuo credite sepulcro, et omnem dubitationem a cordibus vestris repellite.

« Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro. » Consideranda est in hoc loco specialis Domini misericordia erga sexum femineum. Ne enim mulier semper in opprobrium haberetur, quia femina prima viro propinaverat mortem, per feminas primum viris suam voluit nuntiare resurrectionem. Ac si diceretur hominibus : De cujus manu sumpsistis pocula mortis, ab ejus ore audite gaudium resurrectionis. Sed quærendum est quare, discipulis nominatis, Petrus ex nomine designetur. Ait enim angelus : « Dicite discipulis ejus et Petro. » Ad quod dicendum, quia, sicut evangelica narrat historia, cum pergeret Dominus ad passionem, Petrus pavore perterritus, ter eum negaverat : et fortassis inter cæteros discipulos ad videndum Dominum, post Domini resurrectionem accedere non auderet, nisi eum angelus ex nomine exprimeret. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. Forte etiam movet aliquem, quare Dominus tam dilectum discipulum, in tam grave facinus cadere permisit, ut Dominum ac magistrum suum ad vocem unius ancillæ negaret. Sciendum autem quia providentissima dispensatione Domini hoc factum est, ut quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, semetipsum negare permitteret, ut ex sua fragilitate disceret, aliis peccantibus, qualiter misereri debuisset. Primum ergo sibi eum ostendit et tunc cæteris præposuit, ut intelligeret, quod dictrictionem vitiis, compassionem deberet naturæ, sicut ei alibi a Domino dicitur : « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos (*Luc.* XXII). » Quod autem ait : « Quia præcedet vos « in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis, » idipsum est, quod pergens ad passionem dixerat : « Postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam (*Matth.* XXVI). » Et pulchre Dominus post resurrectionem a discipulis in Galilæa videndus prædicitur, quia jam de corruptione ad incorruptionem, de mortalitate ad immortalitatem transierat. Galilæa namque *transmigratio facta* interpretatur. Quia ergo de corruptione ad incorruptionem, de mortalitate ad immortalitatem transiit, recte in

Galilæa videndus dicitur. Quia sicut ait apostolus Petrus : « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo (*I Pet.* IX). » Et iterum : « Si autem mortuus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei (*II Cor.* XV). » Sive juxta aliam intelligentiam Galilæa, quæ *volubilitas* sive *rota* interpretatur, gentilem populum significat. Cum ergo in Galilæa videndus prædicitur, ostendit Judæos propter perfidiam esse relinquendos, gentes autem per fidem colligendas, quæ ante Domini adventum nescientes Deum, in volubilitate sæculi morabantur. Sive aliter, post resurrectionem in Galilæa videndus nuntiatur, quia illi ad speciem ejus contemplandam pervenire merebuntur, qui modo transmigrant de vitiis ad virtutes, de amore mundi ad amorem Dei, declinantes a malo et facientes bonum. Unde bene Galilæa (juxta aliam interpretationem) *revelatio* dicitur, quia quæ nunc videmus in specie, tunc revelata facie videbimus in re. Unde Apostolus ait : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XV). » Et iterum : « Nos autem, fratres, revelata facie gloriam Domini contemplantes, transformamur a claritate in gloriam, et tanquam a Domini spiritu (*II Cor.* XVIII). » Ad quam visionem ille nos perducere dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXI.

FERIA SECUNDA PASCHÆ.

(ACT. X.) « In diebus illis stans Petrus in medio « plebis, dixit : Viri fratres, vos scitis quod factum « est verbum per universam Judæam, incipiens enim « a Galilæa post baptismum quod prædicavit Joan- « nes, Jesum a Nazareth. » Et reliqua. Breviter omnia quæ in symbolo continentur complexus est apostolus Petrus in lectione præsenti, quam audistis, fratres charissimi, quod Jesus sit Christus, quod omnium sit Dominus. Stans enim in medio plebis, dixit : « Viri fratres, vos scitis quod factum est « verbum per universam Judæam, incipiens enim « a Galilæa post baptismum quod prædicavit Joan- « nes, Jesum a Nazareth. » Totum hic pariter demonstratur quod mundum Deo reconciliare missus sit Christus, Joannes vero est præconatus, quod Spiritu sancto perunctus, quod Deo inhabitante per miracula declaratus, quod crucifixus, et a mortuis suscitatus, quod judex sit omnium in fine venturus, quod etiam Ecclesiam suam per fidem toto sit orbe illuminaturus. Denique subjungitur :

« Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et « virtute. » Unctus est ergo Jesus non oleo visibili, sed dono gratiæ spiritalis, quæ omnia pleniter continebat quod visibili significatur unguento. Quod baptizatus ungit Ecclesiam, dum per impositionem manus episcopi, Spiritus septiformis invocatur, in qua similitudine super eum baptizatum Spiritus sanctus in specie columbæ descendit (*Joan.* I), tunc

A et Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipue baptizati accipiunt Spiritum sanctum. Tunc enim intelligendus est unctus, cum Verbum caro factum est, id est, quando humana natura sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis, Deo Verbo est in utero virginis copulata, ut pariter divina et humana natura una esset persona, et ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto et Maria virgine. « Qui pertransivit benefaciendo et sanando omnes « oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. » Id est, Pater cum Filio semper manebat, melius est intelligere, quam divinitatem Filii cum homine quem assumpsit cohabitantem significaret, ut Christi personam geminaret, et in errorem maximum incideret *a*. Sequitur.

B « Et nos testes sumus omnium quæ fecit in re- « gione Judæorum et Jerusalem. » Recte autem se esse testes testantur, qui per universum mundum missi sunt Evangelium prædicare, ut in Psalmo legimus : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Deus et Pater, per duas in Christo operatur naturas, per unam quæ ei communis est cum Deo Patre ex, eo quod Deus est, per alteram qua ex virgine Maria homo factus est. Per has duas naturas in uno Filio Dei, duas pariter facit resurrectiones humani generis, id est animarum et corporum. Habent enim et animæ mortem suam, in impietate atque peccatis, secundum quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait : « Sine mortuos sepelire mortuos suos (*Luc.* IX), » ut scilicet in anima mortui, in

C corpore mortuos sepelirent. Mors est videlicet animæ, quando Deus deserit eam ob peccatorum magnitudinem. Corporis mors est, quando ab anima deseritur. Ab his duobus mortis generibus resuscitatos, duas dicimus resurrectiones. Nunc autem animarum in Ecclesia per Filium Dei (hoc est, verbum Dei) fit resurrectio, quando per gratiam Dei vivificati resurgunt a morte iniquitatis, Et hæc est prima resurrectio, quam qui habent in secunda quæ est corporum, fideliter resurgent in vitam æternam. Resurgent impii, unusquisque in carne sua, ut cum diabolo et angelis ejus puniantur (*Matth.* XXV). Hoc certissime sciendum est, quia nemo nisi per indebitam misericordiam Dei liberabitur, et nisi per debitum judicium damnabitur. Tunc sancti scient plenius qnid boni eis contulerit gratia Dei, vel quid

D essent consecuti, si divina eos gratuito munere non elegisset misericordia. Tunc erit ipse Deus sanctorum societas, beatorum jucunditas, et omnia quæcunque ab eis honeste desiderari possunt, et vita, et salus, et copia, gloria, et honor, et pax, æterna beatitudo, et beata æternitas, cui sit honor et gloria nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXII.

FERIA SECUNDA PASCHÆ.

(LUC. XXIV.) « In illo tempore : Duo ex disci-

a Hic deest aliquid, vel abundat.

« pulis Jesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in « spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine « Emmaus. » Et reliqua. In exordio hujus lectionis solet movere nonnullos ad quærendum quinam isti duo discipuli fuerint, qui ipsa die resurrectionis ab Jerusalem recedentes, ad castellum Emmaus properaverint. Quod enim ex duodecim apostolis non fuerint, in fine hujus lectionis evangelista comprobat, cum dicit eos reversos in Jerusalem, et invenisse congregatos undecim. Unde apparet eos ex septuaginta fuisse discipulis, non ex duodecim apostolis. Et unius nomen quidem infra declaratur, cui nomen Cleophas fuisse dicitur: alterum vero nonnulli putant vocatum fuisse Emmaus, sicut et castellum quo ibant, et ideo superfluum visum fuisse evangelistæ ut uno brevi versiculo unum nomen geminaret. Allii etiam arbitrantur hunc fuisse Lucam evangelistam, qui hoc scripsit evangelium, et humilitatis causa suum nomen siluisse. Consuetudo enim est sanctorum ut, cum de se mira et magna loquuntur, propter custodiam humilitatis, sic de sua persona quasi de aliena loquantur, sicut Moyses fecisse invenitur, qui sic de se quasi de alio loquebatur, dicens: « Et erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra (*Num.* II). » Similiter et beatus Job de se, quasi de alio ait: « Vir erat in terra Hus, nomine Job (*Job.* I). » Qui enim Lucam unum ex his duobus discipulis fuisse putant, secundum hoc exemplum suum nomen siluisse dicunt. Sed quilibet horum fuerit, sciendum est, quia de Domini resurrectione dubii ab Jerusalem recedebant, quod non solum verbis, sed etiam factis ipsi demonstrant. Qui enim usque in tertiam diem in Jerusalem exspectaverant, æstimantes eum tertia die resurrecturum, sicut ipse promiserat, quia sponsionem non viderant, dubitantes, ab Jerusalem recedebant. Sed ignoscendum est eorum fragilitati, quoniam, sicut dicit evangelista, nondum erat Spiritus datus, « quia Jesus nondum fuerat glorificatus (*Joan.* VII.) » Unde bene spatium itineris, quo tendebant, eorum mentibus congruere videtur. Sexaginta enim stadia ab Jerusalem usque Emmaus numerantur Stadium enim a stando dictum est, vel statuendo, eo quod munus aliquod in certo loco statueretur ad exercitationem currentium. Et cum apud veteres stadiorum mensura diversa habeatur, legitimi tamen stadii auctorem Herculem tradunt, qui sub uno anhelitu centum viginti quinque passus cucurrisse dicitur, ac per hoc, si recte computetur, sexaginta stadia septimum milliarium et dimidium complent. Et sex quidem ad bona opera pertinent, quia sex dies sunt in quibus licet operari: septem autem ad requiem animarum, quia septimo die requievit Deus ab omnibus operibus suis: octo ad resurrectionem, quia octavo die Dominus resurrexit. Et per Salomonem dicitur: « Da partes septem, necnon et octo (*Eccle.* XI). » Quasi enim discipuli isti sextum milliarium cum Domino cucurrerant, quando eum in præsenti vita in bonis operibus conversantem viderant. Quasi enim ad septimum milliarium pervenerant, quando illum in sepulcro collocatum didicerant. Verum octavum dimidium perfecerant, quia eum prius resurrecturum crediderant, sed ex ejus resurrectione dubii ab Jerusalem recedebant. Sed quamvis de Domini resurrectione dubii ab Jerusalem recederent, ab ejus tamen amore funditus non recesserant. Unde et bene subditur.

« Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus « quæ acciderant. » Notandum autem quia non de superfluis, non de vacuis, neque ea quæ ad detractionem pertinent, neque risum moventia loquebantur, sed ad invicem de his omnibus qua acciderant, scilicet qualiter conversatus esset innocens, et sine querela in mundo, qualiter signa et miracula operatus sit, quomodo odiis Judæorum et calumniis traditus sit ad crucifigendum, qualiter se resurrecturum prædixerat, quod nondum videbant. Quia ergo hæc et hujusmodi de illo loquebantur, contigit ut etiam illum, quem absentem putabant, corporaliter viderent, et in his etiam ad litteram suam promissionem Dominus adimpleret, in qua dicit: « Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*Matth.* XVIII). » Unde et subditur:

« Et factum est, dum fabularentur et secum quæ« rerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis.» Ubi notandum quia, juxta mentis illorum qualitatem, Dominus suam formavit apparitionem. Illi enim in corde Dominum amabant, sed de ejus resurrectione dubitabant. Dominus autem eis in corpore apparebat, sed quis esset non demonstrabat. Quia ergo amabant videbant: quia vero de ejus resurrectione dubitabant, eum quem videbant, non agnoscebant. Sed quia ipsa dubitatio in illorum mentibus ex antiqui hostis insidiis nata fuerat, recte subjungitur:

« Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agno« scerent. » Tenebantur enim illorum oculi, sive ab ipsa dubitatione, sive ab antiqui hostis tentatione, ne eum quem videbant cognoscere possent. Qui enim propria virtute a mortuis resurrexit, in qua specie voluit, discipulis apparuit. Unde bene alius evangelista dicit: » Post hæc apparuit duobus ex illis in « alia effigie (*Marc.* XVI).

« Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos con« fertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? » Non ignorans Dominus interrogavit quod discipuli loquerentur, sed ex eorum locutione cordis requisivit confessionem, ut impleretur in illis quod alibi dicit: « Aut ex ore tuo justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis (*Matth.* XII). » Merito autem tristes ambulabant, quos fides resurrectionis nondum lætificaverat. Nondum enim erat impletum in illis quod Dominus repromiserat, dicens: « Tristitia vestra vertetur in gaudium (*Joan.* XVI): » sed adhuc in illa sententia tenebantur, quæ ait: « Mundus autem gaudebit, vos vero tristabimini (*Ibid.*): » Nam cujus rei gratia tristes incederent, unus eorum, cui nomen Cleophas, ostendit, cum ait:

« Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non « cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? » Ac

si diceret: Quomodo ex omnibus tu solus remanere A potuisti, ut ignorares ea quæ facta sunt his diebus in Jerusalem, maxime autem, cum propter magnitudinem suam nulli esse incognita possint? Sed illud prætermittendum non est, quod in peregrini specie Dominus post suam resurrectionem discipulis apparere voluit. Peregrinus enim erat illis, a quorum mortalitate longe distabat. Sive certe in peregrini specie apparuit, ut eorum mentes ad misericordiam provocaret, et eum quem Deum nondum cognoscebant, saltem ut peregrinum amarent. In peregrini specie quoque apparuit, ut nos, qui membra ejus sumus, in hac vita peregrinos et advenas nos esse sentiamus. Peregrinus enim dictus est, quasi pergens longius, sive paragrans aliena. Quo nomine illi censentur, qui a proprio solo expulsi, reditum cum B gemitu suspirant. Et nos quoque qui paradisi gaudia amisimus, quandiu in hac vita sumus, in aliena patria consistimus. Unde necesse est ut quotidie cum gemitu ad propriam patriam redire festinemus, dicentes cum Apostolo. « Dum sumus in corpore peregrinamur a Domino: quoniam non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*I Cor.* v). » In hac peregrinatione se esse sentiebat David, cum dicebat: « Quoniam advenæ et peregrini sumus apud te, sicut omnes patres nostri (*Psal.* xxxviii). » Et iterum: « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea (*Psal.* cxix). » Sed adhuc causas mœroris Dominus diligentius inquirit, dicens:

« Quæ? » At illi unde tristes essent aperuerunt, dicentes: « De Jesu Nazareno, qui fuit vir pro- C « pheta, potens in opere et sermone coram Deo et « omni populo. » Virum et prophetam testantur, et Filium Dei tacent: vel quia dubii de ejus resurrectione ab Jerusalem recedebant, vel quia insidias Judæorum metuebant. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur palam, extra synagogam fieret. Quia ergo Jesus Hebræo sermone, Latine Salvator dicitur, recte hoc nomine censetur, cujus resurrectio salutem credentibus consulit, sicut ait apostolus Petrus: « Non enim est in alio aliquo salus, neque aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvari (*Act.* iv). » Quia vero Nazaræus interpretatur sanctus, hoc nomen illi congruit qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. De quo scriptum est: « Scitote D quoniam mirificavit Dominus sanctum suum (*Psal.* iv). » Et item: « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* cxv). » Bene autem a discipulis, licet quem videbant ignorantibus, Salvator vir appellatur. Vir namque a viribus dictus est, et illi specialiter hoc nomen aptatur, qui solus diaboli vires resurgendo a mortuis potuit confringere, de quo scriptum est: « Ecce vir, oriens nomen ejus (*Zach.* vi). » Discamus ergo et nos ab illo confortati viri esse, ut diaboli tentationibus fortiter resistamus, et cuncta adversa viriliter toleremus, sicut fecit ille cui dictum est: « Accinge sicut vir lumbos tuos, et sicut fortis restringe luxuriam (*Job.* xxxvii). » Hinc et in laude Joseph dictum est: « Misit ante eos virum (*Gen.* xlv). » Hinc etiam Psalmista nos admonet, dicens: « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino (*Psal.* xxx). » Sed licet de ejus resurrectione dubii non ex toto discipuli erant, cum Dominum prophetarum prophetam vocabant, nam et ipse de seipso ait: « Non est propheta sine honore, nisi in patria sua (*Matth.* xiii). » Et iterum: « Non oportet prophetam occidi extra Jerusalem (*Luc.* xiii). » Et in ejus persona per Moysen dicitur: « Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris, tanquam me: ipsum audietis (*Deut.* xviii). » Potens primum in opere, deinde in sermone dicitur: quia quod docuit verbis, ostendit exemplis, sicut scriptum est: « Quia cœpit Jesus facere et docere (*Act.* i). » Ordinata enim prædicatio est, ut primum opere impleas quod postea verbis doceas, juxta exemplum Domini, qui ait: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* xi). » Bene quidem primum coram Deo, deinde coram omni populo potens esse dicitur, ut in omni opere ante omnia Deo placere studeamus. Non enim primum placendum est hominibus, sed primum placere debemus Deo, deinde hominibus: non ob nostram gloriam, sed ut ipsi homines placeant Deo, cui nos placere viderint, juxta quod Dominus nos admonet, dicens: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* v). » Et Apostolus: « Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (*Rom.* xii). » Et iterum: « Placete omnibus, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi est utile, sed quod multis, ut salvi fiant (*I Cor.* x). »

« Et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes « et principes nostri in damnationem mortis, et « crucifixerunt eum. » Hic illud discipuli commemorant, quod superius textus Evangelii declarat, qualiter scilicet a summis sacerdotibus propter invidiam traditus sit ad crucifigendum. Sed illud quærendum est, quare dicant eum a principibus sacerdotum traditum, cum legamus quod eum Judas tradiderit, dicens: « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? » (*Matth.* xxvi) Sed ex hac quæstione iterum oritur alia quæstio: quomodo Judas vel Judæi eum tradidisse dicantur, cum legamus quod Pater eum tradiderit, dicente Apostolo: « Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* viii). » Nam et ipse Filius semetipsum tradidit, sicut idem Apostolus alibi ait: « Qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me (*Gal.* ii). » Et iterum: « Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis (*Ephes.* v). » Si ergo Pater tradidit Filium et Filius semetipsum, nunquid Judæi et Judas inculpabiles sunt, si hoc fecerunt quod Pater et Filius? Non, sed uno traditionis verbo diversæ voluntates expressæ sunt. Tradidit enim Judas propter avari-

tiam: tradiderunt eum Judæi, sed propter invidiam: A tradidisse cum dicitur Pilatus, cum eum crucifigi permisit; tradidit eum Pater, sed propter nostram liberationem; tradidit semetipsum Filius, sed propter nostram dilectionem. Ergo Pater et Filius non solum sunt amandi, sed etiam glorificandi. Judas autem et Judæi non solum detestandi, sed etiam condemnandi, quia quod Pater et Filius fecerunt charitate, illi cupiditate fecerunt. Quod autem dubitantes ab Jerusalem isti discipuli recederent, suis verbis apparuerunt, cum dixerunt:

« Nos autem sperabamus quod ipse esset redem« pturus Israel. » Seperabamus quippe, præteriti imperfecti temporis verbum est. Et qui non speramus, sed sperabamus dixerunt, de ejus resurrectione dubitare se ostenderunt. Minus enim Spiritus sancti B gratia instructi, speravere quod resurgens a mortuis Salvator redempturus esset Israel, id est regnum Israel, corporaliter multo nobilius quam quondam David regeret, reparaturus. Hac suspicione permoti fuerant illi duo, qui suaserunt matri ut peteret ab eo dicens: « Domine, dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, et alter ad sinistram tuam, in regno tuo (*Matth.* xx). » Hac etiam dubitatione tenebantur illi, qui post resurrectionem interrogabant eum, dicentes: « Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel (*Act.* I)? »

« Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, « quod hæc facta sunt. Sed et mulieres quædam ex « nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt « ad monumentum, et non invento corpore ejus, « venerunt dicentes se etiam visionem angelorum C « vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt qui« dam ex nostris ad monumentum, et ita invene« runt sicut mulieres dixerunt. ipsum vero non in« venerunt. » Quod discipuli commemorant breviter, superior textus Evangelii narrat sufficienter, scilicet quomodo mulieres quæ secutæ Dominum fuerant a Galilæa, cum præparatis aromatibus ad monumentum venerunt, et, responso ab angelo accepto de ejus resurrectione, discipulis nuntiaverunt. Tunc quoque duo ex illis, Petrus et Joannes scilicet, cucurrerunt ad monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.

« Et ait ad illos: O stulti et tardi corde ad cre« dendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. » Merito non solum discipulorum stultia redarguitur, D sed etiam tarditas increpatur: quia cum omnia in Domini doctrina, in miraculis, in passione, sicut de ills prophetæ prædixerant, completa cernerent, de ejus resurrectione dubitare non debuerant: et maxime, cum omnia quæ in eo ventura erant, antequam pateretur, ab ipso Domino prius prædicta recolerent. Et non solum illorum, verum etiam et nostra ignavia atque tepiditas redarguitur, qui nec præclara discere volentes, nec ea quæ discimus opere implere satagimus: et ideo ad dicendum tardi, et ad opus pigri invenimur. Quibus recte dicitur:

« Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare « in gloriam suam? » Quod interrogative legendum est, ut subaudiatur, oportuit. Oportuit enim Christum pati, non pro se, sed pro nobis. Dicitur autem intrare in gloriam suam, a qua nunquam discessit, eo quod nos intrare fecerit, qui longe per peccatum ab illa expulsi fueramus. Sicut enim videre et confiteri dicitur, eo quod nos aliquid videre et confiteri faciat, ita quoque in gloriam suam dicitur intrare per passionem. Igitur Dominus in gloriam suam intravit, ostendens nos per multas tribulationes intrare debere in regnum Dei. Tantum enim caput nostrum, qui est Christus, membra sua diligit, ut frequenter ipse agere dicatur, ud quod faciendum nos idoneos efficit. Sed quia ad intelligendum Scripturam stulti et tardi erant, post increpationem piam Dominus adjungit expositionem. Unde et subditur:

« Incipiens a Moyse et omnibus prophetis, inter« pretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de « ipso erant. » Interpretabatur in omnibus Scripturis, maxime ea quæ ad passionem pertinebant et resurrectionem, ut omnem dubitationem ab eorum mentibus auferret, et ad credendum resurrectionem animos eorum confirmaret, quale est illud: « Foderunt manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI). » Et: « Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (*Ibid.*). » Et: « Insurrexerunt in me testes iniqui (*Psal.* XXVI), » et cætera talia. Sed forte movet aliquem quare Dominus, cum interpretabatur Scripturas discipulis, a Moyse cœpisse dicatur, cum plures patres ante Moysen fuisse legamus, qui et verbis et exemplis ejus passionem et resurrectionem prophetaverint. Quid enim mors Abel (*Gen.* IV), nisi passionem Christi significavit? Sicut enim ipse a fratre injuste occisus est, ita quoque et Dominus innocenter a Judæis occisus est. Quid enim per translationem Henoch (*Gen.* V), nisi ascensio Domini significantur? Quid per Noe, qui arcam in diluvio rexit (*Gen.* VII), nisi Dominus intelligitur, qui caput est Ecclesiæ? Et quid per Abraham, qui filium immolavit (*Gen.* XXII), nisi Deus Pater accipitur, qui proprio Filio suo non pepercit? Sic quoque immolatio Isaac passionis Christi typum tenuit. Nam et Jacob pastor ovium (*Gen.* XXX) Dominum nostrum Jesum Christum significat, qui ait in Evangelio: « Ego sum pastor bonus (*Joan.* X), » Similiter venditio Joseph venditionem præfiguravit Christi. Sed forte movet aliquem, ut diximus, quare Dominus, cum interpretabatur Scripturas discipulis, a Moyse cœpisse dicatur, cum plures patres ante Moysen fuisse legamus, qui et verbis et exemplis ejus passionem et resurrectionem prophetaverint. Sed ad hoc dicendum est quia, licet ante Moysen plures patres fuerint, tamen eorum actionem Moyse scribente cognovimus, quem veracis historiæ scriptorem primum fuisse non dubitamus. A quo libro ergo illorum Dominus Scripturas interpretari cœpit? A Moyse cœpit, quia illorum actiones (ut diximus)

primus Moyses scripsit. Inde enim scripsit homo, quando non erat homo.

« Et appropinquaverunt castello quo ibant, et ipse « se finxit longius ire. » Cum fingere soleat esse hypocritarum, quid est quod Dominus se finxisse dicitur? Ad quod rationabilis patet responsio, quia non semper fingere simulare dicimus, sed aliquando etiam componere, Unde et compositores luti figulos vocamus, et eos qui carmina dictant, fictores, id est compositores carminum. Quibus exemplis discimus quia simplex veritas nihil per duplicitatem egit, sed talem coram discipulorum oculis composuit vel exhibuit, ut manifestum fieret, si discipuli eum, quem Deum cognoscebant, saltem ut peregrinum diligerent. Sed absit ut eos a charitatis visceribus alienos esse credamus qui cum auctore misericordiæ gradiebantur. Nam subditur:

« Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, « quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies.» Quorum exemplo discimus quia peregrini et hospites non solum cum adsunt recipiendi sunt, sed etiam cum desunt vocandi atque cogendi. Nam quantum hospitalitatis virtus valeat, et ipse comprobat, qui se in judicio fidelibus dicturum repromisit: « Hospes fui, et collegistis me. Et quandiu fecistis uni de minimis meis, mihi fecistis *Matth.* xxv). » Quod etiam in opere Abrahæ et Loth discimus, qui frequenter hospites suscipiendo, aliquando angelos susceperunt, Unde nos Apostolus admonet, dicens: « Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio susceptis (*Hebr.* xix; *Gen.* xix). » Hinc et Petrus apostolus nos hortatur, dicens: « Hospitales invicem sine murmuratione (*I Petr.* iv). » Hinc etiam beatus Job de seipso testatur, inquiens: « Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit (*Job.* xxxi). »

« Et intravit cum illis. Et factum est dum recum« beret cum eis, accepit panem, benedixit ac fre« git, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, « et cognoverunt illum. » Quia fides sine operibus mortua est, hinc cognoscere possimus, quia Deum, quem discipuli nec ex visione, nec ex Scripturarum interpretatione cognoverant, mox ut opere, quod Scripturæ præcipiunt, perfecerunt. « Cognoverunt eum in fractione panis, » Quoniam sicut Apostolus ait: « Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (*Rom.* ii). » Et sicut Dominus dicit: « Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud (*Luc.* ii). » Nos quoque pro modulo nostro in fractione panis Dominum cognoscimus, si mundo corde et casto corpore mysterium corporis et sanguinis ejus cum digna reverentia sumimus.

« Et ipse evanuit ab oculis eorum. Et dixerunt ad « invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, « dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scriptu« ras? » Quia, sicut ait Apostolus, « Deus noster ignis consumens est (*Hebr.* xii). » Postquam Dominus ab oculis discipulorum evanuit, quo ardore in via ejus locutione accensi sint, declarant, dicentes: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur in via? » etc. Illo enim igne succensi fuerant, de quo Dominus ait: « Ignem enim veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat (*Luc.* vii)?» Hoc igne accensum se noverat, qui dicebat: « Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis (*Psal.* xxxviii). » Sed quia omnis qui Deo docente bonum discit per charitatis mysterium, aliis annuntiare debet, probant hoc isti discipuli, de quibus subditur:

« Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Jeru« salem. » Non enim fatigatione itineris prohibiti sunt, non vespertinæ horæ impedimentum timuerunt, sed cadem hora surgentes regressi sunt in Jerusalem nuntiare apostolis quod de Domini resurrectione in via compererant. Unde bene subjungitur:

« Et invenerunt congregatos undecim et eos qui « cum ipsis erant, dicentes: quod surrexit Dominus « vere, et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ « gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum « in fractione panis. » Quod sibi ubi vel quando factum sit, evangelista non declarat, tamen quia factum sit non tacet, dicens: « Quia resurrexit Dominus vere, et apparuit Simoni, » id est Petro, teste Apostolo, qui ait: « Qui visus est Cephæ, et post hæc undecim (*I Cor.* xv). » Primum enim omnium virorum, Petro apparuisse Dominus post resurrectionem creditur, non solum ut apostolatus ejus ordinem consolidaret, sed etiam ut mentem ejus, quæ in passione titubaverat, reformaret.

HOMILIA LXXIII.

FERIA TERTIA PASCHÆ.

(Act. xiii.) « In diebus illis: Surgens Paulus, et « manu silentium indicens, ait: Viri fratres, filii « generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, » et reliqua. Omnes quibus iste loquebatur apostolus, secundum carnem filii Abrahæ erant, sicut et ipsi de seipsis in alio loco dixerunt (*Joan.* viii): « Semen Abrahæ sumus, et nulli servivimus unquam. » Et iterum: « Pater noster Abraham est. » Et Dominus illis: « Scio quia filii Abrahæ estis. » Imitatione enim non filii Abrahæ erant illi, quibus Dominus loquebatur: « Vos ex patre diaboio estis. » Inde ergo Judæi filii diaboli, non nascendo, sed imitando. « Vos, inquit Dominus, ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis. » Ecce unde filii diaboli. Quæ sunt illius desiderio? « Ille homicida erat ab initio, et vos quæritis me occidere, » Ecce quomodo imitatione filii diaboli. Nam et Filii erant Abrebæ, propter originem carnis, quibus ista Apostolus loquebatur, et filii imitationis propter castitatem timoris, quibus specialiter dicebat. « Et qui in « vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus « missum est. » Illud utique de quo Isaias ait: « Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel

(*Isa.* IX). » Id est misit Deus Filium suum, de quo Joannes ait: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Ad Jacob, id est ad Judæos et venit ad Israel, id est ad gentilem populum. Deus autem Verbum ipse est Dei Filius. Quapropter cum eum Pater Verbum misit a Patre, et Verbo ejus factum est ut mitteretur. Ergo a Patre et Filio missus est idem Filius, quia Verbum Patris est ipse Filius, in ipso Dei Verbo quod erat in principio apud Deum, et Deus erat Verbum. In ipsa scilicet sapientia Dei erat, quo tempore Verbum caro fieret. et habitaret in nobis: quæ plenitudo temporis cum venisset, misit Deus Filium suum factum ex muliere (*Gal.* IV). ut incarnatum Verbum hominis appareret.

« Qui enim habitant Jerusalem et principes ejus, « ignorantes Jesum et voces prophetarum, quæ per « omne sabbatum leguntur. » Hinc etiam in Actibus apostolorum scriptum est, Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis. In his testimoniis manifeste declaratur, quia lectio legis, vel prophetarum a Judæis sabbato semper in synagogis legebantur.

« Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta « sunt. » Hæc verba Joannes hoc modo narrat, dicens: « Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt. ut consummaretur Scriptura, dicit: Sitio (*Joan.* XIX). Peractis omnibus Jesus quæ ante suam mortem peragi oportebat, quando voluit, et sicut voluit, tradidit spiritum. » Deponentes eum de ligno.» A Moyse in eremo æreus serpens ligno suspensus est, ut Dominus in serpente mortuus, et in ære significaretur æternus, videlicet ut judicaretur mortuus per humanitatem, et tamen esset quasi æreus per divinitatem. Quid respondendum est Judæis objicientibus testimonium illud: « Maledictus omnis qui pependit in ligno (*Deut.* XXI)? » Maledictum esse hominem qui in ligno pendeat, sed noxium, non innocentem. Neque enim innocentiæ potest esse maledictum pœna peccati. Etenim si Mardochæus præparato ligno appensus sententiam regiæ crudelitatis explesset, nunquid eum hi nunc dignum ad maledictionem judicarent? Non omnino. Idcirco Dominus noster pependit in ligno, ut nos a delicto, quod in ligno fuerat perditionis admissum, ligno appensus absolveret. » Posuerunt eum in monumento. » In monumento novo positus est Jesus, in quo nondum quisquam positus erat. Sicut in virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est: ita in hoc monumento, nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.

« Deus vero suscitavit illum a mortuis. » Radix amara crucis evanuit, flos vitæ cum fructibus surrexit in gloria. Hæc est virga Aaron, quæ post siccitatem floruit. Virga enim post ariditatem virescens, Christus est post mortem resurgens, qui est flos virginum, corona martyrum, gloria continentium, « qui visus est per dies multos. » Id est per dies quadraginta. Non tamen eis per omnes illos quadraginta dies continuo apparuit, sed quoties voluit, quibus voluit, et quemadmodum voluit, apparuit « his qui « simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusa- « lem. » Salva historia, videamus intelligentiam. Galilæa namque *transmigratio facta* interpretatur, Jerusalem *visio pacis*. Illi enim cum Domino de Galilæa ascendunt in Jerusalem, qui prius hic vitiorum fomitem respuentes, ad virtutum culmina transmigrant. Illi scilicet cum Redemptore nostro a passione ad resursectionem transmigrant, et in Jerusalem cœlesti quandoque Dominum læti videbunt, qui hoc modo, vitiis derelictis, ad virtutum celsitudinem transierint.

« Et nos vobis annuntiamus ea duæ ad patres no- « stros repromissio facta est. » Abrahæ enim dictum est: « In te benedicentur universæ cognationes terræ (*Gen.* XXII). » Jacob autem, « et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ (*Gen.* XXVIII). » Quod Apostolus exponens, ait: « Non dixit in seminibus. sed in semine tuo, quod est Christus (*Gal.* III). » Semen quidem Abrahæ Christus est, in cujus nominis fide omnibus terræ familiis, Judæis videlicet et gentibus, est benedictio repromissa, id est significata.

« Dabo vobis sancta David fidelia. » Id est quæcunque David fideli promisi, eadem vobis fidelis sponsor implebo, Christum scilicet de ejus stirpe nasciturum.

HOMILIA LXXIV.

FERIA TERTIA PASCHÆ.

(LUC. XXIV). « In illo tempore: Stetit Jesus in « medio discipulorum suorum. » Et reliqua. Hærent sibi divinæ lectiones, et frequenter una pendet ex altera, ita ut nonnunquam exordia subsequentis facilius intelligantur ex consideratione præcedentis. Quod in hac lectione facile agnoscimus, si superiora hujus Evangelii parumper attendamus. Postquam enim commemoravit evangelista duobus discipulis Dominum in via apparuisse, postquam eum cognitum ab eis in fractione panis narravit fuisse, adjecit continuo: « Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem, et invenerunt congregatos undecim et eos qui cum ipsis erant, dicentes quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. » — « Dum hæc autem ad « invicem loquerentur, Jesus stetit in medio eorum. Unde apparet quia hæc apparitio ipso die Dominicæ resurrectionis facta est: cujus apparitionis modum Joannes evangelista apertius declarat, dicens: » Cum esset sero die illa una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus et stetit in medio (*Joan.* XX). » Ubi considerandum quod de se colloquentibus Dominus in medio stetisse dicitur, ut intelligamus quia tunc eum nobiscum habitantem habebimus, si quoties in unum congregamur, ea loquimur et agimus quæ ad ejus laudem et nostram salutem pertinent.

juxta quod ipse ait: « Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*Matth.* XVIII). » Sed apparens discipulis Dominus, quid dixerit audiamus: « Pax vobis. » Et pulchre resurgens a mortuis, primo pacem discipulis commendavit, ut per suam passionem, resurrectionem, angelicam at humanam naturam reconciliatam esse ostenderet. Ex eo enim tempore quo primus homo peccando recessit a Deo, discordia inter homines et angelos fuit. Sed quia humanam naturam Dominus redimens, ad consortium angelorum revocavit, resurgens a mortuis, quasi speciale munus discipulis pacem contulit. « Ipse est enim, » ait Apostolus, « pax nostra qui fecit utraque unum, et medium parietem copulavit, dissolvens inimicitias in carne sua, ut duos conderet in semetipso, in uno novo homine faciens percem, et reconcilians ambos in uno corpora Deo. Et veniens evangelizavit pacem his qui longe, et pacem his qui prope (*Ephes.* II). » Sive resurgens a mortuis discipulis pacem commendavit, ut illos ad suam visionem perventuros esse demonstraret, qui pacis concordiam corde et corpore servant, juxta quod ille alibi dicit : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* V). » — « Pax enim, » ait Psalmista, « multa dilgentibus legem tuam, Domine, et non est illis scandalum (*Psal.* CXVIII). » Sed ne alium esset putarent, cujus corpus post resurrectionem clarificatum videbant, adjunxit continuo: « Ego « sum. » Ubi considerandum quia non dixit ego fui, sed ego sum. Sum quippe substantivum verbum, quod nec præteritum, nec futurum sonat, sed semper præsens, illi specialiter congruit, cui nec futura succedunt, nec præterita transeunt, sed semper habet esse per æternitatem, sicut ipse ait ad Moysen : « Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos (*Exod.* III). » Quia vero humani oculi immortale corpus sine timore videre non poterant, confortari a Domino indigebant. Ait enim : « Nolite timere. » Habet enim fragilitas humanæ naturæ hoc proprium, ut cum aliquid supra se viderit, infra se pertimescat. Unde et subditur :

« Conturbati vero et conterriti, existimabant se « spiritum videre. » Sed ista subitanea conturbatio discipulorum, magnus error factus est Manichæorum. Et ipsi enim qui negabant Deum veram carnem non assumpsisse, hoc in adjutorium sui erroris assumere voluerunt, quod ab apostolis Dominus post resurrectionem spiritus sit æstimatus. Sed hunc errorem discipulorum ipse Dominus falsum comprobavit, cum ab hoc errore discipulorum animos revocavit, dicens :

« Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in « corda vestra? » Ubi notandum, quia non dixit, cogitationes descendunt in corda vestra, sed ascendunt. Bonæ enim cogitationes descendunt, quia desuper a Domino dantur, teste Jacobo apostolo, qui ait: « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jac.* I). » Malæ vero cogitationes descendunt, quia

A ab immundis spiritibus ex imo immittuntur. Aliter enim ros desursum descendens terram irrigat, aliter favilla ventorum impetu in aera rapitur. Et ut omnem dubitationem de sua resurrectione a discipulorum mentibus auferret, manus et pedes palpando præbuit, dicens :

« Videte manus meas et pedes, quia ego ipse « sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et « ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum « hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. » Non solum manus et pedes, sed etiam juxta Joannis Evangelium, latus, quod lancea perforatum fuerat præbuit, ut in manibus et pedibus fixuras clavorum, et in latere lanceæ apertionem videntes, resurrexisse cognoscerent, quem ante triduum viderant crucifixum. B Ubi movet aliquem, quomodo post resurrectionem corpus Domini incorruptibile et palpabile fuerit, cum omne quod est incorruptibile sit et impalpabile : et omne quod est palpabile sit corruptibile. Sed miro et ineffabili modo Dominus post resurrectionem corpus suum et palpabile præbuit, et incorruptibile demonstravit : ut monstrando palpabile, reformaret ad fidem : ostendendo incorruptibile, invitaret ad præmium. Sive certe et palpabile et incorruptibile post resurrectionem corpus suum exhibuit, ut ostenderet se ejusdem esse naturæ, et alterius gloriæ. Sed quia in Domini resurrectione nostra generalis resurrectio est præfigurata, cum Dominus post resurrectionem corpus suum et palpabile præbuit, et incorruptibile demonstravit, ostendit nostra corpora post resur- C rectionem ita esse incorruptibilia, ut possint esse et palpabilia. Unde mentitur et convincitur Eutyches hæreticus, qui dicit corpora nostra post resurrectionem vento aerique esse similia futura: et sicut jubar solis videri potest, ita et corpora nostra esse quidem visibilia, sed impalpabilia, hoc in adjutorium sui erroris assumere volens, quod ait Apostolus : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* XV). » Non intelligens quia caro in Scripturis varias habet significationes. Aliquando enim carnis nomine ipsa carnis natura designatur, aliquando ejusdem carnis fragilitas, aliquando vero peccata, quæ ex carne oriuntur, nonnunquam genealogia cognationis. Carnis nomine ipsa carnis subtantia designatur, sicut scriptum est : « Hoc nunc os ex os- D sibus meis, et caro de carne mea (*Gen.* II). » Aliquando autem carnis nomine, carnis fragilitas designatur, sicut scriptum est: « Et recordatus est quia caro sunt (*Psal.* LXXVII), » id est fragiles. Aliquando genealogia cognationis, nomine carnis exprimitur, sicut Petro dictum est : « Non tibi revelavit caro et sanguis (*Matth.* XVI). » Et sicut ait apostolus Paulus : « Continuo non acquievi carni et sanguini. (*Gal.* I). » Carnis quoque nomine, vitia et peccata quæ ex carne oriuntur significantur, sicut dictum est : « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, eo quod sit caro (*Gen.* VI). » Ergo in eo quod ait Apostolus : « Caro et sanguis regnum Dei

A non possidebunt, » non naturam carnis resurrecturam esse negavit, sed vitia quæ ex carne oriuntur, cum Christo non posse regnare ostendit. Unde et consequenter adjunxit : « Neque corruptio incorruptelam possidebit (*I Cor.* xv). » Cæterum credendum est carnem nostram in resurrectione, absque corruptione vel fragilitate mortis, in veritate substantiæ esse resurrecturam, juxta illud quod beatus Job testatur, dicens : « Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse et non alius, et oculi mei conspecturi sunt (*Job.* xix). » Sed solet in hoc loco mendax paganorum stultitia simplicitatem Christianam irridere, dicens : Qua temeritate putatis, vos Christiani, quod Deus vester vestra B corpora de pulvere possit resuscitare, cum, sicut dicitis, ipse resurgens a mortuis, in sua carne vestigia passionis non potuit sanare ? Ad quod vera fides respondet non hoc fuisse impossibilitatis, sed potius pietatis. Majus est enim carnem suscitare, quam in ipsa carne passionis vestigia sanare. Sed qui quod majus est potuit, quod minus est utique fecisset, nisi varias ob causas vestigia passionis in ipsa sua carne reliquisset. Primum, ut fidem discipulorum de sua resurrectione dubiam facilius ad credendum reformaret. Etsi enim tarde crediderunt apostoli, videntes in ejus corpore fixuras clavorum, multo tardius credidissent, nisi in ejus corpore signa passionis recognovissent. Unde unus eorum dicentibus aliis, « vidimus Dominum, » cum quidam attestatione affirmabat dicens : « Nisi videro in manibus C ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam (*Joan.* xx). » Sive certe resurgens a mortuis Dominus, in carne sua vestigia passionis reservare voluit, quia veniens ad judicium in eadem forma omnibus apparebit, justis scilicet et injustis : ut justi videntes quanta et qualia pro eorum ereptione Auctor humani generis sustinuit, in ejus laude et gratiarum actione proficiant : injusti vero tanto deterius puniantur, quanto largiora Dei beneficia indignius contempserunt, sicut scriptum est : « Videbunt in quem transfixerunt (*Zach.* xii). » Et iterum alia Scriptura dicit : « Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ (*Apocal.* i). » Et alio item loco : « Tunc plangent omnes D tribus terræ, et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate (*Matth.* xxiv). » Et adhuc aliter Dominus in sua carne vestigia passionis reservavit, ut quid advocatus est noster, et Patrem interpellat pro nobis in humanitate, qui cuncta dat cum Patre per divinitatem, ipsa vulnera, quæ pro nostra redemptione sustinuit, Patri ostendat, ut eum misereri hominibus faciat, pro quibus unigenitus Dominus tanta ac talia sustinere non recusavit: et sic eum qui misereri non cessat, ad miserandum provocet. Vel certe post resurrectionem Dominus vestigia passionis in sua carne voluit reservare, u ipsa signa passionis victoriam quam de antiquo hoste obtinuit, in perpetuo prædicent. Sicut enim, verbi gratia, fortissimus miles, cum jubente imperatore in prælium processerit, si contigerit eum victorem quidem, sed vulneratum ad propriam patriam redire, non ita vult sanari a medicis, ut vestigia vulnerum non appareant, sed absque deformitate apparentes, ejus audaciam cunctis videntibus indicent : ita et Dominus resurgens a mortuis, vestigia passionis in sua carne voluit apparere, ut victorem eum diaboli ipsa signa per infinita sæcula demonstrent. Et quia discipulorum mentes inter mœrorem et gaudium positæ, nondum perfectæ eum resurrexisse credebant, verum indicium resurrectionis adhuc manifestat. Unde et subditur :

« Adhuc autem illis non credentibus, sed præ « gaudio mirantibus dixit : Habetis hic aliquid quod « manducetur ? At illi obtulerunt ei partem piscis « assi et favum mellis. Et cum manducasset coram « eis, sumens reliquias dedit eis. » Manducavit ergo et bibit coram discipulis post resurrectionem, non quod cibo carnali sustentari indigeret, sed ut in veritate carnis se resurrexisse monstraret, quia proprie comedere ad corpus pertinet, non ad spiritum. Manducavit et bibit coram discipulis, ut tanto ejus resurrectionem securius prædicarent, quanto non solum carnem ejus manibus palpassent, sed etiam oculis corporalibus comedere vidissent, et securi postea dicerent : Quia visus est post resurrectionem non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis, et præcepit nobis prædicare populo et testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Sed nec ipsius cibi qualitas, quem post resurrectionem comedit, a mysterio vacua credenda est.

« Obtulerunt, » inquit, « ei partem piscis assi et « favum mellis. » Quid in pisce asso, nisi Mediator Dei et hominum significatur esse passus ? Ipse enim ut piscis latere dignatus est in aquis generis humani, ipse ut piscis captus est hamo passionis, sed melle dulcior exstitit in resurrectione. Cujus dulcedinem degustaverat ille, qui dicebat : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo (*Psal.* cxviii). » Favus namque mel in cera est. Mel ergo in cera, dulcedo divinitatis est, juncta forma humanitatis.

« Et cum manducasset coram eis, sumens reli« quias dedit eis. » Quod Dominus reliquias ciborum discipulis tradidit, ad hoc pertinet, quia suam passionem eis imitandam esse ostendit, juxta quod ipse alibi ait : « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me (*Luc.* ix). » Unde unus eorum aiebat : « Christus passus est pro nobis (*I Petr.* ii), » etc. Dedit ergo eis reliquias piscis assi et favum mellis, qui suam passionem amaram esse ostendit in dolore cordis, sed dulcissimam in gloriam resurrectionis. Unde

unus eorum, qui quasi stigmata passionis ejus in suo corpore perferebat, ait : « Fratres, existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. » (*Rom.* VIII.)

« Et dixit ad illos : Hæc sunt verba quæ locutus « sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum. » Nunquid enim cum eis non erat, quibus visibiliter loquebatur? Erat utique per præsentiam corporis, sed longe ab eis distabat per communionem fragilitatis, quia illi erant corruptibiles et mortales, ille incorruptibilis et immortalis. Et ideo cum præsentialiter loqueretur, ait : « Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum. » « Quoniam « necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in « lege Moysi et prophetis et psalmis de me. » Ubi non solum legem, sed etiam ad suam passionem et resurrectionem confirmandam, prophetarum et psalmorum oracula adhibuit, ut (quia juxta quod ipse ait. « In ore duorum vel trium testium stet omne verbum (*Deut.* XV) ») si quis legis testimonia de eo credere renuit, saltem multorum testimonia in prophetarum et psalmorum oraculis discredere non præsumat, sed credenda judicet.

« Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scri« pturas. » Et quia per se Scripturas intelligere non poterant, aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, ut quod carnaliter audiebant, spiritualiter intelligerent. Quid autem in lege et prophetis et psalmis de eo scriptum sit, manifestat cum adjungit :

« Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic « oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis « die tertia. » Oportebat Christum pati, et resurgere, non pro se, sed pro nobis, ut per suam indebitam passionem, a debita pœna nos liberaret, et per suam sanctam resurrectionem nos secum regnaturos ostenderet : quia, sicut ait Apostolus, « mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV). » Unde bene suam resurrectionem non longius quam usque in diem tertium differre voluit, ita ut duabus noctibus et una die in sepulcro quiesceret. Nox quidem ad peccatum pertinet et natura quidem humana duabus mortibus tenebatur astricta : animæ, propter peccatum ; carnis vero, propter vindictam peccati. Quia enim Mediator Dei et hominum sola carne mortuus est, ut nos a morte animæ liberaret, recte duabus noctibus, et una die in sepulcro quiescere voluit, quoniam per suam simplam mortem nostram duplam damnavit. Ut quid autem pro nobis mori vel resurgere voluerit, manifestatur, cum adhuc subditur : « Et præ« dicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem « peccatorum. » Non ergo durum vel asperum videatur, quod dicitur, « prædicari in nomine ejus pœnitentiam : » quia valde dulce est quod sequitur, « in remissionem peccatorum. » Et ubi hæc prædicanda essent, manifestatur cum subinfertur : « In omnes « gentes. » Quo verbo Donatistarum hæresis confunditur, qui localem Deum inducere volentes, in sola Africa ejus fidem esse dixerunt, non attendentes quod ipse Dominus ait : « In omnes gentes. » In omnibus gentibus per apostolorum ministerium pœnitentia et remissio peccatorum prædicata est, impleta prophetia quæ dixit : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. » Et ne aliquis propter magnitudinem peccatorum de venia desperaret, subjunctum est : « Incipientibus ab Hie« rosolyma. » Nullus ergo præ magnitudine peccatorum suorum remissionem se posse consequi desperet, si legitime pœniteat, quando ipsis Hierosolymitis cognoscit indultum, qui cruentis manibus et mendacibus vocibus ipsum sanguinem per quem genus humanum redemptum est, effuderunt : quoniam sicut Dominus ait per prophetam : « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. » (*Ezech.* XVIII.)

HOMILIA LXXV.

FERIA QUARTA PASCHÆ.

(ACT. III.) « In diebus illis, aperiens Petrus os « suum dixit : Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, « audite. » Et reliqua. Notandum quod viros de genere Israel, et timentes Dominum, ad audiendum Dei provocet verbum. Viri enim dicuntur a viribus, quia nesciunt tolerando deficere, aut in prosperis aliqua se elatione jactare, sed animo stabili defixi, et cœlestium rerum contemplatione firmati, manent semper impavidi. « Qui timetis Dominum, inquit, audite, » id est, qui reverentiam habetis nominis ejus : quia ejus verba non meretur audire, nisi qui cognoscitur et timere. Timor autem Domini, quia justus et rectus est, auditum renovat, amorem tribuit, ardorem charitatis inflammat.

« Deus abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, « Deus patrum nostrorum. » Poterat enim dicere, Deus Abraham, Isaac et Jacob, sed ter nominat Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Jacob, ut tu intelligas Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Et ne tibi scandalum terna Dei nominatio generaret, addidit « patrum nostrorum. » Prudenter enim personas distinxit, et naturam univit. « Glori« ficavit Filium suum, » quando post resurrectionem nimis mirabilem, totius mundi credulitatem Deus in eo quod homo factus est, habere concessit. Glorificavit eum gloria resurrectionis, glorificavit gloria ascensionis, et glorificavit suæ dexteræ sessionis. « Quem vos quidem tradidistis. » Hinc enim respondit Pilatus Domino, dicens : « Nunquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti (*Joan.* XVIII) ? » subaudiatur, ut tradereris mihi. Tradiderunt enim Dominum sacerdotes per invidiam, tradidit Judas pro cupiditate, tradidit Pater pro nostra liberatione, tradidit semetipsum Filius pro nostra dilectione. De Patre enim ait Apostolus : « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII). » De Filio autem, « qui dilexit nos, et tradidit semet-

ipsum pro nobis (*Gal.* II), » et « negastis ante faciem Pilati, » dicentes : « Crucifige, crucifige » talem. « Nos non habemus regem nisi Cæsarem. Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit, » « judicante illo dimitti. » Quærebat enim, ait Evangelium, Pilatus opportunitatem, ut dimitteret Jesum, dicens : « Ego non invenio in eo causam, » sed neque Herodes. Pilatus mittit ad Herodem, Herodes mittit ad Pilatum. Inter duas impietates discurrit pietas, et tamen impietas pietatem non potest condemnare. Præsens est reus, et non invenitur reatus. Tradidistis mihi hunc hominem quasi avertentem, inquit, populum, et ecce coram vobis interrogans, nullam causam invenio in eo ex his, in quibus eum accusatis. Dicitis quod præcipiat tributa non solvi Cæsari, comprobavi falsum esse quod objicitis. Docere hunc contra legem dicitis, et probavi eum non destruere legem, sed adimplere. Omnia quæ objecistis, in diversum inventa sunt.

« Et petistis virum homicidam donari vobis. » Erat autem, ait Evangelium, qui dicebatur Barabbas vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Barabbas enim, qui *filius patris eorum* interpretatur, significat diabolum, qui multas seditiones in toto concitat orbe, homicidia scilicet et adulteria et omnia crimina, quia statim ut Jesus crucifixus est, Barabbas iste dimissus, suffocat populum Judæorum.

« Auctorem vero vitæ interfecistis, » illum qui plasmavit hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem, illum qui dixit : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). » Et de quo Joannes : « Hic est verus Deus et vita æterna (*I Joan.* V). »

« Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam « fecistis. » Si enim cognovissent, ait Apostolus, « nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. » (*I Cor.* II.)

« Deus autem qui prænuntiavit per os omnium « prophetarum pati Christum suum, implevit sic. » Hinc et ipse Dominus Cleophæ, et alio discipulo ait : « O stulti et tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt prophetæ, nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant (*Luc.* XXIV). » Si enim Moyses et omnes prophetæ Christum locuti sunt, et hunc per angustiam passionis in gloriam suam intraturum, qua ratione se gloriantur esse Christianos, qui juxta virium suarum modulum neque Scripturas qualiter ad Christum pertineant investigare, neque ad gloriam, quam cum Christo habere cupiunt, per passiones tribulationum desiderant attingere ?

HOMILIA LXXVI.

FERIA QUARTA PASCHÆ.

(JOAN. XXI). « In illo tempore : Manifestavit se iterum Jesus ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem « sic : Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui

A « dicitur Didymus. » Et reliqua. Cum memoriam Dominicæ resurrectionis semper animo retinere, et ore recitare debeamus, maxime tamen istis diebus de illa loquendum est, in quibus facta creditur et veneratur. Et non debet onerosum videri ad audiendum, quod sanctis evangelistis utile visum fuit ad scribendum. Non solum enim gloriosum est, quod discipulis post resurrectionem apparuit, sed etiam numerus eorum quibus apparuit, vel loca in quibus visus est, mysteriis plena sunt Quod in hujus lectionis serie Evangelista manifestare curavit, cum tam sollicite modum apparitionis ejus expressit, dicens : « Manifestavit se iterum Jesus ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic, » etc. Et pulchre septima apparitione septem discipulis apparuit, quia

B illi ad ejus visionem perventuri sunt, qui septiformi Spiritus sancti gratia illuminati, fluctus præsentis sæculi divino amore calcant, et in lucrandis animabus invigilant. Septenarius enim numerus, qui constat ex ternario et quaternario, id est ex primo impari et primo pari, dono Spiritus sancti significat, per cujus gratiam et fides Trinitatis cognoscitur, et quatuor Evangeliorum doctrina custoditur. Sed quærit aliquis quare Petrus post conversionem ad piscationem rediit, cum Veritas dicat : « Nemo mittens manum in aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei (*Luc.* IX) ? » Ad quod brevis quidem, sed facilis patet responsio, quia illud opus post conversionem sine culpa repetitur, quod ante conversionem absque culpa exercebatur. Quod facilius cognoscimus, si cum officio Petri et Matthæi evangelistæ et

C coapostoli opera conferamus. Nam piscatorem fuisse Petrum, Matthæum vero telonarium novimus. Et Petrum quidem post conversionem ad piscationem rediisse, Matthæum ad telonei lucra resedisse non legimus : quia aliud est victum cum justitia quærere in piscando, et aliud jurgando telonei lucris insistere.

« Et exierunt et ascenderunt in navem, et illa « nocte nihil prendiderunt. » Sicut navis sæculum significat, sic nox illa pro ignorantia ponitur, ut est illud : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII). » Omnes enim ante adventum Domini quotquot laboraverunt quasi in nocte laboraverunt, quia spem resurgendi vel vitam æternam possidendi perfecte habere non poterant, sicut modo habent.

D Tota ergo nocte nihil prendiderunt, quia nisi Dominus sua gratia cor illustraverit auditoris, quasi in nocte laborat sermo doctoris, teste Psalmista qui ait : « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam (*Psal.* CXVI). » Ut autem et doctores recte docere, et auditores digne valeant audire, illius flagitanda est misericordia, de quo subditur :

« Mane autem jam facto, stetit Jesus in littore ; « non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. » Ubi forte movet aliquem, quare Dominus post resurrectionem in littore stetit, cum ante passionem non solum coram discipulis super fluctus maris am-

bulaverit, sed etiam Petro, supra mare ut ambulare posset, dederit manum. Ad quod dicendum est, quia non hoc Dominus propter impossibilitatem, sed propter mysterium fecit. Per mare ergo (ut diximus) sæculum significatur. Discipuli ergo in mari erant, quia inter fluctus sæculi hujus adhuc laborabant. Dominus autem in littore stetit, quia ab eorum corruptione et mortalitate alienus erat. Ac si verbis diceret : Jam vobis in mari non appareo, quia inter fluctus sæculi vobiscum communiter non vivo. Et hoc est quod alibi ait : « Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum (*Luc.* XXIV). »

« Dicit ergo eis Jesus : Pueri, nunquid pulmen« tarium habetis ? Responderunt ei : Non. » Non ignorans Dominus interrogavit discipulos, sed ut ex communi locutione suam demonstraret cognitionem. Et pulchre suos discipulos pueros vocavit. Puer enim a puritate dictus est. Recte et hoc nomen discipulis convenit, quia absque dolo et simulatione, purissimo cordis amore Domino adhærebant. In quorum olim persona per Isaiam dictum fuerat : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus (*Isa.* VIII). » Tales enim parvulos omnes credentes esse volebat cum alibi dicebat : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII). » Et iterum : « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum (*Matth.* XIX). »

« Dicit eis Jesus : Mittite in dexteram navigii « rete, et invenietis. » Bis in sancto Evangelio legimus, quod ad Domini jussionem retia laxata sint in piscationem : primum ante passionem, et nunc secundo post resurrectionem. Hoc tamen inter utramque piscationem distat, quia in illa priori piscatione retia laxari jubentur, in qua tamen parte mitterentur non demonstratur, in hac autem specialiter in dexteram mitti jubentur : in illa præ multitudine piscium rete rumpitur, in hac autem multi pisces capti sunt, et retia rupta non sunt. Unde apparet quia per illam priorem piscationem significatur Ecclesia, qualis est in præsenti vita : per hanc autem, post resurrectionem factam, qualis erit in futuro. Boni enim soli nusquam sunt nisi in cœlo, mali soli nusquam sunt nisi in inferno. In præsenti enim Ecclesia utriusque partis cives inveniuntur, quia multi per fidem in Ecclesiam intrant, qui per bona opera ad regnum cœlorum perventuri non sunt, de quibus per Psalmistam dicitur : « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX). » In hac ergo piscatione, quæ post resurrectionem facta est, decebat ut soli boni pisces caperentur, per quos electorum numerus significaretur. « Miserunt ergo rete, et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. » Quod exteriora miracula interiorem fidem frequenter instruant, in præsenti loco demonstratur, quando Dominum, quem ex visione et collocutione non cognoverant, ex captura piscium cognoverunt. Cum ergo tota nocte laborantes nihil cepissent, mox ad ejus jussionem tantam multitudinem piscium ceperunt, ut rete trahere non valerent.

« Dicit ille discipulus quem diligebat Jesus « Petro : Dominus est. » Et quia inter omnes virtutes virginalis integritas quodam privilegio præcellit, recte incorruptibile Domini corpus incorruptus virgo prior recognovit Joannes scilicet, cujus est hoc Evangelium. Sed cum omnes audissent quia Dominus est, qui eum præ cæteris amavit, prior venire festinavit. Unde subditur : « Simon Petrus « cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit « se » (erat enim nudus) « et misit se in mare, et « pervenit ad Jesum. » In multis locis Evangelii demonstratur, quod præ cæteris discipulis Petrus Dominum dilexerit. Nam cum se passurum Hierosolymis prædiceret, dicens : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum, et condemnabunt eum morte (*Matth.* XX). » Petrus assumpsit eum secreto, et ait illi : « Absit a te, Domine, non fiat istud (*Matth.* XVI), » non enim decet ut Filius Dei gustet mortem. Et cum ejusdem passionis articulo imminente Dominus diceret : « Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, » ille præ multitudine amoris confisus dicebat : « Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. » Cumque Dominus quod futurum erat prosequeretur, dicens : « Amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis, » ille contradicebat : « Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo (*Matth.* XXVI). » Et ut in hac lectione refertur, cum Dominum stantem in littore vidisset, tunica succinxit se, et misit se in mare. Spiritualiter vero hoc dicere possumus, quia postquam eum resurrexisse cognovit, tunica fidei vel amoris, qua in negando se nudaverat, reinduit, et misit se in mare, id est inter tumentes mundi potestates ejus nomen prædicari cœpit, quem ad unius mulieris vocem ter prius negavit. Ait enim : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* V). »

« Alii autem discipuli navigio venerunt, » id est, eadem fide vel amore flagrantes, qua Petrus apostolus accensus erat, secuti sunt. Unde et bene dicitur : « Non enim longe erant a terra, sed quasi « cubitis ducentis, trahentes rete piscium. » Quia in ducentis cubitis centenarius numerus duplicatur, perfectam numerus iste charitatem insinuat, quæ ex dilectione Dei et proximi constat. Qui enim perfecte Deum et proximum diligit, non longe est a terra viventium.

« Ut autem ascenderunt in terram, viderunt pru« nas positas et piscem superpositum, et panem. » Ubi ad litteram quasi sonare videtur, quod piscis et panis prunis superpositus esset. Sed sciendum est quia ille qui necessarius erat, id est piscis, prunis erat superpositus, panis vero seorsum positus erat. Notandum etiam quod ipsa qualitas ciborum a mysterio non vacat. Nam sicut in alia Evangelii lectione legimus, cum pisce asso favum mellis disci-

puli Domino obtulerunt, hic autem, panis et piscis memoratur fuisse. Ipse enim quasi piscis assatus est tempore passionis, sed dulcedinem panis exhibuit tempore resurrectionis,qui de seipso ait(*Joan.* VI) : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. » Et iterum : « Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. »

« Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit autem Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.Et cum tanti essent, non est scissum rete. »Manifestum est,nec expositione indiget,quid sit quod Petrus prior omnibus rete cum piscibus traxit in terram. Ipsi enim specialiter Ecclesia commendata est, illi ligandi et solvendi data est potestas, quando ei a Domino dictum est : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI). » Nam et post resurrectionem ei a Domino dictum est : « Simon Joannis, diligis me plus his ? Pasce oves meas (*Joan.* XXI). » Sed illud sollicite considerandum est, quia nequaquam evangelista ipsorum piscium numerum tam sollicite expressisset, si in ipso numero mysterium defuisse crederet.Ait enim : « Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenam magnis piscibus centum quinquaginta tribus.» Numerus iste ab uno incipit, sed usque ad decem et septem crescendo multiplicatur. Si enim decem et septem ter duxeris, quinquaginta unum invenies.Iterum,si quinquaginta unum ter multiplicaveris, centum quinquaginta tria invenies. Decem vera ad decalogum legis numerum pertinent, quia decem præcepta Moysi data sunt. Septem vero ad spiritualem gratiam Novi Testamenti,propter septem dona Spiritus sancti, vel propter fidem sanctæ Trinitatis, et doctrinam quatuor Evangeliorum. Quinquagesimus autem numerus ad requiem pertinet, quia quinquagesimus annus jubilæus,id est annus remissionis est dictus. Quia ergo illi ad veram requiem perventuri sunt, qui decalogum legis per gratiam Spiritus sancti spiritualiter implent,quasi decem et septem ter ducimus,ut ad quinquagesimum numerum perveniamus. Et quia vera requies in unitate est,recte ad quinquagesimum additur unum, quoniam sic de primitiva Ecclesia dictum est. «Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV). » Et quoniam custodia legis et gratia spiritualis in fide sanctæ Trinitatis constat, quasi quinquaginta tria perveniamus. Quia enim (sicut supra dictum est) per hanc piscationem Ecclesia, qualis in futuro erit, significatur, dignum fuit ut tot pisces caperentur, per quos electorum summa, quæ cum Domino regnatura est, significaretur. Ut autem Dominus de sua resurrectione omnem dubitationem a discipulorum mentibus auferret,non solum ejus dignatus est apparere, sed etiam coram eis comedere Unde et subditur :

« Dicit eis Jesus : Venite, prandete. » Et pulchre ultimum convivium cum septem discipulis voluit celebrare,quia illi post universale judicium cum Domino æternum convivium celebraturi sunt, qui in præsenti sæculo septiformi gratia Spiritus sancti repleti fuerint. Quod vero subditur : « Et nemo audebat discumbentium eum interrogare, Tu quis es ? scientes quia Dominus est. » Tale est ac si diceret : Nemo præsumebat quis esset interrogare, quia quod ipse Christus esset, nemo poterat dubitare. Tam enim manifesta et præclara erat ejus cognitio,ut omnibus se videntibus manifestum esset quis esset : et ideo superfluum erat, quis esset interrogare, de cujus cognitione nemo discumbentium poterat dubitare.

« Et venit Jesus et accepit panem, et dabat eis, piscem similiter. »Dedit ergo Dominus discipulis piscem, quia suam passionem imitandum esse ostendit. Dedit et cum pisce panem, quia post tolerantiam passionis gaudia repromisit æternæ satietatis. Quod vero dicitur :

« Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis : cum resurrexisset a mortuis. » Non ad numerum apparitionem, sed potius ad dierum pertinet.Nam primo die quo resurrexit a mortuis, quinquies ab hominibus visus est. Iterum autem alia die, quando post dies octo apparuit discipulis in conclavi, ubi erat Thomas.Tertio vero quando piscantibus ad mare Tiberiadis, septima vice apparuit discipulis.

HOMILIA LXXVII.

FERIA QUINTA PASCHÆ.

(JOAN. XX.) « In illo tempore : Maria stabat ad monumentum foris.plorans. » Et reliqua. In multis locis Scripturæ virtus perseverantiæ laudabilis ostenditur, non minus tamen in hujus exordio lectionis, quam præcipua virtus sit cognoscimus, si hujus Evangelii superiora parumper attendamus. Supra enim retulit evangelista, quia, cum adhuc tenebræ essent,Maria Magdalene venit ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit eis : Tulerunt Dominum de monumento,et nescimus ubi posuerunt eum. At illi currentes introierunt in monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt. Et de illis protinus scriptum est : Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. De illa autem subditur: « Maria stabat ad monumentum foris, plorans.» Ubi considerandum est, mulieris hujus mentem quantus amor Domini accenderat,quæ etiam discipulis a monumento discedentibus, non discedebat. Et quia ab inquisitione non cessavit prima eum videre meruit. Unde cognovimus quia in omni bono opere perseverantia necessaria est, Domino dicente : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X). » Hinc est, quod per legem

canda hostiæ in sacrificio offerri præcipitur. In cauda quippe finis est corporis, et ille Deo sacrificium acceptum immolat, qui opus bonum usque in finem consummat. Hinc est etiam, quod Joseph inter reliquos fratres tunica talari indutus esse memoratur. In talo quippe finis est corporis. Et illa talari tunica spiritualiter induitur, qui bonum opus usque in finem perducit. Hinc nos et Psalmista admonet, dicens : « Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris (*Psal.* CXVII). » In cornu namque altaris finis est. Et ille diem solemnem mente celebrat, qui in bono opere usque in finem perseverat. Quanto autem mœrore de Domino mulier hæc affligeretur, manifestatur cum dicitur : « Maria stabat ad monumentum foris, plorans. » Plorabat enim, quia eum quem multum desiderabat, non videbat : plorabat, quia de monumento corpus furatum putabat.

« Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in « monumentum. » Jam enim monumentum vacuum viderat, quia et Dominum de monumento furatum discipulis nuntiaverat. Quid est quod iterum se inclinavit, nisi quia iterum videre desiderat? Valde enim amanti semel aspexisse non sufficit. Sicut enim nos, cum aliquam rem perdimus, quamvis huc illucque quærendo discurramus, tamen ad eum locum sæpius respicimus, ubi eam habuisse meminimus: ita et hæc mulier, quamvis huc illucque Domini corpus quæreret, anxia tamen de ejus absentia, frequentius monumentum aspiciebat, ubi eum positum noverat. Unde etsi Dominum statim videre non meruit, tamen angelorum visione privata non est. Unde et subditur : « Et vidit duos angelos in albis sedentes « unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum « fuerat corpus Jesu. » Ubi forte movet aliquem, quare Joannes in Domini resurrectione sedentes describat, cum Lucas ejusdem resurrectionis modum describens, commemoraret quod juxta mulierem steterint. Ad quod respondendum, quia sicut sedere regiæ dignitatis est, sic stare adjuvantis vel pugnantis. Et quia idem Mediator Dei et hominum rex nobis pariter et sacerdos effectus est, alios sedentes et alios stantes describit. Et quia hic cujus resurrectionem testificari venerant, Deus et homo credendus est, recte unus ad caput, et unus ad pedes sedisse memorantur. Per caput enim altitudo Divinitatis designatur, sicut dicit Apostolus : « Caput Christi Deus (*I Cor.* II) : » per pedes humanitas exprimitur, sicut per Moysen dicitur : « Et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius (*Deut.* XXXIII). » Quasi ergo ad caput sedet angelus, cum Evangelista prædicat : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Quasi ad pedes sedet angelus, cum idem Evangelista subjungit : « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Ibid.*). » Et quia consuetudo est Palæstinis ut dies festos celebrantes albis vestibus induantur, cum in vestibus albis angeli apparuerunt, festivitatem se celebrare ostenderunt.

A Ubi si quis quærat utrum suam, an nostram, respondendum est, quia et suam et nostram. Illa enim Domini resurrectio, angelorum festivitas fuit, quia eorum numerum per apostatam angelum imminutum ex hominibus recuperavit. Nostra quoque festivitas fuit, quia nos de tenebris et umbra mortis liberatos, ad angelorum dignitatem revocavit.

« Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? » Interrogabant angeli non solum causas, sed etiam inquisitiones, non ut quærendi desiderium minuerent, sed ut augerent. Sicut enim nos cum propter carorum amissionem flemus, si quis nos fleti causas inquirat, fletum magis accumulat : ita et illi causas doloris interrogabant, ut fleti desiderium augerent, scientes beatos esse lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.
B Sed mulier cujus rei gratia fleret, manifestat cum adjungit : « Quia tulerunt Dominum meum, et ne« scio ubi posuerunt eum. » Ubi notandum quia non dixit, tulerunt corpus Domini mei, sed tulerunt Dominum meum, cum solum corpus Domini in monumentum positum noverat. Scriptura enim sacra aliquando totum pro parte ponere consuevit, et ideo cum solum Domini corpus quæreret, Dominum sublatum de monumento commemoravit.

« Hæc cum dixisset, conversa retrorsum, vidit « Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est. » Pulchre, ut Deum mereretur videre Maria, conversa retrorsum dicitur, qui enim retrorsum convertitur, illuc oculos dirigit, ubi prius terga habebat. Quasi ego retrorsum conversa est, quando dubitationis nebulas postponens, Christi resurrectionem ex parte
C credere cœpit. Cui tamen Dominus ita suam visionem temperavit, ut quia amabat, sed eum resurrexisse non credebat, illum et videret, et non recognosceret. Unde et subditur :

« Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : « Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi po« suisti eum, et ego eum tollam. » In quibus verbis etiam considerandum, quantus amoris ardor mentem mulieris imbuerat, quæ antequam personam ejus significasset, quem quærebat, quasi scienti loquebatur, dicens : « Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. » Habet enim jus amoris hoc proprium, ut quem quisque multum amat, omnes amare putet. Sed non in toto mulier erravit, cum Dominum hortulanum existimavit. Sic
D ut enim ad hortulani officium pertinet, noxias herbas eradicare, ut bonæ quoque possint proficere, ita Dominus Jesus Christus de horto suo, id est de Ecclesia sua, quotidie vitia eradicat, ut virtutes proficere valeant. Cum vero sexus femineus fragilis sit ad onera deferenda, et pavidus ad mortuorum cadavera bajulanda, quidquid aliis impossibile est, hæc propter magnitudinem amoris leve et possibile arbitrabatur, dicens : « Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. »

« Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit : « Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Jesus : « Noli me tangere. » Quia Dominus superius mulie-

rem communi sexu appellaverat, et cognitus non est, vocavit etiam proprio nomine, ut saltem cognoscentem se recognosceret. Ait enim : « Maria. » Cum enim apud Deum certus sit numerus electorum, magna gratia aliquibus datur, quando propriis nominibus Deo noti esse memorantur, qualis erat Moyses, cui dictum est (*Exod.* XXXVI) : « Novi te ex nomine. » Et : « Invenisti gratiam coram me. » Unde mulier postquam proprio nomine a Domino vocata est, statim cognoscentem se recognovit, dicens : « Rabboni, quod dicitur magister. » Jam vero post hæc quid mulier fecerit evangelista non declarat, tamen ex eo quod Dominum dixisse adjungit : « Noli me tangere, » declarat, quia mox ut mulier Dominum recognovit, vestigia ejus adorando tenere voluit. Cui a Domino dicitur : « Noli me tangere.» Ubi non est putandum quod post resurrectionem tantum renuerit tactum feminarum, cum de duabus a monumento illius recedentibus dictum sit, quia accesserunt et tenuerunt pedes ejus, sed illam a suo contactu prohibuit, cujus mentem rectam in fide non sensit. Sed quare a muliere se tangi noluerit, manifestatur cum subditur: «Nondum enim ascendi ad Patrem meum.» Nunquid enim post ascensionem eum corporaliter tangere volebat ? Non. In ejus quippe mentem nondum ad Patrem ascenderat, quæ cum mortuum inter mortuos requirebat, æqualem Patri eum, non credebat. « Vade autem ad fratres meos, et dic eis : « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, « Deum meum et Deum vestrum.» Magna dignatio Redemptoris erga apostolos declaratur. Qui enim servi non fuerant digni, fratres vocantur, juxta illud quod in ejus persona per Psalmistam dicitur : «Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te (*Psal.* XX). » Nec ab hac dignitate nos alieni erimus, si morum sanctitate participes fuerimus, Domino ipso dicente : « Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est (*Matth.* XII). » Quam ergo majorem remunerationem potest habere adoptatus servus, quam ut appelletur frater illius, qui est unicus filius? Et ideo qui digni non fuimus servi vocari, fratres appellamur. Sed cum diceret : « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum, » quare communiter non dixit nostrum ? Nimirum quia aliter illi Pater est, et aliter nobis. Quoniam quod ille habet per naturam, nos accepimus per adoptionis gratiam. Deus illius, quia descendit ad nos, et minoratus est paulo minus ab angelis, humanitatem nostram assumens. Deus vero illorum, quia per illum ad Patrem ascendere meruerunt.

« Venit Maria Magdalena nuntians discipulis, quia « vidi Dominum, et hæc dixit mihi.» Misericordissima Dei pietas in hoc loco erga sexum femineum declaratur. Quia enim per feminam mors mundo illata fuerat, ne semper in opprobrium sexus femineus haberetur, per sexum femineum voluit nuntiare viris gaudia resurrectionis, per quem nuntiata fuerat tristitia mortis. Ac si diceret hominibus: De cujus manu sumpsistis poculum mortis, ab ejus ore audite gaudia resurrectionis. Postquam autem mulier audivit : « Vade, dic fratribus meis,» etc., recte subjunctum est : « Venit Maria nuntians discipulis ; » quia omnis qui recte intelligit, aliis nuntiare debet, juxta illud quod in Apocalypsi legitur : « Qui audit, dicat : Veni (*Apoc.* XXII). »

HOMILIA LXXVIII.

FERIA SEXTA PASCHÆ.

(MATTH. XXVIII). « In illo tempore: Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituit illis Jesus. » Et reliqua. Domini jussionem obedientia comitatur discipulorum. Cum enim se passurum et resurrecturum Dominus prædiceret, etiam locum ubi videndus esset a discipulis, designavit, dicens : « Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam (*Marc.* XIV). » Et cum ejus resurrectionem jam factam angelus mulieribus nuntiaret, ait : « Ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia surrexit. Ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis (*Marc.* XVI). » Hac promissione discipuli sublevati, ut præsens Evangelii lectio narrat, « abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus. » Ubi non absque consideratione prætereundum est, quod se in Galilæa post resurrectionem Dominus videndum promisit atque (ut præsens lectio commemorat) exhibuit. Galilæa namque in nostra lingua, *transmigratio facta* interpretatur. Et post resurrectionem in Galilæa videtur, ut ipsius loci nomine insinuaret, quia jam transmigraverat de corruptione ad incorruptionem, de ignobilitate ad gloriam, de mortalitate ad immortalitatem, sicut dicit Apostolus : «Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus (*II Cor.* V).» Et item, » Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. (*Rom.* VI).» Sive certe cum in Galilæa (id est in transmigratione) videtur, nos mystice commonet, ut si eum videre optamus nunc per speculum et in ænigmate, et postea facie ad faciem (*I Cor.* XIII), transmigrare studeamus de vitiis ad virtutes, et de amore mundi ad amorem Dei, dicentes cum Apostolo : « Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes (*Ibid.*).» et reliqua. Nulla hic mundi concupiscentia teneat, nulla nostra transitoria delectatio hic mente manere persuadeat, ut cum Apostolo dicere valeamus: «Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* V).» Unde bene non solum in Galilæa videtur, sed etiam in monte, mons enim in hoc loco celsitudinem significat perfectionis. In monte ergo discipuli Dominum viderunt, quia illi cum quandoque videre merebantur in altitudine cœlorum, quæ nunc desideria calcant terrenorum. Merito autem post resurrectionem Dominum discipuli adoraverunt, quem etiam ante passionem in miraculis Deum esse cognoverunt. Quod vero dicitur. « Quidam autem dubitaverunt,» illud est quod Lucas evangelista ait: Quia cum vidis-

sent Dominum in conclavi residentes, existimabant se spiritum videre (*Luc.* XXIV). Nam et unus ex his cum audisset alios dicentes (*Joan.* XX), » Vidimus Dominum, » hoc fieri posse dubitavit, dicens: «Nisi videro in manibus ejus fixuras clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. » Unde et Marcus evangelista dicit : « Recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis (*Marc.* XVI), » etc. Illorum enim dubitatio, nostræ fidei fuit confirmatio : quia quanto magis dubitaverunt, tanto diligentius inquisierunt. Et quanto perfectius invenerunt, tanto firmius, quod credere debeamus, ostenderunt. Et non solum nostram fidem corroboraverunt, sed etiam hæreticorum pravitatem destruxerunt.

« Et accedens Jesus locutus est eis. » Quia ergo aliquos discipulorum de sua resurrectione dubitare cognovit, non solum proprius accedere dignatus est, sed etiam colloqui, ut eum quem Deum non cognoscebant ex visione, cognoscerent saltem ex collocutione. Ait enim : « Data est mihi omnis potestas in « cœlo et in terra. » Quod a parte assumptæ humanitatis loquitur, in qua minoratus est paulo minus ab angelis. In humanitate ergo accepit potestatem inter omnia, qui in Divinitate omnipotens est super omnia, sicut ipse ait (*Joan.* X) : « Omnia quæ habet Pater, mea sunt. » Et iterum : « Ego et Pater unum sumus. » Non solum enim in terra, sed etiam in cœlo potestatem se accepisse dicit : quia humanitatem, quam pro nobis pati tradidit, resurgendo etiam super angelos elevavit, teste Apostolo, qui ait : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II). » Hæc autem potestas non spernit peccatores, sed colligit. Unde postquam dixit, « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, » adjunxit :

« Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes « eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.» In quo loco ordo recte baptizandi ostenditur cum doctrina baptismum præcedere docetur. Ait enim : « Docete omnes gentes : » deinde subjunxit: « Baptizantes eos. » Prius enim doceri debet qui baptizandus est, ut primum discat credere, quod postea per baptismum possit accipere. Quia ut fides sine operibus mortua est (*Jac.* II), ita opera si non sint ex fide, nihil prosunt. Quod in parvulis quidem non observatur, quia per fidem parentum vel eorum a quibus suscipiuntur, in sacro baptismate salvari creduntur : ita tamen, ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, non solum doceantur quid in corde debeant credere, sed etiam quid in opere servare. Unde et bene subditur : « Docentes eos servare omnia « quæcunque mandavi vobis. » Non alia ergo docenda sunt, sed quæ Christus præcepit : et illa non ex parte, sed omnia. Notandum vero quod non ait : Baptizantes eos in nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti, sed in nomine, ut individuam Trinitatem Deum esse insinuaret, quia, etsi trinus est in vocabulis, unus tamen est in natura, quoniam Deus Pater, Deus Filius, Deus est Spiritus sanctus. Et ne fragilitas apostolorum ad docendas omnes gentes, se minus idoneam esse dubitaret, magnam pius magister intulit consolationem, cum subjunxit : « Et ecce « ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad con- « summationem sæculi. » Unde quæritur, quare dicat : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, » cum alibi dixisse legatur : « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum, et quæretis me, et non invenietis (*Joan.* VIII). » Ad quod dicendum, quia Mediator Dei et hominum Dominus Jesus Christus, sicut verus homo, ita verus Deus est credendus : et aliquando de assumpta humanitate loquitur, aliquando de potentia Divinitatis. Quod ergo ait : « Adhuc modicum vobiscum sum, » ad assumptam pertinet humanitatem, in qua potuit de loco ad locum ire : quod vero hic dicit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, » ad majestatem pertinet Divinitatis, per quam ubique est præsens, ubique totus, nec in tempore accedit, vel in tempore recedit, sed semper æqualiter, semper ineffabiliter manet, sicut ei per Psalmistam dicitur : « Tu idem ipse es et anni tui non deficient (*Psal.* CI). » Cum vero usque ad consummationem sæculi cum apostolis se manere promisit, ostendit usque ad consummationem sæculi non deesse futuros electos, cum quibus ipse manere dignetur. Cum enim multo longiora tempora post apostolos futura essent usque ad consummationem, non putanda est hæc promissio ad solos apostolos pertinere, sed ad omnes electos, qui usque ad consummationem sæculi futuri sunt, juxta quod alibi ipse ait : « Prædicabitur hoc Evangelium omnibus gentibus, et tunc veniet finis (*Matth.* XXIV). »

HOMILIA LXXIX.

SABBATO POST PASCHA.

(JOAN. XX.) « In illo tempore : Una sabbati Maria « Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ es- « sent, ad monumentum. » Et reliqua.

Si quis hujus mulieris præteritas actiones cum præsenti lectione conferat, quantum misericors Deus erga conversos peccatores sit, cognoscet. Hæc est enim illa mulier, quæ, ut Lucas ait (*Luc.* VII), cum esset in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuisset in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis suis tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. Hæc est de qua Marcus scribit : « Surgens autem Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Maria Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia (*Marc.* XVI). » Sed quia juxta Salvatoris vocem dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum, in ipso dilectionis fervore usque ad passionem Domini perseveravit, nec a mortuo potuit separari, quem

viventem summo dilexerat amore. Denique (ut evangelistæ referunt) mox ut Dominum in monumento positum vidit, emit aromata, et mane prima sabbati ante lucem (ut præsens Evangelii lectio narrat) ad sepulcrum Domini venit. Et cum sexus femineus timidus esse soleat ad ambulandum in tenebris, nihil ista metuit, quæ toto corde Dominum dilexit. Erat enim in illa perfecta charitas, quæ foras mittit timorem. Sed quæritur quare Joannes dicat : Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, Marcus vero dicat eam venisse valde mane, orto jam sole. Ad quod simpliciter respondere possumus, quia potuit fieri ut primum sola ante lucem ad monumentum venerit propter amoris magnitudinem, et postea orto sole cum duabus ejusdem nominis feminis iterum ad monumentum redierit. Non enim semel in die, sed frequenter ad Domini monumentum sanctæ mulieres venisse putandæ sunt. Sive certe quod Joannes dicit, venisse eam cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, et Marcus orto jam sole, unus partis orientis, alter occidentis describit. Quotidie enim oculis cernimus, quia cum sol concavas terrarum partes relinquens, primo crepusculo terris lucem reddere incipit, ita fit lux in oriente, ut tenebræ non desint in occidente. Et quod ait Joannes, cum adhuc tenebræ essent, partes occidentis attendit : quod vero Marcus dicit, orto jam sole, partes orientis consideravit. Spiritualiter vero tenebræ in corde mulieris erant, cum ad Domini venit monumentum : quia resurrectionis ejus ignara, viventem inter mortuos requirebat. Tunc autem in ejus mente sol ortus est, quando eum non solum resurrexisse vidit, sed etiam credidit.

« Et vidit lapidem sublatum a monumento. » Qualiter vel quando revolutio hujus lapidis facta sit, Matthæus manifestius describit, dicens : « Angelus quippe Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum (*Matth.* XXVIII). » Ubi non putandum est quod Dominum in resurrectione angelus juverit, sed ad hoc lapidem revolvit, ut ejus resurrectionem factam hominibus demonstraret. Sed mulier postquam lapidem a monumento sublatum vidit, quia Dominum nondum resurrexisse credebat, furatum credidit, atque festina quod vidit discipulis nuntiavit. Hæc est veraciter, quæ in Canticis canticorum voce Ecclesiæ dicit : « In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni. Surgam et circuibo civitatem, quærens quem diligit anima mea. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. Nunc quem diligit anima mea vidistis ? Et factum est dum pertransissem illos, inveni quem diligit anima mea. Teneam illum nec dimittam, donec introducam in domum patris mei, et in cubiculum genitricis meæ (*Cant.* III). » Unde et subditur :

« Cucurrit ergo et venit ad Simonem Petrum, et « ad alium discipulum quem amabat Jesus, et di« cit eis : Tulerunt Dominum meum de monumento, « et nescimus ubi posuerunt eum. » Quod cum audissent, illi præ cæteris amaverunt. Petrus scilicet et Joannes, cujus est hoc Evangelium. Unde et bene dicitur :

« Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, et ve« nerunt ad monumentum : Currebant autem duo « simul, et ille alius discipulus præcurrit citius Pe« tro, et venit primus ad monumentum. Et cum se « inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen « introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, « et intravit in monumentum. Et vidit linteamina « posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, « non cum linteaminibus positum, sed separatim in« volutum in unum locum. » Cursus autem iste discipulorum a mysterio vacuus non est putandus. Non enim se Joannes priorem venisse et non intrasse dixisset, si in ipsa sua trepidatione mysterium deesse sensisset. Per duos ergo discipulos spiritaliter duo ordines populi præfigurantur, Judæorum scilicet et gentium. Per Petrum autem seniorem, significatur gentilis populus : per juniorem vero Joannem, synagoga Judæorum. Prior ergo Joannes cucurrit, sed in monumentum non intravit : quia in cognitione Dei et notitia legis prior Synagoga fuit, sed ad finem intrare renuit. Venit autem Simon Petrus sequens eum, et intravit, quia gentilis populus post Domini incarnationem conversus, tardius quidem venit, sed prius ad fidem intravit, juxta illud quod ait in Evangelio Dominus : « Erunt primi novissimi, et novissimi primi (*Matth.* XX). » « Et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. » Quid per linteamina, nisi bonæ actiones significantur ? Linteum namque, quod cum labore texitur, sed cum decore induitur, bonorum actiones significat : quæ cum studio pii laboris perficiuntur, sed cum decore animæ induuntur, de quibus Ecclesiæ voce per prophetam dicitur : « Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris (*Isa.* XLIX). » Per sudarium vero, cum quo sudor laborantium tergi solet, unde et nomen accepit, labor Dominicæ passionis exprimitur. Unde et ipse per Prophetam : « Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ (*Psal.* LXVIII). » Aliter : per sudarium quod super caput ejus positum fuerat, ejus Divinitas intelligi potest. « Caput namque Christi, ait Apostolus, Deus est (*I Cor.* XI). » Quod separatim invenitur, quia Creator omnem creaturam excellit. Non ergo cum linteaminibus, sed separatim in unum locum sudarius capitis Domini invenitur : quia Domini passio longe a nostra passione dissimilis fuit, quoniam quod nos cum peccato vix portamus, ille sine peccato pertulit : et nos quidem pro nobis ipsis tribulationes patimur, ille autem pro nobis, et non pro se passus est. Bene autem involutum inveniri dicitur. Linteum enim quod involvitur, ejus nec initium nec finis videtur. Et quia hic, qui passus est in humanitate, nec initium nec finem haberet in Divinitate, recte sudarium capitis ejus involutum invenitur. Recte

etiam in uno loco inveniri dicitur: quia in scissura mentium Dominus non est, sed in illorum cordibus habitat, qui puro corde unitatem retinent. Unus enim Dominus, unitatem diligit. Unum ergo dividi non potest, quia ubi divisio est, Christus inhabitare non valet: quoniam ipse est, qui facit inhabitare unanimes in domo (*Psal.* LXVII). Unde et de primitiva Ecclesia dicitur: «Multitudinis credentium erat cor unum (*Act.* IV), » et reliqua.

« Tunc ergo introivit ille discipulus qui venerat « primus ad monumentum. » Postquam intravit Petrus, intravit et Joannes, qui prius venerat: quia sicut Apostolus ait: « Cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI). » Et non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. « Et vidit et credidit. » Quid putandum est vidisse vel credidisse? Nunquid quod Dominus resurrexerit a mortuis? Non. Sed vidit linteamina posita, et credidit (sicut mulier dixerat) Dominum furatum de monumento. Nam si ejus resurrectionem credidisset, nequaquam evangelista subjungeret:

« Nondum enim sciebant Scripturas, quia oporte- « bat eum a mortuis resurgere. » In quo loco quanta utilitas sit in intellectu Scripturarum, demonstratur, quando apostoli ideo dicuntur Domini resurrectionem ignorare, quia Scripturas nondum intelligebant, scilicet quia eo revelante, a quo procedit omnis sapientia, ea spiritualiter nondum intelligere didicerant, nondum enim audierant: « Quia sic scriptum est in lege et psalmis et prophetis de me, » etc., usque in remissionem peccatorum (*Luc.* XXIV). Sin autem apostoli ideo non credebant resurrexisse Dominum, quia non sciebant Scripturas, cesset eorum dementia qui præclara discernere nolunt, et alios discernere volentes reprehendunt, solumque in aliis invident, quod aut agere non possunt aut nolunt.

HOMILIA LXXX.

In octava paschæ.

(I Joan. v.) « Charissimi, Omne quod natum est « ex Deo, vincit mundum: et hæc est victoria quæ « vincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui « vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus erat « Christus Filius Dei?» Et reliqua. Audistis in Epistola cum legeretur, fratres charissimi, Joannem apostolum nos instruentem atque dicentem: « Omne quod natum est ex Deo, » id est genus spirituale et Deo serviens, « vincit mundum, » id est mundi amatores, vel opera vincit incredulitatis, et concupiscentiam mundi, vel omnem idolorum culturam, in observatione mandatorum Christi. « Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. » Ergo firma fide in Christo vincimus mundum, et omnia terrena desideria, omnemque terrenum amorem atque peccatum, necnon et diabolum, qui princeps est et inventor peccati. « Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quomodo Jesus est Filius Dei? » Quod mundus, id est amator mundi, non credit,

A nos credamus, et mandatis ejus fideliter obediamus.

« Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus « Christus. » Ac si diceret: Hic est qui venit maledictionem terræ suo delere baptismate in Jordane, et mundum suo sancto redimere sanguine. « Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. » Non enim solo baptismate venerat redimere mundum, sed etiam propria morte et sui sanguinis effusione.

« Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. » Spiritus enim sanctus, per quem nobis in baptismo omnium datur remissio peccatorum, nos per adoptionem filios Dei facit: quos ipse Dominus in morte crucis et suo sanguine redemit, et per gratiam ejusdem sancti Spiritus, quem in baptismo suscepimus, veræ fidei lumen et agnitionis B Dei recepimus, unde salutem consequi debemus æternam.

« Quoniam tres sunt qui testimonium dant in « terra, aqua, et sanguis, et spiritus. » Quidam hic sanctam Trinitatem mystice significatam intelligunt, quæ Christo testimonium perhibuit. In aqua Patrem significari intelligunt, quia ipse de se dicit: « Me dereliquerunt fontem æquæ vivæ (*Jer.* II). » In sanguine, ipsum Christum, qui pro salute mundi suum sanguinem fudit. In spiritu, eumdem Spiritum sanctum. Hæc sancta Trinitas Christo testimonium ita perhibet, ipso per Evangelium loquente: « Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. Et cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis a Patre meo, C Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me (*Joan.* VIII, XV).» « Et hi tres unum sunt, » id est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Unum in natura, unum in divina substantia, coæquales in omnibus, et coæternales per omnia, in nullo dissimiles. In ista Trinitatis substantia nihil est creatum, quia nihil est inchoatum: nec aliquid ibi superius cognoscitur, quia nihil anterius aut posterius invenitur. In eo quod Trinitas est, unum est, æternum est, verum est. Hæc est una fides, quia hæc est vera fides, et ideo hæc est catholica fides, unius substantiæ sanctam credere Trinitatem, et in Dei Filio carnis animæ nostræ naturalem cognoscere veritatem. Ista fide justificamur, hac fide mundamur. Ista fide salvamur, in hac fide credidimus, quia nobis tribuit D remissionem omnium peccatorum. Sit ergo certissima spes omnibus nobis, quia vera resurrectio carnis, quæ præcessit in Christo, sequetur in nobis. Caro ista omnium hominum mortuorum sive fidelium, sive infidelium, resurget in fine: sed caro fidelium resurget ad gloriam, caro infidelium resurget ad pœnam. Animæ fideles cum suis corporibus semper lætabuntur. Animæ quoque infideles cum suis corporibus semper torquebuntur, ac sic quidquid ibi animæ in carne sua recipient, non amittent, quando nec bonis poterit auferri gaudium, nec malis unquam poterit removeri supplicium. Accipimus itaque vitam æternam per sanctam Eccle-

siam. In ista sola Ecclesia est vita æterna, quia Rex ejus est vita æterna. Hujus Ecclesiæ pars exsultat jam et regnat in cœlis, pars autem peregrinatur adhuc et laborat in terris. Ipsa est una sancta Ecclesia, in qua nunc justificamur, in qua tunc glorificabimur. Istam bonam matrem sicut boni filii unanimiter diligamus. Hujus ergo matris gemitus nemo despiciat, monitiones ejus nemo contemnat, de sinu ejus nemo discedat. Ipse enim ad Dei Patris perveniet hæreditatem, qui Ecclesiæ matris in fide et dilectione servaverit unitatem. In Ecclesia ergo catholica permanete, divinis eloquiis humiliter obedite, præcepta Dei sollicite custodite. Qui enim præcepta Domini contemnunt, semper ardebunt; qui vero mandata ejus custodiunt, sine fine gaudebunt. Et sicut contemptoribus erit æterna mors et æterna miseria, sic obedientibus æterna vita dabitur et æterna lætitia, per Jesum Christum Filium Dominum nostrum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA LXXXI.

IN OCTAVA PASCHÆ.

(JOAN. XX.) « In illo tempore: Cum sero esset die « illo una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi « erant discipuli congregati propter metum Judæo- « rum. » Et reliqua. Quoties legimus discipulos in Domini passione timuisse, et post ejus resurrectionem propter metum Judæorum in conclavi resedisse, non cum indignatione accipiendum est, sed fragilitati eorum concedendum. Fragiles namque et infirmi, necdum gratia Spiritus sancti pleniter fuerant corroborati, quia sicut evangelista ait: « Needum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus (*Joan.* VII). » Sed qui prius propter metum Judæorum in conclavi residebant, postquam Spiritum sanctum visibiliter acceperunt, tanta constantia sunt confirmati, ut absque ulla trepidatione ante principes et sacerdotes Dominum confiterentur: factumque cernimus in apostolis per quamdam similitudinem, quod solet fieri in aquis, quæ dum naturaliter liquidæ sunt, si nimio gelu tactæ fuerint, ad tantam duritiam perveniunt ut in cristallum durissimum lapidem convertantur, ita ut vix ferro secari possint. Sic et discipuli ante donationem Spiritus sancti, infirmitate carnis gravati timebant, sed postquam Spiritus sancti gratia sunt constipulati, in tantum fortes sunt redditi, ut qui prius propter metum Judæorum residebant in conclavi, postmodum gaudentes a conspectu concilii irent, dicentes se esse « dignos pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V). » Videamus quanta fortitudine Petrus apostolus, accepto Spiritu sancto, durus erat. Qui enim prius ad vocem ancillæ Dominum et magistrum suum negaverat, postea ante tremendos principes, et metuendas potestates, libera voce eum confessus est, dicens: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus; » et iterum: « Si justum est vos potius audire quam Dominum, judicate: non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui (*Act.* IV). » Quod autem

A ait « una sabbatorum, » ipsam diem Dominicæ resurrectionis intelligere debemus, quam, ob honorem et reverentiam ejusdem resurrectionis, Dominicam nominamus. Quinquies autem in eadem die Dominus hominibus resurgens a mortuis apparere voluit. Primo, apparuit Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia, flenti ad monumentum; secundo, eidem Mariæ cum altera femina, eodem nomine nuncupata, pergentibus nuntiare discipulis suis illius resurrectionem, quando accesserunt et tenuerunt pedes ejus; tertio, Simoni Petro, quod quamvis evangelista qualiter vel quomodo ei apparuit non manifestet, tamen quia apparuerit non tacet; quarto, euntibus duobus discipulis in castellum Emmaus, quando cognoverunt eum in fractione panis: et illis B regressis in Jerusalem, et invenientibus undecim congregatos, et dicentibus quia surrexit Dominus, vere et apparuit Simoni, tunc quinta vice venit Jesus, et stetit in medio. Et hoc est, quod nunc evangelista dicit: « Cum esset sero, » et reliqua. Rationabiliter autem quæri potest quomodo Dominus post resurrectionem verum corpus habens, ad discipulos foribus clausis intromitti potuit. Sed quia hoc mirabile factum ex se non facile cognosci potest, de aliis mirabilioribus ejus operibus vel miraculis unum ad memoriam reducamus. Nam universalis Ecclesia confitetur eum ex Virgine esse natum; quid ergo est mirum si incorruptibilia et immortalia membra ad discipulos januis clausis introduxit, qui mortale et corruptibile corpus ex utero Virginis clauso eduxit? Igitur si quod majus et fecit, non est C mirum, si quod minus est facere potuit. Non enim divina mysteria humana ratione pleniter comprehendi possunt, teste Psalmista, qui ait: « Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ (*Psal.* XCI). » Hinc et propheta alias dicit: « Quis cognovit sensum Domini, aut quis consilliarius ejus fuit? » (*Isa.* XL.) Unde et apostolus Paulus, ut magnitudinem mysteriorum Dei pleniter comprehendi non posse ostenderet, ait: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* XI.) Sed quid stans in medio ejus dixerit, audiamus.

« Pax vobis. » Pulchre Dominus post resurrectionem discipulis suis primum pacem commendavit, ostendens nimirum discordiam angelorum et homi- D num per suam resurrectionem pacificatam. Ex illo enim tempore, quo primus homo peccando a consortio angelorum segregatus est, inter eos magna exstitit discordia. Unde in Veteri Testamento angeli ab hominibus frequenter adorati fuisse leguntur. Sed post Domini resurrectionem non permittnt se ab hominibus adorari in terris, quoniam Deum hominem adorant in cœlis. Qua ex re (ut ait Joannes in Apocalypsi) dum vellet angelum adorare, prohibuit eum angelus, dicens: « Vide ne feceris, conservus tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu; Deum adora (*Apoc.* XIX). » Hanc ergo pacem per suam resurrectionem redditam

ostendens, ait discipulis dicens: « Pax vobis, » A Quia (sicut Apostolus ait): « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem dissolvens maceriæ, et legem mandatorum decretis evacuans, ut condat in se duos in unum novum hominem, et reconcilians ambos in corpore suo, per crucem interficiens inimicitias in carne sua, Et veniens evangelizavit pacem his qui prope, et his qui longe erant: quoniam per ipsum accessum habemus omnes ad Deum in uno Spiritu (*Ephes.* II). »

« Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et la- « tus. » Lucas evangelista, qui hanc apparitionem scripsit, dicit: Quia cum stetisset « Jesus in medio eorum, conterriti et conturbati, existimabant se spiritum videre (*Luc.* XXIV). » Ad horum ergo dubitationem auferendam, atque fidem corroborandam, B ostendit eis manus et latus, ut per infixionem clavorum et apertionem lateris illum esse intelligerent, quem ante clavis viderant affixum et lancea perforatum. Turbatio igitur apostolorum nostræ fidei confirmatio est. « Gavisi sunt ergo discipuli, « viso Domino. » Merito discipuli qui de passione Domini contristati fuerant, de ejus resurrectione lætati sunt, ut impleretur quod eis a Domino prædictum fuerat. « Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum (*Joan.* XVI). » Nec absque magno gaudio esse poterant, cum Dominum viventem videbant, quem saltem mortuum cernere cupiebant.

« Dixit ergo eis iterum: Pax vobis, » Semel et iterum post mortem vel post resurrectionem pacem discipulis commendavit, ut quos ante passionem in pace reliquerat, post resurrectionem in ea eos inve- C niret. Nam pergens ad passionem, pacem eis commendavit, dicens: « Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (*Joan.* XIV). » A mortuis autem resurgens, eamdem reconsignavit, dicens: « Pax vobis. » Ac si diceret: In pace vos dimisi, in pace vos inveniam. Vel certe geminam pacem discipulis commendavit, ut illos sua visione dignos esse ostenderet, qui pacem et concordiam puro corde conservant, et geminam dilectionem Dei videlicet et proximi habent. Hanc autem pacem reprobi non retinent. Quamvis enim adulteri cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, rapaces cum rapacibus, homicidæ cum homicidis, pacem habere videantur, tamen non veram pacem possident, teste Psalmista vel propheta, qui ait: « Non est pax impiis, dicit D Dominus (*Isa.* LVII); » Et apostolus: « Sine pace et castimonia nemo videbit Deum (*Hebr.* XII). » Fideles namque eamdem pacem firmius retinent, cum contra adversa patientiam continent. De talibus per Psalmistam dicitur: « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum (*Psal.* CXVIII). » Quam Dominus commendans discipulis, ait: « Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos. Sicut misit me pater, et ego mitto vos (*Marc.* IX). » Missio in Scripturis aliquando ad incarnationem, aliquando ad dilectionem pertinet, Ad incarnationem, sicut Apostolus ait: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (*Galat.* IV); » et iterum: « Misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII). » Ad directionem, sicut idem apostolus ait: « Misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba pater » Sed utrumque genus missionis Dominus uno versiculo comprehendit, cum ait: « Sicut misit me « Pater, et ego mitto vos. » Misit enim Deus Pater Filium suum, quod constituit eum incarnari; misit Filius apostolos, quando ad eamdem incarnationem prædicandam in universum orbem eos direxit. Vel sicut misit Deus Pater Filium suum ad diversa opprobria et passiones sufferendas, sic et Filius apostolos non ad honorem et gloriam hujus sæculi accipiendam, sed ad angustias, et injurias, et opprobria, et varias persecutiones sustinendas.

« Hoc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Ac- « cipite Spiritum sanctum. » Bis scriptum legimus apostolos manifesta datione Spiritum sanctum accepisse, nunc primum Domino consistente in terra, postmodum vero eo præsidente in cœlo. Quæri potest quare Dominus discipulis dixerit: « Accipite Spiritum sanctum. » Nunquid hactenus Spiritum sanctum non acceperant, quando eis potestatem dederat calcandi supra omnem virtutem inimici, dicens illis: « In nomine meo dæmonia ejicite, leprosos curate; gratis accepistis, gratis date? » (*Matth.* X.) Et quomodo hoc faciebant, si Spiritum sanctum non habebant? habebant utique, sed et nostram assertionem approbat Dominus, dicens Judæis: « Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? » (*Luc.* XI.) Ergo prius Spiritum sanctum habuisse credendi sunt. Quia nisi Spiritus sancti gratia essent illuminati, neque dæmonia ejicerent, neque virtutes facerent, neque illum verum Deum esse crederent. Sed primum Spiritum sanctum habebant ut bene viverent: postea eumdem perfectius acceperunt, ut ad prædicandum idonei essent, ut et corde crederent ad justitiam, et ore confiterentur ad salutem. Unde impletum est quod per Moysen dictum fuerat: « Suxerunt mel de petra, et oleum de firma petra (*Deut.* XXXII). » Nunquam legimus quod populus, qui per quadraginta annos manna in cibum accepit, mel vel oleum de petra suxerit, sed tantum aquam. Quod enim in illis historialiter impletum non fuit, in apostolis credimus esse spiritaliter completum. « Petra enim (ut ait Apostolus) erat Christus (*I Cor.* X). » Dulcedo mellis et suavitas olei, gratiam Spiritus sancti significant, quæ omnibus suavitatibus suavior invenitur, dicente Psalmista: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine; super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII). » Quasi ergo mel de petra apostoli suxerunt, quando, Christo in terra consistente, Spiritum sanctum ab eo acceperunt. Quasi oleum de firma petra, quando, jam eo in cœlo præsidente, eumdem Spiritum sanctum in linguis igneis visibiliter e cœlo accipere meruerunt. De hoc oleo scriptum est: « Computrescet jugum

a facie olei (*Isa.* x), » id est, jugum peccati a facie Spiritus sancti. Sive aliter. Quia sicut ait Apostolus : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v). » Recte bis Spiritum sanctum acceperunt, quia eadem charitas duobus præceptis impletur, dilectione Dei videlicet et proximi. In terra quippe datur Spiritus, ut diligatur proximus : e cœlo datur Spiritus, ut diligatur Deus. Et quia per dilectionem proximi pervenimus ad dilectionem Dei, recte primum in terra datur Spiritus. et postmodum e cœlo, sicut ait apostolus Joannes : Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere ? » (*I Joan.* iv). Et pulchre insufflando Spiritum sanctum dedit, ut ipsum se esse ostenderet, qui in facie primi hominis spiraculum vitæ spiraverat (*Gen.* ii). Vel certe quia anhelitus ab interiore exterius trahitur, insufflando Spiritum sanctum dedit ut ostenderet omnem divinitatem in se esse : et sicut a Patre, ita quoque a se Spiritum sanctum procedere. « In ipso enim (ut ait Apostolus) inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* ii).» Unde et consuetudo ecclesiastica obtinuit ut in eorum facie, qui per gratiam Spiritus sancti regenerandi sunt, a sacerdotibus insuffletur. Nam illud prætermittendum non est, quod per dationem Spiritus sancti omnium peccatorum remissio tribuitur, et ipsa quoque remissio septem modis efficitur. Primo, per sacramentum baptismatis. Secundo Per eucharistiæ perceptionem. Unde et Dominus in Evangelio dicit : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis (*Joan.* vi), » etc. Tertio per martyrium. Quarto per eleemosynam. quia ut scriptum est : « Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum (*Eccli* iii). » Quinto per pœnitentiam : « Pœnitemini (inquit apostolus) et convertimini, ut deleantur peccata vestra (*Act.* iii). » Sexto. per charitatem : quia, sicut apostolus dicit : « Charitas operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* iv). » Septimo, quando in nobis peccantibus dimittimus : quia sicut Dominus dicit : « Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* vi). » Quia ergo per Spiritum sanctum remissio peccatorum tribuitur, recte per eumdem Spiritum datum discipulis dicitur :

« Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : « et quorum retinueritis, retenta sunt.» Et revera magna gratia apostolis data est, ut non solum per Spiritum sanctum a propriis peccatis absolverentur, sed etiam in alienis peccatis dimittendis potestatem acciperent. Quorum locum et ordinem episcopi et sacerdotes nunc in Ecclesia retinent, qui ligandi solvendique potestatem habent, sicut in persona omnium primo pastori specialiter dictum est : « Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis (*Matth.* xvi). » Unde in lege figuraliter præcipitur de leprosis, ut si qui lepra percussus esset, ostenderet se sacerdoti, et ad ejus judicium aut ejiceretur extra castra, aut reciperetur. Non quod ipse leprosum mundare, aut mundatum leprosum facere posset, sed quia ad ministerium ipsius sacerdotis pertinet ut discernat inter lepram et lepram id est inter peccatum majus et minus. Subtili enim examinatione providendum est. qui sunt digni intra Ecclesiam recipiendi, et qui extra eamdem propter peccata rejiciendi. Non solum quippe judicio qualitas et quantitas peccati est consideranda, sed etiam persona peccantis, et satisfactio pœnitentis. Illos enim sua sententia pastor absolvere potest, quod viderit per compunctionem cordis et dignam emendationem a Deo esse solutos. Grandis honor, sed grave pondus istius honoris. Valde namque durum est, ut ille alienas animas judicandas suscipiat, qui suam ipsam custodire nescit. Sunt enim nonnulli, qui ministerium religionis ad potestatem retorquent honoris, et putant se solvere noxios, et ligare innoxios. De quibus scriptum est : » Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt (*Jer.* xiii). » Quasi enim non morientem mortificat, qui eum qui in culpa reus non est, sua sententia damnat. Quasi non viventem vivificat, quando illum qui in peccatis permanet, se posse solvere putat. De talibus alibi scriptum est : « Et curabant contritionem populi mei cum ignominia, dicentes : Pax, pax, et non erat pax (*Jer.* vi.) » Sed sive juste sive injuste perferatur sententia pastoris, timenda est ne forte culpa quæ non fit ex opere, fiat ex elatione.

« Thomas, unus ex duodecim, qui dicitur Didy- « mus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Dixe- « runt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille « autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixu- « ram clavorum, et mittam digitum meum in locum « clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, « non credam. » Cum Lucas dicat, quod duo ex discipulis reversi in Jerusalem invenerunt congregatos undecim, etc., quid est quod Joannes defuisse dicit Thomam, qui unus ex illis erat ? Ad quod dicendum, quia primum cum illis fuit Thomas, sed ad tempus egressus est, in quo spatio egressionis venit Jesus. Quo non casu contigisse putandum est, sed divina dispensatione factum est, ut Domino apparente discipulis, unus electus discipulus defuisset, qui audita resurrectione dubitaret, dubitans quæreret, quærens inveniret, et a nostris cordibus omnem dubitationem expelleret. Multo magis incredulitas Thomæ nobis profuit, quam citissima credulitas Mariæ : quia dum dubitavit, diligenter quæsivit, quærens invenit, inveniens palpavit, palpans non solum nostram fidem corroboravit, sed etiam hæreticorum errorem exclusit, qui dicebant eum verum corpus non habuisse. Nam quia non malitia, sed ignorantia dubitavit, noluit pius magister tam dilectum discipulum in infidelitate relinquere, sed ad fidem ejus reformandam, iteram dignatus est apparere. Unde et subditur :

« Et post dies octo iterum erant discipuli ejus « intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis,

et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis » Et pulchre Dominus non solum semel et iterum, sed etiam tertio pacem discipulis commendavit, ut eloquium primæ maledictionis per suam resurrectionem solutum esse ostenderet: et (ut quidam tradunt) trinam maledictionem auferret, quæ dicta fuerat Adæ : « Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram (*Gen.* III). » Sed omnibus discipulis pace commendata generaliter, specialiter Thomæ dubitationem curavit, dicens :

« Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, « et affer manum tuam et mitte in latus meum, et « noli esse incredulus, sed fidelis. » Quæritur quare dicat: « Infer digitum tuum huc, et vide, » cum visus proprie ad aspectum oculorum pertineat. Ad quod dicendum, quia videre in hoc loco, pro sentire vel intelligere positum est. Hoc autem genus locutionis adeo nobis usitatissimum est, ut per omnes sensus currere videatur : sicuti, verbi gratia, cum dicimus, audi et vide quam modulate cantat ; olfac et vide quam suave redolet ; palpa et vide quam lene sit; gusta et vide quam dulce sit. Ne ergo discipulus infidelis permaneret, Dominus suam carnem ei palpabilem præbuit, ut postmodum libera voce prædicaret. In qua re duo mira et juxta humanam rationem comprehensibilia Dominus ostendit, cum post resurrectionem corpus suum palpabile præbuit, et inincorruptibile demonstravit, maxime cum illud quod palpari potest, possit et corrumpi: et quod non potest palpari, non possit corrumpi. Sed miro et ineffabili modo ipse post resurrectionem corpus suum palpabile et incorruptibile demonstravit, ut in uno corroboraret fidem apostolorum, in altero invitaret ad præmium. Sive certe corpus suum post resurrectionem palpabile et incorruptibile demonstravit, ut ostenderet se ejusdem esse naturæ cujus fuerat ante passionem, id est carnem habere : et alterius gloriæ, id est eamdem carnem incorruptibilem esse. Et qui in sua resurrectione nostram voluit præmonstrare resurrectionem, ostendit nostra corpora post resurrectionem incorruptibilia et immortalia esse, non tamen impalpabilia. Unde mentitus est Eutyches, qui dixit corpora nostra post resurrectionem vento aerique esse subtiliora, et sicut jubar solis videri potest, et palpari non potest, sic nostra corpora visibilia esse, sed impalpabilia: illud in adjutorium sui erroris, assumens, quod ait Apostolus : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* XV), » non intelligens quia caro in Scripturis varias habet significationes. Aliquando enim carnis nomine ipsa conditio humana designatur, sicut scriptum est : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea (*Gen.* II). » Aliquando fragilitas ejusdem carnis, sicut per Psalmistam dicitur: « Et recordatus est quia caro sunt (*Psal.* LXXVII). » Aliquando propago cognationis, sicut ait Apostolus : « Continuo non acquievi

A carni et sanguini (*Gal.* I). » Et Dominus : « Caro et sanguis non revelavit tibi (*Matth.* XVI). » Aliquando carnis nomine peccatum designatur, sicut ait Dominus ad Noe : « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est (*Gen.* VI), » id est peccator. Et apostolus ad Romanos : « Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. (*Rom.* VIII). » Nisi enim in carne essent, epistolas eis non mitteret corporaliter. Sed in carne non esse dicuntur, quia carnalibus peccatis non succumbebat. In eo ergo quod ait Apostolus : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, » non naturam humanam negavit esse resurrecturam, sed peccata ejusdem carnis regnum Dei possidere non posse confirmavit. Quod secutus Apostolus exposuit, dicens :

B « Neque corruptio incorruptelam possidebit (*I Cor.* XV). » Resurgent igitur corpora nostra immortalia et incorruptibilia, non tamen invisibilia et impalpabilia, teste beato Job, qui ait : « Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum (*Job.* XIX). » His contra Eutychen dictis, ad propria redeamus. « Inferdigitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. » Ubi notandum, quia ut omnem a cordibus eorum auferret dubietatem, non solum manus et latus, sed etiam, secundum alium evangelistam, pedes qui clavis erant affixi, ostendit, dicens : « Videte manus meas et pedes meos. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non

C habet, sicut me videtis habere (*Luc.* XXIV). » Sed in hoc loco solent pagani Christianam simplicitatem irridere, dicentes : Qua temeritate putatis vos Christiani, quod Deus vester vestra de pulvere corpora suscitaturus sit, cum sic, ut dictis, ipse a mortuis resurgens, vestigia passionis in corpore suo, ut non apparent, curare non potuit? Ad quod vera fides respondet, non hoc impossibile esse, sed potius pietatis. Majus est enim carnem a mortuis resuscitare, quam vulnera clavorum in carne sanare. Qui ergo quod minus est fecit, et quod majus est facere poterat, nisi varias ob causas ipsa vulnera in corpore suo servare voluisset. Primum, ut fidem apostolorum ad credendum invitaret vel reformaret. Qui enim videntes fixuras clavorum tarde crediderunt multo

D magis tardius credidissent, nisi vestigia passionis in ejus mortali corpore recognovissent. Sive alio modo vestigia suæ passionis in carne sua reservare voluit, ut Patrem pro nobis interpellans: quia, ut ait Joannes apostolus, « apud Patrem advocatum habemus Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris (*I Joan.* II). » Ostendit ei cicatrices clavorum, quatenus eum, qui nunquam obliviscitur misereri, ad miserandum invitet. Sive certe ipsa sua passionis vestigia reservare voluit, ut universali judicio hoc omnibus ostendat, non solum justis, sed etiam injustis: ut justi videntes quanta et qualia Redemptor generis humani pro eorum liberatione sustinuit,

A

in ejus amore amplius exardescant et in laude proficiant; injusti autem tanto deterius confundantur, quanto magis tantis beneficiis exstiterunt ingrati, sicut scriptum est: « Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ (*Apoc.* I). » Vel certe cicatrices clavorum, et lanceæ apertionem Dominus Jesus Christus in carne sua reservare voluit, ut ipsa ejus victoriam de antiquo hoste ostendant. Sicut enim, verbi gratia, miles fortissimus, cum jubente rege singulare certamen pro salute suæ gentis inierit, et cum reversus victoriam suæ genti deportaverit, acceptis aliquantis plagis, si dixerit ei medicus: Vis ut ita te sanem, ut cicatrices plagarum non appareant: an ut absque deformitate appareant? et ipse responderit: Volo, ut absque deformitate tantum

B

appareat, quatenus omnibus me intuentibus signum meæ victoriæ manifestent: sic et Dominus Jesus Christus vulnera passionis suæ in cœlum reportare voluit, ut ipsa eum victoriam habuisse de antiquo hoste demonstrent.

« Respondit Thomas. » Thomas interpretatur *abyssus*. Quæ interpretatio nominis recte illi congruit, quia sicut abyssus immensam habet profunditatem, sic ipse palpando Dominicum corpus, profundum divinitatis in eo intellexit, de quo scriptum est « Judicia tua abyssus multa (*Psal.* XXXV). » Aliud enim palpavit corpore, et aliud credidit corde. Palpavit hominem, credidit Deum. Et ideo exclamans, dixit: « Dominus meus, et Deus meus. » Dominus a dominatu dicitur; Deus a timore, sicut quidam de sapientibus dicit:

C

Primus in orbe deos fecit inesse timor.

Et Salomon: « Deum time, et mandata ejus observa (*Eccle.* XII). » Et iterum: « Time Deum et recede a malo. Sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum (*Prov.* III). » Quod nomen recte illi essentialiter convenit, qui est Rex regum et Dominus dominantium, et super omnia timendus, colendus, et venerandus, cui per prophetam dicitur: « Tu enim fecisti omnia, cœlum et terram, et universa quæ cœli ambitu continentur, Dominus universorum tu es (*Esther.* XIII). » Quantam autem remunerationem habeat fides, manifestatur cum subditur:

D

« Dicit ei Jesus: Quia vidisti me, Thoma, credi« disti: beati qui non viderunt et crediderunt. » In hoc versiculo non solum fides Thomæ collaudatur, sed etiam nostra salus futura prædicitur, ac si diceret Dominus: Tu quidem beatus es, quia vidisti me et credidisti, sed et illi beati erunt, qui non videntes me corpore, credituri sunt mente. Quod autem ait: « Beati qui non viderunt et crediderunt, » præteriti temporis verbo usus est, quia apud ejus præsentiam omnia futura præterita sunt.

« Multa quidem et alia signa fecit Jesus in con« spectu discipulorum suorum quæ non sunt scripta « in libro hoc. » Si quis Evangelium sancti Joannis cum cæteris evangelistis conferat, multa de miraculis Salvatoris in ejus scripta reperiet, quæ in Joannis Evangelio non habentur, quoniam Joannes, qui ultimus suum Evangelium scripsit, quod ab aliis scriptum novit, multis in locis prætermisit. Sed nec in quatuor Evangeliorum libris omnia miracula Domini scripta habentur, sicut Joannes in calci testatur, dicens: « Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros (*Joan.* XXI). » Tantum autem sancti evangelistæ de miraculis conscripserunt, quantum ad fidem credentium corroborandam sufficere posse cognoverunt. Unde et subditur:

« Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus « est Christus Filius Dei. » Quia ergo hæc scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, erubescat Photinus, qui tantum hominem, et non Deum credere voluit. Nos autem evangelica lectione instructi, credamus quia Jesus Christus Filius Dei in una eademque persona perfectus Deus, perfectus et homo, Deus ante tempora, homo ex tempore: Deus ex Patre, homo ex matre. Quid autem ex hac credulitate consequamur, manifestatur cum subinfertur: « Et ut credentes, vitam habeatis in nomine « ipsius. » In nomine ergo ejus vita datur, qui semetipsum credentibus donat, qui est « via, veritas, et vita (*Joan.* XIV), » sicut ipse alibi ait: « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII). »

HOMILIA LXXXII.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA, *Misericordia Domini.*

(I PETR. II.) « Charissimi, Christus passus est pro « nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini « vestigia ejus. » Et reliqua. Fratres charissimi, in lectione apostolica quam audistis, beatus Petrus Christi nos imitari exempla admonet, dicens:

« Christus passus est pro nobis, vobis relinquens « exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » Id est, quod ipse Dominus ait in Evangelio (*Matth.* XVI; *Luc.* IX): « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, » id est voluntates proprias relinquat, et Dei se omnimodis subjiciat voluntati, « et tollat crucem suam, » id est carnales mortificet delectationes, « et sequatur me, » mundi desideriis repugnet, quantum valeat divina gratia largiente. His enim modis, et talibus his similibus moribus sanctis, Christi debemus vestigia sequi.

« Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus « in ore ejus. » Ut de ipso propheta ait: « Solus enim sine peccato, qui peccata mundi tollere venit (*I Joan.* III). » Et alibi: « Non contendit, neque clamavit, neque audivit quis in plateis vocem ejus (*Matth.* XII). » Sequitur:

« Qui cum malediceretur, non maledicebat. » Subdolum et mendacium, nec detractio inventa est in ore ejus. Nos ergo si volumus imitari exempla, hæc eadem mala omni studio vitare debemus. Omnem

dolum et odium, omnemque malitiam et simulationes A et invidias atque detractiones deponere, et in bonis operibus certamen magnum habere, Christo Domino famulari. « Cum pateretur, non comminabatur. » Injuriæ vindictam non promisit, sed etiam pro suis crucifixoribus exoravit, ut nos alibi docuit, dicens: « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est (*Matth.* v). » « Tradebat autem judicanti se injuste. » Per divinitatem tradidit humanitatem, quam assumpsit ad passionem, judicanti se populo Judaico ut crucifigeretur. Si enim ipse qui sine peccato erat, propter peccata nostra, ut nos redimeret a morte, se tradidit, quid retribuere condignum ejus misericordiæ possumus, nisi tantum ut nos pura confessione et pœnitentiæ lacrymis, eleemosynarum largitate, operibusque mi- B sericordiæ et pietatis, ad ejus nos semper voluntatem præparemus fideliter, ut dignis et sanctis moribus æterna cum eo gaudia possidere valeamus?

« Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo « super lignum. » Ad hoc enim in ligno crucis pati voluit, ut ligni prævaricationem, quam Adam fecerat, deleret, et iter nobis ad regnum cœlorum, quod per peccatum Adæ mundo clausum fuerat, aperiret. « Ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore « sanati sumus. » Ut sicut antea per peccatum Deo mortui eramus, ita et nunc per passionem et resurrectionem ejus ad immortalitatem æternam perduceret, et Deo nos Patri suo reconciliaret, nobisque potestatem tribueret mundo mori posse et peccatis omnibus per confessionem, et per justitiam vivere Deo. C

« Eratis enim sicut oves errantes. » Error ovium culpa pastorum esse intelligitur, qui negligunt corripere delinquentes, « sed conversi estis nunc ad « pastorem et episcopum animarum vestrarum. » Conversi a diabolo ad Christum, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de infidelitate ad fidem, de infirmitate ad salutem, in qua si permanseritis usque in finem, bonis certando operibus, salvi eritis in æternum. Non enim qui cœperit bonum, sed qui perseveraverit in bono, hic salvus erit. Tunc enim placet Deo nostra conversio, quando bonum quod inchoamus, perseveranti fine complemus. Bonum ergo non cœpisse, sed perfecisse virtus est. Nam inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur, per eum qui promisit, qui est verus pro- D missor et largitor Jesus Christus Dominus noster. Qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXIII.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA, *Misericordia Domini.*

(JOAN. X.) In illo tempore dixit Jesus discipulis « suis: Ego sum pastor bonus. » Et reliqua. Superius textus Evangelii narrat qualiter Dominus inter bonos malosque pastores discretionem fecerit, dicens de malis: « Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. » De bonis autem: « Qui intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. « Cum autem cerneret eos Dominus hoc proverbium non intelligere, apertius de quo pastore loqueretur exposuit, dicens: « Ego sum pastor bonus. » Sed in exordio hujus lectionis inquirendum est, quare se Dominus pastorem nominari voluerit. Nunquid ideo pastor dicitur, eo quod more terreni pastoris oves ad pascua ducat et reducat? Non. Sed per similitudinem talia nomina ei applicantur, ut per visibilia invisibilia intelligamus. Sicut enim ovis dicitur propter innocentiam, agnus propter mansuetudinem, vitulus propter suæ carnis immolationem, leo propter fortitudinem, petra propter firmitatem, sic dicitur pastor, non solum quod fideles suos spiritualiter pascat et reficiat, sed etiam quod eos a morsibus luporum sua protectione defendat. Iste est enim verus pastor, qui nobis rationabilem sensum tribuit, et spiritualem intellectum ministrat. Ipse verus est pastor, qui sacramento sui corporis ac sanguinis non in præsenti reficit, et in futuro ad satietatem suæ contemplationis perducit, qui ait in Evangelio: « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi (*Joan.* VI). » Et iterum: « Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet (*Joan.* X). » Et rursus: « Qui manducat meam carnem (*Joan.* VI), » et reliqua. Et: « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Sub cujus pastoris regimine abundantia pascua se invenisse gaudebat Propheta, cum diceret: « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit (*Psal.* XXII). » Et iterum: « Satiabor dum manifestabitur gloria tua (*Psal.* XVI). » Iste vero pastor fidelibus ovibus promittebatur, cum Dominus per prophetam dicebat: « Ecce ego suscitabo vobis pastorem unum, servum meum David, qui pascit oves in judicio et justitia (*Ezech.* XXXIV). » Hujus pastoris typo vel figura, Jacob patriarcha oves pavisse legitur. Sicut enim ad pastoris officium pertinet, non solum fortiores oves ad pascua deducere, sed etiam infirmis medicinam impendere, sic etiam iste pastor non solum perfectiores quosque in Ecclesia gerit, sed etiam infirmis animabus per misericordiam condescendit, et per pœnitentiam curam salutis impendit. Quod significant ejusdem Jacob verba dicentis: « Nosti, Domine mi, quod habeo oves fetas teneras mecum, quas si in ambulando plus laborare fecero, morientur cuncti greges una die (*Gen.* XXXIII). » Unde per Ezechielem prophetam dicitur: « Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas et congregabo eas de cunctis locis, in quibus dispersæ fuerant. Quod perierat requiram, quod abjectum fuerat reducam, et quod confractum alligabo, et quod infirmum consolidabo, et quod pingue et forte custodiam (*Ezech.* XXXIV). » Ipse est etiam qui sanat contritos corde, et alligat contritio-

nes eorum. Et iterum: « Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos (*Psal.* CXLV). » Quantum autem hujus pastoris benignitas infirmantibus ovibus compatiatur, illa parabola Evangelii (*Luc.* XV) indicat, in qua legitur, quia pastor bonus, relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit quærere unam quæ in vallibus erraverat, quam inventam imposuit propriis humeris, et sic reportavit ad gregem. Ad prædicti autem pastoris mensam si volumus accedere, necesse est ut bonis operibus nos præparemus, Salomone testante: « Ad mensam potentis accessisti? diligenter attende quæ apponuntur tibi, sciens quia similia te præparare oportet (*Eccli.* XXXI). » Quia ergo Dominus pergens ad passionem mysterium corporis et sanguinis sui nobis tradidit, tunc et similia præparamus, si pro ejus amore tribulationes et angustias sustinemus, quia (sicut ait Apostolus) per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et Psalmista: « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi (*Psal.* CXV). » Quæritur autem quare Dominus se pastorem vocavit, cum paulo superius ostium se esss dixerit, dicens: « Ego sum ostium. » Ad quod dicendum quia aliud est ostium, et aliud ostiarius, atque aliud pastor. Ipse est enim ostiarius, qui nos ad fidem introducit, sicut ipse ait in Evangelio: « Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV). » « Neque enim cognovit Patrem quis, nisi Filius, et cui voluerit revelare Filius (*Luc.* X). » Ipse est ostium quia per eum ad fidem intramus, sicut ipse ait: « Per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X). » Et bene quidem postquam dixit, « Ego sum pastor » adjunxit « bonus, » ad discretionem illorum qui indigne nomen pastoris usurpant, eo quod vel boni, vel digni non sint, de quibus Dominus superius ait: « Omnes quotquot ante me venerunt, fures fuerunt et latrones (*Joan.* X). » Fuerunt enim boni pastores, qualis fuit Petrus, cui a Domino dictum est (*Joan.* XX): « Si diligis me, pasce oves meas. » Et iterum: « Tu es pastor ovium. » Talis erat Paulus, qui optabat se esse anathema pro fratribus suis, dicens: « Ego cupiebam anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, qui sunt Israelitæ (*Rom.* IX). » Sed aliud est bonum essentialiter, sicut Domino; et aliud nuncupative, sicut discipulis; aliud per naturam, et aliud per gratiam. Illi vere ut boni essent a Domino acceperunt, ipse autem a nemine, nisi a seipso, ut bonus esset, accepit; et ideo bonitati ejus si comparentur, minus boni inveniuntur. Quantum vero bonus pastor oves sibi commissas diligere debeat, manifestatur cum subditur:

« Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. » Fecit quod monuit, et quod docuit verbis ostendit exemplis. Prius animam suam pro ovibus suis posuit, ostendens bonis pastoribus, etiamsi necessitas evenerit, pro ovibus sibi commissis mortem non debere timere. Unde cum Petro oves suas regendas tertio commendasset, quid pro eisdem ovibus passurus esset intimavit, dicens: « Amen, amen dico tibi, cum

A esses junior, cingebas te et ambulabas ubi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis ire. Hoc autem dicebat, ait evangelista, significans qua morte clarificaturus esset eum (*Joan.* XXI). » Denique et Paulus apostolus pro ovibus sibi commissis mori paratus erat, cum diceret: « Ego ipse impendebam, et superimpendebar pro animabus vestris (*II Cor.* XI). » Et iterum: « Ego autem non solum alligari, sed etiam mori paratus sum in Jerusalem propter nomen Domini Jesu. Non enim facio animam meam pretiosiorem quam me (*Act.* XX). » Et rursus: « Melius est mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet (*I Cor.* IX). » Sed postquam Dominus boni pastoris opus ostendit, etiam vitia mali pastoris declarare curavit, dicens:

B « Mercenarius autem, et qui non est pastor. » Mercenarius dicitur mercede conductus. Quo nomine recte mali pastores figurantur, qui non ob amorem Dei, nec propter dilectionem gregis, sed propter lucra terrena curam animarum suscipiunt, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, sicut Apostolus dicit: « Quæstum existimant pietatem (*I Tim.* VI). » Quos per prophetam redarguit Dominus, dicens: « Ipsi regnaverunt, et non per me: principes exstiterunt, et non cognovi (*Ose.* VIII). » Tria quidem sunt, quæ mercenarii ab ovibus exquirunt, lac, lanam, et carnes: quia mali pastores, qui magis præesse quam prodesse desiderant, hæc tria a sibi subjectis exigunt, lac adulationis, lanam obsequii corporis, carnes delectationis carnalis. Quos Domi-

C nus per Ezechielem prophetam redarguit, dicens: « Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis: et quod ægrotum, non sanastis; quod confractum, non alligastis, et quod abjectum, non reduxistis; quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia (*Ezech.* XXXIV). » Quos enim ab extraneis defendere debuerant, hos etiam more prædonum frequenter opprimunt, de quibus Dominus ait in Evangelio: « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; a fructibus eorum cognoscetis

D eos (*Matth.* VII). » Tales fures in Ecclesia apostolus prævidebat, quando discipulis dicebat: « Scio quia post meum discessum intrabunt in vos lupi graves, lupi rapaces, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis consurgent viri loquentes mendacium, ut adducant discipulos post se (*Act.* XX). » Recte autem de talibus subditur: « Cujus non sunt oves propriæ. » Non enim ut proprias oves recognoscunt, sed ut alienas nesciunt. Non facile autem tempore pacis cognoscitur quis sit pastor, quisve mercenarius: sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregem suum invigilet. Unde et sequitur: « Vidit lupum venientem, et dimittit oves, et fugit,

« et lupus rapit et dispergit oves. » Lupi nomine in hoc loco potentes quilibet designantur et injusti: qui dum pauperum substantias diripiunt, more luporum quasi carnes ovium dilacerant. Sed mercenarius videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: quia carnalis pastor, terrena patrimonia amittere timens, sub silentio se abscondit. Fugit autem, non mutando locum, sed subtrahendo solatium: quia cum subjectos a potentibus videt opprimi, non contradicit, ut liberet pauperem et egenum de manu ipsorum, sed magis adulando decipit. De quibus per prophetam dicitur: « Omnes principes tui fugerunt dureque ligati sunt (*Isa.* XXII). » Et iterum: « Quasi vulpes in deserto, prophetæ tui, Israel, erant (*Ezech.* XIII). » Quorum vituperabilem timorem Dominus alibi per prophetam redarguit, dicens: « Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini (*Ibid.*). » Est et alius lupus invisibilis, qui quotidie non corpora, sed animas peccantium lacerat; ille scilicet de quo ait Petrus apostolus: « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* V). » Dum enim alium ad superbiam, alium ad adulterium, alium ad rapinam, alium ad fornicationem, alium ad homicidium pertrahit, more luporum quasi carnes ovium laniat. Sed mercenarius vidit lupum venientem, et dimittit oves et fugit, cum is qui non pro divino amore gregem Dei pascit, contra hæc vitia nullo zelo accenditur, nullo dolore movetur, nulla prædicationis arma opponit. Fugit enim, cum se sub silentio abscondit. Fugit etiam, cum subjectos per diversa vitia videt coinquinari: et tacet quia non corrigit, non considerans illud quod Apostolus Timotheo præcepit dicens: « Testor coram Deo, et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos; prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa (*II Tim.* IV). » Tales enim non solum de propriis, sed etiam de subjectorum reddituri sunt rationem, sicut Dominus per Ezechielem terribiliter comminatur, cens: « Speculatorem dedi te domui Israel. Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III). » Considerandum est etiam qualiter mercenarius urso veniente fugiat. Per ursum namque, qui versutum et callidum est animal, ut quidam dicunt, hæretici designantur, qui per pravam doctrinam mites in Ecclesia decipere non cessant. Sed mercenarius et qui non est pastor, videt ursum venientem et fugit, quando subjectos ab hæreticis vel pravis doctoribus, intra sanctam Ecclesiam et simplices decipi videt, et non per auctoritatem divinarum Scripturarum contradicit. De talibus Dominus per prophetam ait: « Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia, et canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi enim pastores ignoraverunt scientiam (*Isa.* LVI). » De quibus adhuc subditur:

« Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est,

A « et non pertinet ad eum de ovibus. » Si causam quæris, quare mercenarius fugiat, nullam invenies viciniorem nisi quia mercenarius est. Qui enim non amore divino, sed dilectione cupiditatis et potestatis gregem Dominicum pascit, mox ut timor hæc amittendi accesserit, ille recedit, et si non corpore, tamen mente, quia, juxta Psalmistæ vocem, « illic trepidat timore, ubi non erat timor (*Psal.* LII). » De talibus per Jeremiam prophetam dicitur: « Mercenarii quoque tui, qui versabantur in medio tui, quasi vituli saginati erant, fugerunt simul, nec stare potuerunt (*Jer.* XLVI). » Diligunt enim principaliter, quo perdere potuerunt laudabiliter, id est res terrenas, et non timent amittere, quod sine gravi periculo non possunt relinquere, id est animas subjectorum. De

B quibus sub specie strutionis per beatum Job dicitur: « Quando derelinquit in terra ova sua, obliviscitur quod pes hominis conculcet ea, et bestiæ agri conterant (*Job* XXXIX). » Sunt autem nonnulli rectores, qui quamvis bene doceant, tamen quia male vivunt, magis inter mercenarios quam inter pastores computantur: quoniam quos bene docendo erudiunt, hos male vivendi exemplo destruunt. De quibus per prophetam dicitur: « Cum ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Et oves meæ, quæ pedibus vestris conculcatæ fuerant, pascebantur; et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant (*Ezech.* XXXIV). » Sed mercenariorum vitiis patefactis, Dominus ab boni pastoris officium sermonem convertit, dicens:

« Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas

C « et cognoscunt me meæ. » Quod est aperte dicere: « Cognosco meas, » id est diligo eas. « Et cognoscunt me meæ, » id est diligentes me voci meæ obediunt. De quibus alibi Dominus ait: « Oves meæ vocem meam audiunt, et ego Dominus cognosco eas, et sequuntur me, et vitam æternam do eis, et in æternum non peribunt, nec rapiet eas quisquam de manu mea. » Hunc ergo bonum pastorem alii pastores imitari debent, ut quos suo regimine cognoscent, puro et sincero animo diligant. Unde primus pastor Ecclesiæ reliquos pastores admonet, dicens: « Seniores qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed sponta-

D nee, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis et ex animo: ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam (*I Petr.* V). » Sicut enim mercenarii non solum de suis vitiis, sed etiam de subjectorum suorum criminibus durius damnandi sunt: sic boni pastores cum tantis et pro tantis remunerationem accipient, quantos suo exemplo vel prædicatione lucri fecerint, tunc scilicet quando illam desiderabilem vocem audire merebuntur: « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV). » Unde

bene nato Domino angelus pastoribus apparuit, cosque claritas Dei circumfulsit, ut intelligamus quia illos gratia Dei in præsenti perfectius illuminat, et sublimior merces in futuro remunerat, qui gregem Dominicum divino amore bene docendo pascere non recusant, quoniam sicut ait Daniel: « Qui docti sunt, fulgebunt quasi stellæ in firmamento: et qui ad justitiam erudiunt multos, sicut stellæ in perpetuas æternitas (*Dan.* xii). »

« Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem. » Novit Pater Filium non temporaliter, sed æternaliter, coæternum et consubstantialem sibi gignendo Filium, id est Verbum et sapientiam. Nihilominus Filius Patrem quia genitus est a Patre, sicut ipse ait in Evangelio: « Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem novit quis nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare (*Luc.* x). » « Et animam meam pono « pro ovibus meis. » Ac si diceret: Si inde me manifesto scire Patrem et cognitum esse a Patre, quia animam meam pono pro ovibus meis, tanto unusquisque pastor verius Deum cognoscere ostenditur, quanto gregem sibi commissum sollicitius custodit, non solum admonendo et exhortando, sed etiam (si necessitas exigit) pro necessitate illorum utilitatem suam postponendo. « Nemo enim majorem hac dilectionem habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis (*Joan.* xv). » Unde et Joannes dicit: « Si Christus animam suam pro nobis posuit, et nos debemus animas nostras pro fratribus ponere (*I Joan.* iii). » Sed nunquid summus pastor solummodo pro salute Judæorum animam suam posuit? non; decebat enim ut cum Dei Filius moreretur, non tantummodo pro una gente, sed pro omni populo. Unde Caiphas tempore passionis ejus prophetavit, dicens: « Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat (*Joan.* xviii). » Hoc autem (ait evangelista) a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro Judæorum gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. De quibus ait:

« Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. » Ex eo tempore quo Dominus Abraham a cæteris gentibus segregavit, et ejus progeniem sibi in peculiarem plebem elegit, duo populi et duæ gentes nominari cœperunt, Judæorum scilicet et gentium. Sed postquam ex ipsius Abrahæ stirpe natus est, ex utroque populo unam Ecclesiam copulavit, ut impleretur quod ei Dominus promiserat, dicens: « In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ (*Gen.* xxii). » Unde cum inter Judæos corporaliter ambularet, de nostra vocatione dicebat: Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, » id est ex hac gente et ex hoc populo. « Et illas oportet me adducere; » id est: per prædicationem meorum apostolorum ad fidem meam vocare. « Et vocem meam « audient; » id est: præceptis meis obedient. « Et fiet « unum ovile. » Id est, ex utroque populo una collecta Ecclesia in præsenti, sive in die judicii, qui a venturi

A sunt Judæi ad fidem. « Et unus pastor. » Ipse scilicet Dominus Jesus Christus, de quo per apostolum Petrum credentibus dicitur: « Eratis enim aliquando sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum (*I Petr.* ii). »

HOMILIA LXXXIV.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA, *Jubilate.*

(I Petr. ii.) « Charissimi, obsecro vos tanquam « advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus « desideriis, quæ militant adversus animam. » Et reliqua. Pulchre satis admonet et exhortatur nos apostolus Petrus, fratres charissimi, ut audivit in præsenti lectione dilectio vestra. « Obsecro, inquit, vos

B tanquam advenas et peregrinos. » Advenæ nos sumus et peregrini quandiu sumus in hac terra, ut Paulus apostolus ait: « Non enim habemus hic manentem civitatem, noster autem municipatus est in cœlis (*Hebr.* xiii). » Advena enim, et peregrinus, aut hospes, non cogitat quod in domo sit aliena. Sic et nos, quantum possumus, Domino largiente, ista omnino debemus despicere, et de cœlestibus meditari, unde in æternum vivere debeamus. « Abstinere vos a car« nalibus desideriis. » Ideo a carnalibus bonum est abstinere desideriis, et cœlestia semper desideria quæ nobiscum valeant æternaliter permanere. Carnalia autem decipiunt, et ad perditionem perducunt permanentes in eis. Carnalia et subditur: « Quæ militant adversus animam. » Semper nos carnalia trahere conantur ad inferna, quibus resistere omni-

C modis debemus, et insistere bonis et justis laboribus, in castite et continentia, quibus et supplicia devitemus, et præmia mereamur æterna.

« Conversationem vestram inter gentes habentes « bonam. » Ut exempla bona aliis ostendentes per operum bonorum consuetudinem. sicut luminaria sitis lucentes in mundo. « Ut in eo quod detrectant « de vobis tanquam de malefactoribus. » Mali semper ac malevoli bonorum hominum facta detrahunt, et ad malam famam conantur evertere: metuentes ne mala eorum delectatio, ut usus pessimus in quo morantur ut pereant, bonorum aliorum factis destruatur et publicetur, Sed nos hoc audientes, oportet multo instantius perseverare in bonis operibus, ut etiam alii meliores salventur, et isti inexcusabiles

D fiant, si converti noluerint a malitia sua. Sequitur: « Ex bonis operibus vos considerantes, glorificent « Deum in die visitationis. » Ut ipse Dominus in Evangelio docet: « Sic luceat lux bonorum operum vestrorum coram hominibus, ut » vos laudem ex eis nequaquam desideretis, et alii « videntes bona opera vestra, glorificent, » non vos, sed « Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* v), » qui in servis suis tanta bona ad suorum etiam et aliorum quærit salutem.

« Subjecti estote omni humanæ creaturæ, propter « Deum. » Omnibus hominibus honorem date, unicuique secundum dignitatem suam, non propter terrena desideria, nec propter humanæ laudis appeti-

tum, nec propter turpis lucri quæstum, sed tantum propter Deum, quis nos docet, dicens: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* xi): » et iterum: « Omnis qui se humiliat propter Dominum, exaltabitur a Domino (*Luc.* xviii). » — « Sive regi quasi « præcellenti, » Quia princeps est populi. Cum ipse Dominus in Evangelio honorem debitum reddere jubet, dicens (*Matth.* xxii): « Reddite quæ sunt Cæsari, Cæsari, id est debitum tributum et subjectionem obedientiæ cum fidelitate: « et quæ sunt Dei Deo, » fidem rectam spem firmam, et charitatem perfectam. « Sive ducibus tanquam ab eo missis ad « vindictam malefactorum. » De quibus et Paulus ait: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. non est enim potestas nisi a Deo (*Rom.* xiii). » Dei enim ministri sunt ad coarcendam hominum malitiam missi, ut qui sponte mala noluerit vitare, eorum timore vel invitus vitet. « Laudem « vero bonorum. » Similiter Paulus dicit: « Vis potestatem non timere? bonum fac, et habebis laudem ex illa (*Rom.* xiii).

« Quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes ob« mutescere faciatis imprudentium hominum igno« rantiam. « Ut tam cauti et tam perfecti in Dei opere sitis, ut nihil habeant quod detrahere de vobis secundum eorum malam voluntatem habeant, « quasi liberi, » ab omni peccato, per veram pœnitentiam et confessionem puram, « et non quasi ve« lamen habentes malitiæ libertatem. » Nulla fraus, nulla malitia sit in vobis, sed Deo quasi Domino digne justis et sanctis operibus, cum omni fide et voluntate deservire contendite, « sicut servi Dei, » cum charitate invicem omnibus propter Deum debitum impendite servitium.

« Omnes honorate » secundum uniuscujusque dignitatem, tamen pauperibus et minime valentibus studium maximum impendite serviendi: quia in ipsis Christus maxime honoratur, ut ipse in judicio dicturus erit: « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* xxv). » Nam sequitur: « Frater« nitatem diligite; » ut ipse Dominus in Evangelio omnes fratres et proximos esse ostendit, dicens: « Omnes enim vos fratres estis (*Matth*, xxiii), » unde et diligere nos invicem jubet, cum ait: « Hæc mando vobis, ut diligatis invicem (*Joan.* xv); » et Joannes: « Qui fratrem suum quem videt non diligit, Deum quem non videt quomodo potest diligere? (*I Joan.* iv.) » Quia nec Deus vere sine proximo, nec proximus vere diligitur sine Deo; et Paulus: « Dilectio proximi malum non operatur (*Rom.* xiii). » Plenitudo ergo legis est dilectio. « Deum timete, regem hono« rificate. » Monet ergo congruum cunctis impendere honorem, et juxta imperium Domini, Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo reddere quæ Dei sunt. Qui timet Deum, facit bona: quia « initium sapientiæ, timor Domini (*Eccli.* xvi). » De timore Domini omne bonum nascitur, et per timorem Domini omnis malitia hominis evacuatur. Quia qui timet Deum, diligenter se a peccatis custodit. Sic ergo timeamus Deum, ut diligamus eum quia perfecta est charitas, quæ foris mittit timorem servilem.

« Servi, subditi estote in omni timore dominis non « tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Hæc « est enim gratia in Christo Jesu Domino nostro. » Propter Dei timorem pariter et amorem, dignum et justum est unicuique homini suo domino fideliter servire, sive præsentibus, sive absentibus: quia quidquid homo boni fecerit propter Deum nihil perdit, quia ipse reddet unicuique secundum opera sua. Semper enim in vita hominis finis quæritur, qualis sit extremo tempore vitæ suæ: qui de fine suo unusquisque aut justificatur, aut condemnatur. Ideo instantissime bona quæ cœperit unusquisque, perficere contendat, ut perpetuam a Domino mercedem accipiat, ipso largiente, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXV.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA, *Jubilate.*

(Joan. xvi.) « In illo tempore. dixit Jesus discipulis « suis: Modicum etjam non videbitis me, et iterum « modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.» Et reliqua.

« Modicum et jam non videbitis me » mortalem et corruptibilem, comprehensibilem, sicut nunc videtis, « et iterum modicum et videbitis me » immortalem, incomprehensibilem, incorruptibilem. Quoties evangelicam lectionem recitamus, considerandum est quia solet contingere ut quædam pars ejus specialiter ad discipulos, quibus corporaliter loquebatur, pertineat, quædam vero generaliter ad universalem Ecclesiam. Quod in hac lectione facile comprobatur, si textus ejusdem diligentius consideretur. Quod vero ait: « Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, » specialiter ad discipulos pertinet, quibus per corporalem præsentiam loquebatur. Quod autem illis non intelligentibus inferius exposuit, dicens: « Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, » etc., usque, « vertetur in gaudium, » sic apostolis specialiter convenit, ut etiam universali Ecclesiæ generaliter congruat, quia ego ea qua tradendus erat nocte, hæc discipulis loquebatur, modicum erat quo eum visuri non erant, quoniam ipsa nocte comprehensus, et in crastino crucifixus, in sepulcro est collocatus, et tunc cœperunt eum non videre. Nocte vero ac die sequenti sepulcro quiescens, mane prima sabbati resurrexit, et discipulis januis non apertis apparuit. Sive certe futurum erat modicum, quo eum visuri erant, quando post resurrectionem per quadraginta tantummodo dies in multis argumentis eis apparens, quadragesimo die illis videntibus in cœlum ascendit. Unde et subditur:

« Quia vado ad Patrem. » Quod non de divinitate, sed de humanitate loquitur. Iterum se dicit ire ad Patrem per humanitatem, a quo non discessit per divinitatem, sicut ipse ait: « Ego et Pater unum

sumus (*Joan.* x). » Sicut enim Patrem deseruit, cum apostolis apparuit, sic apostolos non dereliquit, cum ad Patrem rediit, sicut ipse dicit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii). » Manens ego cum Patre per divinitatem, discipulis apparuit per humanitatem : et revertens ad Patrem per humanitatem, mansit cum discipulis per divinitatem, sicut alibi dicit : « Exivi a Patre, et veni in mundum (*Joan.* xvi). » Venire quippe et redire humanitatis est : manere et esse divinitatis. Quod facile illorum intellectui patet, qui in uno Mediatore Dei et hominum utramque naturam, divinam scilicet et humanam, confitentur. Et bene ad Patrem ire dicitur, quia quandiu cum discipulis conversatus est, simili carne indutus, qua et illi, potuit simul cum illis comprehendi, ligari, flagellari, somno gravari, fatigari, crucifigi et mori, et his similia ad humanitatem pertinentia pati ; sed post resurrectionem, abjecta carnis mortalitate, ita a Patre clarificatus est, et impassibilis atque immortalis factus, ut nullum jam horum patiatur. De quo per Paulum dicitur : « Et si noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus (*I Cor.* v). » Et iterum : « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur (*Rom.* vi), » etc. Et quia piæ mentes discipulorum, pii magistri absentiam corporalem sine gravi tædio et dolore ferre non poterant, manifestatur cum subjungitur :

« Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : « Quid est hoc quod dicit nobis : Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, et « quia vado ad Patrem? Dicebant ergo : Quid est « hoc quod dicit nobis : Modicum ? nescimus quod loquitur. » Habet autem humana mens hoc proprium, ut quod omnino non vult, aut tarde intelligat, aut tardius credat. Et ideo discipuli, quia nolebant, nec credebant quod pius magister ab eis corporaliter separaretur, quamvis manifeste diceret : « Modicum et jam non videbitis me, » non hoc intelligebant. Unde et inter se conquerentes dicebant : « Quid est hoc quod dicit : Modicum ? nescimus quid loquitur. » Juxta hunc sensum, cum alibi eis suam passionem prædiceret, dicens (*Matth.* xx) : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis, » etc., subjunctum est : « Et ipsi nihil horum intellexerunt ; erat enim verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur. » Quare ? quia quem pati non optabant ut pati posset non intelligebant. Sed quia querelas suas ad callida argumenta non converterunt, sed pium magistrum humiliter interrogare disposuerunt, ille, qui cordis est scrutator, eorum cogitationes præveniens, antequam interrogaretur, respondit, ut qui in multis se Deum esse ostendit, etiam in cordium inspectione se eum esse declararet, illum scilicet, de quo scriptum est : « Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt (*Psal.* xliii) ; » et Psalmista : « Intellexisti

A cogitationes meas de longe (*Psal.* cxxxviii) ; » et iterum : « Cogitatio hominis confitebitur tibi (*Psal.* lxxv) ; » et Salomon : « Tu Deus solus nosti corda filiorum hominum (*II Par.* vi) ; » et iterum : « Quæ sunt in corde hominum, oculi tui vident, Domine ; » et rursus : « Homo videt in facie, Deus autem in corde. » Sive cogitationes eorum prævenire voluit, ut ostenderet eos non debere dubitare ex ejus promissionibus, quem tam facile occulta suarum cogitationum videbant dignoscere. Unde et subditur :

« Cognovit autem Jesus quia volebant eum inter- « rogare, et dixit eis : De hoc quæritis inter vos « quia dixi : Modicum et non videbitis me, et iterum « modicum et videbitis me. » Ac si diceret : Si hoc vos conturbat, et vestras, mentes sollicitat quia dixi :
B Modicum et non videbitis me, adhuc audite : « Amen, « amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, « mundus autem gaudebit. Vos autem contristabi- « mini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. » Flebant enim amatores Christi, cum eum quem sine culpa in mundo conversari conspexerant, quasi reum comprehendi, ligari, flagellari, atque crucifigi viderunt. Neque enim sine gravi dolore vel fletu ejus mortem videre poterant, cujus vitam nimio amore dilexerant : quemque prius mortuos suscitare viderant, mortuum videbant. At econtra mundus gaudebat, id est Judæorum populus, qui propter mundi amorem recte mundus vocatur, cum cerneret eum crucifigi, qui gravis erat etiam eis ad videndum, existimantes nomen ejus esse deletum. Sed nunquid semper reprobi lætabuntur, et electi contristabun-
C tur ? non. Dicam quid dicat : « Tristitia vestra vertetur in gaudium. » Sed tristitia apostolorum versa est in lætitiam, quando, sicut ait evangelista Lucas, gavisi sunt discipuli viso Domino. Econtra lætitia Judæorum commutata est in mœstitiam, in tantum ut ejus resurrectione audita, militibus pecuniam promitterent, dicentes : « Dicite quia nobis dormientibus venerunt discipuli ejus nocte, et furati sunt corpus ejus, et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus (*Matth.* xxviii). » Sed quia partem hujus lectionis superius generaliter ad universalem Ecclesiam pertinere diximus, suis verbis Dominus fidelibus luctum et fletum indicat, quibus dicit : « Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, » etc., usque vertetur in gaudium. »
D In convalle namque lacrymarum positi, sarcina peccatorum gravati, non solum pro remittendis peccatis deflent, sed etiam pro exspectatione æternæ vitæ quotidie gemunt, dicentes cum Psalmista : « Lavabo per singulas noctes (*Psal.* vi), » etc. ; et iterum : « Cibabis nos pane lacrymarum (*Psal.* lxxix). » Et rursus : « Heu mihi ! quia incolatus meus (*Psal.* cxix), » etc. ; et alibi : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* xli). » Recolunt enim unde ceciderunt, et considerant ubi pervenerint. Dumque reproborum pœnas et gloriam justorum ante mentis oculos reducunt, in conspectu piissimi judicis maculas peccatorum fonte abluunt lacrymarum, dicentes

cum Psalmista: «Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus (*Psal.* XXXVII); » et iterum : « Deus, vitam meam nuntiavi tibi (*Psal.* LV). » Nec solum pro suis, sed etiam aliquoties pro alienis sancti deflent peccatis, cum eos irrevocabiliter in eis persistere vident, sicut faciebat Paulus apostolus, qui dicebat: « Lugeo multos ex his qui antea peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super impudicitiis quas gesserunt (*I Cor.* XII). » At vero mundus gaudet, id est mundi amatores, cum extolluntur in honoribus, in salute corporum, in abundantia rerum, in procreatione filiorum. Recte autem mundus vocantur, quia totum desiderium suum in mundi amorem ponunt et nullam aliam vitam diligunt, de quibus Dominus ait in Evangelio : « Pater juste, mundus te non cognovit (*Joan.* XVII); » et Joannes apostolus: « Mundus totus in maligno positus est (*Joan.* V). » Sed umbratica atque fumatica eorum lætitia in tristitiam vertitur, quia sicut ait beatus Job : « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (*Job* XII), » quibus Dominus ait in Evangelio: « Væ qui ridetis, quia plorabitis (*Luc.* XII), » quibus etiam per prophetam improperat, dicens : « Ecce servi mei lætabuntur, vos autem confundemini. Ecce servi mei exsultabunt in lætitia, vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus vestri ululabitis (*Isa.* LXV). » Justorum autem brevis tristitia in æternam lætitiam convertetur, quando mortale hoc induetur immortalitate, et corruptibile hoc induetur incorruptione. Et qui modo seminant in lacrymis, tunc in gaudio metent. Et quando implebitur illud quod Dominus ait: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V), » et Job : « Os veracium implebitur risu (*Job.* VIII), » tunc enim reproborum lætitia in tristitiam vertitur, quando cum post universale judicium viderint sanctos in gloria coronari, et se in Tartarum præcipitari. Et incipient lugere, dicentes : « Isti sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii: nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo nunc inter filios Dei sunt computati, et inter sanctos sors illorum est?» (*Sap.* V.) Sed quia discipuli nondum erant capaces ad supradicta intelligenda, volens Dominus ex rebus terrenis dare similitudinem, et ad eorum tristitiam consolandum similitudinem intulit, dicens :

« Mulier cum parit, trititiam habet, quia venit « hora ejus. » Juxta litteram ita est: quoniam mulier cum parit, cum mœrore et tristitia parit : quia ex eo tempore, quo primæ matri nostræ dictum est: « In dolore paries filios (*Gen.* III), » mulieris natura est cum mœrore et dolore parere. Spiritualiter hæc mulier sanctam significat Ecclesiam, quæ non propter mollitiem mulier dicitur, sed propter conjunctionem viri, de quo jure canitur. » Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ (*Prov.* XXXI). » Ex fecunditate prolis mulieri comparatur, quia hæc mulier tot quotidie filios parit, quot per fideles per undam baptismatis et gratiam Spiritus sancti regenerat. De qua regeneratione Dominus alibi ait : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto (*Joan.* III), » etc. : hæc est enim illa mulier, de qua Dominus in Evangelio figurate loquitur, dicens: « Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum (*Matth.* XIII), » quia Ecclesia doctrinam sancti Evangelii in tribus partibus mundi seminavit, Asia, Africa, Europa, donec fermentaretur totum, id est donec totum genus humanum prædicationem Christi audiret. De qua etiam per Salomonem dicitur: » Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus : confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit (*Prov.* XXXI). » In cujus typo vel figura regina Saba a finibus terræ venit in Jerusalem audire sapientiam Salomonis. Sed hæc mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : quia sancta Ecclesia, cum in prædicatione invigilat aliquando ab exterioribus hostibus, semper autem ab interioribus premitur. Bellum enim quotidie agit, non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus, sciens scriptum : « Multæ tribulationes justorum (*Psal.* XXXIII); » et iterum : « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (*Act.* XIV), » Ad cujus mulieris membra noverat se Apostolus pertinere, cum spiritualium filiorum lapsum gemebunda voce deflebat, dicens: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV); » et propheta, cum dicebat: « A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus spiritum salutis (*Isa.* XXXI). »

« Cum autem pepererit puerum. » Sicut mulier nato puero gaudet, sic Ecclesia, cum fidelium animas ad æternam vitam transmittit, gratulatur. Semper enim inter pressuras tribulationum sublevatur spe præmiorum, illud Apostoli in memoriam reducens : « Non enim condignæ passiones sunt hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). » Quale autem quantumve ibi sit gaudium, his verbis manifestatur, quibus dicitur : « Jam non meminit pressuræ » præcedentis, » pro- » pter gaudium » subsequens :« quia natus est homo « in mundo. » Tanta enim gloria datur sanctis, ut non solum de futuro non timeant, sed etiam præteritarum pressurarum obliscantur, sicut per Joannem in Apocalypsi dicitur: « Absterget Deus omnen lacrymam ab oculis sanctorum, et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor ullus, quoniam priora transierunt (*Apoc.* XXI). » De quorum spiritali lætitia etiam per Psalmistam dicitur: « Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis (*Psal.* CXLIX). » Tanta enim ibi erit securitas, ut etiam morti insultent, dicentes: Ubi est mors aculeus tuus? Ubi est contentio tua? Ubi est summa vita, imago mortis erit nulla: quia qui nunc pugnant

in certamine, tunc coronabuntur in remuneratione. A Recte autem homo natus in mundo dicitur, cum anima fidelis ad futuram vitam transit : quia sicut consueta narratione nasci dicimur, cum de utero matris in mundum progredimur, sic fidelis anima spiritaliter nasci creditur, quando de ærumma præsentis vitæ ad beatam vitam transire meretur. Unde mos ecclesiasticus obtinuit ut dies beatorum martyrum sive confessorum, quibus de hac vita migraverunt, non funebria, sed natalitia vocemus : quia tunc felicius vivere cœperunt, cum per mortis umbram ad vitam æternam pervenire meruerunt. Quam vitam Dominus fidelibus promittit, dicens : « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet (*Joan.* XI). » Illa autem nativitas multo felicior est ista, quia prima nativitate terris nascimur morituri secunda vero cœlo B nascimur sine fine victuri, canentes cum Psalmista : « Melior est dies una in atriis tuis super millia (*Psal.* XXXIX). » Exponens autem Dominus quid in similitudine quam de muliere proposuerat, intelligere vellet, adjunxit :

« Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. « Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, « et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. » Ac si diceret: Sicut mulier, cum parit, tristitiam habet, sic et vos de mea passione contristabimini : et sicut mulier nato puero gaudet, sic vos mea resurrectio lætificabit. Sed quid est quod ait : « Iterum autem videbo vos? » Nunquid aliquo intervallo temporis ab ejus visione abscondimur, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia? non; sed quod ait : « Videbo vos, » tale est ac si dixisset : Eruam vos de tribulatione, et libe- C rabo vos de angustia. Videre enim nos dicitur Deus tunc proprie, quando miseratus a pressura tribulationis absolvit, sicut ipse ait Moysi : « Videns vidi afflictionem populi mei (*Exod.* III), » etc ; et illud quod Psalmista precabatur, dicens : « Vide humilitatem meam, et eripe me (*Psal.* CXIII). » Vidit ergo apostolos Dominus, quando eos de angustiis quas de ejus passione sustinuerant, liberavit. Sive certe quod ait : « Videbo vos » tale est ac si diceret per tropicam locutionem : Videre vos faciam. Videre enim Deus dicitur, quando ut nos videamus illuminat, sicut et cognoscere dicitur, quando ut cognoscamus facit, velut ipse ait Abrahæ. « Nunc cognovi quod timeas Deum (*Gen.* XXII), » id est, cognoscere te feci. Quod autem ait : « Et gaudebit cor vestrum » datur D intelligi, quia gavisum est cor discipulorum, quod de ejus passione fuerat contristatum, quando eum a mortuis resurrexisse viderunt. Et adhuc uberiori gaudio sunt jucundati, quando hominem Deo conjunctum, collaudantibus angelis, in cœlos ascendisse conspexerunt, sicut Lucas evangelista ait : « Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum (*Luc.* XXIV). » Quæritur autem quare dicat : « Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, » cum post ejus ascensionem non solum frequenter cæsi, sed etiam vinculis stricti et carceribus immissi legantur. Sed sciendum quia gaudium quod de ejus resurrectione et ascensione perceperunt, nulla tristitia, nulla persecutio, nulla angustia ab eis auferre potuit, quin potius (ut Scriptura refert) ibant gaudentes a conspectu concilii, dicentes « dignos se esse pro nomine Jesu contumelias pati (*Act.* V). » Unde et unus eorum gratulabundus aiebat : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tribulationes incideritis, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Jac.* I; *Rom.* V). » Hoc invisibile et inenarrabile gaudium Dominus promittebat apostolis, cum dicebat : « Petite et accipietis ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur (*Joan.* XV). » Hujus ineffabilis gaudii, quod nemo ab apostolis auferre potuit, participem se noverat esse apostolus Paulus, cum dicebat : « Quis nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio ? an angustia? an fames? an persecutio ? an nuditas ? an gladius ? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* VIII). » Et nos igitur si pro modulo nostræ fragilitatis in præsenti vita cum apostolis contristari non renuerimus, ad illud ineffabile gaudium quod ille promittebat, pervenire merebimur, quando introibimus in conspectu Domini in exsultatione : quia, ut ait Apostolus : « Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationis : et si compatimur, et conregnabimus (*I Cor.* I; *Rom.* VIII). » Quod gaudium nemo tollet a vobis, quia nulla varietas, nulla tristitia, nullus metus mortis in æterna lætitia inveniri poterit ; sed, sicut ait Scriptura, gaudium et lætitiam obtinebunt qui redempti fuerint a Domino, et convenient in Sion lætantes, et lætitia sempiterna super capita eorum.

HOMILIA LXXXVI.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA, *Cantate.*

(JAC. I.) « Charissimi, omne datum optimum, et « omne donum perfectum desursum est. » Et reliqua. Et generaliter de omnibus, et specialiter de unaquaque a Deo data virtute intelligitur ; potest autem et specialiter datum optimum de continentia matrimonii, et donum perfectum de virginitate intelligi. « Descendens a Patre luminum. » Pater luminum dicitur Deus, quia ab ipso sive invisibilium luminum, ut sunt angeli, de quibus in principio dixit Deus : « Fiat lux (*Gen.* I), » sive animarum illarum, quibus ait Jesus : « Vos estis lux mundi (*Matth.* V), » seu visibilium, solis et lunæ et stellarum, generaliter omnia facta sunt. « Apud quem non est transmuta- « tio. » Non enim mutabitur, qui dixit : « Ego sum qui sum (*Exod.* III). » Motus et tempus, incrementum et defectus, omnino divina non accepit natura. « Nec vicissitudinis obumbratio. » Non enim Deus

sicut dies post lucem obumbratur tenebris, qui semper lux lucis, creator omnis et origo est luminis.

« Voluntarie enim genuit nos, » per gratiam utique, non naturam. Solum enim Verbum est, quod substantialiter ac proprie dicitur Filius Dei: cæteri autem potestate ab illo accepta, vocantur filii. «Quotquot autem receperunt eum, «ait evangelista,» dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I.) » « Verbo « veritatis. » Veritas Deus Pater, Verbum Filius est ejus; sive veritas Christus: Verbum veritatis, Evangelium est ejus. « Per Evangelium, » inquit Paulus, « ego vos genui (*I Cor.* IV). » « Ut simus initium ali« quod creaturæ ejus. » Initium creaturæ rationalis, angeli in cœlo, in terra Adam, in Ecclesia Veteris Testamenti patriarchæ, in Ecclesia Christi sanguine redempti apostoli sunt. Nam uni eorum dicitur: «Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI). » Quam Ecclesiam apostolus Paulus novam creaturam appellat.

« Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tar« dus autem ad loquendum. » Sciebat enim apostolus eos ad quos epistolas mittebat, primatum verbi voluisse tenere, et docere plusquam doceri: ideo admonet eos humilitatem servare. Velocitas enim audiendi facit hominem docibilem: tarditas autem loquendi mansuetum. « Tardus ad iram. » Quod naturaliter accidit, penitus vetare non potuit. Tarditatem indixit, quia ira dilata decrescit. Aliter: Tardus ad iram, id est secundum legem Veteris Testamenti ad vindictam. « Lex enim, inquit Apostolus, iram operatur (*Rom.* IV). » id est oculum pro oculo, dentem pro dente.

« Ira enim viri justitiam Dei non operatur. » Iram enim viri dicit iram hominis, quæ, secundum Testamenti Veteris usum, semper cupit exercere vindictam, et in Novo Testamento ubi scriptum est: « Nolite resistere malo (*Matth.* V), » non operatur justitiam. Aliter: Ira viri justitiam operatur, subintelligitur ira Dei, quæ humano dicitur affectu justitiam operari, ut in Sodomis, in Pharaone, in Ægypto, in mari Rubro, et in ipso Israelitico populo in deserto. Unde Psalmographus canit: « Iratus est furore Dominus in populum suum (*Psal.* CV), » et multis in locis legimus, ubi ira Dei, quæ semper justissimo fit examine, rectissimam operatur justitiam.

« Propter quod abjicientes omnem immunditiam.» Alii in hoc loco immunditiam specialiter idololatriam intelligere voluerunt; alii fornicationem immunditiam, quæ fit cum mulieribus, cum masculis, cum pecudibus, et his similia Postremo, ut generaliter de omni intelligeres malitia, addidit:

« Et abundantiam malitiæ. » Sicut enim radix virens in terra virgulta germinat, sic malitia latens in corde vitia generat. « In mansuetudine suscipite in« situm Verbum, quod potest salvare animas ve« stras. » In mansuetudine, hoc est sine ira et disceptatione suscipite per fidem rectam in mente pura. Insitum, a Deo missum, et in mentibus nostris A susceptum: ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia. Verbum, inquit, hoc est verbum credulitatis, verbum Evangelii; postremo, verbum illud de quo Joannes ait: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Qui et Salvator dicitur, quia potest salvare animas vestras.

HOMILIA LXXXVII.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA, *Cantate.*

(JOAN. XVI). « In illo tempore: Dixit Jesus disci« pulis suis: Vado ad eum qui misit me, et nemo ex « vobis interrogat me: Quo vadis? » Et reliqua. Frequenter ab initio suæ prædicationis Dominus discipulos se diligere ostendit, maxime tamen tunc affeB ctum dilectionis in eis exhibuit, cum imminente passionis articulo, per corporalem præsentiam ab illis recessurus erat, sicut idem ipse evangelista alibi manifestat, cum dicit: « Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII). » Sicut enim doctus paterfamilias, cum in longinquam regionem profectus est, tunc maxime sibi subjectos, qualiter se providere debeant, commonet: ita Dominus Jesus Christus ab apostolis corporaliter recessurus, specialiter quomodo in mundo conversari deberent, eis ostendere dignatus est, dicens: « In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem ad invicem habueritis (*Ibid.*); » et iterum: « Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem (*Ibid.*), » et cæC tera his similia. Eademque nocte qua a discipulo tradendus erat, non solum pedes discipulorum lavit, sed etiam mysterium corporis et sanguinis sui eis tradidit. Et cum multiplici sermone de sua ac Patris divinitate eis loqueretur, non solum resurrectionem, sed etiam suam ascensionem prædicere voluit, dicens: « Vado ad eum qui misit me. » Ubi quærendum est quare dicat: « Vado ad eum qui misit me, » cum alibi discipulis dixisse legatur: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi? » (*Matth.* XXVIII). Sed hæc quæstio facile eorum mentibus patet, qui in uno Mediatore Dei et hominum utramque naturam, scilicet divinam et humanam, confitentur. Manet ergo cum discipulis per divinitatem, et vadit ad Patrem per humanitaD tem, a quo nunquam discessit per divinitatem, sicut ipse dicit: « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Venire et abire humanitatis est; manere est esse divinitatis: et ideo cum discipulis mansit per hoc quod « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Vadit ad Patrem per hoc quod « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » sicut ipse alibi ait: « Exivi a Patre et veni in mundum, et iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem (*Joan.* XVI); » et iterum: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III). » Quod autem subjungit « Et nemo ex vobis interroget me: Quod vadis? » tale

est ac si diceret : Tam lucida et præclara erit ascensio mea, ut nullus vestrum indigeat me interrogare quo vadam, videntibus cunctis quod cœlum ascendam. Nam cum superius iturum se ad passionem prædiceret, dicens : « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum (*Ibid.*), » et sicut Judæis dixit : « Quo ego vado, vos non potestis venire (*Joan.* VIII), » interrogavit eum Petrus, dicens : « Domine, quo vadis ? » (*Joan.* XIII.) Visa autem ascensionis gloria, non necesse habuerunt interrogare quo pergeret, quia, sicut Lucas narrat in Actibus apostolorum, videntibus cunctis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Et cum intuerentur in cœlum euntem illum, continuo duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : « Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I). » Et quia noverat Dominus quod hæc sua verba tanto majorem tristitiam in cordibus apostolorum generarent, quanto se vicinius ab eis recessurum prædicebat, adjunxit, dicens.

« Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia im« plevit cor vestrum. » Nec enim absque gravi mœrore ejus absentiam corporalem audire poterant, cujus gratia de mundo electi erant, cujus doctrina instruebantur, cujus sermonibus informabantur, cujus miraculis jucundabantur. Et quem obicem et defensorem in omnibus sentiebant, sine magno dolore ab eo separari non poterant. Unde cum suam passionem alibi prædiceret, prohibere volens eum Petrus, aiebat : « Propitius esto tibi, Domine, non fiat istud ; non enim decet ut Filius Dei gustet mortem (*Matth.* XVI). » Et cum in ultima cœna recumbens diceret : « Unus vestrum me traditurus est, contristati valde, cœperunt dicere singuli : Nunquid ego sum, Domine (*Matth.* XXVI). » Sed eorum hanc tristitiam pius Magister benigna consolatione lenire curavit, dicens.

« Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego « vadam. » Ac si diceret : Ego qui veritas sum, veritatem vobis dico. Necesse est ut hæc forma servi, quam in me cernitis, quam sincero amore diligitis, a vestris conspectibus temporalibus subtrahatur, ut formam divinitatis in me perfectius intueri valeatis, sicut ipse alibi dicit : « Si diligeretis me, quia Pater major me est (*Joan.* XIV). » Unde recte subditur : « Si autem non abiero, Paracletus non veniet ad « vos : si autem abiero, mittam eum ad vos. » Nunquid poterat dare Spiritum sanctum in terris, cum manifeste legatur post resurrectionem, quoniam insufflavit et dixit : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX). » Poterat utique. Sed quandiu apostoli Deum hominem secum conversantem, convescentem, colloquentem habebant, ejus præsentia delectati, minus ad sciendam divinitatem oculos mentis erigebant. Postquam autem Dominicum corpus ad Patris dexteram collocatum noverunt, illo totum suum desiderium transtulerunt, quo caput præcessisse cognoverunt, juxta illud quod alibi a Domino dicitur : « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum (*Matth.* VI) ; » et iterum : « Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ (*Luc.* VII). » Et ideo tanto perfectius Spiritum sanctum post ascensionem accipere visibiliter meruerunt, quanto in ejus amore amplius exarserunt : et hoc est quod ait. « Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos. » Bene autem Spiritus paracletus nominatur, παράκλητος enim Græce, Latine *consolator* sive *advocatus* dicitur. Bene consolator dicitur, qui non solum tunc corda apostolorum de Domini absentia mœrentia consolari dignatus est, sed etiam quotidie pro peccati perpetratione lugentibus, dum spem promittit veniæ, maximam consolationem tribuit. Cujus consolationis ope se sublevatum noverat, qui dicebat : « Consolationes tuæ, Domine, lætificaverunt animam meam (*Psal.* XCIII). » Pro quo in Græco legitur : Αἱ παρακλήσεις σου εὔφραναν τὴν ψυχήν μου. Et iterum : « Memor fui judiciorum tuorum, Domine, a sæculo, et consolatus sum (*Psal.* CXVIII). » Recte etiam idem Spiritus advocatus dicitur, quia pro nostris excessibus quotidie Patrem interpellat, sicut ait Apostolus : « Nam quod oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). » Quantum autem de ejusdem Spiritus dono apostoli profecturi essent, manifestatur cum subditur :

« Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato « et de justitia et de judicio. » Manifestum est autem quod Dominus Jesus Christus per semetipsum mundum, id est amatores mundi, de peccato, et de justitia, et de judicio redarguit. De peccato redarguit eos, quia in eum credere noluerunt, de quibus alibi ait : « Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem de peccato suo non habent, quia viderunt me, et odio habuerunt me gratis (*Joan.* XV). » De justitia redarguit eos, quia justitiam et simplicitatem apostolorum imitari noluerunt. Ad quorum comparationem recte judicandi sunt, quibus ipse ait : « Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt ? Ideo ipsi judices vestri erunt (*Luc.* XI). » De judicio redarguit eos, quibus cum diabolum jam judicatum ostendisset, dicens : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X), » magis sub ejus durissima servitute manere voluerunt, quam ad liberatoris leve jugum transire. Sed quod Dominus per semetipsum in una gente Judæorum fecit, hoc Spiritum sanctum promittit facturum in universas gentes per prædicationem apostolorum. Redarguit enim Spiritus sanctus mundum, id est mundi amatores, per apostolos de peccato, quando incredulitatem infidelium condemnavit, sicut per apostolos Spiritus sanctus non credentibus dicit : « Vobis quidem oportuerat primum loqui Verbum Dei, sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Et pulchre in primordio Dominus peccatum incredulitatis, quasi speciale posuit : quia sicut fides origo est omnium virtutum,

sic incredulitas fundamentum omnium vitiorum : et sicut justus ex fide vivit, sic qui non credit jam judicatus est.

« De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam « non videbitis me. » Sicut justitia apostolorum in eo maxime comprobata est, quod eum quem humilem hominem viderunt, sublimem Deum crediderunt : sic et justitia cæterorum fidelium in hoc laudabilis apparet, quod eum quem corporaliter non vident, mente diligunt et credunt. Unde bene dicitur. « De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me. » Quod est dicere : Non me videbitis mortalem, corruptibilem, esurientem, sitientem, qualem me videre adhuc possunt reprobi ; sed videbitis me immortalem, incorruptibilem, qualem me videre potuere soli oculi justorum. De justitia ergo redarguit illos Spiritus sanctus, quod justorum bona opera imitari piget, qui cum Deum corpore non vident, eum tamen se bonis operibus diligere ostendunt.

« De judicio autem, quia princeps mundi hujus « jam judicatus est. » Principem mundi diabolum dicit, qui quondam principatum in eorum cordibus sibi vendicabat, qui magis mundum quam Creatorem Deum diligit, de quo Dominus ait : « Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV). » Princeps ergo mundi jam judicatus est, quia per Dei præsentiam a cordibus fidelium ejus potestas expulsa est, sicut Dominus ait : « Nunc hora est ut princeps hujus mundi ejiciatur foras (*Joan.* XII). » Redarguit ergo Spiritus sanctus eos de judicio, quos exemplo damnati angeli, ne contra Deum superbire audeant, terret, sicut Judas apostolus ait : « Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicio magni Dei judicandos reservavit. » Sed quia ad redarguendum de peccato, et de justitia, et de judicio, noverat Dominus corda apostolorum adhuc esse fragilia, per Spiritus sancti adventum roboranda promittit, subjiciens :

« Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus « veritatis. » Spiritus veritatis dicitur, quia a Patre veritatis procedit. Quod autem subjungit : « Docebit « vos omnem veritatem, » non solum ad præsentem, sed etiam ad futuram vitam pertinet. Nullus tam perfectus in præsenti vita esse potest ut omnem veritatem capere possit, maxime cum apostolus Paulus, qui raptus usque ad tertium cœlum fuerat, dicat : « Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus (*I Cor.* XIII) ; » et Psalmista : « Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum (*Psal.* LXXII). » Docebit vos ergo omnem veritatem, quia quod minus quisque fidelis de Deo intelligit, in futura vita perfectius Spiritus sanctus intelligere faciet, quia, sicut ait Apostolus : « Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII). » Vel certe quod ait : « Docebit vos omnem veritatem, » id est, diffundet in cordibus fidelium veritatem, vel charitatem per quam doceat amare omnem veritatem, et quia Patris, et Filii, ejusdemque Spiritus sancti una est substantia et una divinitas, recte subditur :

« Non enim loquetur a semetipso. » Non loquetur Spiritus sanctus a seipso, quia a Patre et Filio procedit, et quibus est una essentia atque una natura, non possunt dividi, ut unus sine altero loquatur : sed quod loquitur Pater, loquitur Filius, loquitur Spiritus sanctus. Unde et sequitur : « Sed quæcunque audiet, loquetur. » Audiet scilicet a Patre, a quo est non temporaliter, sed æternaliter : non visibiliter, sed invisibiliter. Loqui enim Spiritui sancto est occulta inspiratione mentes nostras docere, juxta quod Dominus alibi ait : « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat aut quo vadat (*Joan.* III). » Quod autem subjungit : « Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis, » Patet juxta litteram, quia frequenter fidelibus Spiritus sanctus futura annuntiavit, quibus mysterium prophetandi dedit. Sed quod cunctis fidelibus generaliter convenit, Spiritus sanctus futura annuntiat : quia omnes quos repleverit, ad amandam vitam æternam quæ futura est inflammat. De quo adhuc subditur :

« Ille me clarificabit. » Clarificavit Spiritus sanctus Filium, quando omnem timorem a cordibus apostolorum expulit, et ad unigenitum Dei Filium prædicandum idoneos reddidit, sicut scriptum est in Actibus apostolorum : « Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia (*Act.* IV). » Clarificavit etiam Spiritus sanctus Filium, quando ab eo missus, sicut fuerat promissus, die Pentecoste, scientiam omnium linguarum apostolis tribuit. Unde in Actibus apostolorum legitur : « Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*Act.* VI). » Clarificavit etiam Filium, cum prædicatores Filii tantis ac talibus virtutibus adornavit, ut universus orbis ad ejus credulitatem concurreret. Quod autem ait : « Quia de meo accipiet, et annun« tiabit vobis, » subaudiendum est, de meo Patre. Qui enim de nullo fit, de nullo procedit, solus est Pater. Filius autem a seipso non esse dicitur, quia a Patre natus est. Spiritus sanctus a Patre accipere dicitur, quia a Patre et Filio indivisibiliter procedit. Unde et sequitur :

« Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Et ideo dixi : « Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » Id est nota ea vobis faciet.

HOMILIA LXXXVIII.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA, *Vocem jucunditatis.*

(JAC. I.) « Charissimi, estote autem factores verbi, « et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. » Et reliqua. Verba divina factis non oportet adimplere, si ad cœlestia regna volumus pervenire. Jacobus apostolus nos in præsenti lectione, ut audistis, hortatur, dicens : « Estote autem factores verbi, et non

auditores tantum. » Factores verbi sunt, qui custodiunt præceptum Domini: « Fallentes vosmetipsos. » Fallentes autem sunt, qui versantur in aliis rebus, desiderantes Evangelium audire, sed non implere, sive qui abscondit a sacerdote divino medico suorum vulnera peccatorum, nec ea ad suam vult aperire salutem. Nec scripturam, neque sacerdotem, sed semetipsum fallit. dum non Dei, sed diaboli sequitur voluntatem, de quibus subditur:

« Qui si quis auditor est verbi et non factor, hic « comparabitur viro consideranti vultum nativitatis « suæ in speculo. Consideravit enim se et abiit, et « statim oblitus est qualis fuerit. » Mulierum mos est in speculo se considerare, ut se valeant adornare, qualiter viris suis placere possint. Ita animas nostras oportet nos sollicite considerare in speculo Evangelii, et ejus perpendere dicta, quid exinde ornamenti in adimpletione sacramentorum ejus habeamus, ut viro nostro Christo Domino placere valeamus. Si vero quominus ornamenti animabus nostris imperfecto opere Evangelii habeamus adeptum, omni sollicitudine festinare oportet, ipsum nobismetipsis ornamentum exhibere in operibus sanctis, ne cum sponsus noster Christus, hora qua non putamus, venerit et vocarit nos, forte imparatos inveniens, excludamur a nuptiis regni cœlestis. et postremo cum fatuis virginibus frustra ante januam incipiemus clamare, et aditum introeundi quærere, cum non possumus invenire. Non ergo obliviscamur præceptorum Domini, quæ sunt animarum ornamenta nostrarum, sed servientes voluntati ejus, adornemus nos dignis moribus et sancta conversatione, ut cum Christus sponsus noster nos vocaturus venerit, mereamur cum eo ad gaudia æterna pervenire. Sequitur:

« Qui autem perspexerit in lege perfectæ liberta« tis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus » factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo « erit. » Legem libertatis charitatem dicit, de qua Paulus ait: « In libertate charitatis Christi vocati estis (*Gal.* v). » Et iterum: « Onera vestra invicem portantes cum charitate (*Ibid.*). » Nam si quis in charitate perfecta se custodire satagerit, Deum videlicet ex toto corde, tota anima, tota diligendo virtute, et proximum suum sicut seipsum: hic non auditor obliviosus factus, sed factor operis evangelici comprobatur. Et si in eadem speculatione divinæ legis operando permanserit, hic vere beatus erit, et ad beatitudinem perveniet sempiternam.

« Si quis autem putat se religiosum esse, non re« frenans linguam suam, » laudando semetipsum, et pro nobis quæ fecerit, glorificare se coram hominibus quæsierit, ut Pharisæus stans in templo, et computans bona sua, non se sicut publicanum esse profitebatur (*Luc.* XVIII), « non refrenans linguam suam. » id est, cor suum ab elatione vel vanæ gloriæ appetitu, vel etiam lingua suam custodiendo a detractione vel blasphemia: quia otiosum est a quibusdam se vitiis abstinere, si non refrenaverit linguam suam. Unde dicitur in Psalmo: « Quis est homo qui vult vitam, et cupit videre dies bonos? Cohibeat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dodum (*Psal.* XXXIII). » Nam subditur: « Sed « seducens cor suum, hujus vana est religio, » quandiu consistit cor suum in superbia sua.

« Religio munda et immaculata apud Deum et Pa« trem hæc est: Visitare pupillos et viduas in tri« bulatione eorum. » Cura pupillorum ac viduarum Ecclesiæ commendatur, et sacerdotibus magnum periculum comminatur, si contradicentibus veritati resistere noluerint: quoniam quisquis personam potentis accipit, et veritatem loqui pavescit, gravi multatur culpa sententiæ. Multi enim præsules Ecclesiarum, timentes ne amicitiam perdant, et molestiam odiorum incurrant, peccantes non arguunt, et corripere pauperum oppressores verentur. Nec pertimescunt de severitate reddendæ rationis, pro eo quod conticescunt de plebibus sibi commissis, quando a potentibus pauperes opprimuntur. Ad eripiendos eos boni sacerdotes protectionis auxilium ferunt, nec verentur cujusquam inimicitiarum molestias, sed oppressores pauperum palam arguunt, increpant, excommunicant, minusque metuunt eorum nocendi insidias, etiamsi nocere valeant. Pastor enim bonus animam suam dat pro ovibus suis. Nam sicut per vigilias pastor contra bestias oves custodire solet, ita et Dei sacerdos super gregem Christi sollicitus esse debet, ne inimicus vastet, ne persecutor infestet, ne potentioris cujusque cupiditas vitam pauperum inquietet, sed sua potius sollicitudine et cura diligenti vitam et salutem mereantur æternam.

HOMILIA LXXXIX.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA, *Vocem jucunditatis.*

(JOAN. XVI.) « In illo tempore, dixit Jesus disci« pulis suis: Amen dico vobis, si quid petieritis Pa« trem in nomine meo, dabit vobis. » Et reliqua. Largitor virtutum et remunerator meritorum, Dominus Jesus Christus, sciens humanam naturam nihil boni habere posse nisi per ejus gratiam, qui ait: « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV), » ad instantiam orandi et importunitatem petendi nos alibi hortatur et admonet, dicens: « Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis (*Matth.* VII). » Et ne aliquis impetrare se posse quod postulat dubitaret, si tamen in oratione non deficiat, magnam fiduciam parentibus in exordio hujus lectionis exhibuit, dicens: « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. » Ubi notandum quia cum nos ad petendum hortatur, sua gratuita dona, nostra vult esse merita: et ideo quamvis sciat quid nobis necesse sit antequam petamus eum, ut inveniat in nobis quod juste remuneret, ad petendum nos invitat, dicens: « Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. » Sed forte movet minus intelligentes, quare dicat: « Si quid petieritis in nomine meo, dabit vobis, » cum legimus non solum inferiores, sed etiam Paulum apostolum, qui summæ per-

fectionis fuit, aliquid petisse et non impetrasse. A Sed ut veridica Domini promissio nobis clarius eluceat, libet diversas personas petentium inspicere, et causas impetrandi vel non impetrandi discernere. Aliquando enim solet contingere, ut in oratione bona petantur, sed quia mali sunt qui petunt, a Domino exaudirie non merentur, Superflue namque se exaudiri a Domino putant in orationibus suis, qui eum audire contemnunt in suis sermonibus, Salomone testante, qui ait: « Qui obturat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis (*Prov.* XXVIII). » Aliquando vero carnales carnalia petunt, et ideo a Domino non exaudiuntur, quibus per beatum Jacobum apostolum dicitur: « Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris permaneatis (*Jac.* IV). » Aliquando boni B dona petunt, sed illorum mala merita pro quibus petunt, eis obsistunt ne audiantur: quales erant illi, pro quibus Jeremiæ a Domino dicitur: « Tu vero noli orare pro populo hoc, et non assumas pro eis laudes et orationem, quia non exaudiam te (*Jer.* VII). » Et iterum: « Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est enima mea ad populum istum (*Jer.* XV). » Nec tamen putandum quod a fructu mercedis privemur, quoties, pro iniquis orantes, exaudiri non meremur: quia, etsi illi non sunt digni accipere pro quibus petimus, nobis tamen pro bona intentisne merces recompensaditur. Unde bene non dixit simpliciter: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit. » sed cum additamento « dabit vobis. » Quod est dicere: Etsi illi non merentur accipere pro quibus petitis, vobis tamen pro affectu C charitatis merces retribuetur, sicut Psalmista ait: « Et oratio mea in sinum meum convertetur (*Psal.* XXXIV). » Aliquando sancti sancta petunt, sed quia eorum petitio in præsenti non impletur, restat ut in furo repleatur, sicut universalis Ecclesia quotidie in oratione Deum postulat, dicens: « Adveniat regnum tuum (*Matth.* VI). » Quod regnum, etsi non mox finita oratione advenit, tamen post universale judicium sine dubio creditur venturum. Aliquando sancti in oratione contraria animæ suæ ignoranter petunt, occulto tamen Dei judicio, non ad voluntatem, sed ad salutem exaudiuntur. Multo enim salubrius est exaudiri ad salutem, quam ad voluntatem. Quod ut manifestius intelligatur, duos in medium ponamus, unum malum, et alterum bonum: ita tamen, ut bonus petiisse legatur et non impetrasse, malus autem D petiisse et impetrasse. Sed ne aliquis tacita conscientia dicat, fieri non posse, illum ante oculos Dei injustum esse qui exauditus est, et illum justum esse qui non exauditur: talis in malo ponendus est, cujus malitiam nullus ignoret: et talis in bono, de cujus sanctitate nullus dubitet, Paulus scilicet apostolus et diabolus. Quis enim diabolum auctorem malitiæ esse neget, maxime cum per beatum Job de eo dicatur: « Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiæ? » (*Job.* XLI.) Quis vero Paulum apostolum post conversionem sanctum fuisse dubitet, maxime cum ipse judex de eo testatur, dicens: « Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel? (*Act.* IX.) Nullus. Et tamen diabolus petiit, et impetravit: Apostolus vero petiit, et non impetravit. Petiit diabolus ut substantiam Job deleret, et audivit: « Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt (*Job.* I). » Petiit Apostolus ut auferretur ab eo stimulus carnis suæ, et non impetravit, Quis ergo horum magis exauditus est? diabolus, an Apostolus? Diabolus exauditus est ad voluntatem, non tamen ad salutem: quia inde deterior effectus est, unde sancto viro damnum inferre conatus est. Apostolus vero non est exauditus ad voluntatem, sed ad salutem: quia non expediebat illi ut stimulus carnis suæ ab eo auferretur, qui ob custodiam humilitatis ei datus fuerat, sicut ipse dicit: « Et ne magnitudo revelationum extollat me; datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, ut me colaphizet, Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII). » Quicunque ergo fide non dubitans ea quæ ad salutem animæ suæ pertinent, perseveranter petit, sine dubio exauditur aut in præsenti aut in futuro. Unde bene dicitur, « in nomine meo. » Nomen vero ejus, Jesus est, id est salvator sive salutaris. Ille ergo in nomine Jesu petit, qui animæ suæ salutem quærit.

« Usque modo non petistis quidquam in nomine « meo. » Nunquid non ante petierant apostoli, dicentes (*Marc.* XIV): « Domine, dic nobis, quando hæc erunt? » vel: « Quod signum adventus tui? » et his similia, Fecerunt utique, Sed quod ait: « Usque modo non petistis quidquam, » duobus modis intelligi potest. Sive non petistis quidquam, quia me æqualem Patri non credidistis, ut in nomine meo peteretis: sive certe non petistis quidquam, quia ad comparationem eorum quæ petere debuistis, nihil sunt quæ petistis. Fragiles namque mentes apostolorum ante passionem prius terrena et transitoria petere noverant, sicut de duobus filiis Zebedæi legimus, qui persuaserunt matri ut peteret ab eo, ut unus sederet a dextris et alter a sinistris in regno ejus. Sed quia ad comparationem eorum quæ petere debuerant, nihil erat quod petebat, protinus audierunt: « Nescitis quid petatis. » Terrena namque et transitoria, æternæ felicitati comparata, nihil sunt æstimanda. Sed quia hactenus ad ea quæ æterna sunt, petenda pigri fuerant, Domini sermonibus ad petendum incitantur, cum dicitur: « Petite. » Et ne se accepturos dubitarent, recte subjungitur: « Et accipietis. » Quid autem principaliter petere deberent, manifestatur, cum subinfertur: « Ut gaudium vestrum sit plenum. » Ubi ordo verborum talis est: Petite ut gaudium vestrum sit plenum, et accipietis. In quo loco ostenditur, quia in oratione non aurum, non argentum, non terrenas divitias petere debemus: non præsentis vitæ longitudinem, sed vitam æternam, et ea quæ ad illam pertinent, id est virtutes

animæ. Plenum ergo et perfectum gaudium esse non potest, ubi fragilitas mutabilitatis ita variatur, ut vix unius horæ spatio gaudium nobiscum permanere possit. Subito enim lætitia a tristitia absorbetur, gaudium in dolorem vertitur, sanitas infirmitate læditur, ampla possessio paupertate tenuatur, prosperitas adversitate prosternitur, juventus ad senectutem, vita currit ad mortem. Cum ergo dicit : « Petite « et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum, » illam singularem ac beatam vitam non petere admonet, ubi est lætitia sine tristitia, gaudium sine dolore, securitas sine timore, vita sine morte. Quam qui adepti fuerint, gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet ab eis omnis dolor et gemitus, quando implebitur quod Dominus alibi promittit, dicens : « Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). » Hanc devotus ille supplicator specialiter concupierat, cum dicebat (*Psal.* XXVI) : « Unum petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, et videam voluptatem Domini. » Et iterum : » Credo videre bona Domini in terra viventium. »

« Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit « hora. » Hanc horam, diem Pentecssten intelligere possumus. « Cum jam in proverbiis non loquar vobis, « sed palam de Patre annuntiabo vobis. » Proverbia quædam similitudines dicuntur, quæ ad obscuriores quasque sententias intelligendas necessariæ ab auctoribus adhibentur, ut saltem per visibilia invisibilia cognoscere queant. Unde liber Salomonis Proverbiorum nomen accepit, eo quod parvulorum ignorantiam per quasdam imagines vel similitudines, ad sapientiam discendam suadeat. Locutum ergo se dicit Dominus in proverbiis, quia prius fragilitati discipulorum facilius carpere possent, in suis sermonibus similitudines adhibuit, sicut ait Matthæus evangelista : « Loquebatur Jesus cum discipulis suis in parabolis, et sine parabolis non loquebatur eis. » Sed cum promittit se non in proverbiis locuturum, sed palam de Patre annuntiaturum, ad tantam perfectionem per Spiritus sancti adventum ostendit eos venturos, quibus non necesse sit jam in proverbiis quasi parvulis loqui, cum id Spiritus sanctus adveniens, palam de Patre annuntiet, id est, perfecte cognoscere faciat qualiter Pater in Filio et Filius sit in Patre. Et quæcunque potest Pater, potest similiter et Filius, secundum quod ipse ait : « Omnia quæ habet Pater, mea sunt (*Joan.* XVI). » Unde et subditur :

« Illo die in nomine meo petetis. » Quod est dicere : Illo die cum Spiritus sanctus adveniens cognoscere vos fecerit quia ego et Pater unum sumus, in nomine meo petetis quia æqualem Patri me esse cognoscetis, et omnia me dare posse cum Patre credetis. Sive quod ait, « In nomine meo petetis, » tale est ac si diceret : Cum Spiritus sanctus adveniens terrena vos perfecte contemnere fecerit, solummodo quæ ad salutem animarum pertinent, petenda intelligetis. Et quia Christus ita homo apparuit, ut perfectus esset Deus, recte subjungitur : « Et non dico « vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. » Quia enim homo est, alibi Patrem pro discipulis rogasse legitur, dicens : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi (*Joan.* XVII). » Et iterum : « Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos quos dedisti mihi; nunc autem pro eis rogo, non pro mundo. Et non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo (*Ibid.*). » Et alibi Petro : « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua (*Ibid.*). Nunc autem non rogaturum se Patrem pro discipulis dicit, quia omnipotens est in divinitate cum Patre. Rogat ergo Patrem per humanitatem, quia omnia postulata dat cum eo per Divinitatem. Sive certe per hoc quod ait : « Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis, » ad tantam beatitudinem sanctos ostendit esse venturos in æterna vita, ut nullius auxilio vel prece indigeant : quia æterna beatitudine replebuntur, sicut Dominus per Jeremiam prophetam pollicetur, dicens : « In diebus illis et in tempore illo non docebit vir fratrem suum, neque proximum suum dicens : Cognosce Deum ; omnes enim cognoscent me, dicit Dominus, a minimo usque ad maximum (*Jer.* XXXI), » Et ideo non dixit de præsenti, rogo ; sed de futuro, « Rogabo. » Quod autem subjungit : « Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis « et credidistis quia a Deo exivi, » non ita accipiendum est, quasi amor discipulorum præcesserit, ut proprio merito a Patre amari mererentur, sed gratuito dono primum a Patre delecti sunt, ut Filium credere et amare potuissent. Denique per prophetam ipse dicit : « Diligam eos spontanee (*Ose.* XIV). » Et in Evangelio : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (*Joan.* XV). » Hinc Jacobus apostolus ait : « Voluntarie genuit nos verbo veritatis (*Jac.* I). » Eadem enim gratia quæ subsequitur hominem ut bene possit, ipsa præcedit ut bene velit. Nisi enim humanam voluntatem gratia Dei præveniret ut bene vellet, nequaquam Psalmista diceret : « Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus ; Deus meus, misericordia ejus præveniet me (*Psal.* LVIII). » Et nisi eamdem hominem subsequeretur ut bene posset, nullo modo idem Psalmista diceret : « Misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXII). »

« Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relin« quo mundum et vado ad Patrem. In hoc versiculo Dominus utramque suam naturam, divinam scilicet et humanam, nobis commendavit. Quia enim Deus in forma Divinitatis ab hominibus videri non poterat, exivit a Patre et venit in mundum ; quia ut videri posset in forma servi visibilem se mundo ostendit, sicut ait Apostolus : Cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philip.* II). » Iterum reliquit mundum et ivit ad Patrem, quando expleto incarnationis suæ

mysterio, humanam naturam, quam ex nobis assumpserat, in Patris dextera collocavit, sicut ait Marcus Evangelista: « Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei (*Marc.* XVI). » Sicut ergo non deseruit Patrem, cum in mundum venit, sic non dereliquit electos, cum ad Patrem rediit, sicut ipse alibi ait: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Manens ergo cum Patre per divinitatem, venit in mundum per humanitatem: et rediens ad Patrem per humanitatem, mansit cum electis per divinitatem, sicut ipse ait: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo (*Joan.* III). »

« Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. » In his suis verbis ostendunt discipuli, quia in hac ultima confabulatione loquens ad eos Dominus, de his maxime disputabat, quæ illos audire delectabat. Et quamvis ea quæ loquebatur, nondum perfecte intelligerent, tamen se intelligere putantes responderunt, dicentes: « Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. » Quia vero eorum cogitationes præveniens frequenter ea quæ interrogare volebant, non interrogatus in medium proferebat, quæ divinæ naturæ indicium in eo comprehendunt. Unde et subjungunt, dicentes:

« Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est « tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus quia a « Deo existi. » Proprium namque est Deo cogitationes hominum intueri, Scriptura testante, quæ ait: « Tu Deus solus nosti corda filiorum hominum (*I Par.* VI). » Et iterum: « Quæ sunt in corde hominis, oculi tui vident, Domine. » Et Psalmista: « Intellexisti cogitationes meas de longe (*Psal.* CXXXVIII). »

HOMIRIA XC.

DE LITANIIS, ID EST DE SUPPLICATIONIBUS DE EXORDIO EARUM

Sed quia dies litaniarum, id est supplicationum, annua revolutione recolimus, iibet propter simpliciores, unde exordium sumpserunt, breviter commemorare. Non enim absque evangelica et apostolica auctoritate, in consuetudinem venisse credendi sunt. Denique Dominus in cœlum ascensurus, cum Spiritum sanctum apostolis frequenter se promisisset missurum, ait inter cætera: « Vos autem manete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV). » At postquam eum cœlum ascendisse conspexerunt, regressi sunt in Jerusalem, ut Lucas evangelista dicit, cum gaudio magno, et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum (*Ibid.*). Ut autem Spiritum sanctum promissum accipere mererentur, jejunio et oratione se præparare studuerunt, sicut idem Lucas in Actibus apostolorum commemorat dicens: « Erant omnes unanimiter perseverantes in oratione, cum mulieribus et Maria matre Jesu, et fratribus ejus (*Act.*, I). » Postquam autem

A Spiritu sancto repleti, ad prædicandum Evangelium gentibus in universo orbe dispersis missi sunt, hos dies successoribus suis agendos tradidisse creduntur. Et inde devotio Christiana ejus annua religione celebrare cœpit, ut ejusdem sancti Spiritus dono participe fieri mererentur. Quod autem nunc non post ascensionem, sed ante ascensionis Domini diem a nobis aguntur, hæc res in causa est. Nam cum exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec hujus flagelli aliquod remedium inveneri posset, congregati traduntur Galliarum episcopi apud Viennam præcipuam Galliæ urbem, atque in commune statuerunt ut in triduano jejunio Domini misericordiam implorent, antiquorum patrum vestigia sequentes. Cumque ad eorum preces oculos divinæ pietatis respiciens, flagelli hujus pestem

B misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut per Galliarum provincias ante Ascensionis Domini diem celebrarentur. Agamus ergo et nos hos dies pro modulo nostræ parvitatis, cum summa reverentia et veneratione, cum abstinentia carnis et humilitate cordis, non tantum ut visibilium luporum rabiem evadamus, sed etiam ut invisibilium, quod melius est, id est immundorum spirituum tentamenta vincere valeamus. Fortissima enim sunt arma jejunii contra dæmonum tentationes, Domino dicente: « Hoc genus non ejicitur nisi in oratione et jejunio (*Matth.* XVII). » Non solum contra tentationes jejunia juvant, sed etiam ad cognoscenda divina mysteria mentem elevant. Denique Moyses, ut legem mereretur accipere, quadraginta diebus et

C quadraginta noctibus jejunavit (*Deut.* IX). Daniel vero, ut secreta mysteria intelligere posset non solum in aula Babyloniæ miræ abstinentiæ fuit, sed etiam trium hebdomadarum diebus in oratione et jejunio permansit, sicut ipse dicit: « Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum dies, panem desiderabilem non comedi, caro et vinum non sunt ingressa in os meum. Sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies (*Dan.* X). » Ut ergo Spiritus sancti dono participes esse mereamur, hos dies cum omni puritate celebrare debemus, in abstinentia prolixiores, in eleemosynis largiores. Et unde caro nostra sentit afflictionem, inde pauperum esuries sentiat consolationem. Non solum pro nostris, sed etiam pro totius

D Ecclesiæ necessitatibus supplicare debemus, pro pacis scilicet tranquillitate, pro frugum ubertate, pro aeris temperie, pro regibus et gubernatoribus, monente Apostolo qui ait: « Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate; hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II). »

HOMILIA XCI.

FERIA SECUNDA POST *Vocem jucunditatis*, IN LITANIIS MAJORIBUS.

(JAC. V.) « Charissimi, confitemini alterutrum « peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini. » Et reliqua. Ad optimum salutis nostræ remedium hortatur nos apostolus Jacobus, ut præsenti lectione cum legeretur audistis, dilectissimi nobis: « Confitemini, inquit, alterutrum peccata vestra. » Non quod Deus indigeat confessione nostra, cui omnia præsto sunt quæ cogitamus, loquimur et agimus, sed nos aliter salvi esse non possumus, nisi confiteamur pœnitentes, quod inique gessimus delinquentes. Nam qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die judicii. B Debet enim pœnitens diluere pœnitendo quæ fecit, et non iterum revocare quod flevit. Qui autem abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, a Deo misericordiæ veniam merebitur æternam: « Et orate pro invicem ut salvemini. » Duo enim sunt genera infirmitatis humanæ, id est corporis et animæ. Proinde vero monet Apostolus orare Deum omnipotentem pro utraque infirmitate nostra, pro invicem divinæ clementiæ remedium postulare, ut et corpus in suo sancto servitio corroboret, et animam ab æterno liberet supplicio. « Multum enim valet deprecatio justi assi« dua. » Nam negligentes orationes, nec ab ipso homine impetrare valent quod volunt: multo minus a Deo alteri orando veniam valet obtinere, qui pro suis etiam peccatis necesse habet suppliciter exorare, et C negligenter orat pro semetipso. Assidua enim debet esse fidelium deprecatio, si obtinere cupit quod petit. Tamen cum pro inimicis nostris nos Dominus orare jubet, quanto magis etiam pro amicis et fidelibus nostris? Quia si fideliter oramus, non pro nobismetipsis tantum, sed et pro fratribus nostris etiam intente orare debemus, ut salvi esse mereantur: quia assiduitas orandi præstat nobis auxilium in adversis. Sequitur:

« Elias homo erat similis nobis passibilis, et ora« tione oravit ut non plueret super terram, et non « pluit annos tres et menses sex. » Videbat enim iniquitate populi sui quasi tenebris mundum opertum, cœlum pollutum, terram inquinatam sacrificiis idolorum, accensusque zelo oravit, ut forte per fa- D mem et sterilitatem terræ converterentur ad Dominum, et pœnitentiam agerent de peccatis suis. Talibus enim coacti suppliciis, dum converterent se a via sua et a pravitatibus suis multis, pœnitentiam agentes, ad misericordiam Deum deflectebant. Sequitur:

« Et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et « terra dedit fructum suum. » Justi enim viri dum temporaliter a Domino audiuntur, orantes pro reatu aliorum, fit hoc in spe et salute: et dum his pro quibus orant, temporali remedio subvenitur, pravorum oculi ad suorum peccatorum confessionem ape- A riuntur, ita ut pœnitendo et confitendo, remedia suarum percipiant animarum. Et ut terra arida pluviis irrigata fructum profert necessarium, ita et istorum dura corda, per compunctionem irrigata lacrymarum et infusionem gratiæ Dei, quam pœnitendo merentur, fructum etiam post ea bonorum proferunt operum.

« Si quis autem erraverit ex vobis a veritate, et « convertit quis eum, scire debet quoniam qui con« verti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, sal« vabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem « peccatorum. » Sua videlicet et aliorum, quos per doctrinam suam convertit a peccato. Cum vero nobis fratres quilibet nostri peccata sua, tanquam medicis vulnera, quibus urgentur, aperiunt, operam debemus dare, ut quantocius ad sanitatem, Deo auctore, perveniant, ne in pejus dissimulata curatione proficiant. Ea autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecunque claruerint, quæcunque non fuerint pœnitentiæ leni medicamento sanata, velut igne piæ increpationis reprehendenda sunt ac curanda. Quod si nec sic quidem æquanimiter sustinetis, ac pie increpantis medela processerit in eis, qui diu portati et salubriter objurgati, corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi: ne sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit; ita isti qui emendari despiciunt, et in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant. Porro illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessione, nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt et ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare judicium, si, cum in malo permanserint, ituri sunt in æternum, Deo retribuente, supplicium? Quod si ipsi sibi judices fiant, et velut suæ iniquitatis ultores, hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrymis ex vera compunctione cordis fluentibus restringent æterni ignis incendia, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

HOMILIA XCII.

FERIA SECUNDA POST *Vocem jucunditatis*, IN LITANIIS MAJORIBUS.

(LUC. XI.) « In illo tempore, dixit Jesus discipulis « suis: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad « illum media nocte? » Et reliqua. Sciens Dominus Jesus Christus post amissionem liberi arbitrii, nullum bonum a nobismetipsis nos habere posse, non solum ad orandum devotissimos, sed etiam instantissimos hortatur et admonet, ut quod minus natura possibilitatis in nobis habet, orando ab illo impetretur qui ait: «Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV). » Nam cum in oratione incumberet, ut supra

evangelicus sermo retulit, accesserunt ad eum discipuli ejus, et interrogaverunt eum, dicentes (*Luc.* XI) : « Domine, doce nos orare, sicut Joannes docuit discipulos suos. Quibus ille ait : Sic ergo orate : Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, » et cætera quæ sequuntur. In quibus verbis, quid principaliter in oratione petere debeamus, breviter comprehendit, ac deinde cum quanta instantia in oratione perseverare oporteat, adjuncta similitudine, declaravit, dicens : « Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte? » Spiritaliter amicus iste Deus omnipotens intelligitur, qui cum sit Deus et conditor totius creaturæ, fideles servos amicos vocare dignatus est, dicens (*Joan.* XV) : « Vos amici mei estis. » Et item : « Jam non dicam vos servos, » sed amicos meos. Et rursus: « Vos autem dixi amicos meos (*Ibid.*). » Nox in hoc loco tribulationem significat; sicut enim dies ad lætitiam, sic nox aliquando ad tristitiam pertinet. Veniendum est ad amicum media nocte, quia in tribulationis pressura non animum ad vindictam præparare, neque nosmetipsos desperare vel frangere debemus, sed ejus auxilium flagitari qui ait : « In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum (*Joan.* XXI) ; » cum enim Dominus semper sit rogandus, maxime tamen cum persecutio furit et sævit. Ne in tribulatione deficiamus, ejus adjutorium postulare debemus, sicut Psalmista, qui dicebat : « Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me (*Psal.* CXIX). » Et iterum : « De tribulatione invocavi ad Dominum (*Psal.* CXVII), » et cætera. Quid autem in oratione petere debeamus, declarat subjiciens : « Amice, « commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus « venit de via ad me, et non habeo quod ponam « ante illum. » Hoc enim in oratione quærere, hoc etiam petere debemus, ut notitiam et amorem sanctæ Trinitatis nostris cordibus infundat. Sive certe tres panes in oratione petere debemus, id est fidem, spem et charitatem. Amicus autem iste qui de via venire dicitur, noster est animus, qui toties a nobis recedit, quoties per lata hujus sæculi desideria sese cogitando diffundit. Tunc autem ad nos de via revertitur, quando mens sese ante se ponens, transitoria contemnere, et ea quæ æterna et permanentia sunt, sitire et desiderare incipit. Sed ne fame pereat, amicus rogandus est, id est, misericordia Domini imploranda, ut commodet nobis tres panes, hoc est, ut amorem sanctæ Trinitatis, ut dictum est, nostris cordibus largiatur. Et quia De s omnipotens aliquando nostra desideria dilatat, non ut præmium minuat, sed ut meritum augeat, recte subjungitur.

« Et ille deintus respondens dicit : Noli mihi mo« lestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei « mecum sunt in cubili, non possum surgere et dare « tibi. » Ostium amici intelligentia est divini mysterii, quod optabat Paulus sibi aperiri ad loquendum verbum Dei cum fiducia. Hoc ergo ostium tandiu nobis clausum est, quousque per divinam gratiam nobis aperiatur ad cognoscenda divina mysteria. Pueri vero patrisfamilias, apostoli sive successores eorum intelligendi sunt Et bene cum eo in cubiculo memorantur esse, quia jam in æterna requie sunt recepti, de quibus per Prophetam dicitur : « Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis (*Psal.* CXLIX). » Et pulchre hi qui in cubiculo esse memorantur, pueri vocantur : quia illi ad æternam requiem sunt venturi, qui puri et innocentes existunt, quales erant illi, de quibus Dominus dixit : « Pueri, nunquid pulmentarium habetis ? » (*Joan.* XII.) Et item: « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum (*Matth.* XIX). » Tales optabat Petrus apostolus suos fieri auditores, quibus dicebat : « Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem (*I Petr.* II.) »

« Et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, et « si non dabit illi surgens, eo quod amicus sit, pro« pter improbitatem tamen ejus surget, et dabit ei « quotquot habet necessarios. » Comparatio hic fit a minori, ut intelligas quia et si homo non amici causa, sed tædio victus, dat quod prius negaverat, multo magis bona se petentibus Dominus dabit, quando ipse nos ut petamus admonet. Nisi enim ea præstare vellet, nequaquam nos ad petendum invitaret. Unde cum alibi (*Luc.* XVIII) doceret quia oportet semper orare et non deficere, posuit similitudinem de judice iniquitatis, quem interpellabat quædam vidua, dicens : « Vindica me de adversario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc tædio victus, dicit intra se : Et si Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam. » Vult enim Deus nos importunos esse in petendo, ut sua gratuita dona nostra sint merita. Semper enim aures divinæ pietatis orationibus nostris apertæ sunt, si tamen a precibus nostris non cessemus, et in fide non dubitemus, Jacobo apostolo teste, qui ait : « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat affluenter omnibus, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans (*Jac.* I). » Unde exponens Dominus similitudinem propositam, adjunxit dicens :

« Et ego vobis dico : Petite, et dabitur vobis : « quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. « Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, in« venit : et pulsanti aperietur. » Petenda est ergo vita æterna orando, quærendo, vivendo, pulsando, in bonis actibus perseverando. Duo enim sunt quæ in oratione sollicite considerare debemus. Primo, ut ea petamus quæ Deus velit : secundo, ut nostra vita a nostris precibus non discordet. Frustra enim orationi insistit, qui vel ea petit quæ a Deo displicent, vel si bona sunt quæ petit, perverse vivendo se indignum exhibet. Unde Jacobus apostolus ait : « Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis (*Jac.* IV). » Et sicut ait Salomon : « Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis (*Prov.* XXVIII). » Quæ autem sunt, quæ principa-

liter in oratione petenda sint, Deus alibi manifestat, A dicens : «Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI). » Et item : « Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit (*Joan.* XVI).» Et ne nos in oratione quod petimus, accepturos desperemus, adhuc Dominus aliam similitudinem adjungit, dicens :

« Quis autem ex vobis patrem petit panem, nun« quid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid pro « pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, « nunquid porriget illi scorpionem? » Panis in hoc loco charitatem significat. Et pulchre, quia, sicut panis principalis est in victualibus hominum, sic charitas inter cæteras virtutes principatum tenet. Quod Dominus ostendit, quando requisitus a scriba docto, quod esset maximum mandatum in lege, re- B spondit : Diliges Dominum Deum tuum, »etc., usque, « hoc est primum et maximum mandatum (*Matth.* XXII). » Vel certe per panem charitas designatur, quia sicut mensa, quamvis variis cibis sit repleta, tamen sine pane inops esse videtur, cæteræ virtutes sine charitate nihil esse comprobantur, sicut ait Salvator in Evangelio : « Omni habenti dabitur, et abundabit (*Matth.* XXV). » Unde Apostolus ait : « Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut C ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII). » Huic contrarius est lapis, id est duritia cordis et immisericordia. Piscis autem fidem significat, et congrue satis. Nam sicut piscis aqua nutritur, ita fides baptismo roboratur, dicente Domino : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI). » Vel certe per piscem fides figuratur, quia sicut piscis sub aquis latet, sic fides illarum rerum est, quæ non videntur, dicente Apostolo : « Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (*Hebr.* XI). » Vel certe aliter, per piscem fides intelligitur : quia sicut piscis quo amplius fluctibus tunditur, eo magis crescit, sic fides quo amplius persecutiones patitur, eo magis proficit, de qua Dominus ait :« Si habueritis D fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc, et transibit (*Matth.* XVII). » Huic contrarius est serpens, videlicet infidelitas, sive venenosæ cogitationes, quæ animam interimere conantur. In ovo figuratur spes, quia sicut in ovo fetus nondum cernitur, sed futurus creditur, sic spes non videtur oculo, sed speratur mente, sicut Apostolus ait: Nam quod videt quis, quid sperat? »Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII). » Huic contrarius est scorpio, aculeum in cauda gestans, id est desperatio, quæ nos ab ovis perennibus retro retrahere conatur. In his ergo similitudinibus hoc Dominus ostendit quia cum sit ipse pius et clemens, nulli bona petenti mala tribuit. Non enim pro pane lapidem donat, quia charitatem amanti durum et immisericordem animum non tribuit. Nec pro pisce serpentem donat, quia fidem quærenti nequaquam ad infidelitatem cogit. Sed neque pro ovo porrigit scorpionem, quia qui in se habet spem, in desperationem cadere non compellit: proprium est autem immensæ bonitati ejus aliquando malos facere bonos, nunquam autem bonos compellere ut sint mali. Unde adhuc conclusit sententiam, dicens :

« Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data « dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de « cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. » Ubi evidenter nomen nostrum manifestatur cum dicitur: « Cum sitis mali. » Boni enim a Deo conditi, vitio mali sumus effecti. Si autem nostra bonitas ejus boni compararetur, nec bonitas esse nominatur. Facti ergo mali per malam intentionem, Patrem habemus in cœlis per conditionem. Ac si diceret Dominus : Si vos, cum sitis mali, bona dona filiis vestris tribuitis, id est panem, piscem, ovum, et quæ humana consuetudo inter bona præsentis vitæ enumerare consuevit, « multo magis Pater de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se, » ut scilicet, ejus Spiritu illuminati, non solum fidem, spem et charitatem petere discant, sed etiam accipere mereantur. Cum ergo dicit, «dabit spiritum bonum petentibus se,» omnes virtutes animæ comprehendit :quoniam omnia bona quæ hominibus a Deo dantur, per Spiritum sanctum administrantur, teste Apostolo qui ait : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V). » Et item : « Alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum, alii discretio spirituum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). »

HOMILIA XCIII.

FERIA TERTIA LITANIARUM, POST *Vocem jucunditatis.*

(MATTH. VII). « In illo tempore, dixit Jesus disci« pulis suis : Petite, et dabitur vobis : quærite, et « invenietis : pulsate, et aperietur vobis. » Et reliqua. Poterat aliquis ex auditoribus Domino dicere: Quomodo nos præcipis sanctum non dare canibus, neque mittere margaritas ante porcos, cum nos necdum eumdem sanctum et easdem margaritas habemus, quas mittamus ante porcos? Et quasi ad hæc Dominus respondens infert :«Petite, et dabitur vobis.» Tria enim dixit : petite, quærite, pulsate. Petite a Deo sanitatem et firmitatem animi, ut possitis ea implere quæ præcipiuntur vobis. Quærite viam veritatis, et invenietis. Pulsate januam regni cœlestis, de qua scriptum est : « Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam (*Psal.* CXVII). »Hoc enim ordine prosequitur omnipotens Deus petitiones nostras, si primum petimus possibilitatem implendi divina præcepta : deinde, si viam veritatis adinventione studiose requiramus : ad ultimum, si regni cœlestis aulam

intrare volumus, precibus et bonis operibus pulsemus. Ponamus inde aliquid exemplum : Vides aliquem hominem infirmatum,pedibus ambulare non valentem,primum medicina sanitatis ei impenditur, ut possit ambulare, ad hoc dixit : « Petite, et accipietis. »Quid prodest ei ambulare, si nescierit viam rectam per quam incedere debet, nisi ei recta via ostendatur?Ad hoc pertinet quod dixit : « Quærite, et invenietis. »Quid prodest iter ei, si postquam ad certum locum pervenerit,locum quem intrare desiderat,clausum inveniat? Ad hoc pertinet quod dixit : « Pulsate, et aperietur vobis. » Vel etiam aliter potest intelligi : Petite credendo, quærite bene operando, pulsate perseverando.

« Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit « filius suus panem, nunquid lapidem dabit illi ?» In his tribus comparationibus Dominus tres principales virtutes vult designare. Per panem etenim charitas designatur, quoniam sicut mensa referta variis cibis, sine pane inops est, ita etiam cæteræ virtutes imperfectæ redduntur sine charitate. At contra per lapidem duritia cordis exprimitur, quæ maxime est contraria charitati ; si ergo petierimus Deum Patrem ut det nobis charitatem, nunquid lapidem dabit nobis, hoc est, duritiam cordis ?

Aut si petierimus piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit nobis? In pisce fides intelligitur, quoniam sicut piscis inter fluctus tunditur ut semper crescat, ita etiam fides inter adversa istius sæculi probatur et proficit. Nunquid dabit nobis serpentem, hoc est, infidelitatem? Infidelitas enim per serpentem designatur, eo quod venena malitiæ suæ primis parentibus infuderit. Tertia comparatio additur a Luca, dicit enim :

« Aut si petierit ovum,nunquid porriget illi scor« pionem ? » In ovo spes designatur,quoniam in ovo nondum fetus videtur, sed futurus speratur : ita etiam spes quæ videtur, non est spes ; sed spes est exspectatio futurorum bonorum operum.«Nunquid scorpionem dabit illi ? » hoc est, desperationem. Scorpio enim desperationem significat, quia scorpio in cauda percutit, et desperatio maxime in fine perdit.

« Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data « dare filiis vestris, quanto magis Pater vester,qui « in cœlis est, dabit bona petentibus se ? » Mirum est cur Dominus apostolos appellaverit malos, nisi forte dicamus quod in persona apostolorum omne genus humanum vituperet,quia ab adolescentia sua, sicut in Genesi legimus, pronum est cor illius ad malum (*Gen.* II), Vel certe possumus dicere, quia eosdem apostolos specialiter appellaverit malos.Licet enim bonitatem totius humani generis privilegio suo transcenderint, tamen ad comparationem Dei, mali sunt,quia ad illius comparationem nemo bonus est. Unde ipse dicit :« Nemo bonus nisi solus Deus (*Marc.* X). » « Nostis bona, » etc. Quid appellat hic bona?Quæ superius commemoravit, panem, piscem et cætera corporis necessaria.Bona sunt,quia a Deo creata sunt,per hoc quod Domini est terra et plenitudo ejus. « Quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se ? » Et est sensus : Si in necessariis filiis vestris largi existitis,quanto magis omnipotens Deus erga vos largus existet,in ministrando vobis victum et vestimentum ?

« Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et « vos eadem facite illis. »Ista est lex naturalis,quæ in duobus consistit præceptis,et in his duabus sententiis tota lex pendet et prophetæ.Et hoc est unum quod tibi dicitur :«Quæcunque vultis ut faciant vobis homines » et aliud est quod alibi dicitur :«Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris (*Tob.* IV). » Quia quidquid lex et prophetæ latius describunt,in his duobus præceptis breviter est comprehensum.Qui enim has duas observaverit, omnem legem et prophetas se gaudebit adimplesse.

« Intrate per angustam portam, quæ ducit ad vi« tam æternam :quia lata porta et spatiosa via est, « quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui in« grediuntur per eam. » Duas vias proponit Dominus : una est lata et spatiosa, quæ ducit ad infernum ; altera est angusta,quæ ducit ad cœlum.Lata via est voluptatum hujus sæculi, de quo Dominus bene dicit,quia lata et spatiosa via est,et multi sunt qui per eam ingrediuntur. Non enim est necesse ut requiratur, qui sponte errantibus offertur. Augusta via est,quæ ducit ad vitam,et a paucis invenitur, et a multis inventa non tenetur. Multi sunt istius viæ iter aggressi, capti istius sæculi delectationibus,sed de medio itinere revertuntur. Angusta via est desiderium peragendi ad cœlum.Nunquid enim non est angusta via,quæ jejunando et eleemosynas faciendo, promeretur æterni regni consortium ?

HOMILIA XCIV.

FERIA QUARTA LITANIARUM, IN VIGILIIS ASCENSIONIS DOMINI.

(JOAN. XVII.) « In illo tempore : Sublevatis oculis « Jesus in cœlum, dixit : Pater,venit hora, clarifica « Filium tuum. » Et reliqua. Potuit silenter hæc eadem verba orationis Patri Filius dicere, sed oratio Filii doctrina est apostolorum, necnon et eorum qui illorum exempla sequi nolunt,vel eorum scripta legere. « Dixit : Pater, venit hora. » Hora itaque passionis appropinquat. « Clarifica Filium tuum. » Id est, resurrectionis gloria : præcedat humilitas passionis, ut subsequatur cito clarificatio resurrectionis. Sequitur : « Ut Filius tuus clarificet te. » Clarificatio Patris æterna est, quæ nec augeri nec minui potest. Sed hæc clarificatio ad notitiam Dei Patris pertinet, ut resurrectionis gloria in Filio peracta innotesceret Deus Pater toti orbi, qui ante in Judæis tantummodo notus erat. « Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. » Quasi dixisset, resuscita me, ut innotescas toti orbi per me. Sequitur :

« Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. » Id est, omnis hominis, a parte totum, caro pro homine. Hæc ait, ut ostenderet magis ac magis quomodo clarificaturus esset Patrem. Sicut ergo dedisti potestatem, inquit, omnis carnis, ita clarificet te Filius, id est, notum te faciat omni carni, quam dedisti ei. Sic enim dedisti : « Ut omne quod dedisti ei, det eis « vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut « cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti « Jesum Christum. » Ordo verborum est, ut te et quem misisti Jesum Christum, cognoscant verum Deum solum. Plenitudo cognitionis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, plena est et perfecta et æterna vita. Perfecta vita æterna summa beatitudo est. Summa beatitudo non est nisi in vita æterna.

« Ego te clarificavi super terram, opus consum- B « mavi quod dedisti mihi ut faciam. » Quid est, quod præterito tempore posuit, « clarificavi » et « consummavi, » statimque subjunxit futuri temporis verbum, « faciam, » nisi quod omnia Deo sunt præsentia, et in divina prædestinatione futura quasi transacta esse credenda sunt? Quod enim futurum fuit ut fieret, hoc ei quasi transactum fuit. « Ego te clarificavi. » Quasi dixisset: Ego te clarificabo prædicationis gloria, quam in discipulis meis toto mundo effundam, dum opus consummabo passionis meæ et resurrectionis, quod dedisti mihi ut faciam.

« Et nunc me clarifica tu, Pater. » Dicendo enim, te clarificavi super terram, se autem a Patre apud eumdem Patrem postulat clarificandum modo, profecto utriusque clarificationis ostendit gloriam. Ipse quippe Patrem clarificavit super terram, eum genti- C bus prædicando : Pater vero, ipsum apud semetipsum ad suam dexteram collocando, subjunxit :

« Claritate quam habui, priusquam mundus esset « apud te. » Ordo verborum est, quam habui apud te priusquam mundus esset. In hoc valet quod ait: « Et nunc clarifica me, » hoc est, sicut tunc, ita et nunc : sic tunc prædestinatione, ita nunc perfectione. Fac in mundo quod ante te fuerat ante mundum. Fac in suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti. Convenit nos intelligere in hoc loco prædestinationem claritatis humanæ, quæ in illo est, naturæ, ex mortali immortalem apud Patrem futuræ, in hoc prædestinando factum fuisse antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret, sicut de nobis dixit Apostolus : D « Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem (*Ephes.* I). » Nec formidare debemus prædestinatum dicere Filium Dei secundum humanitatem, qui in tempore suo venit in mundum, ante tamen omnia tempora prædestinatus est. Illud autem prædestinatum fuit, quod nondum erat ut fieret, quod Deus voluit ut esset, de qua prædestinatione Apostolus ait in epistola ad Romanos : « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute (*Rom.* I). » Secundum hanc prædestinationem etiam clarificatus est antequam mundus esset, ut esset claritas ejus ex A resurrectione mortuorum apud Patrem, ad cujus dexteram sedet.

« Manifestavi nomen tuum hominibus, quos de- « disti mihi de mundo. » Quod ergo facturus erat per doctores sanctos in toto orbe post gloriam resurrectionis et ascensionis suæ, et post Spiritus sancti dona, quæ in discipulis delata sunt, hoc quasi factum esset dixit : Tale est hoc, quale et illud, quod paulo ante dixit : « Ego te clarificavi super terram, » pro tempore futuro et illic et hic præteritum ponens tempus, sicut qui sciret prædestinatum esse ut id fieret, et ideo fecisse se dicens, quod erat sine ulla dubitatione facturus. Sequitur : « Tui « erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum « servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia quæ « dedisti mihi, abs te sunt. Quia verba quæ dedisti « mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt, et cognoverunt « vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me « misisti. » Quanquam et hæc omnia de omnibus futuris fidelibus dici potuerint, ipsa perfecta cum adhuc essent futura, tamen et hæc specialiter de discipulis dici possunt, ad quos tunc præsentialiter loquebatur. Quia illud quod sequitur :

« Cum essem cum eis, ego servabam eos in no- « mine tuo : quos dedisti mihi, custodivi, et nemo « ex eis periit, nisi filius perditionis. » Judam significans, qui tradidit eum, qui unus fuit de duodecim, magis huic sensui convenit, ut apostolis specialiter hæc loqueretur. Deinde subjungit :

« Nunc autem ad te venio. » Cum manifestum est eum de corporali sua dixisse præsentia. « Cum essem cum eis, ego servabam eos, » velut jam cum eis præsentia non esset. Eo modo enim significare voluit ascensionem mox futuram, de qua dicit : « Nunc autem ad te venio. » Iturus utique ad dexteram Patris, inde venturus est ad vivos et mortuos judicandos præsentia corporali, secundum fidei regulam, sanamque doctrinam. Nam præsentia spiritali cum eis erat semper, et cum tota Ecclesia sua in hoc mundo usque ad consummationem sæculi. Quod vero ait, ad superiora redeamus : « Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, » non illud nomen quod Deus es, sed illud nomen quod Pater meus es, quod manifestari non potest sine illius Filii manifestatione. Nam vere illud nomen quod Deus est, nulli naturæ rationali incognitum omnimodis esse putavit. Hæc est enim vita ejus Divinitatis, ut creaturæ rationali non omnino incognitus possit abscondi exceptis paucis, in quibus natura rationalis nimium depravata est. Propemodum omnes gentes Deum esse fatentur, licet diversis erroribus agnoscere impediantur. Quod vero in Psalmis legitur, « Notus in Judæa Deus (*Psal.* LXXV), » indicatur, quia legitimo cultu tantummodo Judæi Deum verum cognoverunt et coluerunt. In hoc vero quod Pater Christi, per quem tollit peccata mundi, ignotus fuit antequam venisset Christus in mundo, nisi tantum quibus Deus per Spiritum sanctum prophetiæ revelavit hoc mysterium magnum et abscon-

ditum, hoc post adventum ejus in mundo prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum in gloria. Quod vero addidit, « quos dedisti mihi, » hoc est quod paulo ante dixit : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit, traxerit eum (*Joan.* VI). » « Quos dedisti mihi de mundo, » hoc est, quibus gratia per regenerationem hoc præstitit, non quibus natura per nativitatem contulit. Quid est quod sequitur, « Tui erant, et mihi eos dedisti ? » in humanitate hanc potestatem se accepisse a Patre dicit, ut eos haberet quos Pater elegit et prædestinavit ante constitutionem mundi, non solum Pater, sed Filius et Spiritus sanctus, ut sit unum opus sanctæ Trinitatis inseparabilis et omnimodo æqualis. Sequitur : « Et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt. » Id est, didicerunt quod nihil alienum est in me extra te, et quod quæcunque doceo, tua sunt. Simul enim Pater dedit omnia, cum genuit, quia habet et omnia, sicut in prioribus hujus Evangelii ipse Dominus dicit : « Sicut enim Pater habet vitam æternam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso (*Joan.* V), » id est, genuit Filium vitam habentem in semetipso. « Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt, » id est, intellexerunt atque tenuerunt. D dit eis verba, sicut dixit, quæ dedit ei Pater, sed quando illa non foris in auribus, sed spiritaliter acceperunt, tunc vere acceperunt, quia tunc vere cognoverunt. Vere autem cognoverunt, quia vere crediderunt. Sed hæc verba, quæ dicit Filius dedisse sibi Patrem, sic ad divinitatis unitatem intelliguntur pertinere. Eo modo dedit verba Pater Filio, quo genuit Verbum coæternum sibi. Sequitur :

« Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro « his quos dedisti mihi. » Hæc enim dixit inter alia, dum oraret, pro eis quos dedit ei Pater. Mundum vult modo intelligi, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, et non sunt in ea sortiti gratiam, ut ab illo eligantur ex mundo Non itaque pro mundo, sed pro eis quos Pater dedit, rogare se dicit. Per hoc enim, quod eos illi Pater jam dedit, factum est ut non pertineant ad eum mundum pro quo non rogat. Deinde subjungit : « Quia tui sunt. » Neque enim quia Pater Filio dedit, amisit ipse quos dedit, cum adhuc Filius sequatur ac dicat :

« Et mea omnia tua sunt, et tua mea. » Ubi satis apparet quomodo unigeniti Filii sunt omnia quæ Patris. Patet hoc utique quod etiam ipse Deus est, et de Patre Patri est natus æqualis. Hoc enim dictum est et rationali creaturæ, quam elegit Deus, et quæ subdita est Patri et Filio, ut æqualiter sint Patris et Filii. « Et clarificatus sum (inquit) in eis. » Nunc suam clarificationem, tanquam facta sit, dicit, cum adhuc esset futura. « Clarificatus sum in eis, » id est, per eorum prædicationem clarificatus sum in toto mundo. Et quia prædestinatum est ut fieret, certum voluit esse quod futurum erat, ideoque præteriti temporis verbis usus est.

A « Et jam non sum (inquit) in mundo, et hi in « mundo sunt. » Significat horam qua transiturus erat ex hoc mundo, et verbo præsentis temporis usus est pro futuro, quia quod cito erat futurum, quasi factum esset, dixit. Quod autem ait, « et hi in mundo sunt, » significat eos, ad quos loquebatur, tardius transire ex hoc mundo. Necesse est enim ut illi remanerent, per quos prædicaretur nomen ejus sanctum in mundo. Prævidensque quod eos movere possit, qui audirent hæc quæ eligerent, adjecit :

« Nunc autem ad te vado, » ascensionis gloria, per quam elevatus est homo super altitudinem cœlorum et omnium angelicarum potestatum dignitates, ita ut in dextera Dei Patris collocaretur.

B

HOMILIA XCV.

IN DIE SANCTO ASCENSIONIS DOMINI.

(ACT. I.) « Primum quidem sermonem feci de « omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et « docere. » Et reliqua. Lucas evangelista, fratres charissimi, qui unum ex quatuor Evangeliis scripsit, ipse etiam librum Actuum apostolorum, unde nunc præsens lectio sonat, edidit : ubi et primitus de ultimo convivio quod Dominus post resurrectionem suam cum discipulis suis habuit, simul et de ascensione ejus ad cœlum, quam hodie celebramus, mentionem fecit. Exordium enim ipsius libri ita est : « Primum quidem sermonem feci, » id est Evangelium, « de omnibus, o Theophile » episcope, qui hunc me librum Actuum apostolorum scribere cogis, « quæ C « cœpit Jesus, » primo signa monstrando, vel ea quæ ad exempla vitæ pertinebant, « facere et » postea « docere, » quia Jesus bonum doctorem instituens, nulla nisi quæ docuit fecit. « Usque in diem qua « præcipiens apostolis per Spiritum sanctum quos « elegit, assumptus est. » Dans præcepta ante assumptionem observare et adimplere, quæ vel in hoc libro vel Evangeliis leguntur.

« Quibus et præbuit seipsum vivum in multis ar- « gumentis, post passionem suam per dies quadra- « ginta apparens eis, et loquens de regno Dei. » Per hanc quadraginta dierum cum discipulis conversationem significat omnia se tam aperta quam occulta, quæ promiserat, impleturum, ut de multis vel unum dicamus, quod ait : « Ecce ego vobiscum sum D omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). »

« Et convescens præcepit eis, ab Hierosolymis « ne discederent, sed exspectarent promissionem « Patris. » Quod cibos cum discipulis sumpsit, hoc ideo fecit, ut eamdem quam mortuus suscitaverat carnem, palpando atque tractando, veram monstraret (*Luc.* XXIV). Sequitur : « Quam audistis (inquit) « per os meum, quia Joannes quidem baptizavit aqua, « vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post « multos hos dies. » Fuerunt autem jam apostoli aqua baptizati, sed nondum Spiritu sancto pleniter, qui eis promittitur post ascensionem illam futurus. Neque

autem ipsi apostoli, neque successores eorum hucusque in Ecclesia aliter quam Joannes Baptista, id est in aqua baptizare volebant : sed tamen invocato nomine Christi, id est interior virtus Spiritus sancti, quæ homine in aqua mergente simul animas et corpora purificet, quod in Joannis baptismate non fiebat.

« Igitur, qui convenerant interrogabant eum, dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum « Israel ? » Consequenter de regno Dei percontantur, utrum videlicet mox adveniente Spiritu sancto in præsenti esset restituendum, an in futuro sanctis reservandum credere deberent.

« Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tem- « pora vel momenta, quæ Pater posuit in sua ipsius « potestate. » Ostendit quia non expedit nosse nobis mortalibus diem vocationis nostræ, ut, semper incerti de adventu judicis, ita sollicite quotidie vivamus, quasi die alia ad judicium properare debeamus.

« Sed accipietis (inquit) virtutem supervenientis « Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Je- « rusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque « ad ultimum terræ. » Ac si diceret : Non enim putare debetis veniente Spiritu sancto in vos, statim hujus mundi fieri consummationem, sed vobis tantum virtutem de me testificandi præbere.

« Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus « est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. » Ubique creatura Creatori suo præstat obsequium. Astra indicant nascentem, patientem obnubunt, recipiunt nubes ascendentem, redeuntem ad judicium comitabuntur.

« Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, « ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus « albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis « aspicientes in cœlum ? Hic Jesus qui assumptus « est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum « vidistis eum euntem in cœlum. » Id est in ea forma carnis atque substantia venit judicandus, in qua veniet judicaturus. Non ergo dignis moribus ascensum in cœlum nobis præparemus, et peregrinari nos in hoc mundo valde cognoscamus. In quo etiam si quædam commoda blandiuntur, non amplectenda sunt nequiter, sed despicienda sunt fortiter. Ideo, dilectissimi fratres, si ascendere vultis in cœlum, hoc in spe nostra interim roboremus, in hoc votis omnibus æstuemus, hoc meditemur in terris, quod computemur in cœlis. Tunc exuturi carnis mortalitatem, nunc exuamus animi vetustatem. Facile enim corpus levabitur in alta cœlorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum. Quapropter, dilectissimi, erigamur ad eum qui pulverem nostræ abjectionis corpus fecit suæ gloriæ, et ut ascensionis ejus mereamur esse consortes, humilitati et patientiæ ipsius per omnia congruamus. Magni nominis militiam, magnæ professionis suscepimus disciplinam. Sectatores Christi discedere a regia non licet via, nec dignum est temporalibus occupari ad æterna tendentes. Et quia pretioso sanguine Christi redempti sumus, glorificemus et portemus Deum in cor-

A pore nostro, ut ad ea quæ fidelibus sunt præmia præparata, pervenire mereamur.

HOMILIA XCVI.

IN DIE SANCTO ASCENSIONIS DOMINI.

(Marc. xvi.) « In illo tempore, recumbentibus un- « decim discipulis, apparuit illis Jesus et exprobavit « incredulitatem illorum. » Et reliqua. Ascensurus in cœlum Dominus, et per corporalem præsentiam a discipulis recessurus, duritiam cordis et incredulitatem illorum exprobrare voluit, ut maculas dubitationis sermo mundaret correptionis. Immerito novissime, non quod adhuc in incredulitate persisterent, sed quod primum non crediderunt citius. Legimus enim in Evangelio secundum Lucam, quia cum devotæ mulieres valde diluculo ad sepulcrum Domini
B venientes, visionem angelorum vidissent, qui dicerent eum vivere, currentes nuntiaverunt discipulis. At illi non crediderunt eis, sed visa sunt earum verba quasi deliramenta coram illis (*Luc.* xxiv). Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur Didymus, aliis discipulis dicentibus : « Vidimus Dominum, » non credidit, dicens : « Nisi videro in manibus ejus fixuras clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam (*Joan* xx). » Et ideo novissime increpantur, quare primum ad credendum tardi vel duri fuerint. Non enim de ejus resurrectione dubitare debuerant, quem cum mortalis esset, mortuos suscitantem viderant, maxime cum passionis et mortis genus ita venisse cernerent, ut ab illo prædictum recolebant. Sive certe ab eis recessurus, incredulitatem et duritiam cordis discipulorum expro-
C brare voluit, ut novissima ejus verba tanto arctius eorum pectoribus inhærerent, quanto durius per increpationem fuissent prolata. Sicut enim mala mens aliquando per increpationem deterior fit, sic bona ex correptione semper proficit, dicente Salomone : « Corripe sapientem, et amabit te : doce justum, et festinabit accipere (*Prov.* ix). » Et quia solemus charissimis morientibus, sive in longinquam regionem proficiscentibus, eorum novissima verba quodam vinculo amoris in memoriam religare, vel quod obscuriori inventione repertum fuerit, recessurus Dominus ab eis, duritiam cordis et incredulitatem illorum exprobravit, ut nullum vestigium dubitationis in eorum cordibus remaneret, qui ad alienam ignorantiam instruendam mittendi erant. Ultimam
D hanc apparitionem Marcus evangelista commemorat (*cap.* xvi), quia post hæc non legitur corporaliter visus in terris loquens, sed in aera cœlum ascendens. Decies enim post suam resurrectionem hominibus apparuisse ab evangelistis describitur : primo Mariæ Magdalene flenti ad monumentum ; secundo, eidem Mariæ cum altera ejusdem nominis femina, pergentibus nuntiare discipulis ejus resurrectionem, quando occurrit eis, dicens, Avete : illæ autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus ; tertio Simoni Petro ; quarto, duobus discipulis pergentibus in castellum Emmaus, quando cognoverunt eum in fractione panis ; quinto, discipulis propter metum Ju-

dæorum in conclavi residentibus, quando non erat cum eis Thomas; sexto, post dies octo, quando erat cum eis Thomas; septimo, piscantibus discipulis ad mare Tiberiadis; octavo, in Galilæa, quando, sicut ait Matthæus evangelista (*cap.* XXVIII), « undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituit illis Jesus, et videntes adoraverunt eum; » nono, ut præsens lectio narrat, quando apparuit illis recumbentibus, et exprobravit incredulitatem illorum; decimo, non jam in terris, sed in aera loquens, quando, sicut ait Lucas evangelista (*cap.* XXIV), « eduxit eos extra civitatem in Bethaniam, et cum benediceret eis, elevatis manibus, ferebatur in cœlum. » Et pulchre illis recumbentibus Dominus apparere voluit, quia inter recumbentes pax et concordia solet servari. Cum ergo illis recumbentibus apparuit, ostendit illos sua visione esse dignos, qui pacem inconcussam etiam inter adversa servant, qui possunt cum Psalmista dicere: « Cum his qui oderant pacem, eram pacificus (*Psal.* XI, 9). » Undecim discipulis apparuit, quia Judas tradendo magistrum, ab eorum consortio sequestratus fuerat, et Matthias necdum in sorte electionis vocatus exstiterat. Post increpatam autem duritiam cordis, et incredulitatem, mox officium prædicandi adjungit:

« Et dixit eis Jesus: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. » Potest movere minus intelligentes quoniam Evangelium prædicandum omni creaturæ dicatur. Nunquid insensatis et brutis animalibus erat prædicandum? Non. Sed omnis creaturæ nomine, homo signatur. Si enim qualitas humanæ creaturæ cum cæteris creaturis subtilius conferatur, communionem et participationem quamdam cum omnibus habere invenitur. Sunt enim lapides, qui nec vivunt, nec sentiunt. Sunt herbæ et arbusta, quæ, quamvis vivant per viriditatem, tamen non sentiunt, nec discernunt. Sunt bruta animalia, quæ vivunt, sentiunt, sed non discernunt. Sunt angeli qui vivunt, sentiunt et discernunt. Habet ergo homo cum his creaturis portionem quamdam, qui habet esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus brutis, discernere cum angelis. Omni ergo creaturæ prædicari præcipitur Evangelium, cum soli homini prædicatur, quia ille docetur, propter quem omnia facta sunt, et cui omnia per quamdam similitudinem communia sunt. Sive certe omnis creaturæ nomine, omnis natio gentium designatur. In quibus verbis, quantum nobis passio Domini profuerit, qui ex gentibus credidimus, manifestatur. Qui enim prius dixerat, « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* X), » nunc post resurrectionem ascensurus in cœlum, præcepit, dicens: « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: » quod est dicere, omni nationi hominum. Quod Matthæus evangelista manifestius declarat, dicens (*cap.* XXVIII): « Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Quapropter erubescat Judæus infelix, qui dicit Christum tantum ad salutem suam esse venturum, et non ad aliorum, cum ipse dicat: « Ite, baptizate omnes gentes. » Erubescant et Donatistæ, qui, eum localiter includere volentes, dixerunt eum in Africa tantum esse, et non in aliis mundi partibus, cum idem ipse dicat: « Euntes in mundum universum. » Sed ne frustra gentes ad credulitatem Dei se vocari putarent, præmium credentibus promittitur, cum subinfertur:

« Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. » Et quia quos lenis promissio ad credendum non suadet, durius terrendi sunt, recte subjungitur: « Qui vero non crediderit, condemnabitur. » In quo loco ordo baptizandi prædicatoribus demonstratur, cum dicitur: « Qui crediderit et baptizatus fuerit. » Prius enim credulitas ponitur, et postmodum baptismum sequitur: quia nullus ignarus tantum mysterium suscipere debet, nisi prius a doctore instruatur et imbuatur. Postquam vero crediderit, baptizetur. Ubi curiosus lector opponere potest: Quid ergo fiet de parvulis, qui nesciunt loqui? Ad quod vera ratio respondere potest, quia sola fides parentum parvulis proficit in baptismo, ita tamen, ut, cum ad legitimam ætatem pervenerint, instruantur et doceantur. « Et pulchre eorum fides qui salvandi sunt, in fundamento ponitur (*Habac.* II), » quia, ut ait Scriptura, « justus ex fide vivit, et sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI). » Sicut autem fides origo est omnium virtutum, sic incredulitas mater perditionis. Unde et subditur: « Qui vero non crediderit, condemnabitur. » Quia, sicut Dominus alibi ait, « qui non credit, jam judicatus est (*Joan.* III), » et item: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Ibid.*) » Sed forte dicit aliquis: Ego jam credidi et salvus ero. Verum dicit, si hoc quod profitetur verbis, implet operibus. Vera enim fides est, quæ hoc perficit opere, quod confitetur ore, secundum quod Dominus ait ad discipulos: « Scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea (*Joan.* XIII). » Hinc et Apostolus: « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X). » Confessores enim Dominus suos operatores vult esse. Cæterum frustra sibi de sola fide blanditur, qui bona operari negligit, quia, sicut ait apostolus Jacobus (*cap.* II), « Fides sine operibus mortua est. » « Sunt autem plurimi hujusmodi, quod pejus est, » sicut ait Apostolus (*Tit.* II), « qui confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant, » quales Dominus in Evangelio reprobat, dicens: « Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? » (*Luc.* VI.) Et per prophetam: « Populus me hic labiis honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* XXIX). » Missi autem apostoli ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, ne causarentur tantum opus se perficere non posse, visibilium miraculorum signa eis in adjutorium promittuntur, cum dicitur:

« Signa autem eos qui crediderunt, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, et bene habebunt. » Quæ omnia per apostolos eorumque successores etiam ad litteram esse completa, nullus ignorat, qui eorum actus vel vitas legit. Sed ex pluribus pauca commemoranda sunt, in nomine enim Christi frequenter ab obsessis corporibus apostoli dæmonia ejecerunt, sicut Paulum fecisse legimus quando puella, quæ habebat spiritum pythonis, sequebatur eum per multos dies (*Act.* XVI). « Dolens autem ille, et conversus spiritui dixit: In nomine Christi præcipio tibi, ut egrediaris ab ea. » Et statim sana facta est. Linguis locuti sunt novis, non solum apostoli die B sancto Pentecostes, cum in linguis igneis Spiritum sanctum acceperunt, sed etiam, sicut in Actibus apostolorum legimus (*Ibid.* II), cum per impositionem manuum eorum Spiritum sanctum acciperent, linguis loquebantur et prophetabant. Serpentes tulerunt, sicut Paulum apostolum legimus fecisse (*Ibid.* XVIII), qui cum navigasset ad quandam insulam, et collecta sarmentorum multitudine imposuisset super ignem, vipera a calore ignis egressa, invasit manum illius. Et cum putarent eum subito casurum, et cito moriturum, ipse excutiens manu bestiam, in ignem projecit, et nihil mali sustinuit. « Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. » Legimus in ecclesiastica Historia Eusebii Cæsariensis, Joannem discipulum Domini, propter insuperabilem constantiam evangelizandi veneno potatum esse, et nihil mali passum fuisse. In eisdem quoque Patrum litteris Barnabas legitur eumdem mortiferum potum bibisse, sed mortis periculum non sensisse. « Super ægros manus imponent, et bene habebunt. » Non solum per impositionem manuum apostolorum infirmis redditam legimus sanitatem, sed, ut in Actibus apostolorum narratur (*cap.* XIX), de corporibus eorum tollebantur sudaria et snecintoria, et super infirmos ponebantur, per plateas quoque in lectulis et grabatis ponebant infimos, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et sanabantur a quacunque infirmitate detinebantur (*Ibid.* V). Et hoc est quod Dominus alibi promittit dicens: « Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet (*Joan.* XIV). » Forte etiam aliquis dicit hanc eamdem gratiam nunc in Ecclesia non esse, quia iisdem miraculis corporalibus non coruscat. Cui respondendum est eamdem virtutem esse nunc in Ecclesia, quæ prioribus temporibus fuit. Quod vero priscis temporibus signis corporalibus refulsit, sciendum est quia ut fides cresceret in exordio nascentis Ecclesiæ, miraculis corporalibus nutrienda erat. In hoc enim signa miraculorum manifestata sunt, ut corda videntium ad visibilia credenda raperentur. Sicut enim, verbi gratia, cum arbusta plantamus, tandiu eis ad radicem aquam fundimus, quousque ea convaluisse videamus, A et cum radicem fixerint, irrigatio cessat: sic novella plantatio Ecclesiæ, ut incrementum fidei proficeret, miraculis corporalibus irriganda. Postquam autem in fide firmiter radicata est, exteriora miracula cessaverunt, quia, ut ait Apostolus, « Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* XIV). » Quotidie namque Ecclesia spiritales virtutes operatur, quas per apostolos prioribus temporibus operabatur. In nomine enim Christi dæmonia ejiciuntur (*Marc.* XVI). cum per ministerium sacerdotale et gratiam exorcismi ab illorum mentibus, qui in nomine sanctæ Trinitatis baptizantur, illorum potestas excluditur. Linguis loquuntur novis (*Ibid.*), cum hi qui erant consueti mendaciis, perjuriis, detractionibus, maledictionibus, ad Deum laudandum et benedicendum convertuntur. Et cum exhortantur proximos, consolantur dolentes, corripiunt negligentes, commutantes labia sua, et abstinentes se a malo et a pravo eloquio, dicentes cum Psalmista: « Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea (*Psal.* XXXVIII). » Et iterum: « Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli a me (*Psal.* XVII). » Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea. Cumque in suis et alienis cordibus cogitationes venenosas et immundas dominari non sinunt, serpentes nimirum pariter tollunt. Cum vero a proximis verba detractionis et perversa consilia audiunt sed usque ad affectum operis eis non consentiunt, mortiferum quoddam bibunt, sed non eis nocet. Quicunque enim aut in fide titubat, aut in bono opere C trepidat, profecto æger est animo. Quisquis ergo talibus ideo verbum prædicationis impendit, vel exemplum boni operis ostendit, ut eos in bono opere firmiores reddat, super ægros manus imponit, ut bene habeant. Hæc autem signa tanto majora sunt, quanto spiritualia: et tanto meliora, quanto per hæc non corpora sanantur cito moritura, sed animæ in æternum victuræ. Nam exteriora signa eo minorem mercedem in futuro exspectant, quo majorem gloriam in præsenti recipiunt: interiora autem tanto majorem gloriam in futuro præstolantur, quanto minus in præsenti ab hominibus videntur, Et exteriora quidem etiam mali habere possunt, quales dicturi sunt: « Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, virtutes D multas fecimus? » (*Matth.* VII.) Quibus respondetur: « Amen, amen dico vobis, nescio vos. Discedite a me, operarii iniquitatis » (*Ibid.*). Non enim curat Deus per quos faciat virtutes, ut salvet eos quos in perpetuum vult habere. Spirituales vero qui habent, mali esse non possunt.

« Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum. » Igitur postquam Dominus ad prædicandum Evangelium apostolos omni creaturæ in mundum misit, postquam signa et virtutes eos qui credituri erant in nomine ejus secuturas promisit, ascendit in cœlum, ostendens illuc eos quandoque esse venturos, quo caput suum præ-

cessisse congauderent, sicut ipse Patrem postulat, cum dicit: « Volo Pater, ut ubi ego sum, ibi et minister meus erit (*Joan.* XII). » Et item: « Ubi fuerit corpus, illuc congregabantur et aquilæ (*Luc.* XVII). » Concordat autem Lucas evangelista cum his verbis, qui cum narraret Dominum dixisse discipulis, « et vos quidem eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ (*Act.* I), » continuo adjunxit, dicens: « Et cum hoc dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Ibid.*). » Ubi considerandum est, quia Dominus accensionis suæ testes et præcursores in Veteri Testamento habere voluit, unum ante legem, et alterum sub lege, Enoch scilicet et Eliam: quia sicut ipse Joseph venditus, Domini venditionem ac passionem præfiguravit, sic Enoch translatus, et Elias curru igneo raptus, illum præfiguraverunt, qui super omnes cœlos erat ascensurus. Et illi quidem ut puri homines sarcina peccatorum gravati, auxilio indiguerunt angelorum, in regione quadam secretiori transferentur, non funditus morfem vitantes, sed ad tempus differentes. Unde unus translatus, alter vero raptus memoratur. Dominus autem Jesus Christus, quem nulla mortalitas corruptionis gravabat, non indiguit in ascensione auxilio angelorum, qui propria virtute penetravit alta cœlorum, sicut ipse in Evangelio ait: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo (*Joan.* III). » Et per Prophetam: « Nunc exsurgam, dicit Dominus, nunc exsultabor, nunc sublimabor (*Isa.* XXXIII). » Ubi notandum est quia per incrementa temporis munditia excrevit castitatis, juxta illud quod per Danielem dicitur (*cap.* XII): « Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia. » Transitus est Enoch, qui per coitum genitus, et per coitum generans, uxorem et filios habuisse legitur. Raptus est Elias, per coitum genitus, non tamen per coitum generans, quoniam uxorem et filios habuisse non legitur. Non tamen in cœlum æthereum, sed potius in aerem. Assumptus est autem Dominus Jesus Christus, qui mortis superavit auctorem, nec per coitum genitus, nec per coitum generans, non in cœlum aereum, sed in cœlum æthereum. Qui genitus est ante omnia sæcula de Patre sine matre, et natus est de matre sine patre, in fine sæculorum. Non solum sancti Patres Dominicam ascensionem exemplis præfiguraverunt, sed etiam verbis prædixerunt. Ait enim David: « Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua (*Psal.* LVI). » Et item: « Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ (*Psal.* XLVI). » Et alibi: « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Ephes.* IV). » Hodie enim patefacta est omnibus janua regni cœlorum, quia homo a Deo assumptus, ascendit super omnes virtutes angelorum, Psalmista testante, qui ait: « Et ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum (*Psal.* XVII). » Hodiernæ ascensionis singularem volatum mirabatur sponsa in Canticis canticorum, cum diceret: « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles (*Cant.* I). » Hodie facta est nova lætitia in cœlo angelorum, quia homo perditus per Dominum revocatus est ad regna cœlorumr Quod autem ait, « Et sedet a dextris Dei, » non Deus Pater dexteram habere credendus est sicut nos, qui incorporeus est et immensus, sed totus dexter, quia totus est sanctus. Igitur in dextera Dei, æqualitatis potentia designatur. Ad dexteram ergo Dei sedere describitur, quia hominem, quem ex nobis assumpsit, per ascensionem Divinitati sociavit, de quo per Psalmistam dicitur: « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*Psal.* CIX). » Sicut enim in sinistra reprobi ponendi sunt, ita ad dexteram electi, ipso judice teste, qui ait: « Statuet quidem oves a dextris, hædos autem a sinistris (*Matth.* XXV). » A dextris igitur Dei sedere dicitur, ut ibi, se ventura credant esse membra, quo caput suum audiunt præcessisse, sicut per Apostolum dicitur: « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (*Coloss.* III). » Quæritur autem quare Marcus dicat, « Sedet a dextris Dei, » cum Stephanus referat: « Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei (*Act.* VII). » Quid est quod iste hunc sedentem, ille vero stantem commemorat, nisi quia sedere regnantis est, stare autem pugnantis vel adjuvantis? Marcus vero post ascensionem hunc sedentem describit, quia nunc cum Patre judicat omnia, ad extremum judex est omnium venturus. Stephanus autem in certamine positus, stantem eum vidit, quem adjutorem sumpsit, quia ille pro Stephano pugnabat, qui ei ut vinceret retribuebat.

« Illi autem profecti prædicaverunt ubique. » Prædicaverunt namque ubique, ut impleretur prophetia, quæ dicit: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Et iterum: « Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum (*Ibid.*). » Nec putandum est, quod statim post Domini ascensionem ubique ad prædicandum sint missi, sed juxta Domini jussionem manserunt in civitate, quousque virtute induerentur ex alto. Postquam Spiritus sancti dona perceperunt, primum Judæis verbum Dei annuntiaverunt, ut illis non credentibus, juste fieret ad gentes transmigratio, sicut ipsi dixerunt: « Vobis quidem oportuerat primum loqui verbum Dei (*Act.* XIII). » Unde olim cum prædiceret propheta gentes concorporales et cohæredes fieri Ecclesiæ Dei, ait: « Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et feces Israel convertendas. » Et item: « Dedi te in lucem gentium. » Et rursum: « Longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et Lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit (*Isa.* XLIX, XLII, LIV). » Et ne putares apostolos ad prædicandum ubique Evangelium idoneos sua virtute esse, evangelista rem neces-

sariam adjunxit, dicens : » Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. » Confirmavit Dominus sermonem apostolorum sequentibus signis, quando per eos talia signa et virtutes ostendit, ut nullus doctrinam eorum ex Deo esse dubitaret, qui mira conspiciebat. Talia vero signa per eos fecit, ut etiam quidam persecutores et contradictores compuncti crederent : ut dum unus resuscitaretur corporaliter, multi resuscitarentur spiritaliter: et dum unus sanaretur in corpore, multi sanarentur in anima. Sed ipsi apostoli sermonem suum confirmaverunt, Deo secum cooperante, quando quod aliis prædicaverunt verbis, prius impleverunt operibus. Confirmat autem doctor suum sermonem, quando quod alios docet, ipse prius opere complet: illum bonum doctorem imitans, de quo scriptum est : « Cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I). »

HOMILIA XCVII.

DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

(I Petr. IV). « Charissimi ; Estote prudentes, et « vigilate in orationibus. » Et reliqua. Apostolica nos verba, fratres charissimi, considerare oportet, quæ in præsenti lectione beatum Petrum nos admonentem atque docentem audivimus. « Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. » Complentes opere ea quæ sunt in Evangelio scripta.

« Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis « charitatem continuam habentes. Hæc enim major esse omnibus virtutibus creditur. Quia charitas operit multitudinem peccatorum. » Suorum videlicet et illius, quem per suam doctrinam ad meliorem converterit vitam.

« Hospitales invicem sine murmuratione. » Murmuratio enim noxia est operibus bonis. Et ideo « hilarem datorem dicit Apostolus diligere Deum (*II Cor.* IX). »

« Unusquisque sicut accepit gratiam, in alteru- « trum illam administrantes, sicut boni dispensatores « multiformis gratiæ Dei. » Dantes propter Deum propria diligenter indigentibus.

« Si quis loquitur, quasi sermones Dei. » Id est ut non negligenter qui prædicat præceptum Dei, Deo reputet, non sibimetipsi, sed quasi sermones Dei loquatur, ut non humano sensu ea quæ studeat intelligere secundum carnalem scilicet sapientiam, sed secundum quod Spiritus sanctus dictavit, eo modo spiritualiter ea intelligere studeat et operibus adimplere.

« Si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam ad- « ministrat Deus. » Ut omnia Dei dona divinæ reputet gratiæ, nihilque suis quis meritis audeat deputare : quia bonum quidquid est in homine, ex Dei tantum est operatione, non ex humana sapientia vel virtute : humiliter tamen impendere debemus proximis bonum quod habemus, quia scimus non ex nobis esse quæ sunt bona, sed ex Dei tantum pervenire gratia. « Ut in omnibus honorificetur Deus, per

A « Jesum Christum Dominum nostrum. Ex omnibus bonis quæ Deus humanæ tribuit largitati, ipsi semper ab hominibus laus et gratiarum actio referatur, ut exinde vitam æternam in ea laudum gratiarumque actione digna permanentes observatione, mereantur. Ideo necesse est, ut sæpius cogitemus quales futuri sumus in die judicii, purissimis angelorum conspectibus offerendi, et æterno judici rationem de libris conscientiæ reddituri. Remotis omnibus enim probationis, certum est in die illa ipsum ante se hominem constituendum, et ipsam sibi animam cordis speculo demonstrandam, et testes contra eam non de foris aliunde, sed intus de semetipsa perferendos. Adjicienda erunt non aliqua peregrina, sed omnia testimonia nota, id est opera sua. Vincamus ergo voluptates et intentiones nostras, dum nobis
B tempus illud exspectatissimum ac beatissimum felici mutatione æternæ vitæ succedit, quando implebitur illud quod Dominus dicit : Erunt homines similes angelis sanctis (*Marc.* XII). In assiduis enim fletibus, in quotidiana simus nostra pœnitantia, habemus sacerdotem in cœlis, qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Joannem dicitur : « Si quis peccaverit, advocatum habemus apum Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris (*I Joan.* II). » Ecce exsultat animus cum advocati nostri potentiam audimus, sed exsultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobi advocatus est, dicitur justus. Nos enim causas injustitiæ habemus, justus vero advocatus injustas causas nullo modo suscipit, nec verba dare pro in-
C justitia consentit. Quid ergo agimus, fratres charissimi ? Sed ecce occurrit animo quod agamus. Mala quæ fecimus, et deseramus et accusemus. Scriptum est : « Justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII). » Quilibet etenim peccator conversus in fletibus, jam justus esse inchoat, cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim jam justus non sit, qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit? Justus igitur advocatus noster, justos non defendet in judicio, quia nosmetipsos et cognoscimus et accusamus injustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allevatione confidamus, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

HOMILIA XCVIII.

D DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

(Joan. XV, XVI). « In illo tempore, dixit Jesus « discipulis suis : Cum venerit Paracletus quem ego « mittam vobis a Patre Spiritum veritatis. » Et reliqua. In multis locis Evangelii legimus, quod ea quæ minus apostoli de perfectione habebant, per Spiritus sancti adventum Dominus se daturum promiserit : manifestius tamen in exordio lectionis hujus non solum eumdem Spiritum repromittit, sed etiam quod ipsius dono ad prædicandum Evangelium idonei reddendi essent, declarat, cum dicit : « Cum « venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre

« Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testi« monium perhibebit de me. » Manifestum est autem, nec laboriosa expositione indiget, quare eumdem Spiritum Paracletum nominet; παράκλητος enim Græce, Latine consolator sive advocatus dicitur. Bene autem consolator, quia non solum apostolorum corda mœrentia de Domini absentia, vel ad sufferendas tribulationes et passiones consolatus est, sed etiam quotidie pro peccati perpetratione lugentibus, dum spem veniæ repromittit, magnam consolationem impendit. A quo se consolari precabatur Propheta, cum dicebat: « Consolationes tuæ, Domine, lætificaverunt animam meam (*Psal.* XCIII). » Pro quo in Græco legitur: Αἱ παρακλήσεις σοῦ, εὔφραναν τὴν ψυχήν μου. Et item: « Memor fui judiciorum tuorum, Domine, a sæculo, et consolatus sum (*Psal.* CXVIII). » Bene autem advocatus dicitur, quia cum sit æqualis Patri et Filio, pro delictis nostris Patrem quotidie interpellare non cessat, quia ut ait Apostolus: « Quid oremus, sicut oportet, nescimus (*Rom.* VIII), » etc. Bene autem ipsum Spiritum a se mitti, et a Patre procedere perhibet: non qui aliter procedat a Patre, et aliter a Filio, vel aliter mittatur a Filio, et aliter a Patre: sed quia ipsa missio processio est, et ipsa processio missio. Neque enim diversitas est procedentis vel mittentis, quibus una est essentia, parque deitas. Non enim minor est ille qui procedit, illo a quo procedit: neque minor est ille qui mittitur illo a quo mittitur: quia quod est Pater, hoc est Filius, hoc est et Spiritus sanctus. Quia enim amborum Spiritus est coæternus et consubstantialis, sicut procedit a Patre, ita et a Filio: et sicut mittitur a Filio, mittitur a Patre. Quod vero Patris sit idem Spiritus, Dominus in Evangelio manifestat dicens discipulis suis: « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (*Matth.* X). » Quod autem Filii sit, Paulus apostolus ostendit cum ait: « Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus (*Rom.* VIII). » Venit etiam a seipso idem Spiritus, quia verus est Deus, sicut Dominus ait: « Spiritus ubi vult spirat (*Joan.* III). » Et Paulus, enumeratis ejusdem Spiritus sancti virtutibus, adjunxit: » Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Spiritus namque veritatis dicitur, quia a Patre veritatis procedit. Nam Pater ipse est veritas, Filius similiter et Spiritus sanctus similiter. Et quod Filius de seipso ait: « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV), » hoc de Patre et Spiritu sancto intelligendum est, quia qualis est Pater, talis et Filius, talis est et Spiritus sanctus. Quod autem ait: « Ille testimonium perhibebit de me, » manifestum est quia Spiritus sanctus Filio testimonium perhibuit quod Deus esset, quando die sancto Pentecostes, ab eo missus, sicut fuerat promissus, scientiam omnium linguarum apostolis tribuit (*Act.* II). » Nec solum tunc, verumetiam antequam pateretur, testimonium ei perhibuit quando in Joanne a Joanne baptizatus in specie columbæ super eum apparuit, et audita est

A vox dicentis: « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III). » Unde et Joannes ait: « Et ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei (*Joan.* I). » Sive, certe Spiritus sanctus Filio testimonium perhibuit, quando apostolos ad testimonium perhibendum fortes reddidit. Unde et subditur:

« Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio « mecum estis. » Non dicit ab initio sæculi, neque ab initio nativitatis, sed ab initio suæ prædicationis. Nam in initio suæ prædicationis Dominus discipulos elegit, sicut idem Joannes alibi ait: « Hoc fecit initium signorum suorum Jesus in cana Galilææ, et crediderunt in eum discipuli ejus (*Joan.* II). » Tanto enim verius ejus testimonium post ipsius gloriosis-

B simam ascensionem perhibere potuerunt, quanto manifestius illius opera virtutes ab initio suæ prædicationis conspexerunt. Unde et dixerunt: « Nos testes sumus horum omnium quæ fecit in regione Judæorum et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum (*Act.* X). » Sed quia per eamdem prædicationem persecutio nascitura erat, recte subjungitur:

C « Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. » Si enim, ut ait Apostolus, omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patiuntur (*II Tim.*, III), » tanto duriores persecutiones apostoli pro veritate sustinuerunt, quanto priores in Domini prædicatione apparuerunt. Consolatur autem pius magister mentes discipulorum, ut eo minus rabiem persequentium timerent, quo hæc sibi a pio magistro prædicta colerent. Unde cum eis alibi persecutiones venturas pro prædicatione prædiceret, semetipsum in exemplo tolerantiæ proposuit, dicens; « Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt (*Joan.* XV). » Et item: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius

D eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (*Matth.* X). » Et alibi: « Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia vero non estis de mundo, sed ego elegi vos de mundo, ideo odit vos mundus (*Joan.* XV). » Scandalizari autem est aliquem in persecutione a fide deficere vel a prædicatione cessare. Ut autem fortiores eos redderet, non solum persecutiones eis prædixit, sed etiam ejusdem genus persecutionis ostendit, cum adjunxit:

« Absque synagogis facient vos. » Συναγωγὴ enim Græce, Latine conventus sive congregatio dicitur. Neque enim parva tunc temporis vituperatio erat a

Synagoga ejici, sed sicut nunc turpe est pro suis sceleribus aliquem extra Ecclesiam repelli, sic erat tunc vituperabile extraneum quemquam a Synagoga fieri. Quod autem a Synagoga frequenter ejecti sunt, liber Actuum apostolorum pleniter declarat, in quo legitur: « Quia statuentes eos in concilio, denuntiaverunt eis, ne cuiquam homini loquerentur, neque docerent in nomine Jesu, quando illi ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* v). » Sed quia plures Judæorum zelo carnalis legis defendendæ persecutiones apostolis commoverunt, recte subditur: « Sed venit hora ut omnis qui interficit « vos arbitretur obsequium se præstare Deo. » Hora in hoc loco tempus persecutionis intelligi potest, quo apostoli a pessimis erant persecutiones passuri. Magnum quippe obsequium se præstare Deo arbitrabantur, cum prædicatores Evangelii quasi destructores legis persequebantur. De quibus ait Apostolus: « Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam (*Rom.* xii). » Frustra autem defendunt legem per servum datam, qui amittunt gratiam per Filium factam. Quia sicut scriptum est: « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* i). » Unde et subinfertur:

« Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem « neque me. » in hoc se Judæi Patrem non cognoscere ostendunt, cum prædicatores Filii tanto odio persequuntur, sic idem Filius alibi discipulis dicit: « Qui vos recipit, me recipit. Et qui vos spernit, me spernit (*Matth.* x). »

« Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit « hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis, » Prædicit pius magister persecutiones discipulis venturas, ut tanto facilius eas venientes tolerarent, quando ab illo prædictas recolerent. Minus enim jacula feriunt quæ prævideri possunt, repentini vero et subitanei casus etiam fortissimos milites in bello conturbare solent. Et ideo non solum hic quod futurum erat prædicere voluit, sed etiam plurimis in locis, ut tanto levius tribulationes et angustias sufferrent, quanto per præscientiæ clypeum muniti essent. Cum enim mitteret eos ad prædicandum, dicens: « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, » quid pro eadem prædicatione passuri essent, continuo manifestare curavit, subjiciens: « Cavete ab hominibus; tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et præsides ducemini, propter me, in testimonium illis et gentibus (*Matth.* x). » Et item: « Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos et exprobraverint et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die et exsultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis (*Luc.* vi). »

—

HOMILIA XCIX.

IN VIGILIIS PENTECOSTES.

(Joan. xiv.) « In illo tempore dixit Jesus discipu« lis suis: Si diligitis me, mandata mea servate. » Et reliqua. Quid est quod dicit, quod diligentibus Deum et servantibus mandata ejus, spiritus paracletus daretur, dum Deus non diligitur, et mandata ejus servari non possunt, nisi per Spiritum sanctum? Quid aliud, nisi ut qui per Spiritum sanctum diligit Deum, mereatur diligendo ut plus habeat, et plus habendo plus diligat? Paracletus quippe *consolator* interpretatur. Et Spiritus sanctus recte paracletus vocatur, quia corda fidelium, ne inter hujus sæculi adversa deficiant, cœlestis vitæ desideriis sublevat ac reficit.

« Et ego rogabo Patrem, et alium paracletum da« bit vobis. » Ostendit in hoc et seipsum esse paracletum. Habebant enim et prius paracletum, ipsum videlicet Dominum secum in carne commorantem, et cum miraculorum dulcedine et opere prædicationis, ne propter infidelium persecutionem scandalizari possent, erigi et confortari solebant. Rogabo dixit, per humanitatem, qui cuncta dat cum Patre per Divinitatem. « Ut maneat vobiscum in æternum. » In æternum namque manet cum sanctis, quos et in hoc vita semper invisibiliter intus illustrat, et in futuro ad contemplandam perpetuo speciem majestatis introducit. « Spiritum veritatis, quem mundus non « potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. » Mundum autem appellat homines mundi hujus amori datos. Mundus ergo cum accipere non potest, id est, mundiales homines, quia non habent invisibiles charitatis oculos, quibus solummodo Spiritus sanctus videri potest, et sciri, et sciendo intelligi.

« Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos ma« nebit, et in vobis erit. » Erit, ut maneat in æternum. Dominum namque salvatorem et infideles ante passionem in carne viderunt, sed quia Filius Dei esset, quia paracletus a Deo missus in mundum, nonnisi fideles scire potuerunt. Spiritum autem sanctum neque oculis videre infideles, neque animo volebant cognoscere, quia non indutus humanitate discipulis apparuit, sed ita ad eos venire, ita apud eos maluit manere, ut in ipsis eorum cordibus gratissimam sibi sedem consecraret. Hoc est enim quod ait: « Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit » Qui autem invisibiliter in hac vita manet cum electis, visibiliter utique eis gratiam suæ cogitationis exhibet.

« Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. » Videbatur infidelibus quia moriens in cruce Dominus, discipulos relinqueret orphanos; sed non reliquit orphanos, quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta, et post dies decem assumptionis suæ Spiritus sancti illis de cœlo charismata donavit, ut ipsum Christum ad eos venisse nullus ambigit, qui inseparabilem sanctæ Trinitatis naturam, veritatem et operationem esse cognoscit.

« Adhuc modicum, et mundus me jam non videt. » Modicum erat usque ad tempus expletæ passionis, ex quo illum reprobi videre non valebant. Soli etenim justi, qui morte illius erant contristati, gaudium resurrectionis ejus videre meruerunt. « Vos autem « videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis. » Quid est quod ego vivo, et vos vivetis? Cur de præsenti se dixit vivere, illos autem de futuro esse victuros, nisi etiam vitam carnis, utique resurgentis, qualis in ipso præcedebat, et illis est pollicitus secuturam? Et quia ipsius mox futura fuerat resurrectio, præsentis posuit temporis verbum, propter significandam celeritatem: illorum autem, quod in sæculi differtur finem, non ait vivitis, sed vivetis. Duas enim resurrectiones, suam scilicet mox futuram, et nostram in fine sæculi secuturam, duobus verbis præsentis temporis et futuri, eleganter breviterque promisit.

« In illo die vos cognoscetis quia ego sum in « Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. » In quo die, nisi de quo ait: « Et vos vivetis? » Noverant apostoli tunc esse Christum in Patre per unitatem individuæ divinitatis: noverant se esse in Christo, per susceptionem fidei et sacramentorum ejus, qui noverant veraciter vivere tunc et esse Christum in Patre, in se esse Christum per dilectionem et observantiam mandatorum ejus: noverat et hoc sancta Dei Ecclesia, sed longe melius et plenius in illa die, de qua dixit: Et vos vivetis, in qua veraciter vivere incipiens, hoc est, in die resurrectionis, quando perfectius cuncta quæ scienda sunt scient, quando ipsum scientiæ fontem viciniussine fine conspicient. Et quia omnibus hujus promissionem beatitudinis promitteret, non solummodo apostolis, mox subjungit:

« Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui « diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre « meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meip- « sum. » Ubi omni intentione considerandum est quia Christum vere diligere est non solum ipsam dilectionem confiteri, sed mandata Christi, quæ discendo habemus, operando servare. « Qui habet, inquit, mea mandata et servat ea, ille est qui diligit me. » Qui habet in memoria et servat in vita, qui habet in sermonibus et servat in moribus, qui habet audiendo et servat faciendo; aut qui habet faciendo et servat ea perseverando, ipse est, inquit, qui diligit me. Notandum quia cum præsentis temporis verbo diceret: « qui autem diligit me, » adjicit de futuro: « diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. » Diligit namque etiam nunc dilectores suos cum Patre Filius, sed nunc diligit ad hoc ut recte vivant ex fide, quæ per dilectionem operatur: tunc ad hoc diliget ut perveniant ad visionem veritatis, quam per fidem gestaverant. Non autem frustra addidit: « et manifestabo ei meipsum. » Si vero secundum humanitatem se cunctis in judicio manifestabit, solis vero justis et sanctis divinitatis gloriam, in qua æqualis est Patri et Spiritui sancto, ad æternam beatitudinem manifestaturus erit.

HOMILIA C.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

(JOAN. XIV.) « In illo tempore dixit Jesus discipu- « lis suis: Si quis diligit me, sermonem meum ser- « vabit. » Et reliqua. Promissurus Dominus Spiritum sanctum discipulis, quales se exhibere debeant, qui ejus habitaculum fieri desiderant, in exordio hujus lectionis manifestat, cum dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit. » In quibus verbis ostendit quia probatio veræ dilectionis exhibitio est boni operis. Si enim qui non diligit Dominum, mandata ejus non custodit, sine causa eum se diligere confitetur verbis, qui ejus præcepta non servat operibus, Joanne apostolo teste qui ait: « Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est (*I Joan.* IV). » Et sicut de falsis fidei professoribus Apostolus ait: « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I). » Tales Dominus in Evangelio reprobat, cum dicit: « Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico (*Luc.* VI)? » Et Propheta: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa* XXIX). » Sicut enim justus ex fide vivit, sic fides sine operibus mortua est, Domino dicente: « Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII), » etc. Unde Joannes in Apocalypsi cum dixisset (*Apoc.* I): « Beatus qui legit et qui audit verba prophetiæ libri hujus, » continuo subjunxit: « Et servat ea quæ in ea scripta sunt. » Amor etenim Dei otiosus esse non potest, quando ut Dominus ait: « Ex abundantia cordis os loquitur (*Matth.* XII). » Aut enim magna operatur, si verus amor est: aut si operari renuit, haud amor dicendus est. Sicut enim imperator in hoc intelligit quod sui milites eum diligunt, cum provinciæ leges ejus observant: sic affectum nostræ dilectionis erga Deum ostendimus, cum præcepta ejus servamus. Unde huic lectioni paulo superius præmisit, dicens: « Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. » Et iterum: « Si diligitis me, mandata mea servate. » In dilectione vero Dei non tantum lingua, sed et manus est intuenda, sicut alibi Dominus discipulis ait: « Scitis hæc: beati eritis si feceritis ea (*Joan.* XIII). » Custodienda ergo sunt præcepta Dei, quia in custodiendis præparata est retributio multa nimis. De qua retributione protinus subinfertur: « Et Pater meus diliget eum. » Quid enim dilectori suo Filius amplius promittere potest, quam ut a Patre diligatur? Qui ergo diligit Filium diligitur et a Patre, quia idem Filius unum est cum Patre, sicut ipse alibi dilectoribus suis dicit: « Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi (*Joan.* XVI). » Notandum autem quod ait: « et ad eum veniemus. » Nisi Deus trinitas esset, nequaquam pluraliter diceret. « Et ad

A « cum veniemus. » Ubicunque enim venit Pater, venit Filius, venit Spiritus sanctus. Et ubicunque manet Pater, manet Filius, manet et Spiritus sanctus. Quia sicut ait Apostolus : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v). » Et item : « Habitare Christum per fidem in cordibus nostris (*Ephes.* III). » Sed læto corde accipiendum est quod infertur : « Et « mansionem apud eum faciemus. » Ad quorumdam vero corde Deus venit, sed mansionem non facit, quia eos per compunctionis gratiam visitat : sed cum hora compunctionis transierit, et ad iniquitatem redeunt, Deum a corde suo repellunt, de quibus Dominus alibi dicit : « Quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt (*Luc.* VIII). » At vero ad electorum cor non solum venit, sed et mansionem B facit : quia eorum mentes sic fixæ sunt in amore Divinitatis, ut ab ejus dilectione tempore tentationis non recedant, sed ita Domino cohærent, ut sive in prosperis, sive in adversis, semper ipsum benedicere studeant, dicentes cum Psalmista : « Benedicam Dominum in omni tempore (*Psal.* XXXIII). » Considerandum ergo summpore est quanto studio mansionem suæ mentis præparare debet, qui tantum ac talem hospitem suscipere desiderat. Si enim rex aut præpotens amicus ad domum tuam venturus esset, cum omni studio eam præparares, superflua abjiciendo, necessaria adhibendo. non solum quæ ad utilitatem, sed etiam quæ ad ornatum pertinent investigando. Ita Dominum Deum tuum in habitaculo cordis tui suscepturus, emunda conscientiam tuam ab operibus mortuis, et a cogitationibus surperfluis C et immundis : quia mundus habitator mundam quærit domum, ad quam non solum venire, sed in qua manere dignetur ille qui ait : « Ecce ste ad ostium, et pulso : si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille mecum (*Apoc.* III). » Igitur domum mentis nostræ ab squaloribus omnium vitiorum mundare debemus, et diversis floribus virtutum adornare, ut humilitate fulgeat, castitate rutilet, charitate resplendeat, ut in corda nostra veniens Spiritus sanctus, mansionem faciat. Sed his et de electis explicitis, qui Deum non solum verbis, sed etiam operibus diligunt, protinus de reprobis dicitur :

« Qui non diligit me, sermones meos non servat. » Sicut enim qui præcepta Dei observat, etiam tacente D lingua se eum diligere comprobat : sic qui sermonem ejus non custodit eum se non diligere demonstrat. « Et sermonem quem audistis non est meus, « sed ejus, qui misit me, Patris. » Cum superius sermones pluraliter posuit, doctrinam sancti Evangelii intelligere voluit. Cum autem singulariter adjunxit : « Et sermonem quem audistis, » seipsum intelligere voluit, qui est verbum et sapientia Dei, de quo Joannes alibi ait : « In principio erat Verbum (*Joan.* I), » etc. Recte ergo dicit : « Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris, » quia Filius non a seipso venit, sed a Patre, sicut ipse dicit : « Ego a meipso non veni, sed Pater meus misit me (*Joan.* VII). » Et sicut Filius non est a seipso, sic doctrinam suam non dicit suam esse, sicut ipse ait : « Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me, Patris (*Ibid.*). » Et iterum : « Pater in me manet, et ego in eo (*Joan.* VI). » Et alibi : « Ego a meipso nihil facio (*Joan.* VIII). » Qui enim de nullo fit, de nullo procedit, solus est Pater. Filius autem de Patre natus, Spiritus sanctus a Patre et Filio procedere creditur.

« Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. » Nunquid non erat mansurus cum discipulis, quibus alibi promisit, dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ? (*Matth.* XXVIII). » Erat utique, sed ait : « Hæc locutus sum vobis, apud vos manens, » de præsentia corporali dicit, per quam post modicum ab eis recessurus erat. Cui simile est quod alibi ait : « Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum (*Luc.* XXIV). » Qui ergo in articulo passionis hæc loquebatur, mansurus cum eis semper per divinitatem, recessurus loquitur per humanitatem. Sed quod minus de divinitate intelligere poterant, per Spiritus sancti adventum se docturum promittit, cum subjungit :

« Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet « Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. » Cui simile est quod alibi dicit : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (*Joan.* XVI). » Quia ad intelligenda spiritalia mentes nostras promovebit, patet profecto, nec laboriosa expositione indiget, quare eumdem spiritum paracletum nominet, παράκλητος Græca locutione, Latine *consolator* sive *advocatus* dicitur. Bene consolator dicitur, quia mentes fidelium, ne inter adversa hujus sæculi deficiant, spe cœlestium consolatur præmiorum Bene advocatus, quia pro errore delinquentium apud Patrem intervenit, Apostolo teste, qui ait : « Nam quid oremus sicut oportet, nescimus (*Rom.* VIII), » etc. Et pulchre eumdem Spiritum in nomine suo a Patre mitti perhibet, quia unius naturæ, ejusdemque est cum Patre potentiæ, sicut ipse alibi ait : « Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me (*Joan.* XV). » Quod autem ait : « Ille vos docebit omnia, » subaudiendum est, quæ necessaria sunt, sive ad intelligendum, sive ad docendum. Et recte Spiritus sanctus omnia docere dicitur, quia in vacuum laborat sermo doctoris exterius, nisi interius sit Spiritus sanctus, qui illustret cor auditoris. Cæterum nemo tantum perfectus esse potest in præsenti vita, ut omnia de Deo scire possit, maxime cum Apostolus, qui usque ad tertium cœlum raptus fuisse perhibetur, dicat : « Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus (*I Cor.* XIII). » Quod vero subjungit : « Et suggeret vobis omnia quæcunque dixero « vobis. » Spiritus sanctus suggerere dicitur, eo

quod nos suggerentes, id est supplicantes, faciat. Quæritur autem quomodo suggerat, cum suggerere minoris sit, et Spiritus sanctus æqualis Patri esse credatur? Ad quod dicendum quia usus iste locutionis in Scripturis sacris frequenter invenitur, ut hoc Deus agere dicatur, quod ut nos agamus ille perficiat; et orare, ut nos orantes efficiat. Sicut enim Spiritui sancto gemere est, eo quod nos ad gemendum incitet, sic suggerere dicitur, eo quod nos ad suggerendum instruat, id est ea quæ desunt nobis in virtutibus supplicando postulare faciat. Et quia suggerere aliquando subministrare est, Patri et Filio Spiritus sanctus coæternus et consubstantialis suggerere dicitur, eo quod nobis divinam scientiam occulta inspiratione ministret, non de deorsum, sed de sursum. Unde per Apostolum dicitur: « Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis (*Rom.* v). » Postquam Dominus Spiritum paracletum se discipulis promisit daturum, protinus pacem commendavit, dicens:

« Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. » Ostendens quia illi ejus Spiritum accipere merentur et templum Spiritus sancti fieri, qui pacem inviolatam et concordiam cum fratribus servant, juxta illud propheticum: « Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos (*Isa.* LXVI). » Unde Joannes in sua Apocalypsi (*sic*) dicit: « Inhabitabo in illis et inambulabo (*II Cor.* VI). » Pax autem vera est, quæ nullo furore accenditur, nulla persecutione perturbatur, sed inter adversa hujus sæculi inconcussus stat animus Christianus: quoniam sicut per Prophetam dicitur. « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum (*Psal.* CXVIII). » Hanc pacem quasi speciale munus Dominus discipulis commendabat, quando dicebat: « Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos (*I Marc.* IX). » Et item: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* v.) » Quam se noverat habere qui dicebat: « Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus (*Psal.* XIX). » Cujus virtutem et dignitatem quidam sapiens breviter comprehendit, dicens:

Pax animam nutrit, retinet concordia pacem.
Pax reprimit lites concordes nectit et item.
Lis pacem metuit, refugit discordia pacem.
Odia pax pellit, castum pax nutrit amorem.

Hujus virtutis suavitatem nec nunc impii possidere possunt, cum inter se concordare videntur, sicut Scriptura dicit: « Non est pax impiis (*Isa.* XLVI), » dicit Dominus Deus. Pulchre ergo ait: « Pacem relinquo vobis pacem meam do vobis. » Ac si diceret: Do præsentibus, relinquo futuris. Sive inchoantibus relinquo, perseverantibus do. Et quia perfectior erit pax in futuro quam in præsenti, bene cum additamento dixit: « Pacem meam do vobis. » Ibi enim non solum exterius, sed nec interius conflictum cum vitiis habebimus, ubi summa est pax de visione conditoris.

« Non quomodo mundus dat, ego do vobis. » Multum A distat inter pacem mundi et pacem Dei. Dat autem mundus suis amatoribus pacem, quando concordant adulteri cum adulteris, ebriosi cum ebriosis, rapaces cum rapacibus, homicidæ cum homicidis. Sed hæc pax ad perpetuam discordiam ducit, et in præsenti frequenter jurgiis immutatur, et aliquando morte interveniente finitur. Pax autem quam Dominus dat, et in præsenti amore fraternitatis tranquillum reddit animum Christianum, et in futuro ad societatem perpetuæ pacis perducit. Igitur in pace Dei non propter amorem terrenum, sed propter pacem charitatis invicem amorem habent, ut qui unum patrem habent in cœlis, sint in una compage charitatis conjuncti in terris, sicut de primitiva Ecclesia dicitur: « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV). » Horum ergo pax nec jurgiis B immutatur, nec discordiis rumpitur, nec morte interveniente finitur, sed potius confirmatur: ut quibus unum est desiderium in terris, sit unum præmium in cœlis, et quia discipulis Dominus pacem commendaverat, sciens eis tribulationes et angustias esse venturas, ne inter pressuras sæculi pacem amitterent, verbum exhortationis posuit, dicens: « Non « turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis « quia ego dixi vobis: vado et venio ad vos. » Unde cum alibi eos ad passionem hortaretur, ait: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X). » Et item: « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum (*Luc.* XII), » sciebat enim quia quo amplius pro ejus nomine tribulationes et angustias sustinerent, eo magis gloria eorum cresceret. Quia sicut: C « Vasa figuli probat fornax; ita homines justos tentatio tribulationis (*Eccli.* XXVII). » In multis locis Evangelii legimus, quod cum Dominus se a discipulis corporaliter recessurum diceret, non sine gravi dolore audire poterant. Unde cum alibi dixisset: « Vado ad eum qui me misit (*Joan.* VII), » continuo adjunxit: « Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum (*Joan.* VI). » Inde turbari et formidari poterant, quod quem totis visceribus diligebant a se recessurum audiebant. Sed hunc eorum dolorem benigne pius magister consolatur, cum dicit: « Non turbetur cor vestrum neque formidet » pro eo quod dixi: « vado et venio ad vos. » Si enim contristatur quis quia ego vado, lætificari debet quia venio, juxta D illud quod alibi dicit: « Non turbetur cor vestrum: Creditis in Deum, et in me credite (*Joan.* XIV). » Quia « si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis (*Ibid.*). » Et alibi: « Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos (*Ibid*). » Unde et subditur:

« Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad « Patrem vado, quia Pater major me est. » Nunquid non diligebant apostoli Dominum, pro quo etiam mori parati erant, dicentes: « Eamus et nos, et moriamur cum illo (*Joan.* XVI)? » Quid est ergo quod ait: « Si diligeretis me, gauderetis utique? » Ad quod dicendum quia non negat se a discipulis diligi,

sed eorum fragilitati condescendens, illorum mentes humanas ad amorem divinum præparat. Nimirum aliud erat quod in eo principaliter, diligebant, et aliud quod minus perfecte. Diligebant enim in eo formam humanitatis principaliter, quam videbant, sed minus perfecte formam divinitatis, quam non videbant. Ac si diceret Dominus: Si in me formam divinitatis principaliter quæ amanda est, diligeretis, « gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me est, » Quam sententiam male Arius interpretatur, qui ausus est dicere Filium Dei in divinitate minorem esse Patre, non intelligens, infelix, quia in uno mediatore Dei et hominum, altera est natura divinitatis, et altera humanitatis. In natura quoque divinitatis non a Deo factus, sed ex Deo creditur natus, Deus de Deo, lumen de lumine, coæternus et consubstantialis Patri, sicut ipse dicit: « Ego et Pater unum sumus (*Joan*, x). » In natura humanitatis, qua minoratus est paulo minus ab angelis, minor esse creditur Patre, per quam loquitur: « Quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. »

« Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum « fuerit credatis. » Non solum ad hoc ea quæ ventura sibi erant Dominus prædicere voluit, ut se Deum ostenderet, qui ventura nosse posset, sed ut hoc indicio animos discipulorum ad credendum provocaret, scilicet ut tanto firmius ea crederent, quanto non aliter, quam ab eo prædicta noverant, impleri cernerent, sicut alibi ait: « Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis (*Joan*. xvi). » Unde Lazarum resuscitaturus, cum eum mortuum prædixisset, ait: « Gaudeo propter vos, ut credatis quia non eram ibi (*Joan* xi). » Quod autem subjunxit:

« Jam non multa loquar vobiscum, » de corporali locutione dicit. Nam in articulo passionis discipulis hæc loquens, pauca corporaliter erat eis locuturus. Spiritaliter autem quotidie loquitur, quoties sanctum Evangelium legitur, vel auctoritas sanctæ Scripturæ ad memoriam revocatur: « Venit enim princeps « mundi hujus, et in me non habet quidquam. » Si principem mundi hoc loco Pilatum accipimus, manifestum est quia in eo non invenit quidquam, sicut ipse summis principibus sacerdotum respondit: « Quid enim mali fecit iste (*Matth*. xxvii)? » Ego « nullam causam invenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis; sed neque Herodes, nam remisi illum ad vos, et nihil dignum morte actum est ei (*Luc*. xxiii). » Sed nos melius principem mundi diabolum intelligimus, qui quondam principatum et tyrannidem in eorum mentibus sibi vindicat, qui potius mundum quam Deum diligunt. Contra hunc principem miles castrorum Dei certamen inierat, qui dicebat: « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem (*Ephes*. vi). » Et item: « Ego autem non pugno quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprodus efficiar (*I Cor*. ix). » Iste ergo princeps mundi ad Dominum venit, quando eum quasi hominem mori conspiciens, ejus animam sicut cæteras, quas per originale peccatum tenebat, se rapere posse æstimavit. Sed in eo non reperit quidquam, quia, sicut ait Petrus Apostolus: « Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr*. ii): » Inde ergo potestatem, quam in cæteria retinebat, amisit, quo gladium suæ percussionis contra eum in quo nihil invenit, exacuit, quia sicut ait Apostolus: « Si cognovissent. nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor*. ii). » De quo alibi a Domino dicitur: « Nunc hora est ut princeps mundi ejiciatur foras (*Joan*. xii). » Et item: « Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cœlo (*Luc*. x). » Unde et sequitur:

« Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, « et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: « surgite, eamus hinc. » In quibus verbis ostendit, non necessitate, sed voluntate se esse passum. Non enim cujuscunque peccati vinculo constrictus erat, ut necessitate pateretur, sed sola dilectione pro nobis spontanee passionem sustinuit, ut et Patris obedientism impleret, et nos a mortis interitu liberaret. Quod ergo ait: « Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem. » tale est ac si diceret: In hoc ostendo me Patrem diligere, quia pro ejus nomine tribulationes et angustias sustinere non differo. Sive certe in hoc me ostendo Patrem diligere, qni cum possim mortem vitare, pro ejus amore mortem subire non differo, quoniam non veni voluntatem meam facere. Imitemur et nos pro modulo nostro caput nostrum, ut qui sine peccato esse non possumus, pro justitia persecutiones pati non timeamus, quia, sicut ait Petrus apostolus: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr*. ii); » et impleatur in nobis, quod Dominus ait in Evangelio: « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth*. v). » Hinc et apostolus Petrus nos admonet alibi, dicens: « Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut adulter. Si autem ut Christianus, non erubescat, sed glorificet Deum in isto nomine (*I Petr*. iv). »

HOMILIA CI.

FERIA SECUNDA PENTECOSTES.

(Joan, iii.) « In illo tempore dixit Jesus discipulis « suis: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum « unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipso non « pereat, sed habeat vitam. » Et reliqua. Unde notandum quod eadem de Filio Dei unigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato promiserat, dicens: « Ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Quia profecto idem redemptor et conditor noster, Filius Dei ante sæcula existens, filius hominis factus est in fine sæculorum, ut qui nos per divinitatis suæ potentiam creaverat. ad perstruendam vitæ beatitudinem parennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret, ad recipiendam quam perdidimus vitam. Sequitur:

« Non enim misit Deus Eilium suum in mundum « ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per « ipsum. » Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum, sed interimitur, qui præcepta medici servare non vult. Venit salvare mundum. Quare salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso? ex teipso judicaberis. Et quid dicam judicaberis? Videte qui ait:

« Qui credit in eum non judicatur. Qui autem non « credit. » Quid dicturum sperabas, nisi judicetur? « Jam, inquit, judicatus est. » Nondum apparuit judicium, sed jam factum est judicium. Novit Dominus qui sunt ejus, novit qui permaneant ad coronam, et qui permaneant ad flammam; novit in area sua triticum suum, novit et paleam, novit et segetem, novit zizaniam. Jam dijudicatus est qui non credit. Quare B judicatus est? « Quia non credit in nomine unigeniti « Filii Dei. Hoc est autem judicium, quia lux venit in « mundum, et dilexerunt homines magis tenebras « quam lucem. Erant enim eorum mala opera. » Fratres mei, quorum opera bona invenit Dominus? Nullorum. Omnium enim opera mala invenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, et venerunt ad lucem? Hoc sequitur:

« Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. » Quomodo ergo quidam bonum opus fecerunt, ut venirent ad lucem, id est ad Christum? Et quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores invenit, et omnes a peccato sanat: et serpens ille, in quo figurata est mors Domini, eos sanat qui morsi fuerant (*Num.* XXI): et propter morsus serpen- C tis erectus est serpens, id est, mors Domini propter mortales homines, quos invenit injustos, quomodo intelligitur: « Hoc est judicium, quoniam lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera (*Joan.* III). » Quid est hoc? Quorum enim erant opera bona? Nonne venisti ut justifices impios? Sed « dilexerunt, inquit, magis tenebras quam lucem. » Ibi posuit vim, multi enim dilexerunt peccata sua, multi confessi sunt peccata sua: quia qui confitetur peccata sua et accusat peccata sua, jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua, et tu cum accuses, conjungeris Deo. Quasi duæ res sunt, et homo et peccator. Quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus D salvet quod fecit. Oportet ut oderis opus tuum in te, et ames in te opus Dei. Cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium bonorum operum tuorum confessio est operum malorum. Facis veritatem, et venis ad lucem. Quid est facere veritatem? Non te palpes, non tibi blandiaris, non tibi aduleris, non dicas: justus sum, cum sis iniquus, et incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, ut manifestentur opera tua, quia in Deo sunt facta. Quia et hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, et

A ejus veritas tibi ostenderet. Sed qui etiam admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem, et fugit eam, ut non arguantur opera ejus mala, quæ diligit. Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua, non sibi parcit, non sibi ignoscit, ut Deus ignoscat, quia quod vult ut Deus ignoscat, ipse agnoscit, et venit ad lucem: cui gratias agit, quod illi quod in se odisset ostenderit, et dicit Deo: « Domine, averte faciem tuam a peccatis meis (*Psal.* L). » Et quia frustra dicit, nisi iterum dicat: « Quoniam facinus meum ego agnosco, et peccatum meum contra me est semper (*Ibid.*), » sit ante te, quod non vis esse ante Deum. Si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet tibi Deus illud ante oculos tuos: et tunc retorquet, quando jam pœnitentiæ fructus nullus erit.

HOMILIA CII.

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

(JOAN. X.) « In illo tempore dixit Jesus discipulis « suis: Amen, amen dico vobis, qui non intrat per « ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille « fur est et latro. » Et reliqua. Propter Pharisæorum qui se videre jactabant, cum cæci erant, venenatam et superbam et insanabilem arrogantiam Dominus Jesus ista contexuit, quæ in hac parabola leguntur, quam ipse illis non intelligentibus exponere dignatus est, in qua nos salubriter si advertamus, admonuit, non gloriari in sapientia humana, non in morum dignitate, sed in humilitate fidei catholicæ, quæ in Christum non desit. Multi enim sunt pagani, qui secundum quandam vitæ hujus consuetudinem dicuntur boni homines, innocentes et quasi observantes ea quæ in lege præcepta sunt, deferentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum adversus quemquam testimonium perhibentes, non concupiscentes domum proximi sui, non desiderantes aut uxorem aut servum aut ancillam proximi, et cætera talia quæ in lege mandata sunt, velut observant Christiani, et Christiani non sunt, et plerumque se jactant, quomodo isti Pharisæi, dicentes: « Nunquid et nos cæci sumus (*Joan.* IX)? » Sed hæc omnia inaniter faciunt, quia non intrant per ostium, sed aliunde tumidi fastu, quasi per seipsos ascendere quærunt. Quapropter Dominus similitudinem proposuit de grege suo, et de ostio quo ingrediatur ad ovile. Quid enim prodest vana jactantium de bene vivendo inflatio, dum ad finem perpetualiter bene vivendi vita eorum non perveniat? Ad hoc enim debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper bene vivere. Nam si cui non datur semper bene vivere, quid prodest ei bene vivere ad tempus? Igitur nec bene vivere dicendi sunt, qui finem vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera vel certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam quæ est Christus, et per januam intret in ovile. Sunt enim quidam homines qui in suis gloriantur moribus, et alios post se trahere quæ-

runt, non de Christi præceptis instruentes suos sectatores, sed suis exemplis vivere eos suadentes. De quibus alio loco ipsa Veritas ait : « Docentes doctrinas hominum, et mandata Dei contemnentes (*Marc.* VII). » Hi per aliam partem ascendere quærunt, rapere et occidere, non ut pastor salvare atque conservare. De talibus hic dictum est : « Sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. » Non solum vero tales inveniuntur doctores inter eos qui sine nomine Christi sunt, sicut multi philosophorum, qui suam sapientiam buccis crepantibus ventilabant, et vitam beatam suis sectatoribus promiserunt : verum etiam plurimi qui Christiano nomine censebantur, et illuminatos a Christo se esse jactabant, fingentes sibi nova quæque nomina de Christo, et fidei catholicæ contraria, sicut innumerabiles hæretici faciebant, æstimantes se falso nomine per januam, quæ Christus est, intrare. Sabellius dicit: Qui Filius est, ipse est Pater ; sed Filius non est Pater. Non intrat per ostium qui Filium dicit Patrem. Arius dicit : Aliud est Pater, aliud Filius. Recte diceret, si diceret, alius, non aliud. Quando enim dicit aliud, ei contradicit a quo audit : «Ego et Pater unum sumus (*Joan.* XIX).» Nec ipse ergo intrat per ostium. Prædicat ergo Christum, qualem sibi fingit, non qualem veritas habet. Photinus dicit : Christus homo est tantum, non Deus. Nec ipse ergo intrat per ostium, quia Christus et homo et Deus est. Huic enim nova hæresis, quæ nostris temporibus orta est consentire videtur, affirmando et prædicando : Christus, sicut quilibet suorum, nuncupativus Deus est, et non verus. Quid opus est multa percurrere, et multa vana hæresis dinumerare ? Hoc tenete ovile Christi, Ecclesiam catholicam esse credite. Quicunque intrare velit in ovile, per ostium intret, id est per Christum: et Christum verum Deum, et vere Filium Dei prædicet. Non solum Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam. Nam multi quærendo gloriam suam, oves Christi sparserunt potius quam congregaverunt. Humilis est enim janua Christus Dominus noster. Qui intrat per hanc januam, oportet ut humiliet se, ut sano capite possit intrare. Hi sunt qui veri pastoris vocem audiunt. Hi sunt, quos proprias oves nominatim verus pastor vocat, de his dictum est : « Gaudete et exsultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Luc.* IX), » hinc enim eas « vocat nominatim (*Joan.* X). » Et quis alius emittit, nisi qui peccata dimittit, ut eum sequi duris liberati vinculis possint? Et quis eas præcessit, quo eum sequantur, nisi qui « resurgens a mortuis, jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI)? » Has vero educit a fide ad speciem, et ante istos vadit, quia prior omnium ascendit in cœlum : et quæ sunt oves suæ, illum sequuntur, quia sciunt vocem doctrinæ suæ. Alienos vero doctores non sequuntur, sed fugiunt ab eis, quia non noverunt vocem, id est doctrinam alienorum. Sed loquente Domino Jesu, non intellexerunt qui audierunt. « Incrassatum enim habuerunt cor, et graviter audierunt (*Matth.* XIII). » Nominat ostium, nominat ovile, nominat oves, commendat hæc, sed nondum exponit. Legamus ergo quia venturus est ad ea verba, in quibus non aliqua quæ dixit dignetur exponere, ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa, quæ non exposuit, intelligere. Pascit enim manifestis, exercet obscuris. Audiamus exponentem, quem audivimus proponentem. Dicit ergo eis Jesus :

« Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium « ovium. » Ecce ipsum ostium, quod clausum posuerat, aperuit. Ipse est ostium. Agnovimus, intremus, ut nos intrasse gaudeamus.

« Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latro- « nes. » Quid est hoc, Domine, « omnes quotquot venerunt ? » Quid enim ? tu non venisti? Sed intellige, omnes quotquot venerunt, dixit, utique præter me. Recolamus ergo. Ante adventum ipsius venerunt prophetæ, nunquid fuerunt fures et latrones? Absit. Non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus præcones mittebat, sed eorum corda quos miserat, possidebat. Cum illo ergo venerunt, quia cum Verbo Dei venerunt. « Ego sum, inquit, via, veritas et vita (*Joan.* XIV). » Si ipse est veritas, cum illo venerunt, quia veraces fuerunt, et veritatem prædicaverunt. Quotquot autem præter illum venerunt, « fures sunt et latrones. » Per se venerunt, quia per eum missi non fuerunt, dicente Apostolo : « Quomodo prædicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* X). Et quia per se venerunt, et non sunt ab eo missi, « fures sunt et latrones. » Nam ante adventum Christi falsi fuerunt in populo Dei prophetæ et falsi doctores, sicut post adventum illius sub nomine Christiano quamplurimi falsi fuerunt doctores ; nec doctores, sed seductores ; non prædicatores, sed prædatores ; latrocinia exercentes, non sanæ doctrinæ inhærentes, de quibus dictum est : « Fures sunt et latrones, » id est, ad furandum et occidendum venerunt. « Sed non audierunt eos « oves, » illæ quæ veræ sunt oves, non sub pelle ovina lupinum cor abscondentes. Igitur qui ante adventum Christi prædicaverunt, eodem spiritu prædicaverunt quo apostoli et sancti doctores, qui post adventum Christi veritatis viam mundo ostenderunt. Quotquot autem illo tempore crediderunt vel Abrahæ, vel Isaac, vel Jacob, vel Moysi, vel aliis patriarchis et prophetis Christum prænuntiantibus, oves erant, et Christum audierunt : non alienam vocem, sed ipsius Christi audierunt. Nam judex clamat in præcone, dum præco judicem annuntiat venturum. Alii sunt ergo quos non audierunt oves, in quibus non erat vox Christi, errantes, false dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes, sicut pseudoprophetæ, sicut Scribæ et Pharisæi temporibus ipsius Domini. Hi sunt qui venerunt per se, et non sunt a judice missi. His vero cum doctrinis suis procul expulsis, videamus quo nos pastor bonus vocat. Dicit enim :

« Ego sum ostium ovium. Per me si quis introie- « rit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et

« pascua inveniet. » Et hoc evidenter ostendit non, solum pastorem, sed etiam oves intrare per ostium. Sed quid est, « Ingredietur et egredietur, et pascua inveniet ? » Ingredi quippe in Ecclesiam Christi per ostium, valde bonum est; exire autem de Ecclesia, sicut ait ipse Joannes evangelista in epistola sua : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis (*I Joan.* II), » non est utique bonum. Talis ergo egressus non potest a bono pastore laudari, ut diceret : « Et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet. » Est ergo aliquis non solum ingressus, verum etiam egressus bonus per ostium bonum, quod est Christus. Sed quis est ille laudabilis et beatus egressus ? Possum quidem dicere ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus : egredi autem, quando exterius operamur. Ex quo patet, sicut dicit Apostolus : « Per fidem habitat Christus in cordibus nostris (*Ephes.* III), » ingredi per Christum esse, secundum ipsam fidem etiam foris, id est, coram hominibus, operari. Unde et in psalmo dicitur : « Exiet homo ad opus suum (*Psal.* CIII). » Et ipse Dominus dicit : « Luceant opera vestra coram hominibus (*Matth.* V). » Sed plus me delectat quod ipsa veritas tanquam pastor bonus, et ideo doctor bonus quodammodo nos admonuit, quemadmodum intelligere debeamus quod ait · « Ingredietur et egredietur, et pascua inveniet, » cum secutus adjunxit :

« Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et per« dat. Ego veni ut vitam habeant et abundantius « habeant. » Videtur enim dixisse, ut vitam habeant ingredientes, et abundantius habeant egredientes. Non autem potest quisquam per ostium, id est, per Christum egredi ad æternam vitam, quæ erit in specie, nisi per ipsum ostium, hoc est, per eumdem Christum in Ecclesiam ejus, quod est ovile ejus, intraverit ad vitam temporalem, quæ est in fide. Ideo ait : « Ego veni ut vitam habeant, » hoc est, fidem quæ per dilectionem operatur, per quam fidem in ovile ingrediuntur ut vivant, « quia justus ex fide vivit (*Gal.* V). » — « Et abundantius habeant, » quia perseverando usque in finem per illud ostium, id est per fidem Christi egrediuntur, quoniam viri fideles moriuntur et abundantius habebunt vitam veniendo quo pastor ille præcessit, ubi nunquam deinde moriantur. Quamvis ergo et hic in ipso ovili non desint pascua, quoniam ad utrumque possumus intelligere quod dictum est : « Et pascua inveniet, » id est, ad ingressum et ad egressum, tamen tunc vera pascua invenient, ubi saturentur « qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V) : » qualia pascua invenit, cui dictum est : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII). »

HOMILIA CIII.

FERIA QUARTA PENTECOSTES.

(ACT. II.) « In diebus illis : Stans Petrus cum un« decim, elevavit vocem suam, et locutus est eis : « Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, « hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba « mea. » Et reliqua. Post adventum Spiritus sancti in apostolos, quem adhuc præsenti festivitate celebramus, Judæi audientes apostolos plenos Spiritu sancto, omnium genera linguarum loquentes, stupebant valde et admirabantur. Alii autem deridentes, dicebant, quia musto repleti sunt. Ignorantes tamen vera dicebant quia musto spiritalis gratiæ erant repleti. Jam enim « vinum novum in utres novos (*Matth.* IX) » venerat, cum apostoli « non in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus (*Rom.* VII), » Dei magnalia resonarent. « Tunc stans Petrus cum unde« cim, » ut in præsenti lectione audistis, « elevavit vocem suam et dixit : Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos existimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia. » Spiritus sanctus gloriam individuæ Trinitatis mundo prædicaturus, tertia convenienter hora descendit super apostolos, qui erant in oratione perseverantes. Recte autem Spiritum sanctum orationis hora percipiunt, ut ostendatur legentibus, qui Spiritus sancti gratia non facile percipitur, nisi mens a carnalibus suspensa, ad superna semper meditanda elevetur.

« Sed hoc est quod dictum est per prophetam : « Effundam de spiritu meo super omnem carnem. » In verbo effusionis ostendit muneris largitatem, et non ut olim prophetis et sacerdotibus tantum datus Spiritus sanctus, sed credentibus omnibus passim in utroque sexu conditionibus et personis eadem esset gratia concessa. « Et dabo prodigia in cœlo sursum, « et signa in terra deorsum. » Prodigia in cœlo, Domino nascente, novum sidus apparuit, illo crucem ascendente, sol obscuratus est, sed et ipsum cœlum tenebris est obductum. Signa in terra, quæ Domino spiritum emittente contremuit, monumenta aperuit, saxa scidit, et multa quæ dormierant sanctorum corpora rediviva protulit. « Sanguinem et ignem et « vaporem fumi. » Sanguinem de latere suo emanantem dedit, quo totius mundi salus processit, et maledictio deleta, et tota terra est sanctificata. Ignem autem, id est, Spiritum sanctum dedit, qui exurit omnia vitia et peccata in homine. Vaporem, id est, gratiam compunctionis et fletuum. Potest etiam in igne fidelium illuminatio ; in vapore fumi Judæorum, qui non crediderunt, cæcitas intelligi.

« Et erit : omnis qui invocaverit nomen Domini, « salvus erit. » Hoc est quod Petrus alibi ait (*Act.* X.): « Quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi. » Quæ cum ita sint, perspice, o homo, quantum valeas, et perpende quid debeas, ut tandem vilis esse tibi desinas, ut vel per hoc erubescendis subjacere vitiis dedigneris, dum generositatem tuam de Creatoris ac Reparatoris dignitate imiteris. Habet causas quibus se ipse confundat. Cur dignis Dominus ficto corde subdatur, cui gloria promittitur æterna? Ac si gemino privilegio divinæ imaginis participatione videbaris honoratus, efficeris etiam commercii nobilitate pretiosus. Unde ergo tam fortis esse possis

contra hostem tuum, interroga statum tuum, quam A tibi Dominus ad debellandum in membris tuis mundi principem ac spiritales nequitias superandas, liberam contulerit facultatem. Ac si impossibile non putes te transferri ut cœlestia obtineas, si aerias deviceris potestates. Non ergo te degenerem ac despectum faciat vita, quem vel factura probatur illustrem protulisse, vel gratia : sed cursum suum fideles Christi ad superna fiducialiter attollant. Nam qui se cœlesti pretio vident redemptos, ad cœlestia non dubitent præparatos, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CIV.

FERIA QUARTA PENTECOSTES.

(JOAN. VI.) « In illo tempore, dixit Jesus turbis « Judæorum : Nemo potest venire ad me, nisi Pater « qui misit me, traxerit eum. » Et reliqua. Quid est, nemo potest venire ad me, nisi quia nemo potest credere in me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum? Ille venit, quem gratia Dei prævenit, cui cum Propheta dicamus : « Misericordia ejus præveniet me (*Psal.* LVIII). » Et iterum : « Misericordia ejus subsequetur me (*Psal.* XXII). » Præveniet velle, subsequetur perficere. Trahit autem Pater ad Filium eos qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum. Deus enim Pater æqualem sibi genuit Filium, et qui cogitat atque in fide sua sentit et ruminat æqualem esse Patri eum in quem C credidit, ipsum trahit Pater ad Filium. Qui enim Christo dicit, non est Deus verus, non trahit eum Pater, sed sua perversa cogitatio trahit eum veritati non consentire. Ille tractus est a Patre, qui ait : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI) ; » cui Dominus, inquit : « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est (*Ibid.*) » Ipsa revelatio, ipsa est attractio. Dum enim dixit : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, » continuo subjunxit : « Et ego resuscitabo eum in novissimo « die. » Reddit quod sperat, videbit quod adhuc non videndo credidit, manducabit quod esuriit, satiabitur eo quod sitit. Ubi? In resurrectione mortuorum, quia « Ego resuscitabo eum in novissimo die. »

« Est scriptum in prophetis (*Jer* XXXI). Et erunt « omnes docibiles Dei. » Quare hoc dixit, o Judæi? Pater vos non docuit quomodo potestis me cognoscere? Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient. Et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus revelatur. Homines foris verbum sonare possunt, sed in vanum laborant, nisi intus Deus docens aperit sensus. Ille est Deo docibilis, quem Deus intus veritatis instruit agnitione et amore. « Omnis qui audivit a Patre et didicit venit ad me. » Quomodo trahit Pater docendo et delectat, non necessitatem ponendo? Quia nemo necessitate credidit, sed voluntate. Filius dicebat, Pater docebat. Homo qui videbatur, loquebatur, sed Deus in corde audientis interius docebat. Ideo subjungit :

« Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est « a Deo, hic videt Patrem. » Ego sum a Patre, et ideo Patrem video. Quid est autem trahi a Patre nisi discere a Patre? Quid est discere a Patre, nisi audire Patrem, nisi audire verbum Patris, id est me? Ne forte ergo cum dico vobis : « Omnis qui audivit a Patre et didicit, » dicatis apud vos : Sed nunquam vidimus Patrem, quomodo autem discere potuimus a Patre? a meipso audite. « Non quia Patrem vidit quisquam, sed qui est a Deo, hic vidit Patrem. » Ego novi Patrem, ab illo sum : sed quomodo Ver- B bum ab illo cujus est verbum, non quod sonat et transit, sed quod manet cum dicente, et trahit audientem.

« Amen, amen dico vobis : qui credit in me, habet « vitam æternam. » Revelare se voluit Dominus quid esset. Nam compendio dicere potuit : Qui credit in me, habet me. Ipse enim Christus verus Deus et vita æterna. Qui ergo credit in me venit ad me : et qui venit ad me habet me. Quid est autem habere me? Habere vitam æternam. Mortem assumpsit vita æterna, mori voluit, sed de tuo, o homo, non de suo. Accipit a te, ut moreretur pro te. Assumpsit ergo vita mortem, ut vita occideret mortem. Nam qui credit, inquit, habet vitam æternam, non quod patet, sed quod latet. Vita enim æterna est Verbum quod in principio erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et vita erat lux hominum (*Joan.* I). Mori venit, sed tertia die resurrexit.

« Ego sum, » inquit, « panis vitæ. » Et unde superbiebant? « Patres vestri, inquit, manducaverunt « manna in deserto, et mortui sunt. » Quare manducaverunt, et mortui sunt? Quia quod videbant credebant : quod non videbant non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum, murmuratores patres murmuratorum filiorum. Manducaverunt Moyses et Aaron, et cæteri sancti qui fuerunt in populo, manna manducaverunt, et non mortui sunt, quia spiritaliter visibilem cibum intellexerunt, spiritaliter esurientes. Alii manducaverunt et permanserunt in infidelitate, sicut Judæi audierunt loquentem Christum, sed non spiritaliter verba ejus D intellexerunt; ideo dixit eis : « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. » Qua morte, nisi infidelitatis? Nam in communi morte mortui sunt, et sancti qui fuerunt inter eos. Ideo signavit Dominus his verbis mortem spiritalem, non carnalem. Patres ergo istorum, id est, mali patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores patres murmuratorum. Nam de nulla re magis Deum offendisse ille populus dictus est, quam contra Deum murmurando. Ideo Dominus volens ostendere talium filios, hinc ad eos cœpit : Quid murmuratis invicem, murmuratores filii murmuratorum, « Patres vestri manducaverunt in deserto manna, et

mortui sunt. » Non quia malum erat, sed quia male manducaverunt.

« Hic est panis qui de cœlo descendit. » Hunc panem signavit manna, hunc panem signavit altare Dei. Sacramenta hæc sunt, et illa fuerunt : in signis diversa sunt, in re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi : « Nolo autem vos, » inquit, « ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt (*I Cor.* x). » Spiritalem utique, non corporalem escam : quia illi manna, nos alium spiritalem : sed patres nostri, non patres illorum, quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. « Hic est ergo panis de cœlo descendens. » « Ut si quis ex ipso manducaverit, non « moriatur. » Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum : qui manducat intus, non foris : qui manducat in corde, non qui premit dente.

« Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. » Ideo vivus, quia de cœlo descendi. De cœlo descendit et manna ; sed manna umbra erat, iste veritas est.

« Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in « æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est « pro mundi vita. » Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem ? Vocatur caro, quod non capit caro. Et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc assimulatum esse dixerunt, hoc non fieri putaverunt. « Caro mea est, inquit, pro mundi vita. » Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligunt. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi. De spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Quisquis vivere vult, credat in Christum, manducet spiritaliter spiritalem cibum, incorporetur corpori Christi, et non sit putridum membrum quod resecari mereatur, sit pulchrum, sit sanum, sit aptum capiti suo.

HOMILIA CV.

FERIA QUINTA PENTECOSTES.

(Luc. ix.) « In illo tempore : Convocatis Jesus duo-« decim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem « super omnia, et ut languores curarent. » Et reliqua. Concessa potestate primo signorum, misit eos prædicare regnum Dei, ut promissorum magnitudinem attestaretur etiam magnitudo factorum, fidemque verbis daret virtus ostensa : et nova facerent, qui nova prædicarent. Unde nunc quoque cum fidelium numerositas excrevit intra sanctam Ecclesiam, multi sunt qui vitam virtutum tenent, et signa virtutum non habent. Quia frustra miraculum foras ostenditur, si deest quod intus operetur. Nam juxta Magistri gentium vocem : « Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* xiv). »

« Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque vir-« gam, neque peram, neque panem, neque pecu-« niam, neque duas tunicas habeatis. » Solet quæri

A quomodo Matthæus et Lucas commemoraverint dixisse Dominum discipulis ut nec virgam ferrent, cum dicat Marcus : « Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum (*Marc.* vi) ? » Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, et sub alia illam, quæ secundum Matthæum et Lucam non est ferenda, sicut sub alia significatione intelligitur tentatio de qua dictum est. « Deus neminem tentat (*Jac.* i) : » et sub alia de qua dictum est : « Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum (*Deut.* xv). » Illa, seductionis est : hæc, probationis. Utrumque ergo accipiendum est a Domino apostolis dictum : et, ut nec virgam ferrent : et, ut non nisi virgam ferrent. Cum enim secundum

B Matthæum diceret eis (*Matth.* x) : « Nolite possidere aurum et argentum, » etc., continuo subjecit : « Dignus est enim operarius cibo suo. » Unde satis ostendit cur eos hæc possidere ac ferre noluerit, non quod necessaria non sunt sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi monstraret ab illis, quibus Evangelium credentibus annuntiarent. Claret autem hoc non ita præcepisse Dominum, tanquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annuntiant Evangelium : alioquin contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam gravis esset (*II Cor.* xii), sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. Cum autem a Domino aliquid impetratur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est : cum autem potestas

C datur, licet cuique non uti, et tanquam de suo jure recedere. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Illa apostolis loquebatur, ut securi non possiderent, neque portarent hujus vitæ necessaria nec magna nec minima. Ideo posuit, nec virgam, ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus, ac per hoc, addendo : « Dignus est enim operarius cibo suo, » prorsus aperuit et illustravit, unde hæc omnia loqueretur. Hanc enim potestatem virgæ nomine significavit, cum dicit : « Ne quid tollerent in via nisi virgam tantum, » ut intelligatur, quia per potestatem a Domino acceptam, quam virgæ nomine significavit, etiam quæ non portantur non deerunt.

D Hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ut ne quisquam eorum præter eam qua esset indutus, aliam portandam putaret, sollicitus ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. Quod vero secundum Marcum non portari vel haberi duas tunicas, sed expressius indui prohibet, dicens : « Et ne induerentur duabus tunicis, » quid eos monet, nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare ? Aliter : In duabus tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum, non quod in locis Scythiæ et glaciali nive rigentibus, una quis tunica debeat esse contentus, sed quo in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore servemus.

« Et in quamcunque domum intraveritis, ibi ma« nete, et inde ne exeatis. » Dat constantiæ generale mandatum, ut hospitalis necessitudinis jura custodiant. Alienum namque a prædicatore regni cœlestis astruit, cursitare per domos, et inviolabilis hospitii jura mutare. Nec otiose secundum Matthæum domus, quam ingrediantur apostoli, eligenda decernitur, ut mutandi hospitii necessitudinisque violandæ causa non superet.

« Et quicunque non receperint vos, exeuntes de « civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum « excutite in testimonium supra illos. » Pulvis excutitur de pedibus in testimonium laboris sui, quod ingressi sunt in civitatem, et prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excutitur pulvis, ut nihil ab eis accipiant, nec ad victum quidem necessarium, qui Evangelium spreverint. Allegorice autem qui verbo humiliter intendunt, si quibus (ut homines) terrenæ levitatis nævi obscurantur, per ea mox quæ recipiunt evangelicæ prædicationis vestigia, purgantur; qui vero perfidia vel negligentia vel etiam studio contemnnnt, horum vitanda communio, fugienda synagoga censetur. Excutiendus pedum pulvis, ne gestis inanibus et pulveri comparandis mentis castæ vestigium polluatur.

« Egressi autem circuibuit per castella, evange« lizantes et curantes ubique. » Quid evangelizarent, vel quomodo curarent apostoli, Marcus exponit plenius. » Prædicabant (inquit) ut pœnitentiam agerent, et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabantur. (*Marc.* VI.) » Dicit et Jacobus : « Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super ipsum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, et si in peccatis sit, dimittentur ei (*Jac.* V). » Unde patet ab ipsis apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut pontificali benedictione consecrato oleo, perungatur ægrotus. « Prædicabant autem ut pœnitentiam agerent, » etc. » Misit illos (inquit) evangelizare regnum Dei » quia videlicet utrumque juxta Joannis Baptistæ, vel ipsius Salvatoris exemplum prædicabant : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Regnum enim cœlorum januis propinquare, est de his quemque quibus ab eo dicesserat, pœnitere.

HOMILIA CVI.

FERIA SEXTA PENTECOSTES.

(MATTH. XII.) « In illo tempore dixit Jesus turbis : « Si ego in spiritu Dei ejicio dæmones, Filii vestri « in quo ejiciunt ? » Et reliqua. Ecce hic trinitas videtur Trinitas appellata, quod fiat totum unum. Nam dum tria sunt, unum sunt, quia et singula in se manent, et omnia in omnibus. Pater igitur et Filius et Spiritus sanctus, trinitas et unitas : idem enim unum, idem et tria : in natura unum, in personis tria. Unum, propter majestatis communionem : tria, propter personarum proprietatem. Quod autem dicit : « In spiritu Dei ejicio dæmones. » Ostendit quod Spiritus sancti cooperatione Pater et Filius operari credantur, Psalmista attestante, qui ait : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII). » Quia a Patre et Filio procedit, ideo Spiritus sanctus prædicatur Deus, et substantiam ejus habet. Neque enim aliud de Patre procedere potuit, quam quod ipse est Pater. Spiritus autem dictus secundum id quod ad aliquid refertur, spirans et inspirans, utique et ex eo appellatus spiritus est. Proprie autem quodammodo dicitur Spiritus sanctus, secundum quod refertur ad Patrem et Filium, quod eorum spiritus sit. Nam et hoc nomen quod spiritus dicitur, non secundum id quod refertur ad aliquid, sed secundum id quod aliquam naturam significat. Omnis enim incorporea natura spiritus in Scripturis sanctis appellatur. Spiritus autem principalis tamen in Psalmo quinquagesimo legitur, ubi quia tertio spiritus repetitur, nonnulli ergo intelligunt ibi trinitatem significari : in principali spiritu, Patrem : in spiritu recto, Filium : in spiritu sancto, Spiritum sanctum. « Ejicio dæmones. » Dæmones a Græcis dictos autem quasi δαίμονας, id est peritos ac rerum scios. Præsciunt autem futura multa, unde et solent responsa aliqua dare. Hi ante transgressionem quidem cœlestia corpora gerebant, lapsi vero, in aeriam qualitatem conversi sunt. Nec aeris illius priora spatia, sed ita caligionis a tenere permissi sunt, qui eis quasi carcer est, usque ad tempus judicii : postea vero igne inextinguibili sine fine cruciandi sunt. Hi sunt prævaricatores angeli, quorum princeps est diabolus. Ista ex parte subauditur discretio spirituum manifesta comprobatur, ad consolationem credentium redeundum est [a]. « Igitur pervenit in vos regnum « Dei. » Hoc est, si creditis me in spiritu Dei ejicere dæmones, id est æqualem me Patri in divinitate credideritis, regnum Dei vobis patet. Regnum Dei, scilicet illud sublime solium, de quo in Scriptura sacra canitur : « Pænitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Et item contra reprobos : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur illud genti facienti fructum ejus (*Matth.* XXII). » Et alibi ad discipulos : « Regnum Dei intra vos est (*Luc.* XVII), » id est Christus, qui est perfecta pars regni justorum.

« Aut quomodo potest quidam intrare in domum « fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit « fortem ? Et tunc domum illius diripiet. » Aliam similitudinem viri fortis inducit, sicut de regno et civitate prædixerat, id est : Quomodo dæmones ejicere potuissem, si principem eorum consentientem, non victum haberem ? Sive simpliciter accipitur, quod fortis diabolus qui a Christo in cruce alligatus est, cujus domus mundus in maligno positus. Vasa vero homines sunt infideles, quod Dominus ei subtraxit.

« Qui non est mecum, contra me est ; et qui non

[a] Hic vel deest aliquid, vel abundat.

« Congregat mecum, spargit. Ac si diceret : Non possunt opera Salvatoris Beelzebub operibus comparari, Ille cupit animas tenere captivas, hic liberat : ille prædicat idola, hic unius Dei notitiam : ille trahit ad vitia, hic ad virtutes : ille congregat ad unius Dei notitiam, hic spargit suadendo multa inutilia. Sive, « qui non est mecum, » hæreticus infidelis semper resistens fidei meæ. « Qui non congregat mecum, spargit. » Unitatem destruens, in multas dividit hæreses. Moraliter : Qui non est mecum, » id est qui non est in mandatis meis, et voluntati meæ resistit. « Qui non congregat mecum, » qui suos affectus in amorem Dei non colligit, in varia mundi desideria spargit.

« Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia « remittetur hominibus. » Ut est illud : Hic non ejicit dæmones, nisi in principe dæmoniorum. « Omne peccatum, quidquid in filinm hominis dictum fuerit, per pœnitentiam remittitur. » Spiritus autem blasphemiæ, « quo blasphematur illud, per quos salus fit, « non remittatur. » Quicunque dixerit peccatum supradictum contra filium hominis, hoc est, qui vilitate carnis meæ scandalizatur, dicens quod Filius sim fabri et Mariæ, etc., quamvis culpa non careat erroris, tamen habet veniam, propter carnis scilicet vilitatem.

« Qui dixerit contra Spiritum. » Qui manifeste intelligens opera Dei, cum de eis negare non possit, pro invidia Spiritus sancti dicit facta esse in Beelzebub. « Neque in hoc sæculo neque in futuro remit« tetur ei. » Ostendit aliqua esse peccata, quæ in judicio per ignem purgatorium remittuntur.

« Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bo« num. » Concludit eos syllogismo. Si inquit, diabolus bona opera facere non potest, si autem bona sunt quæ cernitis, subauditur scire debetis, ut non sit diabolus qui ea facit. Neque enim fieri potest ut ex malo bonum, aut ex homo oriatur malum. Arbor enim bona Christus est : arbor vero mala, diabolus est. Ac si dicat : O Pharisæi, ex me fructus bonus orietur, cum sanavero mundum. Ex vobis autem malus, cum me crucifigetis.

« Progenies viperarum, quomodo potestis loqui « bona, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis « os loquitur. » Quasi dixisset, non fructus bonæ arboris ex vobis prodeunt, sed folia, hoc est, verba solum, et non opera.

« Bonus homo de bono thesauro profert bona, et « malus homo de malo thesauro profert mala. » Hoc superiori jungendum est. Quomodo bonus homo non profert mala, nec malus bona : sic non potest Christus mala, nec diabolus facere bona. Et hoc in Christum et Judæos subauditur :

« Dico autem vobis. » Ac si diceret, verbum quod non ædificat audientes, non erit absque periculo loquentis : quanto magis vos qui opera Spiritus sancti calumniamini, dicentes opera Beelzebub? » Verbum « otiosum. » Otiosum verbum est quod sine utilitate loquentis et audientis dicitur, sive quod ratione et

A pietate caret, sive quod nec boni nec mali aliquid agit : « Reddet rationem, » id est animam suam.

« Ex verbis enim tuis justificaberis, aut ex verbis « tuis condemnaberis. » Id est, vel hic vel in futuro. Per oris ergo locutionem Dominus universa, quæ vel actu, vel facto, vel cogitatu, de corde proferimus, insinuat, quæ magis quam hominibus dicta, nuda et aperta sunt oculis ejus. Nam et moris est Scripturarum verba pro rebus ponere. Unde Paslmista : « Dic, » inquit, « animæ meæ: salus tua ego sum (*Psal.* XXXIV). » Et Ezechias : « Non fuit verbum, quod non ostenderem eis (*Isa.* LXV). » Qui utique rerum, et non verborum Chaldæis revelavit arcana. Item Apostolus « Et nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto (*I Cor.* XII), » pro eo ut diceret : Nemo Dominum Jesum intellectu cernit, nemo voluntate B amplectitur, nisi per gratiam Spiritus sancti.

HOMILIA CVII.

SABBATO POST PENTECOSTEN.

(LUC. IV.) « In illo tempore : Surgens Jesus de sy« nagoga, introivit in domum Symonis. Socrus autem « Simonis tenebatur magnis febribus. » Et reliqua. Cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem, et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris. Hoc factum Marcus et Lucas narrant, priusquam de leproso dicant. Sed nihil obstat narrandi diversitas, ubi eamdem res nuntiatur, maxime cum Lucas historiæ scribat narrationem, sicut in capite superius dictum est : » Surgens Jesus « de synagoga, introivit in domum Simonis. » Matthæus vero ordinem mysterii secutus sit. Synagoga C Græce, de qua Jesus surgere dicitur, Latine congregatio dicitur, quod proprium nomen Judæorum populus tenuit. Ipsorum enim proprie Synagoga dici solet, quamvis et Ecclesia dicta sit : nostram autem apostoli nunquam Synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam, sive discernendi causa, sive quod inter congregationem, unde synagoga, et convocationem unde Ecclesia nomen accepit, distat aliquid, quod scilicet congregari et pecora solent, quorum et greges proprie dicimus : convocari autem magis est utentium ratione, sicut homines sunt. « Introivit in domum Simonis. » Spiritualiter domus Simonis Petri Ecclesiam significat. Socrus, id est mater ejus uxoris, cujus pater socer dicitur. Socrus ipsius Petri D Synagogam significai, quam jacentem et febricitantem Jesus invenit, id est in littera legis et invidia manentem, quæ in fine credet, salvatis gentibus, ut est illud : « Cum introierit plenitudo gentium, tunc de Israel reliqui salvi fient (*Rom.* IX). »

« Tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum « pro ea. Et stans super illam, imperavit febri, et « dimisit eam. » Si virum a dæmonio (parumper superius ut textus Evangelii narrat) liberatum moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum significare dixerimus, consequenter femina febribus tenta, sed ad imperium Domini curata, carnem ostendit a concupiscentiæ suæ fervore, per continen-

tiæ præcepta frenatam. Omnis enim amaritudo, et ira, A et indignatio, et clamor, et blasphemia, spiritus immundi furor est. Fornicationem vero, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, febrem illecebrosæ carnis intellige. « Et stans super illam, imperavit febri, et dimisit eam. » Quæritur cur tertio loco socrus Petri sanatur ? Quia mulier in exordio mundi tertia erravit persona ; sive quod Synagoga ex tertio filio Noe, id est Sem, orta est, cujus figuram gerit. Sed Dominus Salvator noster, modo rogatus, modo ultro, curat ægrotos, ostendens contra peccatorum quoque passiones, et precibus semper annuere fidelium, et ea quæ ipsæ minime in se intelligunt, vel intelligenda dare, vel etiam non intellecta dimittere, juxta quod Psalmista postulat : « Delicta quis intel- B ligit ? Ab occultis meis munda me, Domine (*Psal.* XVIII). »

« Et continuo surgens, ministrabat illis. » Naturale est febricitantibus, incipiente sanitate, lassescere, et ægrotationis sentire molestiam. Verum sanitas, quæ Domini confertur imperio, simul tota redit. Non solum ipsa redit, sed et tanto robore comitante, ut eis continuo, qui se adjuverant, ministrare sufficiat, et juxta leges tropologiæ, membra quæ servierant immunditiæ ad iniquitatem, ut sacrificarent morti, serviant justitiæ in vitam æternam.

« Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant « infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Je- « sum. At ille, singulis manus imponens, curabat « eos. » Solis occubitus passionem mortemque si- C gnificat illius, qui dixit : « Quandiu in mundo sum, lux sum mundi (*Joan.* IX). » Et sole occidente, plures dæmoniaci quam ante, plures quoque sanantur ægroti. Quia qui temporaliter in carne vivens paucos Judæorum docuit, calcato regno mortis, omnibus per orbem gentibus fidei salutisque dona transmisit. Cujus ministris quasi viæ lucisque præconibus, Psalmista canit : « Iter facite ei qui ascendit super occasum (*Psal.* LXVII). » Super occasum quippe Dominus ascendit, quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit.

« Exibant autem dæmonia a multis, clamantia et « dicentia : quia tu es Filius Dei. Et increpans, non « sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Chri- « stum. » Dæmonia Filium Dei confitebantur, et at- D testante evangelista. « Sciebant ipsum esse Christum. » Quia quem dierum quadraginta jejunio fatigatum diabolus hominem cognoverat, nec tentando valebat, an Dei Filius esset experiri, jam nunc per signorum potentiam vel intellexit, vel potius suspicatus est esse Filium Dei. Non igitur ideo Judæis eum crucifigere persuasit, quia Christum, sive Dei Filium non esse putavit, sed quia morte se illius non prævidit esse damnandum. Vere enim de hoc mysterio a sæculis abscondito dicit Apostolus, quod nemo principum hujus sæculi cognovit. « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Quare autem dæmonia Dominus de se loqui prohibeat, Psalmista manifestat, qui ait : « Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas ? » etc. (*Psal.* XLIX.) Ne quis, dum prædicantem audit, sequatur errantem. Improbus autem magister est diabolus, qui falsa veris sæpe permiscet, ut specie veritatis testimonium fraudis obtexat. Alias autem non solum dæmones, qui inviti confitebantur, jubentur silere de Christo, sed et illi qui ab eo sanati sponte confiteri volebant, imo ipsi apostoli, qui eum post resurrectionem toto orbe erant prædicaturi, ante passionem ejus præcipiuntur omnino reticere de illo : ne divina videlicet majestate prædicata passionis dispensatio differretur, et dilata passione, salus mundi quæ per hanc futura erat, negaretur.

« Facta autem die egressus ibat in desertum lo- « cum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque « ad ipsum, et detinebant illum, ne discederet ab « eis. » Si occasu solis, Domini mors exprimitur salvatoris, quare non die redeunte resurrectio illius judicetur, qui manifesta luce a credentium turbis inquiritur, et in gentium deserto inventus, ne abeat detinetur, maxime cum hæc prima sabbati, quo resurrectio celebrata est, egressio, quæstio et inventio contigerit ?

« Quibus ille ait : Quia et aliis civitatibus oportet « me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus « sum. » Et ut Marcus ait (*Marc.* I) : Abiit in desertum gentium, ibique in suis fidelibus orabat, quia corda eorum per gratiam sui spiritus ad virtutem orationis excitabat.

HOMILIA CVIII.

IN OCTAVA PENTECOSTES.

(JOAN. III.) « In illo tempore : Erat homo ex Pha- « risæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. » Et reliqua. Sicut ignorantia unius aliquando multis obesse solet, sic unius interrogatio multis prodesse. Quod in hujus lectionis textu facillime comprobamus, si Nicodemi interrogationem, et Domini responsionem sollicite attendamus. Utiliter enim unus ignorat, quando ad unius interrogationem, non unus, sed multi, quid utile est discunt. Nam, ut supra evangelica lectio retulit, prædicante Domino Hierosolymis in die festo, multi Judæorum crediderunt in nomine ejus, videntes signa quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine. Ex eis ergo qui crediderant, unus erat iste Nicodemus : qui, quoniam rudimenta cœlestis doctrinæ aliquantulum perceperat, cupiens plenius instrui, ut secretius ejus allocutione perfrui posset, nocte ad eum venit. Nox autem, in qua venit, ipsam ignorantiam qua premebatur significat, quia enim illum nondum verum Deum esse credebat, sed quasi magistrum docendus adibat, congrue non in die, sed in nocte veniebat. Non enim de illis erat

qui ab Apostolo audire meruerunt : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Eph.* v), » sed potius in illorum numero esse comprobatur, quibus per prophetam dicitur : « Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum (*Isa.* LX). » Et per Apostolum : « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis (*Eph.* v). » Vel certe, quia princeps Judæorum erat, nocte ad Jesum venit, metuens sibi imminere aliquod periculum, non solum a Judæis, sed etiam a Romanis. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum palam confiteretur Christum, extra Synagogam fieret. Non solum quidem nocte in ipso statu temporis, sed etiam verbis suam ignorantiam pandit, cum ei dicit :

« Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. » A Deo igitur illum missum ad cœleste magisterium docendum ex visione miraculorum intelligebat, necdum tamen ipsum verum Deum credebat. Et ideo ait : « Rabbi, scimus quio a Deo venisti magister. » Rabbi autem et magister, unum idemque est. Sed Hebraice rabbi, Latine magister dicitur. Si enim perfecte eum verum Deum esse credidisset, magis Dominum quam magistrum appellasset. Sed dum magistrum appellavit, et Dominum tacuit, non se perfecte credere manifestavit : quoniam necdum erat perfusus illo, qui foras mittit timorem, sed potius de illis erat quibus dicitur : « Quæsierunt gloriam hominum magis quam Dei (*Joan.* XII). » Unde non incongrue figuram catechumenorum tenet, illorum scilicet qui in fide imbuuntur, baptismum percepturi. Et illi quidem requisiti se Deum esse credere confitentur, necdum tamen ejus occulta mysteria capiunt, nec sacramentum corporis et sanguinis ipsius intelligunt. Nos autem qui in fidei fundamento radicati sumus, essentialiter de illo credamus, quod Nicodemus quasi insipiens loquitur. Ipse enim est verus magister, a quo omnis sapientia procedit, et cum quo fuit semper et est ante ævum, sine cujus magisterio insipiens esse convincitur, etiam qui sibi sapiens esse videtur. Qui ait discipulis suis : « Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim (*Joan* XIII). » Et iterum : « Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim magister vester (*Matth.* XXIII). » Credamus autem illum a Deo venisse, juxta quod ipse in Evangelio loquitur, dicens : « Ego a meipso non veni, sed Pater meus misit me (*Joan.* VIII). » Et iterum : « Qui me misit, mecum est (*Ibid.*) » Et alibi : « Vado ad eum qui misit me (*Joan.* XVI). » Et rursus : « Exivi a Patre, et veni in mundum (*Ibid.*). » De cujus adventu Paulus scribit, dicens : « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, etc. (*Gal.* IV). » Quod vero subjunxit : « Nemo enim potest hæc signa facere, « quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. » Non solum autem illa quæ Dominus faciebat, sed nec parum aliquid boni sine illo fieri posse credamus, qui ait in Evangelio : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV). » Cæterum per ejus gratiam multis datum est esse possibile, quod sine illo omnino esset impossibile, sicut ipse ait : Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet (*Joan.* XIV). » Ex virtute autem miraculorum credit eum a Domino esse missum, vel aliquem magnum virum, sicut Moysen, aut Eliam, aut unum ex prophetis. Sed ipsam potestatem non se habere posse credidit, sed a Deo accipere. Et quia de salute sua sollicitus Nicodemus, ad magistrum veritatis interrogandum venerat, non solummodo secundæ nativitatis, sed etiam mysterium passionis et resurrectionis, atque in cœlum ascensionis audivit. Nam subditur :

« Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, « nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre « regnum Dei. » Omnis enim homo originalis peccati vinculo tenetur astrictus, antequam per undam baptismatis et gratiam sancti Spiritus sit ablutus, teste Psalmista, qui ait : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L). » Et sicut per beatnm Job dicitur : « Nemo mundus est a peccato, etiamsi unius diei vita ejus fuerit super teram (*Job.* IV, XXV). » Sed Nicodemus, qui nocte ad Dominum venerat, necdum mysterium secundæ nativitatis intelligens dixit ad Jesum :

« Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? « Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire et renasci ? » In quibus verbis non esse impossibile, quod audit, affirmat ; sed modum, quomodo fieri possit, interrogat. Sed quod ille de carnali nativitate dicit, nos de spiritu sentire debemus. Sicut enim homo in ventrem matris suæ iterum non potest introire et renasci, sic qui baptizatus est rebaptizandus non est. Sive enim ab hæretico, sive a quolibet facinoroso in nomine sanctæ Trinitatis baptizatus fuerit, iterum non est baptizandus, ne invocatio tanti nominis videatur annullari. Hoc autem sacramentum nec malus pejus, nec bonus melius implere potest. Quia qualiscunque sit minister exterior, Spiritus sanctus operator est interior. Unde post baptismum Ecclesia peccantibus pœnitentiam indicit, non autem baptismum iterat. Quo ordine spiritalis nativitas impleatur, Dominus manifestat, cum quærenti Nicodemo respondit, dicens :

« Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex « aqua et Spiritu sancto, non potest introire in « regnum Dei. » Et convenienter in ordine baptizandi utrumque posuit, aquam scilicet et Spiritum sanctum. Quia aqua corpus laxat, sed Spiritus sanctus mentem renovat. Superflue enim aqua esset, nisi Spiritus sanctus peccata remitteret. Aqua igitur exterius significat quod Spiritus sanctus interius operatur, id est, mundationem peccatorum. Ergo aqua proficit ad lavacrum, spiritus autem ad gratiam. Siquidem Joannes baptizabat populum aqua, non in remissionem peccatorum, sed in pœnitentiam, dicens : « Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Hic est qui baptizat in Spiritu sancto et igni (*Joan.* I). » Postquam ergo ille venit, qui singulari privilegio meruit ut Spiritus sanctus super eum in specie columbæ de-

scenderet et maneret, et per suum baptismum no- A
strum baptismum sanctificavit, omnes credentes remissionem peccatorum accipere credimus. De quo baptismate Dominus dicit : « Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies (*Act.* I). » Et iterum : « Baptismate meo baptizabimini. » Et rursus : « Baptismate habeo baptizari (*Luc.* XII). » Sed quia ad januam paradisi rhomphæa illa flammea, et gladius versatilis post peccatum positus fuerat (*Gen.* III), necesse erat ut per Spiritum sanctum peccatis relaxatis, credentibus iterum per baptismum aperiretur. Quod quia invisibilis spiritus invisibiliter operatur, recte subjungit :

« Quod natum est ex carne, caro est : et quod na- « tum est ex spiritu, spiritus est. » Ac si diceret Dominus : Sicut caro ex carne nascitur, sic per B
spiritum Dei spiritus hominis renovatur. Unde ait Apostolus : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.* IV). » Solæ autem mentes fidelium noverunt, quia cum aliquis ad baptismum venit, descendit filius iræ, et ascendit filius reconciliationis : descendit filius diaboli, et ascendit per adoptionem Filius Dei : descendit filius discordiæ, et ascendit filius pacis. Cæterum coram oculis insipientium et infidelium, qui nihil aliud, quam quod oculis vident, credere volunt, totum quod in baptismo agitur ludus esse putatur. Unde in fine, visa sanctorum gloria, dicturi sunt : « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii : nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum C
sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est (*Sap.* V). »

« Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci de- « nuo. » Quia Nicodemus, quod a magistro veritatis audierat, nondum perfecte intelligere poterat, non mediocre mirabatur. Sciebat enim veritatem falli non posse : et tamen quomodo fieret, quod veritas proferebat, non intelligebat, et ideo mirabatur. Cujus mentem Dominus ab admiratione removens, sacramentum secundæ nativitatis manifestius declaravit, subjiciens :

« Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et « nescis unde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis « qui natus est ex spiritu. » Spiritus ubi vult spirat, quia cujuscunque mentem vult illuminat, sicut Apo- D
stolus, enumeratis ejusdem Spiritus sancti donis, ait : « Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » « Et vocem ejus audis, » cum is quem repleverit, te præsente, Deum confitetur. « Sed nescis unde veniat aut quo vadat, » quia ejus nec initium, nec finis videtur. Sive certe, nescio unde veniat aut quo vadat, quia qualiter in hominem ingrediatur, et egrediatur, videre non potest, quoniam visibilem habet naturam intantum ut si, te præsente, ad horam aliquem spiritus prophetiæ repleverit, videre non possis : Si enim tui ipsius spiritum corporalibus oculis videre non potes, et tamen te spiritum habere non dubitas, multo magis spiritum Dei invisibiliter operantem videre non vales, et tamen quod invisibiliter operatur, fidelis mens non dubitat. « Sic omnis qui natus est ex Spiritu. » Id est, sicut spiritus Dei invisibilis est, sic hominis spiritus invisibilis est. Et sicut spiritus Dei invisibiliter operatur, sic spiritus hominis invisibiliter renascitur. Et quia hoc sacramentum invisibile quisquis non intelligit, non contumaciter, sed humiliter inquirere debet, sicut Nicodemus adhuc interrogat, dicens :

« Quomodo possunt hæc fieri ? » Cui a Domino respondetur : « Tu es magister in Israel, et hæc igno- « ras ? » Quod non insultando Dominus dicit, quasi qui magister vocaretur, et tamen tanti mysterii ignarus esset, sed illum ad humilitatis viam provocat, sine qua janua regni cœlestis non aperitur. Ait enim :

« Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loqui- « mur, et quod vidimus testamur, et testimonium « nostrum non accipitis. » In quibus verbis indivisibilem Trinitatem in substantia humanitatis ostendit, cum unus idemque Dei Filius loquens, non singulariter, sed pluraliter dicit, « quod scimus loquimur : » quia quod scit Filius, scit Pater, scit Spiritus sanctus. Et quod loquitur Filius, loquitur Pater, loquitur et Spiritus sanctus. Et quibus una est substantia, non dispar est scientia. Testimonium ejus non acceperunt, quia sicut ipse dixit : « Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me (*Joan.* V). »

« Si terrena dixi vobis, et non creditis : quomodo « si dixero vobis cœlestia, credetis ? » Frequenter Dominus ad discipulos et ad turbas loquens, similitudines de rebus terrenis adhibuit, sed quia illi terrena et visibilia non credebant, quomodo cœlestia capere possent ? Ut autem ex multis unum proferamus, terrena Dominus ei ostendit, cum ait : « Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud (*Joan.* II). » Illi autem non intelligentes, quod de templo corporis sui loqueretur, ad materialis templi destructionem sive restaurationem sermonem converterunt, dicentes : « Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu tribus diebus excitabis illud ? » (*Ibid.*) Quisquis autem cœleste sacramentum cognoscere desiderat, paulatim ad superiora ascendere debet. Unde postquam Dominus modum secundæ nativitatis Nicodemo aperuit, ascensionis suæ potentiam declaravit, dicens :

« Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit « de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. » Ubi quæritur quomodo filius hominis descendisse de cœlo, juxta ipsius promissionem et ante ascensionem in cœlo esse dicatur ? Ad quod dicendum quia mediator Dei et hominum Dominus Jesus Christus, in una eademque persona ex duabus substantiis creditur, divina scilicet et humana. Quia idem est Filius Dei, qui et filius hominis : et idem filius hominis, qui et Filius Dei. Ipse ergo descendit de cœlo per humanitatem, qui erat in eo per divinitatem. Et ipse ascen-

dit in cœlum per humanitatem, ubi semper erat per divinitatem. Cui simile est quod alibi dicit: « Exivi a Patre et veni in mundum: iterum relinquo mundum et vado ad Patrem (*Joan.* XVI). » Quæritur iterum quare dicat: « Nemo ascendit in cœlum, » etc., cum omnis fidelium Ecclesia illo se ascensuram esse credat, quo caput suum meminit præcessisse, juxta ipsius promissionem, dicentis: « Volo, Pater, ut ubi sum ego, ibi sit et minister meus (*Joan.* XXI). » Ad quod dicendum quia omnium electorum caput est Christus, et hujus capitis membra sunt omnes electi, quibus ait Apostolus: « Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro (*I Cor.* XII). » Membra ergo capiti suo adhærentia in cœlum sunt ascensura. Sed quia nullus sua virtute vel merito ascendere potest, nisi per ejus gratiam, qui de cœlo in terram descendere dignatus est, recte dicitur: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. » Quia Dominus Jesus Christus cum suis membris unum efficitur corpus, qui ergo cœlum ascendere desiderat, capiti suo totis viribus adhæreat. Et quia prius Domini passio consummanda erat, et post modum ejus ascensio declaranda, Nicodemum, magistrum Mosaicæ legis, Dominus ad spiritalem ejusdem legis intelligentiam provocat, cum subjungit:

« Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, « ita exaltari oportet filium hominis. » Ubi historiæ veteris libri Numeri Dominus meminit, in qua tædio longi itineris populus Israeliticus afflictus, murmurasse contra Dominum et Moysen legitur (*Num.* XXI). Propter quod misit in eos Dominus serpentes ignitos, ad quorum morsus cum plures morerentur, venerunt ad Moysen, dicentes: « Omnes morimur, ora pro nobis ad Dominum. » Cumque orasset Moyses, jussit eum Dominus facere serpentem æneum, et ponere in stipite pro signo, dicens: « Si quis percussus eum aspexerit, vivet. » Factaque est mira res, et antea inaudita. Mordebantur a serpentibus, aspiciebant, serpentem, et sanabantur. Ænei ergo serpentis exaltatio Domini passionem præfiguravit, qui exaltandus erat cruce, sicut in præsenti loco dignatus est exponere. De qua ipse alibi ait: « Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII). » Nec cuilibet indignum videri debet, id est Dominus per assumptam humanitatem serpenti comparetur; quia ipse per Prophetam de seipso loquitur: « Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis (*Psal.* XXI). » Et sicut in septuaginta interpretibus legitur, scarabæus clamabat de ligno, id est Christus de cruce. Sicut enim serpens ille similitudinem habebat ignitorum serpentium, sed tamen a veneno serpentium alienus erat: sic Dominus Jesus Christus apparuit in similitudine carnis peccati, nullam tamen maculam traxit peccati. Æneus autem dictus est serpens propter infinitam in Christo æternitatem. Æs autem durabile est metallum, et valde sonorum, et natura æternitatis nec initium habuit, nec finem habebit. Vel quia æs rubicundum habet colorem, æneus dictus est serpens, propter pretiosi sanguinis effusionem. Igniti autem serpentes, quorum morsibus homines peribant, venenosas cogitationes et mortiferas persuasiones significant. Quæ, cum delectationem perversam usque ad consensum perducant, quasi pungendo animam interimunt. Nam et primi parentes nostri in paradiso serpentis astutia sunt decepti. Miro ergo ordine contra serpentem ponitur serpens, quia per hoc quod Dominus pro nobis passionem sustinuit, antiqui serpentis caput contrivit. Quicunque ergo originalis peccati punctione, vel cujuscunque vulneris contagione vult sanari, intueatur serpentem in stipite, id est, confiteatur Christum in cruce, et hunc crucifixum. Cumque tali fide armatus crucifixerit membra sua cum vitiis et concupiscentiis, non solum a mortis periculo liberari, sed etiam ad vitam pervenire merebitur æternam. Unde et subditur: « Ut omnis qui credit in ipso, non pe« reat, sed habeat vitam æternam. » « Omnis enim, » ait Scriptura, « quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Act.* II), » sicut ipse Salvator in Evangelio ait: « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum (*Joan.* XI). » Ille autem vere credit, qui sic vivit sicut Christus præcipit. Qui autem confitetur verbis, sed factis eum negat, non vitam meretur, sed pœnam. Quia, sicut ait Jacobus apostolus: « Fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). » Et iterum: « Tu credis quod unus sit Deus? Bene facis, et dæmones credunt, et contremiscunt (*Ibid.*). »

HOMILIA CIX.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

(I JOAN. IV). « Charissimi: Deus charitas est. In « hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Fi« lium suum unigenitum misit in mundum, ut vi« vamus per ipsum. » Et reliqua. Quomodo ipse Dominus ait: « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV). » Et ibi probata est dilectio Christi in nobis, quia mortuus est pro nobis. Dilectio Patris unde probata est a nobis? Quia Filium suum unicum misit mori pro nobis, sicut et Paulus apostolus ait: « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? » (*Rom.* VIII.)

« Et in hoc est charitas, non quasi nos dilexe« rimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. » Non illum dileximus prius, nam ad hoc nos ille dilexit prius, ut diligamus eum. Gratia quippe hominem prævenit ut diligat Deum, quia dilectione operetur bona. Unde Psalmista: « Deus meus, inquit, « misericordia præveniet me (*Psal.* LVIII). » « Et « misit Filium suum propitiatorem pro peccatis no« stris. » Et hoc est maximum in nobis divinæ pietatis indicium, quia cum necdum ipsi pro peccatis nostris eum petere nossemus, misit ille Filium suum

A ad nos, qui nobis in se credentibus ultro veniam daret, nosque ad paternæ gloriæ societatem vocaret. In quibusdam codicibus hic versiculus ita legitur: « Et misit Filium suum *litatorem* pro peccatis nostris. » Litator autem sacrificator est. Sacrificavit enim Filius Dei pro peccatis nostris, non hostiam pecudum, sed seipsum offerendo. Unde bene Paulus admonens, ait: « Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (*I Cor.* IV). » Cujus sententiæ concinit hoc, quod hic quoque Joannes exhortando subjungit, dicens:

« Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos de« bemus invicem diligere. » Quod autem sequitur: « Deum nemo vidit unquam, » majore disputatione B indiget, cum Dominus et hominibus mundo corde Deum videndum promittat, et de sanctis dicat quod angeli eorum in cœlis semper videant in faciem Patris. Hanc autem sententiam in Evangelio suo ponit idem Joannes, ubi etiam quomodo Deus videri possit, consequenter adjungit dicens: « Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit (*Joan.* I). » Quod, beatus pater Ambrosius ita exposuit: Et ideo Deum nemo vidit unquam, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis, nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Vidit enim, ad utrumque referendum est. Denique cum additur: « Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit, » mentium magis quam oculorum visio declaratur. Species enim videtur, virtus vero narratur: illa oculis, hæc mente comprehenditur. C Item beatus Augustinus in libro De videndo Deo, de eadem disputans quæstione, proinde in qua narrante Unigenito qui est in sinu Patris narratione ineffabili, creatura rationalis munda et sancta, impletur Dei visione ineffabili, quam tunc consequemur, cum ei æquales facti fuerimus: quoniam sicut videntur ista visibilia corporis sensibus, non ita Deum vidit unquam. Quoniam si aliquando eo modo visus est, non sicut ista natura videtur, sed voluntate visus est specie, qua voluit apparens, latente natura atque in se incommutabiliter permanente. Eo autem modo quo videtur sicuti est, nunc fortasse videtur a quibusdam angelis suis sanctis. A nobis autem tunc ita videbitur, cum ei facti fuerimus æquales, et post aliquanto exponens sententiam sancti Ambrosii: D Deum nemo vidit unquam, vel in hac vita sicut ipse est, vel etiam in angelorum vita, sicut visibilia ista, quæ corporali visione cernuntur, quia Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Quia non ad oculorum corporalium, sed ad mentium visionem dictum est pertinere quod narravit. Item post multa: Ad eam vero visionem qua videbimus Deum sicuti est, mundanda corda commonuit. Quia enim corporalia consuetudine loquendi visibilia nominantur, propterea Deus invisibilis dicitur, ne corpus esse credatur. Neque enim corda munda suæ substantiæ contemplatione fraudabit, cum hæc magna et summa merces Deum colentibus et diligentibus promittatur, dicente ipso Domino, quando corporalibus oculis visibiliter apparebit. et invisibilem se contuendum mundis cordibus promittebat. « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (*Joan.* XIV). » Hæc quippe natura ejus æqualiter cum Patre invisibilis, sicut æqualiter incorruptibilis est, quia continuatim Apostolus posuit, dicens (*I Tim.* I): Regi autem sæculorum invisibili, incorruptibili, divinam substantiam qua potuit hominibus prædicatione commendans. Deus ergo invisibilis, neque oculo, sed mente quærendus est, Sed quemadmodum si solem istum videre velimus, oculos corporis purgaremus, unde lux videri potest: volentes videre Deum, oculum cordis, quo Deus videri potest, purgemus. « Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V). » Verum quia hæc visio in futuro speratur, quid agendum est nobis, dum adhuc constituti in corpore, peregrinamur a Domino? Quo solatio utendum, ubi divina visione necdum licet perfrui?

« Si diligamus invicem, Deus in nobis manet. » Sed nemo putet hanc dilectionem, in qua Deus manet, abjecta et desidiosa quadam mansuetudine, imo non mansuetudine, sed remissione et negligentia reservari. Non ista est charitas. sed languor. Ferveat charitas ad corrigendum, ad emendandum. Sed si sunt boni mores, dilatentur: sunt mali, emendentur corriganturque. Si ergo diligamus invicem sincera et disciplinabili charitate, Deus in nobis manet. Operibus quidem ipsius charitatis manifestatur, quamvis nondum visibiliter apparens, « Et « charitas ejus in nobis perfecta est. » Quærendum autem quomodo dicat perfectionem divinæ charitatis in mutua dilectione consistere, cum Dominus in Evangelio pronuntiet, non esse magnum, si diligamus eos qui nos diligunt, nisi ad inimicos etiam (de quibus hic penitus tacere videtur) eadem dilectio pertingat, nisi forte ipsos quoque inimicos fraterni amoris intuitu diligere jubemur, videlicet ut non semper inimici remaneant, sed resipiscant a diaboli laqueis, nobisque germano fœdere socientur. « Si « diligamus, inquit, « invicem, Deus in nobis manet, « et charitas ejus perfecta est. » Incipe diligere, perficiens cœpisti diligere? cœpit in te Deus habitare, ut perfectius habitando faciat te perfectum.

« In hoc cognoscimus quod in eo manemus, et ipse « in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. » Hoc ipsum quod de spiritu suo dedit tibi unde cognoscis? Interroga viscera tua, si plena sunt charitate. habes spiritum Dei, Paulo teste, qui ait: « Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V). »

« Et nos vidimus et testificamur, quoniam Pater « misit Filium suum salvatorem mundi. » Nemo de salute sua desperet, quia etsi magni sunt morbi scelerum qui deprimunt, omnipotens Deus est medicus qui salvat, tantum meminerit quisque, quod idem Fi-

lius Dei, qui venit mitis ut salvaret, venturus est ut districtus judicet.

« Quicunque confessus fuerit quoniam Jesus est « Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. » Perfectam cordis confessionem dicit, quod nec male suadentium hæreticorum possit fraude corrumpi, nec persequentium paganorum tormentis conquassari, nec carnalium fratrum exemplis, nec propriæ fragilitatis segnitia titubare. Sunt etenim qui etiam verbis negant esse Jesum Filium Dei, quales multi fuisse produntur eo ipso tempore, quo hæc scribebat Joannes. Sunt item qui confitentur verbis, factis autem negant. Unde bene qui nunc ait: « Quicunque confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo, » ipse paulo superius dixit: « Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, » insinuans profecto quia quisquis dilectionem in fratres habet, ille Jesum Dei esse Filium testatur.

« Et nos cognovimus et credimus charitati, quam « habet Deus in nobis. » Cognovimus quia Jesus est Filius Dei, et quia Pater misit eum salvatorem mundi, et credimus charitati, quam habet Deus in nobis, quia videlicet cum haberet unicum, noluit esse unum, sed ut fratres haberet, adoptavit illos qui cum illo possiderent vitam æternam, Deus cha« ritas est. » In hoc superius dixerat, ecce iterum dicit. Amplius tibi non potuit commendari charitas, quam ut diceretur Deus. Forte munus Dei contempturus eras, nunquid et Deum contemnis? « Et qui « manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo. » Vicissim in se habitant, qui continet et qui continetur. Habitas in Deo, sed ut continearis: habitat in te Deus, sed ut contineat te ne cadas, quia, sicut Apostolus de ipsa charitate dicit, charitas nunquam cadit (*I Cor.* XIII). Quomodo cadit, quem continet Deus?

« In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fidu« ciam habeamus in die judicii » Quisquis fiduciam habet in die judicii, perfecta est in illo charitas. Quid est habere fiduciam in die judicii? non timere ne veniat dies judicii. Cum enim primo ad pœnitendum se de malis actibus converterit, incipit timere diem judicii, ne videlicet apparente justo judice, ipse damnetur. Processu vero bonæ conversationis animatus, discit non timere quod timebat, sed potius optare, ut veniat ille desideratus cunctis gentibus (*Agg.* II), sperans se cum sanctis merito bonæ actionis esse coronandum. Unde autem fiduciam in diem judicii habere possumus, plenius subdendo manifestat. « Quia sicut ille est, et nos sumus in hoc « mundo, » Nunquid vero potest esse homo sicut Deus? sed et meminisse oportet, quod et supra dictum est. quia non semper ad æqualitatem dicitur *sicut*, sed dicitur ad quamdam similitudinem. Quomodo enim dicis, sicut aures habeo, ita habet et imago? Nunquid omnimo *sic*? Sed tamen dicis, *sicut*. Si enim facti sumus ad imaginem Dei, quare non sicut Deus sumus? Non ad æqualitatem, sed pro modulo nostro. Inde ergo nobis datur fiducia in die A judicii. « quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. » Imitando videlicet perfectionem dilectionis in mundo, cujus ille exemplum nobis quotidie præbet de cœlo. De qua Salvator in Evangelio: « Diligite, » inquit, « inimicos vestros, et orate pro persequentibus vos ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V). »

« Timor non est in charitate, » In tali videlicet charitate, quæ ad imitationem divinæ bonitatis, etiam inimicis benefacere, et hos diligere novit, « sed perfecta charitas foras mittit timorem. » Illum scilicet timorem, de quo dicitur: « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX). » Quo timet quisque, incipiens opera justitiæ, ne veniat justitiæ di-B strictus judex, et se minus castigatum inveniens damnet. Illa charitas pellit foras timorem, quæ pro merito justitiæ fiduciam habet in die judicii. Sed et præsentium adversitatum timorem perfecta charitas ejicit ex animo, quam habere quærebat, qui Domino supplicans, ait: « A timore inimici eripe animam meam (*Psal.* LXIII), » quam habebat qui dixit: Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? (*Rom.* VIII) etc. « Quoniam timor « pœnam habet. » Torquet cor conscientia peccatorum, nondum facta est cogitatio. Ideo in Psalmo de ipsa perfectione justitiæ: « Convertisti, » inquit, « planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum et præcinxisti me lætitia: ut cantet tibi gloria mea, et non compungar *Psal.* XXIX). » Id est, C non sit quod stimulet conscientiam meam. Stimulat timor, sed noli timere, intrat charitas quæ sanat, quem vulnerat timor « Qui autem timet; non est perfectus in charitate. » Quia nimirum timor pœnam habet, quamvis sicut sectionem medici salus optata, ista timorem charitas desiderata subsequitur. Nec putari debet his beati Joannis sermonibus esse contrarium, quod Psalmista dicit: « Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII). » Duo namque sunt timores. Unus, quo timent homines Deum ne mittantur in gehennam. Ipse est timor ille qui introducit charitatem, sed sic venit ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times: non bona desideras, sed mala caves, Sed ex eo quod mala cavens corrigis te, incipis D et bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor sanctus, ille scilicet, ne ipsa bona amittas, ne mittaris in gehennam, sed et ne ipsa te deserat præsentia Domini, quem amplecteris, quo æternum frui desideras.

« Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior « dilexit nos. » Nam unde diligeremus, nisi ille prior dilexisset nos? Hinc enim ipse in Evangelio dicit: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. (*Joan.* XV). » Ita autem perfecti erimus in charitate, si quemadmodum nullius alterius, nisi salutis nostræ gratia, prior dilexit nos ille, nimirum nos quoque ita eum nullius rei, nisi sui tantum amoris dilexeri-

mus obtentu. Verum quia sunt qui verbo tenus Deum diligunt, consulte subjungitur :

« Si quis dixerit, quoniam diligo Deum et fra« trem suum oderit, mendax est.» Unde probamus quia mendax est ? audi. « Qui enim non diligit fra« trem suum quem videt, Deum quem non videt, « quomodo potest diligere ? » Quid ergo?Qui diligit fratrem suum, et non diligit Deum, necesse est ut diligat Deum et diligat ipsam dilectionem.Deus enim dilectio est.Et ne quis dicere auderet :Et quid obstat diligere Deum, etiamsi non diligo fratrem, recte subdidit : «Et hoc mandatum habemus a Deo ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. » Quomodo enim diligis eum,cujus odisti mandatum ? Quis est qui dicat, diligo imperatorem sed odi leges ejus? Non ita est verus Dei amator, sed « vide nunquid « quia mandata tua dilexi,Domine, » et ideo confidenter adjungit, « in tua misericordia vivifica me (*Psal.* CXVIII). »

HOMILIA CX.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

(LUC.XVI.) « In illo tempore dixit Jesus discipulis « suis : Homo quidam erat dives, et induebatur « purpura et bysso. » Et reliqua. Scriptura sacra divinitus inspirata, non solum bonorum actiones ad imitandum commemorat,sed etiam tormenta reproborum narrat : ut quos ad bene vivendum non provocant exempla piorum, saltem terreant denuntiata supplicia reproborum. Quod utrumque in hac lectione ostenditur,quando non solum requies Lazari commemoratur,sed etiam pœna superbi divitis ad memoriam reducitur, ut in uno habeant pauperes quod imitentur, in altero autem divites unde terreantur.Nam cum superius Dominus contra avaritiæ vitium disputaret, admonendo subjunxit, dicens : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis,recipiant vos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI). » Sed quia omnis, qui ex vitio non vult corrigi, ex correptione deterior fit,subjunxit evangelista, dicens : « Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant eum. » Quia cum malorum perversitas crescit, prædicatio non solum minui non debet, sed etiam augeri. Ut confirmaret Dominus exemplis, quod docuerat verbis, adjunxit hoc per similitudinem,quod in capite hujus lectionis audivimus, dicens : « Homo quidam « erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et « epulabatur quotidie splendide. »Ostendens superbum divitem esse condemnatum,quia sibi amicum Lazarum de mammona iniquitatis facere noluisset. Valde enim homo iste dives fuisse ostenditur, cum purpura et bysso indutus memoratur. Purpura enim regiæ dignitatis est habitus : byssus vero, genus est quoddam lini suavissimi et candidissimi decoris. Ad augmentum quoque temporalis gloriæ, quotidie epulabatur splendide diversis ciborum apparatibus ventri satisfaciens.Epulæ enim ad crapulam pertinent, pretiosa vestimenta ad inanem gloriam.Sed quo ditior in facultatibus, eo deterior in cruciatibus. « Potentes enim,»ait Scriptura, « potenter tormenta patientur (*Sap.* VI). » Sunt enim nonnulli,qui putant in cultu pretiosarum vestium peccatum non esse. Quod si omnino non esset,nequaquam Dominus mentionem purpurati divitis,qui iu interno torquebatur,faciens, præmitteret, dicens : « Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso. » Et nisi in cultu pretiosarum vestium peccatum fuisset,nequaquam Petrus feminas compesceret, dicens : «Non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus (*I Petr.* III).»Et Paulus apostolus in epistola ad Timotheum : « Et mulieres volo esse in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona (*I Tim.* II). » Et si hoc observandum est a mulieribus, quanto magis a viris? Unicuique enim sua conscientia testis est, quia pretiosa vestis nonnisi propter inanem gloriam requiritur. Quia cum in secreto sit,ubi a nemine videatur,non curat qualibuscunque indutus sit vestibus. At vero cum in publicum processerit, pretiosa vestimenta requirit, non ut sanctior, sed ut honorabilior cæteris appareat. Quia vero virtus est vilibus vestimentis indui, e diverso colligimus peccatum non deesse pretiosa vestimenta requirere. Si enim in vilitate vestium virtus non esset, nequaquam evangelista de asperitate sui vestimenti Joannem laudasset. E quibus exemplis cognoscere possumus, quia tanta ac talia vestimenta quærere debemus,qui nuditatem possint operire ac frigus arcere. Quod Dominus ostendit, quando in initio primus homines non purpuram, sed tunicas pelliceas induit. Unde Paulus nos admonet, dicens : « Nihil intulimus in hunc mundum, sed neque aliquid auferre possumus, habentes autem victum et vestitum, his contenti simus (*I Tim.* VI). » Sunt autem alii, qui præcepta Veteris Testamenti austeriora esse putant, quam Novi. Sed hi improvida consideratione falluntur, dum utrorumque Testamentorum præcepta subtilius non discutiunt. Nam in Veteri Testamento dicitur : « Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (*Levit.* XIX).» In Novo autem Dominus ait : « Diligite inimicos vestros,benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Matth.* V). » In Veteri Testamento homicidium morte plectitur (*Deut.* XXXV).In Novo Dominus dicit : «Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio (*Matth.* V). » In Veteri dicitur : « Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu (*Deut.* XIX). » In Novo præcipitur : « Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas. Et qui voluerit tecum contendere in judicio, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et qui te angariaverit mille passus,vade cum illo duo millia. Et ego dico vobis,nolite resistere malo · sed si quis te percusserit in dexteram maxillam,præbe illi et al-

teram (*Matth.* v).»In Veteri præcipitur :« Non adulterabis uxorem proximi tui (*Exod.* xx). » In Novo : « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* v).»In Veteri Testamento,aliena res invasa,in quadruplum restituitur : hic autem, dives non aliena legitur rapuisse,sed quia propria non dedit,apud inferos torquetur. Unde cognoscimus, quia præcepta Novi Testamenti, quanto sunt perfectiora, tanto districtiora.

« Et erat quidam mendicus,nomine Lazarus. »Si subtiliter hæc verba Domini discutimus,inveniemus quia quæ apud homines alta videntur, apud Deum frequenter in imo sunt : et quæ apud homines sunt despecta, Deo accepta sunt. Denique inter homines nomina divitum longe lateque sciuntur, pauperum vero etiam a pluribus concivibus et vicinis ignorantur. At contra, Dominus mentionem de divite et paupere faciens, nomen divitis quasi ignotum tacuit nomen vero pauperis, quasi familiarius indicavit, ostendens unum reprobando nescire, alterum eligendo se scire.Ait enim de divite : « Homo quidam erat dives. » De paupere autem : « Erat quidam mendicus, nomine Lazarus, »ac si diceret : Superbum divitem nescio,humilem pauperem scio.Excelsus enim Dominus,cum non sit personarum acceptor, alta de longe conspicit, et humilia de prope. Ut suscitet de pulvere egenum, et de stercore elevet pauperem (*Psal.* cxii). Novit ergo Dominus quos elegit, et ignorat quos reprobat. Unde in fine reprobis dicturus est :« Nescio vos unde sitis, discedite a me operarii iniquitatis (*Matth.* vii), » At perfecto viro Moysi dicitur : « Novi te ex nomine (*Exod.* xxxiii). » Et sicut Apostolus ait : « Novit Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* ii). » At per hoc magni meriti illos esse credimus, quorum nomina Deus scire dicitur.

« Qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, « cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa « divitis, et nemo illi dabat, sed et canes veniebant « et lingebant ulcera ejus.» — « Vasa figuli probat fornax,»ait Scriptura, » et homines justos tentatio tribulationis(*Eccli.* xxvii). » Quod huic pauperi Lazaro contigisse cernimus,cui ad augmentum doloris, cum egestate ciborum accidit infirmitas ulcerum. Sola enim egestas illi sufficeret, etiamsi infirmitas defuisset. Et rursus,sola infirmitas sufficere posset, si indigentia defuisset. Sed ad augmentum doloris, cum infirmitate addita est indigentia, ut tanto probabilior coram oculis Dei esset,quanto durius igne tribulationis fuisset excoctus.Ubi considerandum est quia Dominus omnipotens æquissimus judex,in una eademque re duo judicia operatus est, ut unde uni præmium,inde alteri cresceret supplicium.Fortassis enim dives iste de misericordia excusationem haberet, nisi pauperem afflictum ante januam jacentem vidisset : cum autem vidit miserum sed misereri noluit,omnem aditum excusationis sibi exclusit. Pauper vero cum penuria corporis,majorem tribulationem sustinuit mentis, cum videret quotidie di-

A vitem splendide epulari,se vero in earum fragmenta desiderare:cum cerneret illum obsequentibus turbis circumdari, se autem a nemine visitari. Jam quod ab hominibus contemptus sit, canes testantur, qui licenter ulcera ejus lingebant.Quod justo Dei judicio (sicut diximus)factum est, ut unde uni probatio, inde alteri cresceret damnatio.Sed nunquid semper aut iste in tribulatione, aut ille erit in gloria ?non. Audi quod sequitur :

« Factum est autem ut moreretur mendicus, et « portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus « est autem et dives,et sepultus est in inferno. » In quo loco colligere possumus, quia unicuique electorum angelus ob custodiam sui deputatus est,juxta id quod ait Apostolus :« Sunt administratorii spiri-

B tus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* i). » Et sicut Dominus de parvulis ait :«Angeli eorum semper vident faciem Patris(*Matth.* xviii), » nam et de Petro pulsanti ad januam, dictum est : « Angelus ejus est (*Act.* xii).» Quandiu enim electi in præsenti vita manent,ubi«corpus quod corrumpitur aggravat animam, deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* ix), » necesse habent angelorum auxilio confortari, secundum quod scriptum est in persona viri justi: « Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis. Et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum (*Psal.* xc). » Cum enim oculus divinæ majestatis semper et ubique nostra opera et cogitationes intueatur, credimus tamen dignas operationes et justas eleemosynas ab

C angelis Deo nuntiari,juxta illud quod angelus Tobiæ ait : « Cum oraretis, ego obtuli orationes vestras ante Deum (*Tob.* xii). » Hinc est quod ab angelo dicitur Danieli : « Ex die qua posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres,in conspectu Domini, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos (*Dan.* x).» Qui autem operantes in hac vita electos adjuvant,a corpore exeuntes suscipiunt, quod in præsenti exemplo comprobatur,cum dicitur: « Factum est autem ut moreretur mendicus,et por- « taretur ab angelis in sinum Abrahæ.»Sinus autem Abrahæ in hoc loco requiem significat beatorum, juxta quod alibi ait:«Multi venient ab oriente et occidente,et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* viii). » Sicut enim de ea

D re, quam in sinu habemus, certi securique sumus : sic electi cœlestis regni gremio collecti, æterna securitate firmantur.Sed sicut læto corde audiendum est quod dicitur : «Factum est autem ut moreretur mendicus,et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ:» ita valde timendum est quod subinfertur:«Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. » Sepultus autem in inferno dicitur,cum spiritus sepultura non indigeat, ut magnitudo pœnarum, ostendatur. Mortuo enim sepultura debetur,et ideo quia mortuus erat in corpore,in anima sepultus in inferno dicitur, quia sine fine cruciabitur. Sicut enim pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus

(*Psal.* CXV), sic contra mors impiorum pessima. A Audiat hoc avarus, audiat pecuniarum cupidus. Quid enim prodest avaro diviti, quod in bonis ducit dies suos, quando in puncto ad inferna descendit? Ubi e diverso colligere possumus, quæ pœna præparata sit raptoribus, quando dives iste, qui aliena legitur non rapuisse, sed sua non dedisse, in inferno sepultus esse narratur. Si enim in inferno cruciatur, qui sua non dedit, qua pœna puniendus est, qui aliena tollit? qualibus per Isaiam dicitur: « Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci (*Isa.* IX). » Non solum enim rapina, sed etiam superflua tenacitas inferni pœnam meretur, sicut ipse judex pauperum curam negligentibus dicturus est (*Matth:* XXV): « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo B et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi et non dedistis mihi potum: hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus et in carcere, et non visitastis me. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, Quandiu enim uni ex minimis istis non fecistis, nec mihi fecistis. » — « Radix enim, ut ait Apostolus, omnium malorum est cupiditas (*I Tim.* VI). » Unde Dominus ait in Evangelio: « Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram (*Luc.* VI). » Et iterum: « Difficile, qui pecunias habent, in regnum cœlorum intrabunt (*Marc.* X). » Illis denique, qui sollicite inquirere solent, utrum C anima ad similitudinem corporis membra habeat, an non, præsens lectio satisfacit. Ait enim Dominus de divite:

« Elevans autem oculos suos, cum esset in tor-« mentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu « ejus. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, mise-« rere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum « digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, « quia crucior in hoc flamma. » Ergo et dives oculos et linguam habebat, et Lazarus digitum: quia anima secundum suam subtilem et spiritalem naturam membra creditur habere, quæ habet et corpus. Quod in eo facile comprobatur, quia corporis membra nihil possunt sine anima. Ubi pariter demonstratur, quia non solum boni bonos in gloria, sed mali ma- D los recognoscunt in pœna. Nam dives non solum Lazarum, quem prius viderat, recognovit, sed etiam Abraham, quem nunquam viderat, se recognovisse testatur, cum ait: « Pater Abraham, miserere mei. » Et cum fratrum suorum absentium meminit, liquido datur intelligi, quia eos, quos præsentialiter malos videbat, recognoscere poterat. In quo loco etiam ostenditur, quia non solum boni, cum sint in æterna requie recepti, malos conspiciunt in pœna, sed etiam mali bonos in gloria. Quod Dei judicio agitur, ut unde sanctis gloria, inde reprobis augeatur pœna. Dupliciter enim reprobi cruciantur cum sanctos conspiciunt in requie, non solum quia peccaverunt, sed etiam cum eos remunerari vident, quos contemptui habuerunt. Unde in fine visa illorum gloria, dicturi sunt: « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est? Ergo miseri erravimus a via veritatis (*Sap.* V). » Justi autem tanto uberiores gratias Deo referunt, quanto de majoribus tormentis, non suis meritis, sed gratia de se considerant liberatos, quod usque ad judicium futurum erit. Nam postea, sublatis impiis ne videant gloriam Dei, sancti reprobos conspecturi sunt, quia illi qui Creatori suo juncti erunt, nihil erit in creaturis quod non videant. A longe dives Abraham conspicit, quia per imitationem ejus proximus fieri noluit. Multum autem ad se refrigerandum Lazarum mitti precatur, ut ejus gloria ei fieret detrimentum, cujus pœnæ ipse noluit præbere solatium. In omnibus enim operibus suis justissimus est Dominus, in hoc tamen ejus justum judicium declaratur, cum dicitur: « Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam. » In mensis enim divitum micæ superfluæ esse videntur, gutta autem aquæ etiam pauperibus exigua est. Qui ergo minima negaverat, minima impetrare nequit: quia qui micas panis Lazaro dare noluit, in ardore positus guttam aquæ ex ejus digito decidentem impetrare non potuit. Audiant hoc avari, qui superflua divitiarum suarum magis in putredinem verti sinunt, quam in necessitatibus pauperum expendi, non timentes illud, quod terribiliter eis Jacobus apostolus comminatur, dicens: « Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ supervenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis (*Jac.* V). » Talis erat ille dives, qui dicebat in corde suo: « Destruam horrea mea, et majora faciam. » Cui a Domino dictum est: « Stulte, hæc nocte auferetur anima tua a te: hæc autem quæ præparasti, cujus erunt (*Luc.* XII)? » — « Quia ergo, » ut ait Apostolus. « nihil intulimus in hunc mundum, sed neque aliquid auferre possumus, habentes victum et vestitum, his contenti simus (*I Tim.* VI). » Quid est quod specialiter linguam refrigerari rogat, cum hinc inde ultricibus pœnis circumsepitur totus atque cruciatur, nisi quia in ea plus se ardere judicat? Ubi datur intelligi, quia pro qualitate et quantitate peccatorum, redditur reprobis pœna tormentorum. Non enim æqualis pœna debetur ei, qui parum peccavit, et ei qui multum. Quia sicut sub uno radio solis non omnes æqualiter urimur, ita reprobi in gehennali pœna non omnes æqualiter cruciantur. Habet enim hoc subtilitas judiciorum Dei, ut per quod membrum amplius peccat quis, in eo majorem vindictam recipiat. Cum enim superius dives iste splendide epulatus

fuisse dicitur, et nunc in lingua se cruciari perhibet, ostenditur quia præ cæteris membris in lingua arderet. In conviviis enim superflua et inanis loquacitas abundare solet: quoniam ubi venter diversis cibis et potibus distentus fuerit, statim lingua ad cachinnos, joca, maledictiones, detractiones et cætera his similia resolvitur, sicut scriptum est: « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere (*Exod.* XXXII). » Et quia in conviviis in lingua peccaverat, in tormentis in lingua ardebat. « Quoniam, » sicut ait Salomon, « per quæ peccat quis, per hæc et torquetur (*Sap.* XI). » Sed forte quæret aliquis, utrum ignis gehennalis corporeus sit, an incorporeus. Ad quod dicendum, quia sic corporeus esse creditur, ut animam incorpoream cruciare possit. Quod autem res corporea animam incorpoream cruciare possit, mirum non est, cum vivente quolibet homine spiritus in corpore tenetur. Nam apostatas angelos quis incorporeos spiritus esse dubitet? et tamen igne gehennali sine intermissione cruciantur, sicut Veritas reprobis dictura est: « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Non est ergo dubium, animam incorpoream ante judicium ab igne corporali posse torqueri, cum hoc in spiritibus immundis possibile demonstretur. Justum est enim, ut qui in anima simul et corpore peccant, ante judicium in anima, post judicium vero in anima et corpore crucientur.

« Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia re« cepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. » Cum superius Abraham patrem vocat, et nunc cum Abraham filium eum nominat, cognoscere possumus ex eodem populo, qui ex stirpe Abraham originem ducebat, illum fuisse. Sed summopere illud considerandum est, quia quem filium nominat, a pœna non liberat: quoniam in districtione justi judicii Dei tanta æqualitas justitiæ erit, ut nec filius patrem, nec pater filium liberare valeat, sed unusque recipiet secundum opera sua, prout gessit, sive bonum, sive malum. Quia peccator in peccato suo morietur, et justus in justitia sua, quam operatus est, vivet. Unde et per Ezechielem prophetam Dominus, cum terram gladio, peste et fame perituram prædiceret, adjunxit, dicens: « Vivo ego, dicit Dominus, quia si Noe et Job et Daniel fuerint in medio ejus, filios et filias non liberabunt, sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas (*Ezech.* XIV). » Absque oblivione autem memoriæ commendandum est, quod diviti voce Abrahæ dicitur: « Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. » — « Nunc autem « hic consolatur, tu vero cruciaris. » In quibus verbis intelligimus et divitem aliquod bonum fecisse, pro quo in hac vita bona recepit: et pauperem aliquod reprehensibile egisse, pro quo præsentis vitæ flagellis purgatus est. Æquissimus enim judex Deus, sicut malum nullum impunitum dimittit, sic nullum bonum absque mercede relinquit: quia aut in præsenti, aut in futuro retribuit. Quoties ergo aut prosperitas præsentis vitæ nobis blanditur, aut divitiæ affluunt, timendum est ne de bono quod agimus, mercedem in præsenti sæculo recipiamus, ne forte in futuro nobis dicatur: « Amen dico vobis, recepistis mercedem vestram (*Matth.* VI). » Quotiescunque autem aut paupertas nos affligit, aut flagella nos atterunt, gaudendum est et gratulandum: quia flagella Dei aut ad remunerationem nobis contingunt, aut ad probationem. Propter quod nos Scriptura admonet, dicens: « Fili, ne despicias disciplinam Domini Dei tui, neque fatigeris cum ab eo corriperis Quem enim diligit Dominus, corripit · flagellat autem omnem filium quem recipit (*Prov.* III). »

« Et in his omnibus inter nos et vos chaos ma« gnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire « ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. » Chaos dicitur pactum vel firmatum, sive confusio elementorum. Dicitur enim chaos vorago vel profundum. Sed in hoc loco dicimus quia infernus, ubi dives torquebatur, longe inferius erat, unde paulo superius dicitur: « Elevans autem oculos suos, vidit Abraham a longe, cum esset in tormentis. » Ante adventum enim Domini animæ sanctorum, quia propter originale peccatum januam regni cœlestis ingredi non valebant, in secretioribus locis absque pœna erant, ad quorum comparationem infernus pœnalis longe inferius erat, unde Psalmista precatur: « Eripuisti animam meam ab inferno inferiori (*Ps.* LXXXV). » Chaos ergo magnum firmatum est, sive terminus intransmeabilis districtione justi judicii Dei, ut nec isti ad illos, nec illi ad istos transire possint. Quod autem illi qui in pœnalibus locis tenentur, ad sanctorum requiem transire velint, nulli dubium est. Justi autem in requie constituti, etsi per mentis compassionem ad illos transire volunt, tamen quia ab æqualitate justi judicis discordare non possunt, nequaquam ad eos transire valent. Sed infelix dives de salute sua desperatus, ad fratrum liberationem, quos in sæculo reliquerat, sollicitudinem convertit cum ait:

« Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum « patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur « illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum. » Cui justo judicio Dei ad cumulum suæ damnationis, non solum cognitio, sed etiam memoria reservata est: ut non solum pro se, sed etiam pro fratribus torqueretur, quos similiter perire metuebat. Neque enim perfecta esset in divite ultio pauperis, si Lazarum non cognovisset; neque perfecta pœna in tormentis, si fratrum, quos in sæculo reliquerat, non meminisset. Quo exemplo nos instruimur, quia animæ sanctorum in æterna beatitudine receptæ, pro salute charorum, quos inter sæculi pericula reliquerunt, intercedere creduntur. Et quia juxta Scripturæ auctoritatem, qui sibi nequam est, nulli bonus erit (*Eccli.* XIV), diviti pro fratribus roganti respondetur:

« Habent Moysen et prophetas, audiant illos. » At ille dolore constrictus: « Non, inquit, pater « Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœ

« nitentiam agent. » Et quia (ut ait Salomon) nec A opus, nec ratio, nec scientia, neque prudentia est apud inferos (*Eccle.* IV), adhuc subditur : « Si Moy« sen et prophetas non audiunt, neque si quis ex « mortuis resurrexerit, credent. » Qua sententia luce clarius patet, quia qui Moysen et prophetas audire contempserunt, Christum a mortuis resurgentem credere noluerunt: vel qui præcepta Veteris Testamenti contemnunt, utique veritatem Novi Testamenti, quæ Christi resurrectionem prædicat minime implere possunt. Sed quia hæc moraliter ad terrendam divitum avaritiam, et pauperum inopiam consolandam diximus, hinc breviter qui allegorice significent, videamus. Per divitem enim et pauperem duo præcepta populi significantur, Judæorum scilicet et gentium. Per divitem Judæorum populus præfiguratur, B qui non solum carnales divitiaa, sed etiam spiritales per legis notitiam accepit, quibus magis ad nitorem, quam ad utilitatem usus est. Qui purpura indutus est in martyribus, hysso in virginibus: sive purpura in regia dignitate, hysso in gloria sacerdotali. Epulabatur quotidie splendide, in Patrum eloquiis meditando. Per pauperem vero Lazarum gentilis populus designatur, qui pauper exstitit, quando a legis notitia et cognitione Dei alienus fuit. Jacebat ad januam ejus, quia intra januam scientiæ legis ingredi non poterat. Ulceribus plenus, id est diversis peccatorum criminibus fœdatus Cupiens satiari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat; quia illo superbus Judæorum populus verba, quæ de legis scientia profluebant, gentibus dare nolebant. Et dum præceptis legis magis ad C elationem, quam ad charitatem et utilitatem usus est, quasi ex acceptis dapibus tumuit. Mensa enim Scripturam sanctam significat, sicut scriptum est: « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me (*Psal.* XXII). » Micæ autem, quæ cadebant de mensa divitis, verba sunt, quæ de regis scientia, ut diximus, profluebant. Has cupiebat accipere iste pauper, gentilis scilicet populus, de quibus erat illa mulier Chananæa quæ Domino sibi dicenti, « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus, » respondit dicens : « Utique, Domine, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum (*Matth.* XV). » Sed quem dives contemnit, Deus non despicit. Quando enim excelsus Deus humilis factus est homo, non solum D ad Judæorum populum, sed etiam ad gentium prædicatores suos mittere dignatus est. Unde bene dicitur : « Sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus. » Canes in Scripturis, varias habent significationes. Aliquando populum Judæorum significant, ut in Psalmo legitur : « Circumdederunt me canes multi (*Psal.* XXI). » Aliquando falsos catholicos, sicut per sapientissimum Salomonem dicitur : « Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, ita stultus qui iterat stultitiam suam (*Prov.* XXVI). » Aliquando hæreticos, sicut Apostolus ait : « Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem (*Philip.* III). »

Aliquando malos doctores, sicut per prophetam dicitur : « Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi canes muti, non valentes latrare, videntes vana et amantes somnia (*Isa.* LVI). » Et iterum : « Canes impudicissimi nescierunt saturitatem (*Ib.*) » Et Joannes in Apocalbpsi : « Foris canes et venefici, et impudici, et omnis qui amat et facit mendacium (*Apoc.* XXII). » Sed in hoc loco bonos prædicatores significant, de quibus per Psalmistam dicitur : « Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (*Psal.* LXVII). » Canis enim vulnus quod lingit, citius ad sanitatem perducit. Quid autem sunt vulnera nisi peccata? Sicut enim vulnus ab interioribus visceribus foras in cute erumpit, sic peccata per confessionem pandenda sunt, ut ad sanitatem animæ quis pervenire possit. Igitur nihil aliud est peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio. Et nos ergo confitendo peccata nihil aliud agimus, nisi quod pestiferum in mente latebat, aperimus. Quia ergo sancti prædicatorea gentilem populum ad peccatorum confessionem vocaverunt, quasi spiritales canes vulnera Lazari lingendo curaverunt. Unde bene idem Lazarus, *adjutus* interpretatur: quia illi ad salutem eum adjuverunt, qui peccata sua eum confiteri docuerunt. Et quia gentiles per fidem filii Abrahæ effecti sunt, recte subjungitur : « Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. » Pauper autem in sinum Abrahæ portatur, quia per fidem gentilis populus ad societatem patriarcharum colligitur, Domino dicente : « Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœloram (*Matth.* VIII). » At vero Judæorum populus, qui credere noluit, propter perfidiam repellitur. Unde bene dicitur : Mortuus est autem dives, et sepultus est in inferno. » Recte in capite hujus lectionis primum posuit divitem, deinde pauperem : nunc vero primum pauperem, deinde divitem, ut ostenderet quia Judaicus populus, qui fuerat in capite superbiendo et se exaltando, factus est in cauda : gentilis se humiliando, qui erat novissimus, factus est primus, quia, sicut per sapientissimum Salomonem dicitur : « Superbum sequitur ignominia, et humilem spiritu gloria (*Prov.* XXIX). » Unde et Dominus in Evangelio ait : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV XVIII). » Et iterum : « Erunt primi novissimi, et novissimi primi (*Matth.* XIX). » Qui Abraham a longe conspicit, quia ei per imitationem, ut dictum est, proximus fieri noluit. Qui plus in lingua se cruciari perhibet, quia verba legis, quæ in ore tenuit, opere implere contempsit. Recte etiam in lingua magis ardere dicitur, quia Judæi acuerunt linguas suas sicut serpentes, quando contra auctorem vitæ dixerunt : « Crucifige, crucifige eum. Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX). » Qui ubi extremo digito Lazari se refrigerari precatur, quia illi qui in æterno supplicio sunt damnati, minimis sanctorum operibus, si fieri posset, optarent esse participes. Quod quia post mortem fieri non potest, recte diviti

voce Abrahæ dicitur : « Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. » Quinque autem fratres dives se habere testabatur, quia populus Judaicus quinque libros Moysi accepit. Unde recte per Abraham dicitur : « Habent Moysen et prophetas. » Vel quia ejusdem pars populi, qui adhuc in præsenti vita subsistit, in quinque sensibus corporis constat, quos sensus qui ad spiritalem intellectum flectere nolunt, recte de eorum contumacia subinfertur : « Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexit credent. « Ideo enim in Christum, qui ex mortuis resurrexit, non credunt, quia Moysen et prophetarum dicta spiritualiter non intelligunt. Unde Salvator ait in Evangelio : Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi. De me enim ille scripsit (*Joan.* v).

HOMILIA CXI.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

(I Joan. iii). « Nolite mirari, si odit vos mundus. » Et reliqua. Mundum, dilectores mundi dicit. Nec mirandum quia qui amant mundum, fratrem a mundi amore separatum et cœlestibus tantum desideriis intentum, amare non possint. Abominatio est enim peccatori religio, ut Scriptura testatur.

« Nos scimus quia translati sumus de morte ad vi- « tam, quoniam diligimus fratres. » Nemo se de virtutibus falso extollat, nemo suarum virium paupertatem ultra modum metuat. Apertum dat indicium. « quoniam diligimus fratres, » quia quicunque fraterna dilectione plenus est, ad salutem electorum pertinet, quia portionem habere in terra viventium meruit.

« Qui non diligit, manet in morte. » Mortem dicit animæ. « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* xviii), » Vita quippe carnis, anima : vita animæ, Deus est. Mors corporis, amittere animam : mors animæ, amittere Deum. Unde constat, quia in anima mortui omnes in hanc lucem nascimur, trahentes ex Adam originale peccatum, sed Christi gratia fidelibus regenerando agitur, ut in anima vivere possint. Verum baptismatis et fidei mysterium illis solum prodest, illos de morte trahit ad vitam, qui sincera mente diligunt fratres. Atque ideo notandum, quod non ait : Qui non diligit, venturus est in mortem, quasi de pœna perpetua loqueretur, quæ restat peccatoribus in futuro ; sed « Qui non diligit, inquit, manet in morte, » de qua etiam in hac vita, si fratres perfecte amaret, exsurgere posset. Hinc etenim dicitur in Apocalypsi : « Beatus et sanctus, qui habet spem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem (*Apoc.* xx). »

« Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. » Si contemnebat quisque odium fraternum, nunquid et homicidium in corde suo contempturus est ? non movet manus ad occidendum hominem, et homicida jam tenetur a Deo, vivit ille, et iste jam interfector judicatur. « Et scitis quia omnis homicida non habet vitam in se manentem. » Nam ubi retributionis tempus advenerit, cum Cain qui ex maligno erat, damnabitur etiam qui hoc homicidii genere tenetur (*Gen.* iv), ut discordet et dissideat, et pacem cum fratribus non habeat. Notandum enim quod non ait absolute, « homicida non habet vitam in se manentem : » sed omnis, inquit, homicida, scilicet non solum ille qui ferro, verum et ille qui odio fratrem insequitur.

« In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille « pro nobis animam suam posuit. » Qualis perfecta charitas esse debeat in nobis, Dominicæ passionis exemplo didicimus. « Majorem namque hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis (*Joan.* xv). » Unde et Paulus ait : « Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est (*Rom.* vi). » Hanc beatus Petrus habere monebatur, cum Domino dicente, « Petre, amas me ? pasce oves meas, » respondit se amare, statimque audivit : Cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit (ait Evangelium) significans qua morte clarificaturus esset Deum (*Joan.* xxi). » Cum enim amorem confitenti suas commendaret oves, cum in testimonium perfecti amoris animam pro eisdem ovibus ponere docebat. « Et nos debemus pro fratribus animas ponere. » Sed dicit aliquis forte : Et quomodo possum habere istam charitatem ? Noli cito desperare de te, forte nata est, sed nondum perfecta est, nutri eam, ne offocetur. Et unde novi, inquit, natam in me esse charitatem, quam nutriam ? Audi sequentia :

« Qui habuerit substantiam hujus mundi, et vide- « rit fratrem suum necessitatem habere, et clause- « rit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet « in eo ? » Ecce unde incipit charitas. Si nondum es idoneus mori pro fratre, jam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Si enim molestiam patienti non compateris, non utique pateris : ex quo ambo regenerati estis, charitas manet in te.

« Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, « sed opere et veritate. » Opere videlicet, cum frater aut soror nudi sunt et indigent victu quotidiano, demus eis quæ necessaria sunt corpori. Similiter cum spiritalibus donis eos egere conspicimus, præstemus eorum necessitati quæ possumus. Veritate autem, ut eadem eis beneficia simplici intentione largiamur, et non propter laudem humanam, non propter jactantiam, non ad injuriam aliorum, qui majoribus præditi substantiis nil tale fecerint. Quæcunque enim mens hujusmodi nævis inficitur, in hac puritas veritatis habitare non valet, tametsi opera dilectionis proximis impendere videatur.

« In hoc cognovimus quoniam ex veritate sumus, » id est, cum opera pietatis in veritate facimus, patet quia ex veritate sumus, quæ Deus est, utpote qui ejus perfectionem pro modulo nostro imitamur.

HOMILIA CXII.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

(Luc. xiv). « In illo tempore dixit Jesus discipulis « suis similitudinem hanc : Homo quidam fecit « cœnam magnam, et vocavit multos. » Et reliqua. Omnipotens Deus in exordia mundanæ formationis, ad se cognoscendum, seque perpetualiter laudandum duas rationabiles creaturas, angelicam scilicet et humanam, condidit. Sed quia angelica magna ex parte per superbiam lapsa est, humana naturæ stanti invidit, eamque ad lapsum peccandi traxit, atque paradisi deliciis privavit. Unde scriptum est : « Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum (*Sap.* ii). » Has delicias primus homo amisit, quando in paradiso præcepta vitæ contempsit. Expulsus autem a paradiso, tam longe ab ejus deliciis peccando effectus est, ut vix eas nominatas recordari possit atque spiritales paratus tangere, nisi per similitudines et parabolas. Quia hoc inter carnales et spiritales delicias distat, quoniam carnales deliciæ, cum habentur, in fastidio sunt : cum vero non habentur, in desiderio. At contra, spiritales deliciæ tunc in fastidio sunt, cum non habentur, eduntur : et quanto magis degustantur, tanto amplius desirantur. Hinc et Psalmista ait : « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus (*Psal.* xxxiii). » Primum dixit, gustate ; deinde, videte. Ac si diceret : Ejus dulcedinem percipere non potestis, si hanc minime gustatis. De quo et apostolus Petrus dicit : « Si enim gustatis quoniam dulcis est Dominus (*I Petr.* ii). » Quia ergo ab earum degustatione homo peccando longe recesserat, pius et misericors Deus nolens humanam naturam, quæ aliquid fragile ad delinquendum habuerat, perire perpetuo, iterum pœnitentibus has delicias præparavit, atque ad earum saporem hominibus denuntiandam, servum suum misit. Nam, ut supra retulit evangelista, cum diceret Dominus Pharisæo, a quo fuerat invitatus (*Luc.* xiv) : « Cum facis prandium aut cœnam, noli invitare eos qui te iterum reinvitent, et fiat tibi retributio, sed voca pauperes ac debiles, et beatus eris, quia non habent, unde retribuant tibi ; retribuetur enim tibi in retributione justorum, » quidam de circumstantibus dixerunt : « Beatus qui manducabit panem in regno Dei. » Et Dominus ad illos : « Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. » Spiritualiter homo iste Deus est intelligendus de quo scriptum est : « Homo est, et quis cognoscit eum ? » Et iterum : « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* lxxxvi). » Qui vero homo vocatur ab humanitate, quia benignissimam largitatem quotidie generi humano exhibet. Qui fecit cœnam magnam, quia indeficientem satietatem in æterna dulcedine electis animabus præparavit. Vocavit autem multos, primum per semetipsum Judæis prædicando, postmodum per prædicationem apostolorum ex quatuor mundi partibus populum gentium ad fidem vocando, de qua vocatione per Psalmistam A dicitur : « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* iii). » Super numerum reprobi multiplicantur, quia extra numerum electorum inveniuntur. Multi enim vocantur, sed pauci veniunt : quia multi intrant in Ecclesiam per fidem, sed pauci salvantur per operationem. Et ne de ignorantia homines excusationem haberent, « misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent. » Servus iste qui ad invitandos alios mittitur, ordinem prædicatorum significat. Qui dum verbum divinum intra Ecclesiam annuntiant, quasi plurimos ad cœnam vocant. Non solum enim divinæ pietati satis fuit, quod æternas delicias nobis præparavit, sed etiam servis missis, earum dulcedinem nobis enuntiavit. Ex quibus unus erat ille, qui dicebat : « Pro B Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Rogamus ergo in Christo, reconciliamini Deo (*II Cor.* v). » Hora cœnæ, finis est sæculi, ille scilicet, de quo Paulus ait : « Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x). » Et Joannes : « Filioli, novissima hora est (*I Joan.* ii). » Quamvis enim apud antiquos consuetudo fuerit, ut semel in die pranderent, et hoc convivium et prandium et cœna vocaretur, tamen apud usum nostræ locutionis, post prandium cœna restat, post cœnam autem nullum convivium remanet. Unde non incongrue per hanc cœnam dies judicii, sive illud æternum convivium figuratur, ad quod qui pervenire meruerint, « non esurient neque sitient amplius neque nocebit eis æstus aut sol : quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos C (*Isa.* xlix). » De qua cœna per Joannem dicitur : « Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt, in his secunda mors non habet potestatem (*Apoc.* xix). » Cujus cœnæ participationem se noverat habere, qui dicebat : « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* xxii). » Et iterum : « Satiabor dum manifestabitur gloria tua (*Psal.* xiv). » Tanto ergo ad hanc cœnam festinantius currere debemus, quando post hanc aliam invenire non novimus, Domino monente : « Currite dum lucem vitæ habetis, ne tenebræ mortis comprehendant (*Joan.* xii). » Nam ut fastidium auferret, subjunxit, dicens : « Quia jam parata « sunt omnia. » Omnia enim parata sunt, quia ille singularis agnus occisus est, in cujus præparatione D omnia præcesserunt. Sive omnia parata sunt, quia nullum exemplum virtutis est, quod ad nostram imitationem in operibus sanctorum non sit declaratum. Jam enim innocentiam Abel audivimus, obedientiam Abrahæ, constantiam Isaac, tolerantiam Jacob, castimoniam Joseph, mititiam Moysi, misericordiam David, patientiam Job, et finem Domini vidimus.

« Et cœperunt omnes simul excusare. » Offert Deus quod rogari debuerat, dare paratus est nonrogatus, de quo vix credi potuit, quod largiri dignaretur, etiam postulatus. Investigandæ enim sunt deliciæ Domini, etiamsi fuissent absconditæ. Nunc

autem manifeste paratæ sunt, et tamen ad eas accipiendas pigri et fastidiosi sumus. Quod ideo fit, quia plus terrenis desideriis, quam cœlestibus inhiamus. Unde et subditur : « Primus dixit ei : Villam emi, « et necesse habeo exire et videre illam : rogo te, « habe me excusatum. » Quid per villam, nisi terrena designatur substantia? Exiit ergo videre villam, qui ut terrenam acquirat substantiam, in exterioribus rebus semetipsum implicat. Sunt enim nonnulli qui, divitiarum temporalium cupiditate capti, ut ditiores et potentiores aliis appareant, diversis artibus et ingeniis, terrenis negotiis inserviunt. Dumque æternam vitam aut vix aut tarde ad memoriam reducunt, etsi non verbis tamen operibus ad convivium Dei venire negligunt : quia sicut ait Apostolus : « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II). » Et sicut Dominus dicit in Evangelio, difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum (*Matth.* XIX. Igitur qui toto desiderio peragendis superfluis curis et mundanis intendit, magis sæculum imitari videtur quam Deum, sicut Jacobus apostolus ait : « Qui voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur (*Jac.* IV) « Et iterum : « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia (*I Tim.* VI). »

« Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo « probare illa; rogo te, habe me excusatum. » Quid in quinque jugis boum, nisi quinque sensus corporis, intelliguntur, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus et tactus? Qui bene juga vocantur, qui in utroque sexu geminantur. Quos sensus ideo accipimus, ut inter bonum et malum discernere valeamus. Sunt etenim nonnulli, qui sensus corporis, duos acceperunt ad usum naturæ, in usum convertunt culpæ : et oculos quidem ad concupiscentiam, et aures aperiunt ad audiendam libenter detractionem, linguam ad maledictionem, manus ad proximi læsionem, nares ad illicitum odorem. Dumque semetipsos obliviscentes, aliena opera ad derogandum curiosius inquirunt, scilicet non ut corrigant aut emendent, sed ut dijudicent et contemnant, ad convivium Dei non veniunt. Unde bene de quinque jugis boum dicitur, « eo probare illa. » Solet enim probatio aliquando ad curiositatem pertinere. Qui enim de alterius oculo festucam ejicere nititur, ut sanctior et justior videatur cæteris, in suo trabem non videns (*Matth.* VII), quasi ad probanda juga boum egrediens, ad convivium Domini non venit. Grave namque curiositatis est vitium, qui dum alienas actiones dijudicat, semetipsum obliviscitur. Tales significavit Dina Jacob filia (*Gen.* XLIII), quæ cum egressa esset ut videret mulieres regionis illius, videlicet Sichimis, ad quam ingressa fuerat cum patre et fratribus, turpiter a Sichem Emor filio consturpata, patre interveniente et fratribus pugnantibus liberata, ad paternam domum reversa est. Quando enim mens infirmantium actiones curiose perscrutatur, quasi Dina filia Jacob mulieres regionis videre desiderans, a paterna domo egreditur (*Gen.* XXXIV), id est a semetipsa recedit : sicque violata virginitate ad domum paternam revertitur, quia solet contingere ut in iisdem vitiis deterius labatur, in quibus acrius alios judicabat, quam decebat. Et sicut Dina filia Jacob, nisi patre interveniente et fratribus pugnantibus liberari non poterat, ita quoque actio curiositatis eripi non poterit, nisi Domino miserante et sanctorum orationibus intervenientibus. Qui ergo adhuc in ætate puellari, id est novellus in conversatione fuerit, in paterna domo maneat, id est in secreto sui pectoris se ante se ponat, et juxta Evangelii præceptum intret in cubiculum, et clauso ostio oret patrem suum (*Matth.* VI). Illi autem ad aliorum actiones corrigendas foras procedere debent, quos et morum gravitas, et ætatis maturitas, et diuturna sanctitas, atque temperata discretio idoneos reddit. Notandum quod et is qui propter villam, et is qui propter quinque juga boum venire excusat, in excusatione sua eadem verba proferunt, cum dicunt : « Rogo te, habe me excusatum. » Cum enim dicit, « Rogo te, » humilitas sonat in voce ; cum autem subjungit, « habe me excusatum, » superbia ostenditur in actione. Sunt enim nonnulli infirmæ mentis homines, qui suave jugum Christi suscipere metuunt, et tamen in iniquitatibus suis jacere non formidant. Tales ut Psalmista ait « illic trepidaverunt timore, ubi non est timor (*Psal.* XIII). » Quibus cum a doctoribus prædicatur, ut pravitates suas deserant, et sæcularia desideria abnegent, respondere solent : Rogo te, ora pro me, hoc tamen agere non possum. Cum ergo dicit : Rogo te, ora pro me : et cum dicit : Hoc agere non possum, qui aliud est, nisi quia humilitas sonat in voce et superbia in actione? Tales significavit Petrus adhuc in infirmitate positus, quando viso miraculo piscium, dixit : « Exi a me, quia homo peccator sum, Domine (*Luc.* V). » Sed qui se peccatorem considerat, Deum a corde suo nullo modo repellat, sed quo magis se impium intelligit, eo magis misericordiam Dei imploret.

« Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non pos« sum venire. » Quid per uxorem, nisi voluptas carnis designatur? Nec mirum. Solet enim per licitam rem res illicita figurari. Conjugium namque est res licita, quia a Deo concessum est, sicut scriptum est : « Erunt duo in carne una (*Marc.* X). » Et Apostolus : « Quos Deus conjunxit, homo non separet (*Ibid.*). » Sed dum plerique non pro desiderio filiorum, sed pro sola carnis delectatione explenda illud suscipiunt, ad convivium Dei venire recusant, comparati jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis, in quorum vituperationem per prophetam dicitur : « Equi amatores et emissarii, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat (*Jer.* V). » Et iterum : « Quorum carnes sicut carnes asinorum, et sicut fluxus equorum fluxus eorum (*Ezech.* XXIII), » quibus per Prophetam dicitur : « Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI). » Tres ergo ordines Dominus excusationum

commemoravit, quia tria sunt spiritaliter vitia, in quibus genus humanum maxime implecatum, ad convivium Dei venire contemnit, per quæ et diabolus Jesum Christum tentavit, id est, per avaritiam, per curiositatem, quæ pertinent ad vanam gloriam, et per concupiscentiam carnis, id est per gulam : quæ sollicite nos cavere Joannes apostolus admonet, cum dicit : « Charissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt : quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum (*I Joan.* II), et ambitio sæculi. » Emptio ergo villæ ad ambitionem sæculi pertinet, id est ad avaritiam. Probatio quinque jugorum boum, ad concupiscentiam oculorum, id est ad curiositatem. Conjunctio uxoris, ad concupiscentiam carnis, id est ad luxuriam. Alios enim superbia inflat, alios luxuria maculat, alios cupiditas vel curiositas devastat. Ex earum enim radicibus multi vitiorum rami pullulant, qui multos a convivio Dei revocant. Fugientes ergo superiora vitia, non aliorum nequitias perscrutemur, sed ad nos reversi, cogitemus tales nos fuisse, aut tales nos esse posse. Cupiditatem et avaritiam fugiamus, et pauperes esse propter Christum desideremus, ut ait Apostolus : Habentes victum et vestimentum, « his contenti simus (*I Tim.* VI). » Petulantiam non solum fugiamus, sed etiam a licito usu conjugii abstineamus : et secundum Apostolum » habentes uxores, simus tanquam non habentes (*I Cor.* VII). » — « Et reversus servus nuntiavit « hæc Domino suo. » Servus iste, ut supra dictum est, speciem tenet doctorum. Nuntiat ergo servus Domino suo verba excusantium, cum doctores pro illorum erroribus dolent, atque simpliciter Dominum deprecantur, quos verbum Dei despicere cognoscunt et ad cœnam venire. Sed nunquid quia avari, quia curiosi, quia luxuriosi venire contemnunt, locus convivii Domini vacuus remanebit ? Non. Audi sequentia :

« Tunc iratus paterfamilias. » Quæritur quomodo iste paterfamilias irasci dicitur, quem figuram Dei diximus tenere, cum in Deo nulla ira cadat, nulla mutabilitas sit. Ad quod dicendum, quia more nostro Scriptura loquitur, ut per visibilia invisibilia intelligamus. Neque enim aliter intelligere poteramus. Sicut enim rex tunc iratus dicitur, quando in peccatores vindictam exercet, ita Deus omnipotens illis iratus apparebit, quos pro peccatis puniet. Cæterum vere in sua natura immutabilis est, et irasci nunquam potest, sicut de eo quidam sapiens testatur : Tu autem, Domine sabaoth, cum tranquillitate judicas. Et apostolus : « Apud quem non est transmutatio (*Jacob.* I). » De quo etiam Psalmista ait : « Deus judex justus, fortis et patiens, nunquid irascitur (*Psal.* VII) de die in diem ? »

« Dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos « civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos « compelle intrare. » Plateæ a latitudine dicuntur, vicus autem a convivantibus nomen accepit. Superbis ergo venire contemnentibus, humiles pauperes colliguntur; quia dignum est, ut quos mundus despicit, Deus eligat. Quia, sicut ait Apostolus, « infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia ; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit, ut ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I). » Ubi colligere possumus, quia per infirmitates membrorum, infirmitates mentium expressæ sunt. Pauperes enim et debiles sunt, qui se apud semetipsos despiciunt. Cæci, quos intellectus Scripturarum nullo ingenio illuminat. Claudi, qui per intellectum viam Dei vident, et tamen præ infirmitate mentis per eam currere formidant. Et hi ergo qui colliguntur, peccati vinculo tenentur, sicut et illi qui venire contempserant. Sed pauperes humiles colliguntur, superbi vero peccatores despiciuntur. Frequenter enim illi facilius ad Deum convertuntur, quos mundi prosperitas diversis occupationibus non ligat.

« Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, « et adhuc locus est. » Ac si diceret : Jam pars quædam ex Judæis credidit, sed adhuc locus restat, ubi multitudo gentium subintroeat. De quibus adhuc subditur :

« Et ait Dominus servo : Exi in vias et sepes, et « compelle intrare, ut impleatur domus mea. » Cum superius Dominus de plateis et vicis aliquos colligere præcepit, populum Judæorum significare voluit, qui suburbanam habitationem accepit : quia in urbibus quasi in vicis degebat, et in legalibus institutis quodammodo excultus fuit. Nunc autem cum de viis et sepibus alios intrare compellit, gentilem populum intelligi vult agrestem et quodammodo a cultura Dei alienum. Primum ergo in plateas et vicos misit, quia prius ad gentem Judæorum prædicatores suos destinavit, dicens : « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed ite potius ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* X). » Illis autem maxima ex parte non credentibus, gentiles vocantur, cum dicitur : « Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. » In via quippe lata et spatiosa, quæ ducit ad mortem, gentilis populus erat, et tortuosis flexibus more sepium, variis criminibus et peccatis alligatus. Sive certe, ut quidam volunt, cum superius divites aliquos colligere præcepit, populum Judæorum significat, ut dictum est. Per illos autem, qui de plateis vocantur, gentium populus designatur, qui ex altitudine vel longitudine vitiorum, per prædicationem apostolorum, ab idolorum culturis ad verum Deum conversi sunt. De quibus dicitur : « Pauperes ac debiles, » etc. Pauper enim, debilis, cæcus et claudus, gentilis populus erat. Pauper erat quia delicias paradisi perdiderat : debilis, quia a bono opere torpebat : cæcus, quia in tenebris et umbra mortis sedebat : claudus, quia in utroque pede claudicans, a recto itinere cessabat. Qui ergo lucem veritatis ignorabat, viam mandatorum Dei currere nesciebat, delicias spiritales amiserat, nec bonum operari noverat. Non igitur soli illi currunt ad convivium, qui debiles sunt corpore,

sed et mente. Pauper enim est, qui quamvis dives sit, tamen egens virtutibus divitias distribuit ut Dominus, non autem eas concupiscit ut servus. De quibus Dominus ait: « Beati pauperes spiritu (*Matth.* v). » Cæcus est, qui illud lumen aspicere non potest, qui dixit : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII). » Debilis, qui fidem perfectam non habet, quam Dominus commendans discipulis, ait : Si habueritis fidem, et reliqua (*Matth.* XVII). Claudus est, qui habet fidem sine operibus, aut opera sine fide. Quia sicut « fides sine operibus mortua est (*Jacob.* II), » ita et opera sine fide nihil sunt. Ergo tales ad convivium Dei vocantur, quia « non est opus sanis medicus, sed male habentibus. (*Matth.* IX). » Cum autem ait : « Exi in vias et sepes, » per illos qui de viis vocantur, populum Judæorum intelligi voluit, qui quasi ex viis vocatus est, quia legem habebat, per quam incedere debebat. Per sepes vero, gentilis populus intelligitur. Sepes vero ex sylva sunt. Solet autem natio gentium per ligna sylvarum designari, scriptum est : Tunc exsultabunt omnia ligna sylvarum. Tunc autem ipsi vocati sunt, quando latam et spatiosam viam atque tortuosam, quæ ducit ad mortem, reliquerunt, et iter rectum incedere cœperunt. Unde Joannes in Apocalypsi, postquam dixisset se ex duodecim tribubus duodecim millia signatos vidisse, adjunxit, dicens : « Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare non poteram (*Apoc.* VII). » Notandum autem, quia in hac tertia invitatione non dicitur, « voca, » sed « compelle intrare. » Sunt enim plerique qui non facile ad Deum convertuntur, nisi prius aut infirmitate aut paupertate aut aliqua necessitate constricti fuerint : quod illa parabola Evangelii de prodigo filio ostendit, qui cum egere cœpisset, ad se reversus, dixit : « Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo : surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis (*Luc.* XV). » Et de talibus Psalmista ait : « Cum occideret eos, tunc inquirebant eum (*Psal.* LXXVII). » Et sicut per prophetam dicit : « Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui (*Isa.* XXVIII). » Nonnulli enim electi post carnis desideria currere desiderant, cum amatoribus mundi communem vitam ducere, sed oculus divinæ misericordiæ eorum impias actiones præveniens, alios infirmitate affligit, alios paupertate attenuat, alios necessitatibus variis coangustat. Cumque post flagella ad Deum convertuntur, quasi ad convivium ejus intrare compelluntur. Talibus per prophetam dicitur : « Virga et flagello castigaberis filia Sion, ut non discedat zelus meus a te. » Tales significavit puer ille Amalechites, de quo in Regnorum libris legitur, qui sociis fugientibus infirmus in via remansit, quem David persequens Amalechites reperit, cumque cibo et potu refocillavit, atque ducem sui itineris fecit, et ipse postea cum David Amalechites percussit, a quorum consortio infirmus in via remansit (*I Reg.* XXX). Amalechites enim, qui *lambens populus* interpretatur, mundi amatores significat, qui de aliorum facultatibus ditari desiderant. Sunt enim nonnulli electi qui cum talibus communem vitam ducere optant, sed misericordia Dei præveniente, aut infirmitate, aut aliqua necessitate præpediuntur, quasi infirmi in via remanent, quos David, id est, manu fortis Dominus scilicet Jesus Christus reperiens, spiritali cibo et potu refocillat, atque eorum mentes ad cœlestia sitienda accendit. Et solet contingere, ut ipsi postea ad Deum conversi amatores mundi spiritali gladio increpandos feriant, cum quibus prius communem vitam in sæculo ducere desiderabant, qualibus per Osee prophetam pie comminatur, dicens : Ecce ego « sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et sequeris amatores tuos, et non apprehendes eos, quæres, et non invenies eos, et dices : « Revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc (*Osee.* II). » Valde autem terribile est quod in conclusione hujus parabolæ dicitur :

« Dico autem vobis quod nemo illorum virorum, « qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. » Quod omnes enim vocati sumus, scimus utrum autem ad æternam beatitudinem degustandam perventuri, adhuc ignoramus. Multis enim modis vocat nos Deus, per fidem, per baptismum, per exempla patrum, per prospera et adversa, per somnia et revelationes. Quia ergo inexcusabiles sumus de vocatione, solliciti debemus esse, necesse est, in bona operatione, ne tempore judicii a convivio Dei exclusi, cum fatuis virginibus fame pereuntes et clamantes, Domine, Domine, aperi nobis, audiamus : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV), » sed potius cum prudentibus virginibus in æterna satietate de visione Conditoris jugiter epulemur.

HOMILIA CXIII.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

(I PETRI V.) « Charissimi, humiliamini sub po- « tenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visita- « tionis. » Et reliqua. Modo, fratres charissimi, audivimus beatum Petrum apostolum ad humilitatem nos cohortantem atque dicentem : « Humiliamini sub potenti manu Dei. » Manus Dei, potestas ejus datur intelligi, quia in Deo compaginatio membrorum non invenitur, qui ubique et in omnibus totus est plenus, atque perfectus. Sub more hominum de Deo loquitur Scriptura, ut apertius majestatem atque potentiam sui Creatoris homines intelligant, et intelligentes quæ sit voluntas Dei, opere complere contendant, unde gaudia sibi sempiterna conquirant. Sequitur : « Ut vos exaltet in tempore visitationis. » Quia quisquis hic in præsenti sæculo ejus se subdiderit voluntati, et in præceptis ejus assensum commodaverit, et ea, quantum divina gratia posse dederit, operibus adimplere sategerit, carnis superbiam conterendo, in die ultimæ retributionis exaltabitur a Domino, atque ad æternæ beatitudinis præmia perducetur.

« Omnem sollicitudinem vestram projicientes in « eum, quoniam ipsi cura est de vobis. » Ut Psalmista nos admonet, dicens : « Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet (*Psal.* LIV). » Et alibi : « Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono (*Psal.* XXXIII). » Et ipse Dominus in Evangelio : « Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus ? scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI). »

« Sobrii estote, et vigilate. » Semper in sobrietate et modestia vitam vestram habetote, caventes semper astutias diaboli, et vigilate jugiter in custodia mandatorum Dei, et in custodia animarum vestrarum. Sequitur :

« Quia adversarius vester diabolus tanquam leo « rugiens circuit, quærens quem devoret. » Diabolus enim nunquam dormiens, nunquam ab insidiis hominum requiescens, sed semper die et nocte circuit tentando et insidias ponendo hominibus, qualiter quemquam illorum, qui Dei voluntate subjecti sunt, sua valeat suggestione decipere, « quærens quem devoret » non corpore, sed anima, quemcunque ad nociva et inutilia valeat pertrahere carnalia desideria.

« Cui resistite, fortes in fide. » Exemplo Christi et sanctorum ejus contemnentes dulcedinem carnalis concupiscentiæ, recordantes jugiter quid sit illis amaritudinis præparatum, qui desideriis terrenis inserviunt, nec converti a malitia sua per pœnitentiam volunt. Nos ergo fideliter Domino adhærere satagamus, ejusque præcepta jugiter meditemur, carnis nostræ desideria conteramus, et resistamus fortiter diabolo hosti nequissimo, in fide recta, in spe firma ad Dei omnipotentis misericordiam, in charitate perfecta ad servitium ejus, in operibus misericordiæ et pietatis, ut ejus largiente gratia, mereamur et de hoste triumphum, et æternæ beatitudinis præmium.

« Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in « æternam suam gloriam in Christo, » per incarnationem unigeniti Filii sui, quem pro mundi misit mori salute.

« Modicum passus, » qui in hoc mundo quamvis modici temporis, multas sustinuit pro nobis injurias, ad ultimum etiam crucifixus et occisus est pro redemptione nostra, et mori dignatus est pro nobis. Modicumque temporis retentus a morte, statim surrexit tertia die.

« Ipse perficiet » in nobis bonum quod cœperat, nosque in sua semper voluntate, et in divina religione confirmet et corroboret, » in perseverantia bonorum operum.

HOMILIA CXIV.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

(Luc. XV.) « In illo tempore : Erant appropinquan- « tes ad Jesum publicani et peccatores, ut audirent « illum. » Et reliqua. Sicut unius peccatoris casus multos ad desperationem trahere solet, qui ejus malum exemplum imitantur, sic unius recuperatio multis prodest ad salutem. Quod in exordio hujus lectionis facile comprobamus, si superiora hujus Evangelii sollicite consideremus. Ut enim evangelicus sermo supra retulit : Transiens Jesus, vidit hominem sedentem ad telonium, nomine Levi, qui et ipse princeps erat publicanorum, et vocavit eum. At ille relictis omnibus surgens, secutus est illum. Et fecit ei convivium magnum in domo sua, et erat turba multa publicanorum discumbentium cum eo. Ergo publicani et peccatores videntes principem suum tam benigne a Deo non solum receptum, sed etiam in ordinem apostolatus vocatum, tandem resumpta fiducia, quasi ægroti ad medicum accesserunt, ut audirent illum. Et non solum ad colloquendum, sed etiam ad convescendum recepti sunt. Quod videntes scribæ et Pharisæi, qui de falsa justitia sibi applaudebant, non solum ægrotos ad medicum accedentes, sed etiam ipsum medicum ore contumaci reprehendebant, dicentes :

« Quia hic peccatores recipit, et manducat cum « illis. » Unde cognoscimus, quia sicut vera justitia compassionem habet, sic falsa dedignationem. Dominus autem Jesus Christus veram justitiam habens, compassione et misericordia publicanos et peccatores suscipere non est dedignatus. Phærisæi quidem qui falso se justos arbitrabantur, non solum peccatores despiciebant, sed ipsum medicum peccatores vocantem reprehendebant. De quorum numero erat ille unus Pharisæus, nomine Simon, qui cum invitasset Dominum ad domum suam, et vidisset mulierem peccatricem lacrymis pedes ejus rigantem, et capillis suis tergentem, dicebat in corde suo : « Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est hæc mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est (*Luc.* VII). » Quem præveniens Dominus, ait illi : « Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille dixit : Magister, dic. » Ait illi : « Duo debitores erant cuidam feneratori, unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligere (*Ibid.*) » habuit ? At ille hoc, quod negare non potuit, respondit, dicens : « Æstimo quia is cui plus donavit (*Ibid*). » Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : « Vides hanc mulierem ? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intravi, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa (*Ibid*). » Sed illis murmurantibus, Dominus talem similitudinem adhibuit, ut et eorum murmurationem ex ratione compesceret, et ipsa similitudo ad ipsum Auctorem omnium specialiter pertineret.

« Ait enim ad illos parabolam istam, dicens : Quis

« ex vobis homo, qui habet centum oves, et si per- A « diderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta no- « vem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, « donec inveniat illam ? » Ac si diceret : Si vos ovem perditam studio tanto et labore inquiritis, non ovi, sed vestræ avaritiæ consulentes, quanto magis ego hominem debeo ad imaginem Dei factum quærere, et de perditione liberare ? Quia non veni quemquam perdere, sed omnes salvare (*Luc.* IX). Spiritaliter homo iste, ille est de quo propheta ait : « Ecce veniet Deus et homo de domo David, » scilicet Dominus Jesus Christus, qui habuit centum oves, quando angelicam et humanam naturam perfectam creavit. Centenarius enim numerus perfectus est, et ipse centum oves habuit, quando ad obtinendam æternam perfectionem angelorum et hominum naturam condidit. Una enim ovis tunc periit, quando primus homo peccavit. Sed ille, cujus misericordia est ab æterno et usque in æternum super timentes eum, nolens humanam naturam perpetuo perire, relictis nonaginta novem ovibus in deserto, abiit illam quærere quæ perierat. Desertum hic cœlum intelligitur. Quia enim desertum dicitur derelictum recte in hoc loco cœlum desertum vocatur, quia primus homo peccando illud deseruit. Quod manifestius significare volens alius evangelista pro deserto, in montibus posuit, ut intelligas, in excelsis. Reliquit ergo nonaginta novem in deserto, quando illos angelicos spiritus in cœlo relinquens, propter nos et propter nostram salutem humanam naturam suscepturus, intravit terram. Notandum tamen quia non sic eos deseruit, ut semper per divinitatis potentiam cum illis non esset, per quam ubique est præsens, ubique est totus, sicut et nos deseruit, quando ad illos rediit. Quæsivit enim ovem se non quærentem, quia natura humana cum non posset accedere ad ejus divinitatem, factus est nobis vicinus per humanitatem, teste Apostolo, qui ait : « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus (*Phil.* II). » Et iterum : « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus (*Gal.* IV). »

« Et cum invenerit eam, imponet in humeros suos « gaudens. » Per humeros Dei labor passionis ejus exprimitur. Quoniam ergo habet homo majorem fortitudinem in humeris ad onera portanda, quam in cæteris membris, merito per humeros virtus passionis designatur, sicut Isaias ait (*cap.* IX) : « Et factus est principatus ejus super humerum ejus. » Quia enim in humeris onera portare solemus, inventam ovem in humeris posuit, quando nos per laborem suæ passionis ad cœlestem gloriam revocavit. De quo per beatum Petrum dicitur : « Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum (*I Petr.* II). » Sive impositam in humeris ad gregem reportavit, quando nos ad suam similitudinem reformavit. Hoc est ergo ovem inventam in humeris imponere, quod juxta aliam parabolam hominem a latronibus vulneratum imponere in jumentum et ducere in stabulum.

« Et veniens domum. » Domus, ad quam inventa ovis reportatur, cœlestis est patria, ad quam illa spiritalis ovis pii pastoris humeris se reportari optabat, cum dicebat : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini, et visitem templum ejus (*Psal.* XXVI). » Et iterum : « Erravi sicut ovis quæ periit, require servum tuum, Domine (*Psal.* CXVIII). » Inventa ergo ove, ad Do- B minum revertitur, quia post liberatam humanam naturam, post triumphum suæ passionis, ad cœlum rediit per gloriam ascensionis. Quanta autem gloria de hominis liberatione angelis in cœlis orta sit, manifestatur cum subditur :

« Vocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratu- « lamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perie- « rat. » Amici et vicini angelorum spiritus sunt, qui amici recte vocantur, quia ab ejus veritate nunquam discordant. Vicini, quia visionem claritatis illius e proximo contemplantur. Notandum autem quod non ait, congratulamini inventæ ovi, sed mihi, ostendens quia nostra salus illius est gaudium. Piissimus enim Deus, cum sit immutabilis, sicut humano more contristari pro hominum perditione dicitur, sic de ejus salute gaudere. Quod autem de C hominum perditione doleat, ipse per prophetam declarat, cum enumeratis Jerusalem peccatis, adjungit, dicens : In omnibus istis contristabas me. Quantum autem de ejus salute gaudeat evangelista declarat, dicens : In illa hora exsultavit Jesus spiritu, et dixit : « Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI). » Cujus gaudii perfectionem Dominus declarat, cum exponens similitudinem subjungit, dicens :

« Dico vobis quod ita gaudium est in cœlo super « uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra « nonaginta novem justis, qui non indigent pœni- « tentia. » Majus ergo gaudium est in cœlo de conversis peccatoribus, quam de stantibus justis : quia D et nos terrenam substantiam perditam cum majori gaudio recuperamus, quam ante perditionem possederamus. Quod manifeste illa parabola Evangelii indicat, ubi prodigum filium revertentem pater cum magno gaudio suscepit, dicens : « Proferte cito stolam primam, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedes, et occidite vitulum saginatum, et epulemur et jucundemur : et quia hic filius meus mortuus fuerat, et revixit ; perierat, et inventus est (*Luc.* XV). » Sed forte movet aliquem, quomodo angeli Dei, in quibus summa perfectio est, magis de conversione peccatorum quam de statu justorum gaudere possint ? Ad quod dicendum, quia sunt non-

nulli electi, qui Deo se protegente nulla capitalia crimina commiserunt, et tamen nullis virtutibus principalibus se exercent. Et quia suo judicio sibi justi esse videntur, tanto securius vivunt, quanto se minus peccatores cognoscunt. Qui vero post publica flagitia et scelera ad pœnitentiam conversi, tanto se acrius affligunt, quanto gravius se peccasse meminerunt: et sibimet irati, carnem suam per abstinentiam et vigilias macerant; voluntates proprias abnegant, jejuniis et eleemosynis inserviunt, in orationibus et lacrymis compunguntur, et mortificantes semetipsos, « crucifignnt membra sua cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* III). » De talium ergo peccatorum conversione majus gaudium est in cœlo, quam de illorum justorum statu, qui, ut diximus, tanto minus se in bonis exercent operibus, quanto minus se obligatos sentiunt in malis gravioribus: quia et rex eum militem in prælio plus diligit, qui post fugam reversus adversarios viriliter premit, quam illum qui nunquam iniit fugam, nec tamen aliquando aliquid fortiter gessit. Similiter et agricola eam terram plus diligit, quæ post excerptionem veprium et spinarum uberiores fructus reddit, quam illam quæ nunquam spinas protulit, nec tamen uberes fructus fecit. Sunt etiam alii justi, qui cum justitiæ opera habeant, se tamen minime ipsi justos arbitrantur, et quasi conscii sibi sint magnorum peccatorum, ita semetipsos accusant, affligentes se jejuniis, vigiliis, orationibus: et sicut alii culpas operis, ita illi plerumque deplorant culpas cogitationis. Considerandum ergo est, quia si de conversis peccatoribus gaudium sit in cœlo, multo magis maximum gaudium est de talium justorum operatione. Neque angeli in quibus perfecta est charitas, sine gaudio salutem hominum videre possunt, de quorum interitu dolere dicuntur.

« Aut quæ mulier habens drachmas decem, si per« diderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, « et evertit domum et quærit diligenter donec inve« niat? » Qui superius per pastorem, ipse nunc signatur per mulierem, Dominus scilicet Jesus Christus, Dei virtus et Dei sapientia. Quæ mulier habens drachmam decem, quia angelorum et hominum rationalem creaturam creavit. Novem enim sunt ordines angelorum, id est angeli, archangeli, throni et dominationes, virtutes, principatus et potestates, cherubim et seraphim. Decimus enim per superbiam cecidit. Sed ut electorum numerus compleretur, ad illius restaurationem homo decimus creatus est. Quia tantam multitudinem ex animabus fidelium cœlum credimus ascensuram, quantos illic contigit angelos remansisse juxta illud quod scriptum est: Statuit terminos hominum juxta numerum filiorum Israel. Et sicut Dominus ait in Evangelio: In resurrectione « neque nubent, neque nubentur; sed erunt æquales angelis in cœlo (*Marc.* XII). » In drachma enim imago regis exprimitur: et quia angelorum et hominum spiritus ad imaginem Dei creati sunt, recte in drachmarum nomine exprimuntur. Unam drachmam mulier perdidit, quando primus homo peccavit. Sed Dei sapientia, nolens hominem perire perpetualiter, accendit lucernam. Lucernam quippe accendit, quando humanam naturam, quam ex nobis assumpsit, virtute miraculorum per suam divinitatem clarificavit. Lucerna enim lumen est in testa, lumen in testa divinitas in humanitate. Sicut enim lumen in testa convalescit, ita Dei caro per ignem passionis ad immortalitatem transivit, sicut ipse per Prophetam ait: « Exaruit velut testa virtus mea (*Psal.* XXI). » Sed postquam mulier accendit lucernam, domum evertit, quia cum Dominus in humanitate apparuit, statim cor humanum ad pœnitentiam agendam convertit, ipso dicente: « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Evertitur quippe domus, quando homo illud quod nequiter gessit, graviter in seipso puniens destruit.

« Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, « dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drach« mam quam perdideram. » Amicæ et vicinæ, supernæ civitatis virtutes sunt et angelorum scilicet spiritus, qui ab ejus voluntate nunquam discordant, nec ab illius visione aliquo intervallo temporis separantur. Congratulabuntur namque angeli in inventione ovis et drachmæ, quando numerum suum, quem per apostatam angelum imminutum viderunt, per recuperationem hominis compleri cernent. Notandum autem, quia non ait, congratulamini inventæ drachmæ, sed mihi, ostendens quia nostra liberatio liberatoris est exsultatio. Magna est enim spes conversis peccatoribus, magna fiducia pœnitentibus tribuitur, cum subinfertur:

« Ita dico vobis, quia gaudium erit coram angelis « Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam « supra nonaginta novem justis qui non indigent pœ« nitentiis. » Quis igitur habet tam durum pectus et impœnitens cor, ut hæc audiens non convertatur? Ut ergo gaudium habeant de nostra conversione angeli, utique dignum est ut luctum in terra teneamus, dicentes cum Psalmista: « Lavabo per singulas noctes lectum meum (*Psal.* VI), » ut impleatur in nobis quod Dominus dicit in Evangelio: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V. » Sed videndum est qualis debeat esse pœnitentia, quia multi sunt, qui se peccatores assidue dicunt, et tamen adhuc delectat eos peccare. Alii a vino et carne se abstinent, alii largas eleemosynas tribuunt: sed quia a peccato non cessant, fructus dignos pœnitentiæ non faciunt. Quoniam veram pœnitentiam facere non potest, nisi qui peccatum odit et Deum diligit. Ille est enim pœnitens dicendus, qui sic præterita deflet, ut iterum flenda non committat. Unde bene pœnitentia dicta est, quasi punientia: quia ita præterita mala punire pœnitendo debemus, ut ea iterum pœnitenda non committamus. Quia qui præterita plangit, et futura cavet, securus ad Deum venit. Qui enim delectabiliter et sine cessatione malis operibus inhæret, et a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, se abstinet, magis irri-

sor quam pœnitens dicendus est. Utrumque enim pœnitentibus necessarium, ut et pro peccatis amaritudinem habeant in corde, et afflictionem in corpore, ut caro, quæ læta nos traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, juxta illius exemplum qui ait: « Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina (*Psal.* XXXI). » Unde alibi voce pœnitentis dicitur: « Manducabam sicut cinerem panem meum, et poculum meum cum fletu miscebam. A facie iræ et indignationis tuæ (*Psal.* CI). » Et iterum: « Ego autem dum mihi molesti essent, induebar cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam (*Psal.* XXXIV). » Hinc ecclesiastica consuetudo publicam pœnitentiam in cinere et cilicio indicere consuevit, ut in asperitate cilicii afflictio sentiatur exterius, et in visione cineris recordatio sit humanitatis interius. Hinc in voce beati Job in persona pœnitentium dicitur (*cap.* XLII): « Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. » Nullus de magnitudine peccatorum desperet, quia etsi magni morbi animarum, omnipotens est medicus, qui non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Nullum enim vulnus peccati tam magnum est, ut per pœnitentiam sanari non possit, si tamen medicina pœnitentiæ non negligatur. Non enim ille mentitur qui ait: « In quacunque die peccator conversus fuerit, et ingemuerit, peccata illius oblivioni tradentur. » Et iterum: « Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII et XXXIII). » Hinc peccatricem animam ad pœnitentiam provocans, per prophetam Dominus dicit: « Nunquid potest mater oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui (*Isa.* XLIX). » Humana enim natura sicut facile cadit, sic facile surgere potest. Quia sicut ait Salvator in præsenti lectione: « Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. »

HOMILIA CXV.

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

(LUC. VI.) « In illo tempore, dixit Jesus discipulis « suis: Estote misericordes, sicut et Pater vester « misericors est. » Et reliqua. In cæteris virtutes quibus Dominus Jesus Christus cœlestem gloriam quærere monui, præcipue misericordiam commendavit. Denique cum in monte sedens octo beatitudines discipulos suos doceret, ait inter cætera: « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* V). » Quisquis ergo ad hoc præmium beatitudinis pertingere desiderat, virtutem misericordiæ studeat habere. Ut autem ostenderet non solum gratis, sed etiam ingratis misericordiam impendendam, postquam sententiam de dilectione inimicorum protulit, adjunxit hoc quod in capite hujus lectione audivimus, dicens:

« Estote ergo misericordes. » Primum ergo etymologiam hujus nominis videamus, ut virtutes illius perfectius cognoscere valeamus. Misericordia enim

A ex *corde* et *miseria* compositum est nomen; in qua compositione ostenditur, quia ubicunque est miseria, ibi necesse est misericordia. Duobus autem modis misericordiam intelligimus: una est corporalis et altera incorporalis; una visibilis et altera invisibilis. Ad corporalem namque misericordiam pertinet, esurienti cibum, sitienti potum tribuere, vestire nudum, suscipere hospitem, visitare infirmum, sepelire mortuum, et peccantibus in nobis ex corde dimittere, et necessitati proximorum juxta vires succurrere, et cætera his similia pietatis opera impendere. Aut vero spiritalis misericordia est insipientem docere, consolari dolentem, exhortari bene agentem, corripere negligentem, et superbientem ad humilitatem et satisfactionem provocare, et cætera talia. Una est ergo

B bona, et altera melior: quia tanto est melior misericordia spiritalis quam corporalis, quanto est anima melior quam corpus. Per unam enim reficitur corpus, quod est moriturum, per alteram anima sine fine mansura. Igitur qui utramque potest impendere, perfectus est. Si quis autem spiritalem impendere non valet, saltem corporalem non negligat, ut in retributione justorum audire mereatur: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV). » Hanc habere volebat Paulus apostolus discipulos suos, quibus dicebat: « Induite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ, estote invicem benigni (*Col.* III). » Ad hanc habendam Petrus apostolus per epistolam fideles exhortatur, dicens: » Omnes unanimes estote in oratione, compatientes, fraternitatis amatores, mi-

C sericordes, modesti, humiles (*I Petr.* III). » Tanto ergo studiosius hanc requirere debemus, quanto in ejus exsecutione cœlestis Patris imitatores esse desideramus. Quantum enim perfecta sit virtus misericordiæ, hinc liquido ostenditur, cum ad ejus exhibitionem ipsius Domini provocamur exemplo. Unde et subditur:

« Sicut et Pater vester misericors est. » Ubi notandum quia *sicut* adverbium similitudinis, non semper ad æqualitatem, sed aliquando pertinet ad similitudinem. Neque enim sicut Dominus est, nos per omnia esse possumus, et tamen juxta quamdam similitudinem, ut Joannes apostolus ait: « Sicut ille est et nos sumus in hoc mundo (*I Joan.* IV). » Juxta hunc modum locutionis, et in hoc loco *sicut* ad si-

D militudinem pertinet. Dignum est enim, ut sicut nos Patrem gloriamur habere in cœlis, juste et pie vivamus in terris, in tantum ut ipsa bona nostra opera filios Dei nos esse demonstrent. Sicut enim in humana nativitate paterni vultus similitudinem frequenter in filiorum facie inspicimus, ita si filii Dei esse volumus, cœlestem Patrem in terris imitari debemus. Unde Apostolus ait: « Si portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis (*I Cor.* XV). » Et sicut filiis regum cultus pretiosior et dignitas sublimior commendatur, sic in nobis, qui filii sumus Dei, in bonis operibus virtutes florere debent, ut charitate fulgidi, in humilitate præcipui, castitate

lucidi appareamus, ut impleatur quod Dominus ait: « Sancti eritis, sicut ego sanctus sum (*I Petr.* I). » Estote perfecti, ut sicut ipse pius et misericors est, « qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V); » ita non solum amicis, sed etiam inimicis et extraneis quæ possumus impendamus, sicut Dominus ait: « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Ibid.*), » quatenus in sorte filiorum Dei computari mereamur, ut impleatur in nobis quod ipse ait in Evangelio: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Ibid.*). » Nec superfluum videri debet, si ad hanc imitationem cœlestis Patris subtilius indagandam, ex rebus visibilibus aliquod exemplum sumamus. Tradunt enim physiologi naturam esse aquilarum, ut pullos suos contra jubar solis suspendant, et quos more parentum irreverberatis oculis intueri viderint claritatem solis, cum omni diligentia fovent et nutriunt: quos autem terram inspicere viderint, quasi adulterinos dejiciunt et contemnunt. Similiter de corvis dicunt, quod tandiu pullos suos negligant quousque similitudinem suam nigrescentibus plumis in illis inspiciant. In quibus similitudinibus nos mystice monemur, ut si filii Dei esse cupimus, æternæ claritatis gaudia mentis oculo contemplemur, et superni parentis similitudinem in bonis actibus ostendamus, ut impleatur in nobis illud quod ipse ait in Evangelio: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera bona vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Ibid.*). » Teste enim apostolo Petro: Cujus opera facit qui, ejus filius appellatur. Unde Paulus nos admonet dicens; « Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi (*Ephes.* V). » Hinc Joannes ait: « Filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimur eum sicuti est (*I Joan.* III). »

« Nolite judicare, et non judicabimini. Nolite condemnare, et non condemnabimini. » Quæritur quare dicat, « Nolite judicare et non judicabimini, » cum ipse alibi dixisse legatur: « Si videris fratrem tuum peccantem, increpa illum (*Luc.* XVII). » Et alio loco: « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos (*Matth.* XVIII). » Ad quod respondendum, quia in correptione fraterna, hæc discretionis regula tenenda, ut scilicet manifesta et aperta mala, et vitentur, et reprendantur; ea vero, quæ quo animo fiant a proximis ignoratur, non sunt judicanda, sed potius extra increpationem accipienda. Sunt enim quædam opera, quæ et bono et malo animo fieri possunt; de talibus periculosum est judicare, maxime ne condemnemur. Sicuti, verbi gratia, vides aliquem frequenter non jejunantem, noli multum laudare, neque multum detestari, quia potest fieri ut propter infirmitatem stomachi jejunare non possit, aut propter appetitum gulæ jejunare non velit. Hæc et his similia facile non sunt judicanda, sicut apostolus Paulus dicit: « Qui manducat, non manducantem non judicet; et qui non manducat, manducantem non spernat (*I Rom.* IV). » Et iterum: « Noli ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo (*I Cor.* IV). » Et alibi, ubi prohibet eos judicare, qui carnibus vescebantur, ab his qui non vescebantur, dicens: « Nemo vestrum judicet in cibo aut in potu (*Col.* II). » Et item: « Tu quis es qui judicas alienum servum (*Rom.* XIV)? » Et rursus: « Melius est non manducare carnem, neque bibere vinum (*Ibid.*), » etc. Quoniam qui alium injuste judicat aut condemnat, juste judicabitur et condemnabitur. Sunt vero alia opera, quæ per semetipsa manifesta et aperta mala sunt, sicut sunt adulteria, furta, homicidia, rapinæ, ebrietates, et cætera talia; hæc a fidelibus non solum reprehendenda sunt, sed et corrigenda ab illo qui locum regiminis tenet, atque judicanda, maxime propter illud quod Dominus per prophetam dicit: « Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* XXXIII). » Est et aliud discretionis genus in correctione fraterna observandum, ut si, verbi gratia, occultum est peccatum, occulte corrigas et emendes, propter hoc quod Dominus dicit: « Si videris fratrem tuum peccantem, corripe eum inter te et ipsum solum. » Si autem manifestum et publicum est peccatum, publice argue et emenda, propter illud quod Apostolus ait: « Peccantem coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant (*I Tim.* V). » Et sicut per Salomonem dicitur: Qui corripit palam, pacem facit. Et iterum: « Responde stulto juxta stultitiam suam (*Prov.* XXVI). » Ad hoc enim divina justitia statuit in Ecclesia, ut esset pastor in populo, princeps in sæculo, ut unus peccantes corrigat, alter vero corrigendo negligentes puniat. Quando autem in te frater tuus peccat, cum levi correptione dimitte ei. Unde et subditur ita (*a*). Sed quia non sufficit declinare a malo, nisi quisque studeat facere bonum, postquam de non judicandis proximis præceptum dedit, formam cui imprimanus, ostendit, dicens:

« Dimittite, et dimittetur vobis. » Quod est dicere: Dimittite peccantibus in vobis, et dimittentur vobis peccata vestra. Non solum enim alios temere judicare non debemus, sed etiam his qui nos injuste judicant ex corde dimittere. Igitur dimittere ad ignoscenda peccata pertinet, juxta quod Dominus alibi ait (*Matth.* VI): « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester dimittet vobis peccata vestra. » Et item: « Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem (*Marc.* XI). » Quod autem adjungit:

« Date et dabitur vobis. » Ad dandam eleemosynam pertinet, Domino alibi dicente: « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (*Luc.* XI). »

(*a*) Hic vel deest aliquid, vel abundat

Dimittere enim injurias debemus et eleemosynas dare, ut detur nobis vita æterna secundum quod Dominus dicit : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI). » Et forte quod daretur a vobis si quæreres, subjunxit, dicens:

« Mensuram bonam et confertam, et coagitatam, « et supereffluentem. » Mensura enim bona a bonorum omnium remuneratore dabitur, quando pro minimis majora rependet, pro terrenis cœlestia, pro transituris mansura. Quæ bene conferta dicitur, id est plena et perfecta, et coagitata, quia ex nulla parte inanis erit et vacua. « Supereffluentem, » id est superabundantem. Hæc enim mensura plena, perfecta, et superabundans fideli servo dabitur, quando dicetur: « Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV). » Et quia de gloria beatæ patriæ, postquam accepta fuerit, nullus locus amittendi erit, recte dictum est : « Dabunt in sinum vestrum. » Sicut enim de ea re, quam in sinu habemus, certi securique sumus, ita postquam in gremio regni cœlestis collecti fuerimus, æterna securitate firmi erimus, Joanne in Apocalypsi dicente : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum (*Apoc.* XXI). » Et quia Deus redditurus est unicuique secundum opera sua, adhuc subinfertur :

« Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, re« metietur vobis. » Si enim in nobis peccantibus libenter dimittimus, et Deus omnipotens clementer dimittet nobis peccata nostra. Unde quotidie in oratione eum poscimus, dicentes : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI). » Qui ergo peccanti in se dimittere non vult, vane et superflue a Domino postulat, sicut ipse dicit : « Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra (*Ibid.*). » Unde et Salomon : « Homo homini servat iram (*Eccli.* XXVIII), » etc. Et iterum : « Dimitte proximo nocenti te, et deprecanti te dimitte ei, et peccata solventur (*Ibid.*). » Qui enim pro Deo in præsenti vita majorem amorem assumpserit, et uberiores eleemosynas tribuerit, majorem remunerationem in æterna vita recipiet, teste Apostolo, qui ait : « Qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet (*II Cor.* IX) » vitam æternam.

« Dicebat autem illis et similitudinem : Nunquid « potest cæcus cæcum ducere ? Nonne ambo in fo« veam cadunt ? » In hac similitudine Dominus Scribas et Pharisæos specialiter perculit, qui locum magisterii indigne usurpant, Dominum deserentes, ut Dominus alibi ait : « Mandatum Dei transgredimini propter traditiones vestras (*Matth.* XV). » Qui cum cæci essent, ita ut se cæcos esse nescirent, magistri fieri in populo non erubescebant : non lucrum animarum quærentes, sed suæ jactantiæ et cupiditati consulentes, non ut populo prodessent, sed honorabiliores et doctiores in eo apparerent, amantes « primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi (*Matth.* XXIII). » Quia enim illum videbant, qui dixit : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII), » et non eum agnoscebant, procul dubio cæci erant, sicut Dominus dicit : « Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum (*Matth.* XV). » Cumque populum docerent quod nesciebant, et ipsi cæci cæcis ducatum præbentes utrique in foveam cadebant, sicut Dominus alibi exprobrat eis, dicens : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi legisperiti, qui tulistis clavem scientiæ (*Luc.* II). » Et alio loco sic : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec alios intrare sinitis (*Matth.* XXIII). » Sed cavendum nobis est, ne vitia Scribarum et Pharisæorum ad nos transeant, ut quod in illis reprehendimus, in nobis inveniatur. Sunt enim nonnulli qui, antequam discipuli fiant, magistri fieri appetunt : et quibus non est sanctitas in moribus, nec maturitas in ætate, neque doctrina in sermonibus suffragatur, inverecunde locum regiminis appetunt, et ideo magistri erroris fiunt, quia discipuli veritatis esse noluerunt. Cum enim aliquis perverse vivens docendi officium indigne suscipit, quasi cæcus cæco ducatum præbere præsumit, et ideo ambo in foveam cadunt, quia et ille indigne præest, et iste malum exemplum sequitur, ac per hoc uterque in errorem incidit. Inde Jacobus dicit : « Nolite fieri plures magistri (*Jac.* III). » Omnis enim qui viam veritatis aliis ostendere desiderat, cautissime cavere debet, ne aliter vivat quam doceat, nisi qualiter vixit Christus et docuit. Unde et subditur:

« Non est discipulus super magistrum : perfectus « autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. » Solet namque in humanis disciplinis contingere, ut discipulus per acumen mentis antecellat magistrum. Magister ergo in hoc loco ille intelligitur, qui alibi ait : « Vos vocatis me, Magister et Domine, et bene dicitis (*Joan.* XIII) : » Et item : « Nec vocemini magistri, unus enim est magister vester, qui in cœlis est (*Matth.* XXIII). » Quæ sententia a superioribus pendet, ubi dictum est : « Dimittite, et dimittetur vobis. Date et dabitur vobis. » Ac si diceret : Si magister vester, cum possit ut Deus, suas noluit vindicare injurias, et vos perfecti esse poteritis discipuli, si inter persecutiones non injurias rependatis, sed patientiam exhibeatis, non quod ita perfecti esse possimus, sicut ipse ait, sed pro modulo nostræ capacitatis humilitatem et mansuetudinem illius imitari debemus, illius veri magistri exemplum sequentes, qui ait : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Sunt aliquanti, qui in aliorum vitiis corrigendis duriores et districtiores apparent, cum in suis blandiores et leniores existant. Unde et subditur :

« Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, « trabem autem quæ in oculo tuo est, non conside-

« ras? » Quantum inter festucam et trabem, tantum inter peccatum majus et minus distat. Quod ut manifestius intelligatur, unum e cunctis in medium proferamus. Verbi gratia: Ira subitanea, festuca est; inveterata autem, trabes efficitur. Et ira quidem subitanea oculum mentis perturbat, sicut per Prophetam dicitur: « Turbatus est præ ira oculus meus (*Psal.* VI). » Odium autem mentem excæcat, teste Joanne apostolo, qui ait: « Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo vadat; quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus (*I Joan.* II). » Qui enim odium in corde servans, fratrem subito irascentem durius reprehendit et dijudicat, quasi de alterius oculo festucam ejicere nititur, in suo trabem non videns. Sed quia cujus vita despicitur, illius prædicatio contemnitur, B recte subjungitur:

« Et quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine « ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo « trabem non videns? » Qui enim alterius minima peccata vult corrigere, necesse est ut primum sua corrigat et emendet, nequando dicat illis Deus: «Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum (*Psal.* XLIX). » Qui enim alterius vitam discutere debet, purum oculum mentis necesse est ut habeat, sicut Apostolus ad Timotheum scribit: « Oportet episcopum irreprehensibilem esse tanquam Dei dispensatorem (*I Tim.* III). » Unde Dominus adhuc admonendo subjungit, dicens:

« Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo C « et tunc perspicies ut educas festucam de oculo « fratris tui. » Hypocrita Græce, Latine simulator dicitur vel subauratus, quo nomine illi censentur, qui aliud ostendunt exterius, et aliud servant interius. Tales Gominus in Evangelio increpat, dicens: « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quoniam similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus vero sunt plena ossibus mortuorum et omni spurcitia. Sic et vos quidem a foris paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate (*Matth.* XXIII). » Quam grave namque vitium sit hypocrisis, beatus Job ostendit, cum ait: «eNon enim veniet in conspectu Domini omnis hypocrita *Job.* XIII). » Et iterum: « Congregatio hypocritarum sterilis (*Id.*, XV).» D Et: « Simulatores et callidi provocant iram Dei (*Id.*, XXXVI). » Et Salomon: « Simulator ore decipit amicum suum (*Prov.* XI). » Pessimum quippe genus est hypocritarum, qui in hoc sæculo carnem macerant, et in futuro mercede priventur: quia sicut Dominus ait: « Receperunt mercedem suam (*Matth.* VI).» Sunt enim nonnulli, qui cum servi sint vitiorum, ut appareant hominibus justi, aliena peccata acriter corrigunt, de qualibus Scriptura dicit: « Est correptio mendax in ore contumeliosi (*Eccli.* XIX). » Talibus convenit quod Dominus ait: « Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut

A educas festucam de oculo fratris tui. » Neque hæc dicentes aliquem a fraterna correptione prohibemus, maxime cum sicut Jacobus apostolus ait (*Jac.* V): « Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. » Sed quotiescunque fratrem peccare videmus, nostræ fragilitatis memores, benigne et leniter corrigere debemus, monente Paulo apostolo: « Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris (*Gal.* VI). » Cum autem aliquem incorrigibiliter vitiis inhærere conspicimus, zelo rectitudinis accensi, durius increpare debemus, exemplo illius qui ait: « Vidi prævaricantes, et tabescebam (*Psal.* CXVIII). » Et iterum: « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? Perfecto odio oderam illos (*Psal.* CXXXVIII). » Tunc enim sine culpa irasci videmur, quando talem asperitatem non ira, sed zelus format, in exemplo Moysi, qui exiit a Pharaone iratus nimis, quia ejus nequitiam incorrigibilem vidit.

HOMILIA CXVI.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

(I PETR. III.) « Charissimi, omnes unanimes in ora- « tione estote. » Et reliqua. Fraternitatis unanimitas veluti urbs inexpugnabilis, hostium non patet insidiis. Habet enim sancta, ut Salomon ait (*Cant.* VI), castrorum aciem ordinatam, quam tyranni et persecutores una cum auctore suo diabolo non valent erumpere: quia in uniente Christo nec martyres persecutio. nec virgines carnalis delectatio, nec misericordes cupiditas, nec humiles temporalis gloriæ devincit ambitio. « Compatientes. » Sicut enim gaudere debemus cum gaudentibus, ita et flere cum flentibus, sicut Paulus faciebat apostolus, qui dicebat: « Quis infirmatur, et ego non infirmor?» *II Cor.* XI.) « Fraternitatis amatores. » Qui ergo amat homines, aut quia justi sunt, aut ut justi sint, amare debet, sicut et seipsum amare debet, aut quia justus est, aut ut justus sit. Dilectionem autem fraternam quantum commendat Joannes apostolus, attendamus: « Qui diligit, » inquit, « fratrem suum quem videt, in lumine manet, et scandalum in eo non est (*I Joan.* II). » Et item: « Dilectissimi, diligamus nos invicem, quia dilectio ex Deo. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognovit Deum (*Ibid.*, IV). » Et Dominus inquit: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Et in hoc scient omnes quia mei estis discipuli, si vos invicem dilexeritis (*Joan.* XIII). »

« Misericordes. » Scriptum quippe est (*Prov.* XXI): « Facere misericordiam, magis placet Deo, quam victimæ. » Et: « Qui pronus est, » inquit Scriptura, «ad misericordiam, benedicetur (*Prov.* XX I). » Et Dominus ait: « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est (*Luc.* VI). » — « Humiles. » Scriptum quippe est (*Eccli.* X): « Perdit Deus memoriam superborum, et non derelinquit memoriam humilium, » Et Dominus inquit: « Discite a me quia

mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Et ad quem respiciam, dicit Dominus (*Isa.* LXVI), nisi ad humilem et quietum?

« Non reddentes malum pro bono. » Scriptum quippe est : « Ne dicas, reddam malum pro malo, exspecta Deum, et liberabit te (*Prov.* XX). » Et item : « Qui vindicari vult, a Deo inveniet vindictam, et peccatum illius servans servabitur (*Eccli.* XXVIII). » « Nec maledictum pro maledicto. » In hoc enim exemplum Domini tenendum est, « qui cum malediceretur, non maledicebat (*I Petr.* II). » — « Sed e contrario « benedicentes. » Ut illud : « Benedicite maledicentibus vobis, benedicite et nolite maledicere (*Luc.* VI, *Rom.* XII). » — « Quia in hoc vocati estis, ut benedictionem « hæreditate possideatis. » Benedictio est hæreditatis omnis virtutum copia cœlestis, in qua sancti hæredes quidem Dei, cohæredes autem efficiantur Christi, cum audierint : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV). »

« Qui enim vult vitam diligere, » id est vitam æternam, beatam, et in futuro sine fine mansuram, « et videre dies bonos, » in quibus sancti cum sanctis jucundentur in cœlis, qui dies non propter interruptionem noctis, sed propter perpetuitatem dicuntur luminis, « coerceat linguam suam a malo, » id est a malo detractionis, maledictionis, ac murmurationis, sive generaliter omnino lingua refrenanda est a malo. Ait enim Jacobus : « Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio (*Jac.* I). » Nam et « Qui custodit linguam suam, » inquit Scriptura, « custodit animam suam (*Prov.* XXV). » — « Et labia ejus « ne loquantur dolum. » Dolus, non dolor, sed fraus intelligitur : quando aliud corde tenetur, et aliud ex ore profertur.

« Declinet autem a malo, et faciat bonum. » Id est destruat vitia, et virtutes ædificet : relinquat quæ instigat diabolus, ut operetur quæ præcipit Christus. « Inquirat pacem et sequatur eam. » Id est, diligenter orando et humiliter interrogando perquirat Christum, qui factus est pax nostra, et imitetur eum ; sequi etenim imitari est. Sive secundum Apostolum : « Pacem sequatur et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum (*Hebr.* XII). »

« Quia oculi Domini super justos. » Id est aspectus Divinitatis. « Et aures ejus in preces eorum. » Id est auditio divina, qua dignatur preces audire justorum. « Vultus autem Domini super facientes « mala. » Ut quid « vultus Domini super facientes mala? » Audi sequentia : « Ut perdat de terra memoriam eorum (*Psal.* XXXIII), » id est de terra viventium. Et illud : « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur (*Psal.* LXVIII). »

« Et quis est qui vobis noceat? » Subauditur nullus. Juxta hujus sententiæ locum, passiones vel persecutiones non faciunt esse miseros, sed præstant esse beatos. « Si boni æmulatores fueritis. » Id est, si boni Dei, de quo scriptum est, « Nemo bonus, nisi solus Deus (*Matth.* XIX), » sive generaliter, sive omnium bonorum æmulatores, id est, imitatores fueritis virtutum.

« Sed et si quid patimini propter justitiam, beati » subauditur eritis. Hanc sententiam Dominum dicentem Petrus audierat, ubi ait : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » — « Timorem « autem eorum, » id est persecutorum, « ne timueri- « tis, ut in fide non turbemini. » Et hoc Dominus admonuit, ubi ait : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete, qui habet potestatem corpus et animam perdere in gehennam (*Matth.* X). »

« Dominum autem Christum sanctificate in cordi- « bus vestris. » Ubi Dominus qui cuncta creando sanctificat, nisi corde pio et corpore casto? Sic Dominus Jesus sanctificandus est in cordibus nostris, ut nomine ejus vocemur Christiani, et ut nihil sanctius ejus nomine sentiamus. Sanctificemus eum fide, spe et charitate, credendo, colendo et adorando, ut ab illo salvari pariter mereamur et sanctificari.

HOMILIA CXVII.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

(Luc. V.) « In illo tempore : Cum turbæ irruerent « in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse sta- « bat secus stagnum Genezareth. » Et reliqua. De piscibus, quos apostoli ad jussionem Domini laxatis retibus ceperunt, locuturi, primum de situ loci videamus. Ait enim Evangelium : « Cum turbæ « irruerent ad Jesum ut audirent verbum Dei, et « ipse stabat secus stagnum Genezareth. Et vidit « duas naves stantes. » Stagnum Genezareth idem est quod et mare Tiberiadis, et mare Galilææ. Sed mare Tiberiadis a Tiberiade civitate est dictum ; mare Galilææ ab adjacente sibi provincia, quæ et Galilæa nominatur. Stagnum Genezareth a Græco vocabulo dictum est, quasi auram generans, eo quod flantibus ventis, crispantibus undis, auram ex se generare videatur. Tenet autem hoc mare sive stagnum centum quadraginta stadia in longitudine, quadraginta vero in latitudine. Nec propter hoc mare vocatur, quod amaræ sint aquæ ejus, sed Hebrææ linguæ consuetudo est, omnes congregationes aquarum, sive salsæ sint, sive dulces, vocare mare, sicut in Genesi scriptum est : « Congregationesque aquarum appellavit maria (*Gen.* I). » Spiritaliter autem hoc mare mundum significat, id est mundi amatores. Quia sicut mare semper fluctuat, nec quietum stare valet, ita mundus diversis perturbationibus et fluctuationibus commovetur, sicut per Psalmistam dicitur : « Commovisti, Domine, terram, et conturbasti eam (*Psal.* LIX). » Crescit enim nascendo, decrescit moriendo ; elevatur in prosperis, dejicitur in adversis. Dominus secus stagnum stetit, quando, sicut ait Apostolus, « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philip.* II). » Et pulchre non in stagno, sed secus stagnum stare di-

citur, quia venit in mundum per naturam, sed alienus fuit a mundo per culpam teste apostolo Petro : « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II). » Recte quoque non ambulasse, nec pertransisse, sed stetisse dicitur : nimirum ostendens seipsum esse, qui per divinitatis potentiam semper incommutabilis permanet, qui ubique est præsens, ubique totus, nec movetur, nec de loco ad locum transit ; cui nec præterita transeunt, nec futura succedunt, sed semper illi æqualiter atque æternaliter esse est, qui ait per prophetam : « Ego Deus, et non mutor (*Malac.* II). » Sive certe secus stagnum stat, qui resurgens a mortuis, carnem quam ex nobis assumpsit in littore incorruptionis constituit. Ac per hoc sicut ipse incommutabilis est, ita electos suos æterna incommutabilitate firmat. Turbæ autem quæ ad eum irruerunt amore verbi Dei, multitudinem fidelium significant, qui ei credendo et amando appropinquant, de quibus per Isaiam dicitur : « Venient ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini (*Isa.* II). » Et per Psalmistam : « Omnes gentes quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine (*Psal.* XXXV). » Sed quia ista turba credentium, non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus futura erat, recte subditur : « Et vidit duas naves stantes secus stagnum. » Duæ naves, duos ordines significant credituros, unum ex Judæis, alterum ex gentibus : non quod in unitate fidei divisio sit, sed quia ex utroque populo in Ecclesia colligitur. Bene autem utrasque Jesus vidisse dicitur, quia ex utroque populo præscivit, qui in eum credituri essent. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Nam videre, eligere est, sicut Nathanaeli a Domino dicitur : « Cum esses sub ficu, vidi te (*Joan.* I). » — « Piscatores autem descenderant, et lavabant retia. » Piscatores sunt Ecclesiæ doctores, quorum priores apostoli fuerunt, qui retia suæ prædicationis in mundum extendentes, multos ex utroque populo in fide ceperunt, de quibus per prophetam dicitur : « Mittam piscatores meos, et piscabuntur eos (*Jer.* XVI), » etc. Retia doctrinam prædicatorum significant, quæ dum diversis Patrum sententiis roboratur, quasi variis filis contexta ligatur. Et pulchre retia prædicatorum doctrinam significant, quia sicut retia pisces quos capiunt, retinent, ita prædicatio veritatis, quos in fide capit, facile non amittit. Unde bene retia, quasi retinentia sunt vocata. Lavant autem piscatores retia, quando sancti prædicatores castigant corpus suum, et servituti subjiciunt ; nec aliter vivunt, nisi quomodo alios vivere docent, caventes, ne aliis prædicantes, ipsi reprobi inveniantur, illius exemplum imitati, de quo scriptum est : « Cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I). » Vel lavant piscatores retia sua, quando prædicatores suam doctrinam subtiliter examinant et discutiunt, ne aliquid in ea hæreticum aut perversum sonet.

« Ascendens autem in unam navem, quæ erat Simonis, rogabat eum ut a terra reduceret pusillum. « Et sedens, docebat de navicula turbas. » Navis Simonis, primitiva Ecclesia, ex Judæis collecta. Quæ ideo Simonis dicitur, quia specialiter ei est commissa : quoniam in initio suæ prædicationis, multi Judæorum per eum crediderunt, quando eo prædicante una die crediderunt tria millia (*Act.* II) ; et multa turba sacerdotum obediebat fidei. Illi enim a Domino dictum est : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI). » Unde et Paulus apostolus ait : « Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes (*Gal.* II). Sive certe navis Simonis, Ecclesia ex gentibus intelligi potest, quæ tunc ei a Domino commendata est, quando audivit : « Tu es Petrus, » etc. Et iterum : « Simon Joannis, diligis me plus his ? Pasce oves meas (*Joan.* XX). » Bene autem dicitur : « Una, » quia multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Nec quisquam eorum quæ possidebat, suum aliquid esse dicebat, sed erant illis omnia communia (*Act.* II). Docebat autem de navicula turbas, quia prædicatores sancti non aliam quam ecclesiasticam debent insinuare doctrinam.

« Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc « in altum. » Notandum quod primum a terra navem pusillum reducere jussit, nunc autem in altum ducere jubet, ostendens temperandum esse sermonem doctoribus in prædicatione. Infirmi enim auditores non subito ad profunda mysteriorum sunt introducendi, sed prius pusillum a terra submovendi, id est, a terrenis curis et carnalibus actibus separandi. Horum fragilitatem Dominus tolerandam insinuat, cum Simoni præcipit ut navem pusillum a terra reducat. Nec propter tales deserendi sunt perfecti, sed ad alta mysteriorum Dei provocandi, quod Dominus significare voluit, quando Simoni dixit : « Duc in altum. » Aliter : Cum autem pusillum a terra reducere jubet, prædicationem apostolorum in proximas nationes esse extendendam ostendit. Cum vero ait : « Duc in altum, » eamdem prædicationem usque ad fines terræ esse perventuram demonstrat. Quod tunc impletum est, quando apostoli Judæis dixerunt : « Vobis quidem oportuerat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Bene autem subdit : « Laxate retia vestra in capturam. » Captura enim locus est capiendis piscibus aptus, unde et nomen congruum habet. Cum ergo dicit : « Laxate retia vestra in capturam, » ostendit illic prædicationem apostolorum esse laxandam, ubi noverat esse electos, qui caperentur in fide, quod liber Actuum apostolorum declarat, cum dicit : « Quia cum vellent apostoli ire Bithyniam, non permisit eos spiritus Jesu (*Act.* XVI). » Non enim ibi erat tunc locus capturæ aptus. Cum autem in Macedoniam pergere non disponerent, apparuit in somnis Paulo vir Macedo, deprecans eum et dicens :

« Transiens in Macedoniam, adjuva nos (*Act.* xvi). » At ille intelligens visionem sibi a Deo esse ostensam, perrexit Macedoniam, laxans ibi retia sua in capturam. Notandum vero, quia alio tempore retia plicantur, alio capturæ laxantur, quia non est omne tempus aptum doctrinæ, sed alio tempore retia prædicationis extenduntur, alio doctores suimet curam habent.

« Et respondens Simon ait illi : Præceptor, per « totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo « autem tuo laxabo recte. » Bene præceptorem eum appellat, quia cum per totam noctem in piscationis officio frustra laborasset statim ut ad ejus jussionem retia laxavit, multitudinem piscium cepit. Nox in Scripturis aliquando pro ignorantia vel cæcitate mentis ponitur. Per totam ergo noctem laborantes nihil ceperunt, quia nisi Dominus illuminet mentem auditoris interius, in vacuum laborat sermo doctoris exterius, Scriptura dicente (*Psal.* cxxvi) : « Nisi Dominus ædificaverit domum, » etc. Et : « Nisi Dominus custodierit civitatem, » etc. Qui enim aliis prædicat, non in sua sapientia vel eloquentia confidere debet, sed in virtute Dei. Unde bene per Simonem dicitur : « In verbo autem tuo laxabo rete. »

« Et cum hoc fecissent, concluserunt multitudi« nem piscium copiosam. » Bis in sancto Evangelio legimus, quod ad jussionem Domini laxata retia copiosam multitudinem piscium ceperunt, nunc ante passionem, et secundo post resurrectionem. Sed hoc inter utramque piscationem distat, quia in hac piscatione retia laxari jubentur, sed tamen, in qua parte mitti debeant, non designatur; in illa autem, speciäliter in dexteram partem missa perhibentur. In hac piscatione, præ multitudine piscium recte rumpitur: in illa vero multi et magni capti sunt, et retia rupta non sunt. In hac numerus piscium non exprimitur, in illa certus numerus designatur, cum centum quinquaginta tres capti memorantur. Unde per hanc piscationem Ecclesia designatur, qualis est modo; per illam vero, qualis erit in futuro. Quandiu enim Ecclesia in præsenti vita manet, utriusque partis cives retinet : quia bonos simul et malos recipit. « Multi enim, » ut ait Apostolus, « confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* i), » de quibus per Psalmistam dicitur : « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* xxxix). » Et pulchre in illa piscatione, quæ post resurrectionem facta est, in dexteram partem navigii retia missa esse leguntur, quia sicut per sinistram præsens vita, ita quoque per dexteram sempiterna figuratur, sicut per Salomonem dicitur : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (*Cant.* ii). » In hac piscatione, quæ ante resurrectionem facta est, boni et mali pisces capti dicuntur, in illa vero soli boni : quia in præsenti Ecclesia boni et mali inveniuntur, in sempiterna autem vita nemo malus invenitur. Nusquam enim soli boni nisi in cœlo, et nusquam soli mali nisi in inferno. Hæc autem vita, sicut media est inter cœlum et terram, ita utriusque civitatis cives in se continet. « Rumpeba« tur autem rete eorum. » Quia ipsi Ecclesiam variis hæresibus scindere conati sunt, qui in ea per fidem capti tenebantur; qualis fuit Judas proditor, et Simon Magus : et quales erant illi, de quibus Joannes apostolus ait : « Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis (*I Joan.* ii). » Sed quia numerus electorum non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus colligendus erat, recte subinfertur :

« Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut « venirent et adjuvarent eos. » Alia navis, ut supra diximus, Ecclesia est ex gentibus vocata. Annuerunt ergo sociis qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos, quia plures inter gentiles inventi sunt, qui apostolis in prædicatione adjutores existerent. » Et venerunt et impleverunt ambas naviculas, « ita ut pene mergerentur. » Impletio navium, perfectionem significat Ecclesiæ, quæ quotidie ex conversione credentium impletur, et usque in finem sæculi implebitur. Periclitantur autem naves, sed non merguntur, quia sæpe persecutionibus hæreticorum Ecclesia concussa est, sæpe falsorum fratrum iniqua operatione commota, sed mergi non potuit, quia Christum in fundamento habuit, ipso dicente : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* xvi), » etc. Et sicut alibi ait : « Venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram (*Matth.* vii.).

« Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad « genua Jesu, dicens; Exi a me, quia homo peccator « sum, Domine. » Sunt nonnulli infirmi intra sanctam Ecclesiam, qui peccatorum suorum magnitudine pressi, vias vitæ quasi difficiles ingredi metuunt, et tamen in suis iniquitatibus jacere non formidant. Quorum personam Petrus hic in se exprimit, cum viso miraculo piscium, procidit ad genua Jesu, dicens : « Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. » Sed qui se peccatorem considerat, Deum desperando a se repellere non debet, sed piis gemitibus et assiduis fletibus ejus misericordiæ appropinquare, nihil dubitans de ejus promissione, qui ait : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* iii). » Sunt etiam et alii, qui carnaliter viventes, spiritualium rectorum disciplinam imperium esse arbitrantur, et dum eis spiritale magisterium onerosum videtur, jugum ecclesiastici regiminis a suis cervicibus excutere conantur. Cumque perverse vivant, aliquando voce, nonnunquam etiam morum pravitate spiritales magistros, quibus nolentes subjecti sunt, a se recedere persuadent. Horum ergo subjectionem significavit Petrus, eo quod procidit ad genua Jesu ; morum vero pravitatem, in eo quod ait : « Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. » Sed quid spiritales magistri agere debeant, ille pastor pastorum exemplo suo docet, quia non a rogante Simone discessit, sed spiritalem doctrinam impendit. Non enim propter

abjectos superbos deserendi sunt humiles, sed potius cum bonis corrigendi et tolerandi sunt mali, dicente Salomone: « Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris (*Eccli.* XVIII). »

« Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui « cum illo erant, in captura piscium quam ceperant: « similiter autem Jacobum et Joannem filios Zebe« dæi, qui erant socii Simonis. » Quia isti discipuli divini mysterii adhuc capaces minus erant, subitanea captura piscium non solum stupore, sed etiam timore circumdati sunt. Sed eorum fragilitatem Dominus consolatur cum paventem Simonem confortat, dicens:

« Noli timere. » Imo in pavente Simone omnes pœnitentes confortare videtur, ne de magnitudine peccatorum desperent. Ubi manifeste ministerium prædicandi, quod ei commendaturus erat, prædicitt, cum ait: «Ex hoc enim jam homines eris capiens.» Non enim officium piscandi vetuit, sed spiritaliter commutavit. Nam post Domini resurrectionem legimus eum isse piscatum. Et pulchre, qui piscator erat piscium, piscator hominum futurus prædicitur, ut sicut materiali reti pisces de profundis gurgitibus ad littus trahere solebat, ita spiritali prædicatione homines de amaris mundi fluctibus ad fidem traheret.

« Et subductis ad terram navibus, relictis omni« bus, secuti sunt illum. » Non putandum est hanc eamdem esse vocationem, quæ Matthæus binos de naviculis discipulos ad Jesum sequendum vocatos narrat. Non enim hic ab illo vocati esse dicuntur, sed viso miraculo piscium, subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti illum esse memorantur. Ubi intelligendum est, quia post hæc ad propria redierunt, et suimet curam gesserunt. Postea vero ab illo vocati, ut Matthæus Marcusque commemorant, relictis navibus et reti, secuti sunt illum, ita ut ulterius ad propria non redirent.

HOMILIA CXVIII.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

(MATTH. V.) « In illo tempore, dixit Jesus discipu« lis suis: Amen dico vobis, nisi abundaverit justi« tia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum.» Et reliqua. Qui putant præcepta Veteris Testamenti districtiora esse quam Novi, discant ex præsenti lectione suam ignorantiam confiteri, audiantque ipsum Salvatorem discipulis dicentem: Amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. » Justitia Scribarum et Pharisæorum erat, hominem non occidere: justitia vero eorum, qui regnum cœlorum intrare desiderant, major esse debet, ut non solum homines non occidant, sed ne irascantur, aut odio habeant. Justitia Scribarum et Pharisæorum erat, diligere amicum et odio habere inimicum: justitia autem eorum, qui intraturi sunt in regnum cœlorum, major esse debet, ut non solum

A amicum in Deum, sed etiam inimicum diligant propter Deum, dicente Domino: « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est (*Matth.* V). » Justitia Scribarum et Pharisæorum erat, non mœchari cum uxore proximi sui; justitia eorum qui regnum cœlorum intrare desiderant, major esse debet, ut non solum adulterium nan perpetrent in corpore, sed etiam nec delectent in corde, propter illud quod Dominus ait: « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Ibid.*). » Et propter illud Apostoli: « Fornicatores et adulteros judicabit Deus (*Hebr.* XIII). » Justitia Scribarum et Pharisæorum erat, aliena non rapere:

B justitia eorum qui ingredi desiderant regnum cœlorum, major esse debet, ut et propria largiantur, et raptoribus non resistant, Domino dicente: « Nolite resistere malo (*Matth.* V), et: « Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas (*Luc.* VI). » Quibus exemplis profecto patet, quia præcepta Novi Testamenti tanto sunt districtiora, quanto spiritalia. Illa enim quasi parvulis et carnalibus carnalia sunt data, in quibus perfectio non est manifestata, sed malitia resecata. Hæc vero spiritalibus spiritalia sunt dona, quæ non terrenam possessionem, sed cœlestem præparant mansionem. Illius temporali justitia temporale præmium exspectabatur, dicente Domino: «Observa et audi præcepta Domini Dei tui, ut bene sit tibi et longo vivas tempore, et ingressus possideas terram lacte et melle manantem (*Deut.* V, VI). » Perfectio

C Novi Testamenti vitam pollicetur æternam, quam « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II). » Quibus ergo majus præmium promittitur, major debet esse justitia. Aliter: Justitia Scribarum et Pharisæorum esse putabatur, quanquam non esset justitia, quod exterminabant facies suas, ut apparerent hominibus jejunantes, intus autem pleni erant rapina et iniquitate (*Matth.* VI). Justitia vero eorum, qui regnum Dei intrare desiderant, major esse debet, ut sanctitas quæ apparet in corpore, multo magis servetur in corde. Justitia Scribarum et Pharisæorum videbatur esse quod alligabant onera gravia et importabilia, et imponebant in humeros hominum, digito autem suo nolebant ea

D movere (*Matth.* XXIII). Justitia eorum, qui regnum cœlorum intrare volunt, major esse debet, ut mandatum Dei primi custodiant, nec prætermittant quæ alios custodienda docent vel docuerunt. Justitia Scribarum et Pharisæorum esse cernebatur, quod decimabant mentam et anethum et cyminum et omne olus horti, majora autem legis prætermittebant (*Ibid.*). Justitia eorum qui regnum Dei intraturi sunt magis abundare debet, ut sic minima præcepta Dei custodiant, quatenus majora non prætermittant.

« Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; « qui autem occiderit, reus erit judicio. » Antiquis

dictum est, id est populo Judæorum cui a Domino per Moysen præceptum erat, ut non occideret; aut si quis occideret, et ipse occideretur.

« Ego autem dico vobis,quia omnis qui irascitur « fratri suo,reus erit judicio.»Id est,ego novus homo qui non veni solvere legem, sed adimplere, quique elegi vos de mundo,et mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis,ego autem dico vobis:«Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. » Tanta ergo pœna punitur ira in Novo Testamento, quanta homicidium in Veteri ;secundum quod Joannes apostolus ait :«Omnis qui odit fratrem suum,homicida est (*I Joan.* III). »In nonnullis autem codicibus ita scriptum legitur : « Omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio. »Quod quidam ita intelligendum putaverunt, quasi tunc ira non esset peccatum, quando ab aliis læsi vel provocati irascimur. Sed radendum est, sine causa.Non enim sine causa, vel cum causa Christiano fratri irasci permittitur, cui a Domino præceptum est : «Noli resistere malo, sed percutienti maxillam, præbe ei et alteram, et pro persecutoribus exora (*Matth.* V). » « Servum enim Domini,ut ait Apostolus,non oportet rixari, sed mansuetum esse ad omnes,etiam ad eos qui contraria sapiunt (*II Tim.*II). » Et sicut Jacobus apostolus ait : « Ira viri justitiam Dei non operatur (*Jac.* I). » In magna observantia charitatis stimulus iræ circumcluditur,quia nemo eum quem veraciter diligit, occidere potest.

« Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit « concilio. » Racha nec Græcum est, nec Latinum, sed proprie Hebraicum. Dicitur enim κενὸς, id est inanis et vacuus, quem nos *sine sensu* vel *absque cerebro* possumus appellare. Quidam autem etymologiam hujus nominis de Græco trahere voluerunt, putantes dici *pannosum*. Græce enim pannus ρακὸς dicitur. Sed nos vim hujus verbi subtilius perspicientes, nihil aliud intelligimus esse *racha*,nisi vocem inconditam irati animi commotionem significantis.Quales sunt interjectiones apud grammaticos, sicut dicitur a dolente *heu*, ab irascente *hei*, a cadente *atat*. Et pulchre dicitur : « Qui dixerit fratri suo racha. » Frater enim noster est,qui eodem pretio nobiscum redemptus est, eodem baptismo est regeneratus. Si enim, ut Dominus ait (*Matth.* XII), de otioso sermone rationem reddituri sumus in die judicii,multo magis de contumelioso.»Qui autem di- « xerit fatue, reus erit gehennæ ignis. » Notandum autem in hoc loco,quia gradatim de minimis ad majora ascenditur,quoniam pro qualitate peccati vindictam comminatur.In primo enim loco unum solummodo posuit, id est iram ;secundo,duo,id est iram, et vocem iræ commotionem significantis ; in tertio, tria, iram, vocem et contumeliam.Sicut ergo majus peccatum est dicere fatue,quam solummodo irasci, vel dicere racha :sic gravius est reum esse gehennæ ignis, quam reum judicio, vel concilio. In judicio enim causa discutitur,et is qui reus esse putabatur, nonnunquam innocens invenitur;in concilio si quis

A reus convictus est, qua pœna puniatur ab aliis tractatur, et adhuc evadere solet ; in gehenna autem ignis, nulla est liberatio. Et ideo in retributione pœnæ, quantitas peccati designatur. Gehennæ nomen in tota serie scripturarum Veteris Testamenti non reperitur, sed a Salvatore primum in Evangelio positum cognoscitur.Compositum autem nomen est gehenna, ex *ge* et *ennon*, quia *vallis gratuita* interpretatur. Fuit enim vallis filiorum Ennon juxta Jerusalem, ubi propter scelus idololatriæ multa jacuerunt cadavera mortuorum. Et ideo ubicunque nomen gehennæ ponitur, inferni pœna designatur. Sed ne asperam videretur Salvator protulisse sententiam, cum dixerit reum esse gehennæ ignis eum qui dixerit fratri suo fatue,statim remedium reconciliationis subjunxit, dicens :

B « Si offers munus tuum ad altare,et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum « te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade « prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offer « munus tuum. » In quibus verbis sollicite considerare debemus quantum ipse in nobis fraternum amorem diligat, quantumve malum discordiæ odio habeat, cum muuera ante altare non oblata relinquere jubet, et prius reconciliari fratri. Cum enim Dominus nostra nonnisi propter nos quærat,illi pacis hostiam nequaquam offerre possumus, quandiu fratribus impacifici sumus. Nec putandum est quod ei tantummodo munera offerimus, cum manibus oblationem ante altare deportamus,sed quando orationi insistimus,ac per jejunium et vigilias carnem

C maceramus, cum eleemosynas tribuimus,hospitem suscipimus, nudum cooperimus,et cætera his similia pietatis opera implemus, tunc munera Deo offerimus. Cavendum ergo summopere est, ne malum discordiæ contra aliquem in corde teneamus,et propter hoc nostra munera in conspectu Dei accepta non sint, quomodo Deo placabilem hostiam, ut dictum est, offerre non possumus, quandiu proximis implacabiles sumus.Notandum autem quod non ait : Si tu habes aliquid adversus fratrem tuum ; sed : Si frater tuus habet aliquid adversum te.Tunc enim frater noster adversum nos habet aliquid, quando nos lædit. Pergendum ergo est ad reconciliationem, et si veniam petere voluerit, quod in nobis peccavit clementer est dimittendum,propter hoc quod Domi-

D nus ait : « Cum stabitis ad orandum, dimittite (*Marc.* XI), » etc. Si autem veniam postulare noluerit,spiritales fratres secretius immittendi sunt, qui eum ad humilitatis satisfactionem provocent,juxta præceptum Domini dicentis : «Si te audire noluerit frater tuus, adhibe tecum unum vel duos,ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum(*Matth.* XVIII). » Si autem contumax et superbus perseveraverit ille qui in te peccavit, non necesse est ut tu ei veniam postules, sed tamen propter Deum ex corde dimitte,ut securus accedens ad altare, dicere possis:«Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI). » Et ut im-

pleatur in nobis quod Dominus ait: « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra (*Ibid.*). » Quod si ex utraque parte negligentia contigit, ab utraque veniæ satisfactio procedere debet. Hæc tamen discretio in hac reconciliatione observanda est, ut si ille qui alium læsit, temporale damnum intulit, quod injuste abstulit, juste restituat. Si autem verbo aut convicio tantum proximo fecit injuriam, sufficere creditur sola veniæ postulatio ad satisfactionem. Unde post reconciliationem a Domino dicitur:

Et tunc veniens offeres munus tuum. Esto con- « sentiens adversario tuo dum es in via cum eo. » Forte movet aliquem ad quærendum, qui sit adversarius noster, cum quo concordare nos jubet Dominus noster. Cui respondendum est, qui adversarius iste sermo Dei intelligitur, non quia recte adversarius sit nostræ salutis, sed quia contradicit nostræ carnali voluntati. Verbi gratia: Carnalis delectatio petrahere nos cupit ad adulterium, contrarius autem tibi sermo Dei clamat: « Adulteri regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* VI). » Et alibi: « Fornicatores et adulteros judicabit Deus (*Hebr.* XIII). » Et iterum: « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V). » Si autem audita hac voce, vitaveris carnalem delectationem, id est ardorem libidinis freno continentiæ restrinxeris, concordasti cum adversario tuo in bono tuo. Dicamus et aliud: Suggerit tibi ebrietas et immittit faucibus tuis siccitatem, usquequo pervenias ad ebrietatem, sed contradicit tibi sermo divinus: « Videte, ne graventur corda vestra crapula et ebrietate (*Luc.* XXI). » Et iterum: « Ebriosi regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* VI). » Vince ergo delectationem potandi, et concorda cum adversario tuo. Sic de cæteris vitiis sentiendum est, in quibus caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: et hæc sibi invicem adversantur, ut non ea quæ volumus faciamus (*Gal.* V). Via autem præsens est vita. Quandiu enim in præsenti vita manemus, quasi in via et in itinere sumus, et necdum ad patriam pervenimus. In via ergo cum adversario nostro concordare jubemur, quia post mortem, nec audiendi verbum Dei, nec emendandi locus erit, Salomone testante, qui ait: « Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferos quo tu properas (*Eccle* IX). » Unde et de his, qui tarde converti negligunt, dicitur: « Invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non audierint, nec acquieverint consiliis meis, et detraxerint universæ correptioni meæ (*Prov.* I). » Valde autem timendum est, quod infertur: « Ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in « carcerem mittaris. » Si audire nolueris, et cum adversario tuo concordare neglexeris, ipse tradet te judici, id est, ipse sermo Dei erit in testimonium tuæ

A damnationis, qui prohibitor fuit tuæ correptionis. Et non solum sermo Dei erit tibi testimonium, sed et ipsæ cogitationes adversum te consurgent, sicut Apostolus ait: « Cogitationum invicem adversantium, aut etiam defendentium in die, quando judicabit Deus occulta hominum (*Rom.* II). » Nam et ipsa terra in qua peccamus, nobis in testimonium erit, nisi prius medicina pœnitentiæ sanati fuerimus, teste beato Job, qui ait: « Et terra adversum me clamat (*Job.* XIII). » Minister atem cui traditur is, qui cum adversario suo concordare noluit, diabolus intelligitur, qui super eos ministerium accipiet justæ damnationis, qui sponte se tradiderunt pravæ actioni. Ipsos enim exactores habebunt in pœna, quos persuasores habuerunt in culpa. Carcer autem infernus

B est, « ubi est vermis, qui non morietur, et ignis qui non exstinguetur (*Marc.* IX), » de quo per Joannem in Apocalypsi dicitur: « Omnes blasphemi, fornicatores, et adulteri, mittentur in stagnum ignis et sulphuris (*Apoc.* XXI). » Quod autem subjungit:

« Amen dico tibi, non exies inde donec, reddas « novissimum quadrantem. » Donec, adverbium finitum pro infinito posuit tempore, quod non solum hoc in loco sacra Scriptura, sed etiam plurimis in locis facere consuevit, sicut Dominus per Prophetam ait: Donec senescatis, ego sum. Et Psalmista: « Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri (*Psal.* CXXII). » Nunquid aut post illorum senectam Deus futurus non erat, aut postquam misertus fuerit nobis oculi nostri cessabunt re-

C spicere illum? non; sed sicut diximus, finitum pro infinito posuit. Qui locus Origenianos destruit, qui falsa pietate dixerunt post judicium dæmones esse solvendos. Sicut enim æternum regnum præparatum est sanctis, ita æternum supplicium reprobis, Domino dicente (*Matth.* XXV): « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » Et iterum: « Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. » Hinc per Salomonem dicitur: « Lignum in quacunque parte ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, » id est sive in infernum, sive in regnum Dei, « ibi erit (*Eccle.* XI). »

HOMILIA CXIX.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

D (MARC. VIII.) « In illo tempore: Cum turba « multa esset cum Jesu, nec haberent quod « manducarent, convocatis discipulis ait illis: « Misereor super turbam. » Et reliqua. Dominus Jesus Christus Deus ante sæcula, et homo factus in fine sæculorum, ita sua opera temperare dignatus est, ut in uno eodemque miraculo se verum Deum, verumque hominem esse declararet. Quod in hujus lectionis serie cito cognoscimus, si hanc diligenter consideremus. Quod enim super turbam esurientem misericordia motus dicitur, humanæ compassionis est indicium: quod autem de septem panibus quatuor millia hominum reficit, di-

vinæ potestatis est declaratio. Nec putandum est, hanc eamdem esse lectionem, ubi alii evangelistæ de quinque panibus quinque millia hominum satiata fuisse referunt: quia ibi discipuli Dominum commonent, ut dimittat turbas emere quæ sibi necessaria sunt, hic autem Dominus supra turbam esurientem misericordia motus dicitur: ibi quinque panes, hic septem fuisse memorantur: ibi hordeacei, hic cujus generis annonæ fuerint, non declaratur: ibi quinque millia hominum de quinque panibus satiati sunt, hic de septem panibus quatuor millia refecta: ibi supra fenum discubuerunt, hic super terram. Unde ibi per turbam, quæ ex quinque panibus satiata est, populus sub lege Veteris Testamenti positus esse designatur, qui quinque libros Moysi ad suam eruditionem accepit: hic autem per turbam, quæ ex septem panibus reficitur, multitudo hominum fidelium, quæ per gratiam Novi Testamenti quotidie pascitur, designatur. Hanc turbam Isaias in spiritu a Domino pascendam præviderat, cum dicebat: « Venient ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini (*Isa.* II). » Et Psalmista: « Omnes gentes, quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum in æternum (*Psal.* LXXXV). » Et bene in illa refectione, quæ ex quinque panibus facta est, per quam populum Judæorum diximus significari, discipuli Dominum commonuisse dicuntur, ut dimitteret turbas emere sibi necessaria, quia idem populus ante adventum Domini patriarchas et prophetas suos intercessores habuit. In hac autem ipse Dominus ad misericordiam commovetur, quia gentilis populus non suis meritis, nec aliquo interveniente, sed sola gratuita Domini misericordia salvatus est, sicut Paulus apostolus ait: « Gratia Dei salvi facti estis (*Eph.* II). » Et pulchre Dominus turbam, quam amore verbi Dei esurientem vidit, etiam cibo corporali reficit, ut in illis adimpleret quod ipse alibi promisit, dicens: « Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI). » Recte ergo de hac turba dicitur: « Quia ecce jam triduo sustinent « me, nec habent quod manducent. » Turba enim Dominum triduo sustinet, cum fidelis populus in confessione sanctæ Trinitatis incessabiliter perseverat. Sustinere enim homo Deum dicitur, cum etiam nec inter adversa ab ejus deficit amore, imitans illum qui dicebat: « Dirige me in veritate tua et doce me, quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die (*Psal.* XXIV). » Aliter: Turba triduo Dominum sustinet, cum electi intellectum, memoriam et voluntatem in bono opere occupant. Sive certe Dominum triduo sustinet, cum fidem et spem et charitatem inviolabilem servat, de quibus Apostolus ait: « Maneant in vobis fides, spes, charitas tria hæc: major autem his est charitas (*I Cor.* XIII). »

« Et si dimisero eos jejunos in domum suam, « deficient in via. » Domus electorum proprie cœlestis est patria, de qua Dominus ait: « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). » Ad quam ardentissimo amore pervenire optabat ille, qui dicebat: « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI). » Via autem præsens est vita. Quandiu enim vivimus, in via sumus, necdumque ad patriam pervenimus. Non vult ergo Dominus turbam jejunam dimittere, ne deficiant in via: quia electi ne in præsenti vita a bono opere cessent, pabulo verbi Dei pascendi sunt: quia sicut deficit corpus sine cibo, ita anima sine verbo Dei. Quo cibo refici desiderabat ille, qui dicebat: « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII). » Quod autem subjungitur: « Quidam autem de longe venerunt ex eis. » Si ad utrumque populum referre voluerimus, populus Judæorum de prope venit, quia legis notitiam et Dei cognitionem habuit: de longe autem gentilis venit, quando post idolorum culturam ad Dei cognitionem conversus est. Unde Apostolus ait: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Eph.* II). » Quotidie vero in conversione fidelium, alii de prope, alii de longe ad fidem veniunt. Qui enim in nullis criminalibus peccatis contaminatus Dei voluntatem sequitur, sine dubio de prope venit. Sed et is, qui licito conjugio expertus ad Deum convertitur, ex proximo venit. Qui autem post publica flagitia, adulteria, furta, homicidia, ebrietates, rapinas, per pœnitentiam ad Deum convertitur, de longe venit. De prope autem venit, qui ab ipsa infantia vel pueritia, in servitio Dei se mancipat: de longe vero, qui in senectute ad Deum convertitur. Promittit ergo Dominus cibum se daturum etiam his, qui de longe veniunt, quia non solum justos, sed etiam peccatores conversos recipit et amat, sicut et ipse ait: « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Luc.* V). » Et Apostolus ait: « Veniens evangelizavit pacem his qui erant prope, et his qui longe (*Eph.* II). » Talibus ergo nec veniam, nec cibum abnegat ille, qui per prophetam ait (*Ezech.* XVIII): « Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. » Et iterum: « Peccator in quacunque die conversus fuerit, et ingemuerit peccatum suum, omnia peccata ejus oblivioni tradentur (*Ibid.*). » Et rursus: « Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui (*Isa.* XLIX). » Et in Evangelio: « Non est opus sanis medicus, sed male habentibus (*Matth.* IX). »

« Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos « poterit quis hic saturare panibus in solitudine? » In alia refectione Philippus specialiter dixisse narratur: « Ducentorum denariorum panes non sufficiunt turbæ, ut unusquisque modicum quid accipiat (*Joan.* VI). » Nunc autem generaliter omnes discipuli dicunt: « Unde poterit istos quis hic saturare panibus in solitudine? » Quanto ergo discipulis difficilior res visa est, tanto magis miraculum Domini

clarescit. Fragilitate quippe carnis gravati apostoli, nondum adhuc perfecte divinitatem Christi intelligebant, quando eo præsente, qui educit panem de terra et vinum, quod lætificat cor hominis, ex paucis panibus multitudinem hominum posse satiare dubitabant. Sed Dominus non solum ut dubitationem discipulorum auferret, verum etiam ut multitudinem fatigatam jejunio reficeret, ex paucis panibus multitudinem hominum reficere voluit.

« Et interrogavit eos : Quot panes habetis ? » Non ignorans Dominus discipulos interrogat, qui omnia scit antequam fiant, sed ut ex sua interrogatione illorum animos erudiat, et discant per ejus præsentiam de paucis panibus multas turbas hominum satiari posse in solitudine, qui per quadraginta annos sine aratri labore immensas populi catervas cibo mannæ aluit in deserto. « Qui dixerunt : Septem. » In alia refectione quinque panes hordeacei fuisse referuntur, per quos, ut diximus, scriptura Veteris Testamenti significata est, sub tegmine litteræ latens. Nunc autem hic septem panes fuisse memorantur, propter septiformem gratiam Spiritus sancti, cujus gratia illuminati apostoli eorumque successores, et fidem sanctæ Trinitatis, et quatuor Evangeliorum doctrinam mundo annuntiaverunt. Quod bene septenarius numerus signat, qui constat ex primo pari et primo impari, id est, ex ternario et quaternario. Sive quia septenarius numerus frequenter pro plenitudine ponitur, quia per sancti Spiritus gratiam perfectionem justitiæ consecuti sunt sancti.

« Et præcepit turbæ discumbere super terram. » In alia refectione turba super fenum discubuisse legitur, quia lex carnalia tantum prohibebat peccata. « Omnis enim caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos agri (*Isa.* XL). » In hac autem, per quam gratiam Novi Testamenti diximus figurari, recte turba super terram discumbit : quia gratia Novi Testamenti non solum culpas operis, sed etiam culpas cogitationis restringit : nec solum aliena rapientibus contradicit, sed etiam ad perfectionem tendentes proprias facultates cum ipsa terra relinquere monet, Domino dicente : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me (*Matth.* XIX). » Et sicut ipse alibi ait : « Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, et non odit patrem, matrem, uxorem, liberos, fratres et sorores, servos et ancillas, et agros propter nomen meum, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV). » Moraliter autem turba super terram discubuit, cum fidelium animæ suæ fragilitatis memores, terram se jugiter et pulverem esse considerant, dicentes cum Psalmista : « Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum (*Psal.* CXVIII). » Et iterum : « Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster (*Psal.* XLIII). » Taliter ille super terram discubuerat, qui dicebat : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* XVIII). » « Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et « dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt « turbæ. » Jam superius per septem panes, septem dona Spiritus sancti figurari diximus. Dominus ergo septem panes accepit, quia præ omnibus hominibus specialiter septem dona Spiritus sancti in se habuit, dicente propheta : « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Fregit autem panes et dedit discipulis suis, quia ejusdem Spiritus sancti dona unicuique sanctorum, prout vult, distribuit, aliis largiens sermonem sapientiæ, aliis sermonem scientiæ, aliis genera linguarum, aliis interpretationem sermonum, aliis discretionem spirituum. Sive dedit septem panes discipulis ut apponerent turbæ, quando post resurrectionem apparens illis, insufflavit et dixit eis : « Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* XX). » Discipuli autem apposuerunt turbæ, quia per eorum prædicationem notitiam sacri mysterii mundo voluit innotescere. Pulchre refecturus turbam gratias egisse dicitur, ut ostenderet in omnibus bonis operibus Deum a nobis esse glorificandum.

« Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit, et jussit apponi. » Per pisciculos, quos benedixit et apposuit turbæ, sanctorum imitabilis conversatio designatur, qui non solum more piscium saltus super aquas dare consueverunt, contemnentes terram et amantes cœlum, sed etiam inter fluctus variarum persecutionum spiritualiter crescunt et proficiunt, dicentes cum Apostolo : « Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed is qui interior est, renovatur (*II Cor.* IV). » Cum septem ergo panibus paucos pisciculos jussit apponi, quia sanctorum exempla cum prædicatione verbi ad imitandum nobis quotidie prædicatores proferunt. Bene autem pauci pisciculi fuisse memorantur, quia sanctorum conversatio, suo judicio humilis est et despecta, quibus Salvator ait : « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum (*Luc.* XII). » De quibus per Salomonem dicitur : « Lepusculus, plebs invalida, collocat in petra cubile sibi (*Prov.* XXX). » Et recte in illa refectione, quæ ex quinque panibus facta est, duo pisces fuisse memorantur, et hic incertus numerus ostenditur : quia ad comparationem illorum, qui ex populo Judæorum credituri erant, et infinita multitudo ex gentili populo ad fidem venit, Domino dicente : « Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII). »

« Et manducaverunt, et saturati sunt. » Non omnes æqualiter manducaverunt, sed omnes ad unam satietatem pervenerunt : quia Scripturæ sacræ intellectum non omnes æqualiter capiunt, sed tamen omnes pro modo et persona sua spiritalem refectionem in ea inveniunt. Unde bene de manna dicitur :

« Qui plus habuit non abundavit : et qui minus, non minoravit, sed omnes mensi sunt ad mensuram gomor (*II Cor.* VIII ; *Exod.* XVI). » Est enim Scriptura sacra fluvius quidam, magnus et parvus, excelsus et humilis, in quo elephas natat, et agnus pedibus ambulat : quia spiritales et doctissimi viri, quanto plenius ejus intellectum degustant, tanto amplius est quod in eo esuriant : et humiles et parvuli, secundum modulum suæ capacitatis, unde satientur, in ea inveniunt. De quibus per Psalmistam dicitur : « Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi (*Psal.* XXI). »

« Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, « septem sportas. » Hic Domini miraculum augmentatum est. Magnum enim esset miraculum, si de septem panibus, quatuor millibus hominum satiatis, nihil superesset. Sed crevit signum, auxit admirationem. Non solum enim de septem panibus quatuor millia hominum satiata sunt, sed etiam de fragmentis, juxta numerum panum, septem sportæ repletæ sunt. Quod ergo turba non capit, apostoli in sportis sustollunt : quia obscuriores sententias sacræ Scripturæ, quas simplices capere nequeunt, magistri et doctores Ecclesiæ in propriis pectoribus recondere debent, ut tempore doctrinæ unicuique personæ cibum spiritalem tribuere possint : quia turpe est eo tempore discere, quando quis debet docere ; et sint de illis, de quibus Dominus ait : « Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram (*Luc.* XII). » Pulchre in illa, quæ ex quinque panibus facta est, duodecim cophini fragmentorum remanserunt : quia Judaicus populus duodecim apostolos plenos Spiritu sancto ad suam eruditionem habuit. In ista autem, juxta numerum panum, septem sportæ sustolluntur : quia Ecclesia ex gentibus collecta, per septiformem gratiam Spiritus sancti celebratur, regitur atque reficitur. In cujus typo Joannes in Apocalypsi sua septem ecclesias enumerat, necnon et septem candelabra aurea, et septem cornua agni. Unde Zacharias propheta ait : « In lapide uno septem oculi sunt (*Zach.* IX). » Recte autem septem sportas præcordia sanctorum significantur, qui Spiritus sancti gratia illuminati, et viriditatem fidei immarcessibilem servant, et tela nequissimi ignea spiritalibus armis exstinguentes, ad tropæum perpetuæ victoriæ tendunt. Sporta enim ex junco et palma contexitur, et juncus quidem juxta humorem aquæ nasci consuevit, palma vero dicta est quasi pacis alma, quæ victricem solebat ornare manum. Sancti ergo viri, quasi juncus juxta aquam virescunt, quando meditationi sacræ Scripturæ insistunt, ne a fide et bonis actibus arescere possint, de quibus scriptum est : « Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod ad humorem emittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus, sed erit folium

A ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum (*Jer.* XVII). » Quasi autem cum junco palma in sporta contexitur, quando iidem sancti viri contra carnis vitia et cogitationum spiritale bellum suscipiunt, scientes quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem : et hæc sibi invicem adversantur, ut non quæ volumus, illa faciamus (*Gal.* V). Quorum constantissima perseverantia manifestatur, cum subditur :

« Erant autem qui manducaverunt, quasi quatuor « millia, et dimisit eos. » Non frustra quatuor millia hominum a Domino reficiuntur. Quaternarius enim numerus perfectus est, et in suis partibus divisus, perfectionem obtinet. Dividitur enim in unum, duobus et tribus. Unum namque ad Deum pertinet,

B quia « unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis (*Eph.* IV). » Duo, ad geminam dilectionem vel duo Testamenta. Tres, ad sanctam individuamque Trinitatem, Patris scilicet et Filii et Spiritus sancti. Quatuor autem ad gratiam Novi Testamenti, vel ad quatuor libros Evangelii, quæ maxime in his describitur. Quia ergo in quatuor libris Evangeliorum invenimus, qualiter unum Deum credamus, et qualiter geminam dilectionem habeamus, necnon qualiter sanctam individuamque Trinitatem confiteamur, recte quatuor millia hominum a Domino satiata esse dignoscimus. Sive recte, quia quatuor millia hominum a Domino refici audivimus, nos mystice docemur, ut si spiritaliter refici volu-

C mus, quatuor principales virtutes, prudentiam scilicet, temperantiam, fortitudinem atque justitiam, quibus nihil est utilius in vita hominis, habeamus. Quia enim quadratus lapis non fluctuat, sed in quamcunque partem versus fuerit, æqualiter jacet, recte quaternario numero constantia sanctorum designatur, qui non circumferuntur omni vento doctrinæ, sed ut firmi lapides, sive in prosperis, sive in adversis, in bonis actibus et in fide constantissime perseverant, considerantes illud quod Dominus ait : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* XXIV). » Sive, quia et fidem bene credendi, et constantiam recte vivendi per quatuor Evangeliorum doctrinam discimus, recte quatuor millia hominum de septem panibus refecta fuisse memorantur.

D Non enim aliter credere aut vivere debemus, nisi quomodo quatuor Evangelia docent. Unde Joannes in Apocalypsi quatuor animalia ante thronum Dei plena oculis ante et retro se vidisse testatur, clamantia : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, qui est, et qui erat, et qui venturus est (*Apoc.* IV). »

HOMILIA CXX.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

(MATTH. VII.) « In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Attendite a falsis prophetis, qui veniunt « ad vos in vestimentis ovium. » Et reliqua. Prævidens Dominus doctrinam hæreticorum contra electos in Ecclesia futuram, necnon et malitiam falsorum

catholicorum sævituram, indicium cogitationis eorum prius ostendere voluit, ut tanto facilius caveri possint, quanto manifestius cognosci. Ait enim: « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in « vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi « rapaces. » Quod specialiter de hæreticis intelligendum est, qui falsi prophetæ sunt, dum de substantia divinitatis et humanitatis multa mentiuntur, Scripturas sacras, quæ divinitus inspiratæ sunt, ad suum sensum pertrahere cupientes. Ut enim simplicium fratrum corda facilius decipere possint, quasi ovium vestimentis se induunt, dum catholicorum Patrum sententias quæ doctrinæ interserunt. Sciunt enim quia si semper mala dicerent, citius cogniti caverentur. Et ideo bona malis miscent, ut dum libenter auditur id quod verum est, non facile discernatur hoc quod falsum est: morem veneficorum servantes, qui dum cuilibet venenum corrigere volunt, ora calicis melle liniunt, ut dum gustatur id quod dulce est, absque retractione perveniatur ad id quod mortiferum est: ad similitudinem scorpionum aculeos in cauda gestantes, quoniam hæretici in primis verbis bona ostendunt, in novissimis autem perversa dogmatizant, unde et pungunt. Tales ergo lupis rapacibus comparantur, quia cum exterius lingua blandiantur, interius animo sæviunt. Quia sicut lupus gregem dispergit, dilaniat atque dilacerat, ita et hæretici venenosum animum habentes, mentes simplicium dilaniare non cessant. Et quos in occulto decipere non possunt, publice insequuntur. Et ideo se bonos esse simulant, ut simplicium animos ad suam hæresim rapere possint, vel certe eorum substantias quasi boni magistri accipere. Quod Paulus apostolus in Epistola sua scribit, dicens: « Hi sunt qui penetrant domos viduarum, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis (*II Tim.* II), et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium (*Rom.* XVI). » Tales lapos futuros idem Apostolus prævidebat, quando dicebat: « Scio quia post discessum meum intrabunt in vos lupi graves, lupi rapaces, non parcentes gregi. Ex vobis consurgent viri iniqui, loquentes mendacium, et abducent discipulos post se (*Act.* XX). » Hos etiam caveri ab apostolis volebat Dominus, quibus dicebat: « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* X). » Monet ergo Dominus tales lupos cavere, quia sicut doctissimi viri et catholici hæreticis resistere debent, sic ab eorum consortio simplices declinare, ne, dum eorum doctrina auditur, mentes audientium commaculentur, Joanne apostolo admonente, qui ait: « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, nec Ave ei dixeritis. Si quis dixerit ei Ave, communicat operibus illius indignis (*II Joan.* I). » Hinc et Apostolus ad Titum scribit, dicens: « Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia perversus est hujusmodi (*Tit* III). » Huic convenire potest illud Maronis (*Eclog.* III)

Qui legitis flores, et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Aliter: Lupi rapaces, falsi catholici intelliguntur, qui confitentur se nosse Deum, factis autem illum negant. Qui dum habitum Christianitatis assumunt. quasi ovinis pellibus induti apparent. Bene autem lupis rapacibus comparantur, quia dum carnaliter vivunt, aliquando alios suo malo exemplo ad malum pertrahunt, aliquando aliorum substantias more luporum diripiunt, de qualibus per prophetam dicitur: « Facti sunt principes tui ut lupi vespertini, ad vesperum non relinquentes in mane (*Soph.* III). » Tales ergo Dominus jubet cavere, quia sicut bonorum consortium multum adjuvat, sic malorum societas frequenter multum nocet, teste propheta, qui ait: « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris (*II Reg.* XXII). » Et Salomone dicente: « Qui cum sapientibus graditur sapiens erit. Amicus, stultorum, efficietur similis (*Prov.* XIII). » Hinc idem Salomon nos admonet, dicens: « Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ (*Prov.* XXII). » Hinc Paulus discipulis scribit, dicens: « Si quis frater nominatur, et est fornicator aut adulter aut avarus, quod est idolorum servitus, cum hujusmodi nec cibum sumere (*I Cor.* V). » Sed nunquid semper latent hæretici, aut falsi catholici sub ovina pelle, aut semper possunt abscondi? non. Nam qualiter cognosci valeant Dominus aperuit cum adjungit:

« A fructibus eorum cognoscetis eos. » Fructus enim a fruendo nomen accepit, unde per fructum opera significantur. Si ergo interrogas qui sunt boni fructus, a quibus hominem cognoscere possis, apostolus Paulus manifestat, dicens: « Fructus enim spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides modestia, continentia, castitas (*Gal.* V). » Noli ergo in hæretico quærere folia verborum pulchra, sed fidei puritatem. Noli attendere in Christiano solummodo famam bonæ opinionis, sed fructum inquire rectæ operationis. Noli attendere linguam, sed manum. Quia sicut non laudatur arbor ex pulchritudine foliorum vel florum, sed ex abuundantia frugum, ita quoque hæretici vel falsi catholici, non sunt ex simulatione laudandi, sed ex fructu boni operis. « Non est enim, » ut Dominus alibi ait (*Luc.* VI), » arbor bona faciens fructus malos, neque arbor mala faciens fructus bonos. Unaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur. » Unde et subditur; « Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? » Spina et tribulus arbores sunt plenæ aculeis, ita ut vix absque læsione tractari possint. Quibus contrariæ sunt ficus et vitis, quæ et fragrantiam suavissimi odoris, et fructum dulcissimi saporis reddunt. Per spinas ergo et tribulos, vitia et peccata signantur, de quibus a Domino primo homini dictum est: « Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.*

III). » Per uvam vero et ficum dulcis atque suavis A fructus charitatis accipitur, quem palato mentis senserat ille, qui dicebat : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII). » Sicut ergo spina et tribulus intractabiles sunt, ita hæretici et falsi catholici amari et aculeati proximis inveniuntur : et ideo illorum falsa doctrina, et istorum prava exempla fugienda sunt, quia sicut ait Salomon : « Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea ; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber (*Eccli.* XIII). » Vel, ut puidam tradunt, per uvam et ficum, dulcedo memoriæ regni cœlestis accipitur. Igitur de spinis non colligitur uva, neque de tribulis ficus, quia si requiritur in hæretico fructus charitatis, spinæ dissensionis inveniuntur ; et si in falso catholico amor cœlestis, amor terrenus B reperitur ; et si fructus castitatis, fructus libidinis intuetur. Sed quamvis spina non gignat, solet tamen vitem cum botro sustinere. Quia hæretici et falsi catholici, cum in multis mali sint, solent tamen quædam bona docere, et quædam religiosa ostendere. Quid ergo de talibus faciendum erit? Nunquid propter spinam relinquendus est botrus, id est propter mala bona? Absit. Sed ut pater Augustinus ait : Sic carpendus est botrus, ut tamen caveatur spina. Sicut enim hæreticorum doctrina a simplicibus viris penitus fugienda est, sic a catholicis et orthodoxis Patribus, qui sciunt discernere inter veram et falsam doctrinam, mala respuenda sunt, ut bona in auctoritate ecclesiastica assumantur. Quod Dominus in lege figurate ostendit, quando egredientibus filiis Israel ex Ægypto (*Exod.* XII), præcepit eis, ut mu- C tuarent a vicinis suis vasa aurea et argentea non pauca, ut exspoliarent Ægyptum. Quid per argentum, nisi sacræ Scripturæ præclarus sensus accipitur? « Eloquia enim Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XVIII). » Per aurum vero, nitor eloquii exprimitur, Salomone dicente : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (*Prov.* XVI). » Quasi ergo aurea et argentea a vicinis mutuo accipimus, quando ab hæreticis et paganis necessarias sententias vel nitorem eloquentiæ ad nostram utilitatem assumimns. Unde in eadem lege alibi figuraliter præcipitur : « Si egressus fueris ad bellum contra hostes tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manus tuas, captivosque eos duxeris, et videris in numero mulierum puellam pulchram D quæ placet oculis tuis, volucrisque eam habere uxorem, introduces eam in domum tuam, ita tamen, ut prius cæsariem capitis ejus radas, et summitates unguium illius præcidas, lugeatque patrem suum et matrem in domo uno mense, et post hæc introduces eam ad te, et erit tibi uxor (*Deut.* XXI). » Spiritaliter autem ad bellum procedimus, quando cum hostibus Ecclesiæ, id est hæreticis, de fide Christiana et religione conflictum habemus. Cunmque divina auctoritate superati, tradiderit eos Dominus Deus noster in manus nostras, si invenerimus in numero disputationum sententias ad nostram fidem roborandam necessarias, assumamus eas nobis in uxores, quia, ut ait Salomon : « Uxor viri sapientia est (*Prov.* X) : » ita tamen, ut prius cæsariem capitis ejus radamus, et summitates unguium præcidamus, id est quidquid superfluum, quidquid hæreticum, quidquid nostræ fidei pravum et contrarium est, discernamus et abjiciamus. Si quis autem ex his ad nostram fidem catholicam converti voluerit non est repellendus, sed recipiendus, ita tamen, ut lugeat prius patrem suum et matrem uno mense, id est de pristina conversatione et hæretica pravitate, qua inquinatus vel nutritus est, pœnitentiam agat, et anathematizet et diluat.

« Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala « autem arbor fructus malos facit. » Quod arbores in Scripturis homines significant, Dominus manifestat cum alibi dicit : « Aut facite arborem bonum, et fructum ejus bonum ; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum (*Matth.* XXI). » Et cæcus, qui a Domino illuminatus fuerat, aiebat : » Video homines quasi arbores (*Marc.* XII). » Daniel quoque in visione Nabuchodonosor regis, magnam arborem ipsum regem interpretatur (*Dan.* IV). Et per Psalmistam de justo dicitur : Justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur (*Psal.* XCI). » Quod ergo ait : « Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit, » tale est ac si diceret : Sicut nec spina uvam, nec tribulus generat ficum, sic ex radice vitiosa malus fructus procedit, et ex bona intentione bona operatio nascitur. Unde et subditur.

« Non potest arbor bona fructus malos facere, « neque arbor mala fructus bonos facere. » In quo, loco quæstio animum pulsat, quare dicat : « Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere, » cum legamus Paulum apostolum arborem utique bonam fructum malum fecisse, quando Ecclesiam Dei persecutus est ; et Judam arborem malam fructum bonum fecisse, quando cum cæteris apostolis secutus est Dominum. Ad quod respondendum, quia sicut ex radice arboris fructus procedit, et ex ipso fructu, cujus generis vel saporis sit cognoscitur, ita ex intentione cordis opus profertur. Et sicut Dominus dicit : Qualis fuerit intentio tua, tale erit et opus tuum. Ideoque bonus homo tandiu malos fructus facere non potest, quandiu in radice bonæ intentionis perseverat ; nec malus homo tandiu fructus bonos facere potest, quandu mala intentio perdurat. Juxta quem sensum legimus et Petrum apostolum arborem utique bonam, malos fructus fecisse, quandiu Dominum negavit (*Matth.* XXVI). Et Jethro, cum prius mala arbor esset, bonum fructum fecit, quando Moysi utile consilium dedit (*Exod.* XVIII). Similiter et David, bona utique arbor, fructum malum fecit, quando per concupiscesntiam carnalem adulterium et homicidium perpetravit (*II Reg.* XI). Nabuchodonosor autem, cum esset mala arbor, bonum fructum fecit, quando Deum Danielis in toto orbe adorari jussit (*Dan*

vi). Potest tamen et malus homo effici bonus, si deseruerit malum; et qui videbatur bonus, effici malus, si recesserit a bono. Sed quia unus idemque homo, in uno eodemque tempore bonus simul et malus esse non potest non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Valde autem terribile est, quod subinfertur :

«Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. » Non dicit, quæ facit fructum malum, sed quæ non facit fructum bonum. Ubi e diverso colligere possumus, quæ pœna præparata sit mala operantibus, quando pœna prædicitur etiam a bono opere torpentibus. Si enim in ignem mittitur qui nudum non vestivit, in quem ignem mittendus est, qui vestitum exspoliavit? Et si ad pœnam vadit ille qui propria non dedit, ad quam pœnam iturus est qui aliena rapit? Nullus ergo a bono opere torpens, falsa securitate se decipiat; quia omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur, juxta illud quod Dominus alibi ait : « Omnem palmitem in me non ferentem fructum oportet abscidi et in ignem mitti (*Joan.* xv.) Non enim sufficit declinare a malo, nisi quisque studeat facere bonum. Unde Dominus vineæ quærens fructum in ficulnea, et non inveniens, ait colono : « Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea, et non invenio. Excide ergo, illam, ut quid etiam terram occupat (*Luc.* xiii.) » De hac arbore per Joannem Baptistam dicitur : « Jam securis ad radicem arboris posita est (*Matth.* iii), » Exciditur enim, arbor, quando homo moritur. Excisa autem in ignem mittitur, quando quisque perversus per mortem gehennæ concremationem invenit, qui dum viveret fructum boni operis facere recusavit. Ingeminat namque Dominus bonarum malarumque arborum cognitionem, cum adhuc subjungit, dicens :

« Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. » Quasi enim fructus, in quibus malæ arbores a bonis discernantur, Paulus apostolus ostendit dicens : « Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia. Talia qui agunt, regnum Dei non consequentur (*Gal.* v). » De qualibus per Jeremiam prophetam dicitur :« Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in solitudine, in terra salsuginis et inhabitabili (*Jer.* xvii). » At vero bona arbor quales fructus proferat, idem propheta declarat, dicens: « Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, et erit tanquam lignum quod transplantatum est secus decursus aquarum, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus, et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum (*Ibid.*) » Tales fructus bona arbor proferebat, quæ dicebat : « Ego autem sicut oliva fructificavi in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum et in sæculum sæculi (*Psal.* li). » Tales Dominus suos discipulos, bonas utique arbores, proferre volebat, quibus dicebat : « Ego vos elegi de mundo, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* xv). » Inaniter autem quidam folia habent verborum, qui recusant proferre fructus operum. Unde et subditur :«Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* vii). » Dicere enim, Domine, Domine, fructus boni operis esse videtur, non autem facere voluntatem ejus, non ad bonam arborem pertinet. Non enim sufficit sola confessio, si defuerit bona operatio, Domino alibi dicente : « Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? » *Luc.* vi.) Hinc Jacobus apostolus ait : « Fides sine operibus mortua est (*Jac.* ii).« Unde eos, qui de sola fide gloriabantur, exemplo dæmonum terruit, dicens : « Tu credis quoniam unus Deus est, bene credis, et dæmones credunt, et contremiscunt (*Ibid.*). « Quos autem Dominus per prophetam reprobat, dicens: «Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isai.* xxix), » tales tempore judicii, quia sine fructu boni operis, clamabunt : Domine, Domine, aperi nobis, audire merebuntur : « Amen dico vobis, nescio vos (*Isa.* xxix). » Qui ergo vult intrare in regnum cœlorum, non solum scire desideret quid velit Deus, sed etiam implere quod jubet, quia, sicut Dominus ait in Evangelio :« Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud (*Luc.* xi.) » Et iterum discipulis : Scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea (*Joan*, xiii).

HOMILIA CXXI.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

(Luc. xvi.) « In illo tempore, dixit Jesus discipulis « suis parabolam hanc : Homo quidam erat dives : « qui habebat villicum. » Et reliqua. Usus sacræ Scripturæ est, ut aliquando juxta litteram sic quædam facta commemoret, ut tamen intellectum spiritualem in eis requirat aliquando, vero solummodo per similitudinem quædam proferenda commemoret, ut audientis animum ad intelligendum invisibilia emolliat. Quod in Evangelio frequentius invenitur, ubi ex præcedenti admonitione similitudo nascitur, et ex eadem similitudine admonitio subinfertur : Quod utrumque in hac similitudine cognoscimus, si præcedentia et subsequentia diligentius consideremus. Nam cum accessissent publicani et peccatores ad Jesum ut audirent illum, et murmurarent Scribæ et Pharisæi, ut supra evangelista retulit, proposuit eis similitudinem centum ovium, et unius perditæ et inventæ. Deinde adjunxit similitudinem decem drachmarum, gaudiumque dixit esse in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Tertiam quoque ad-

dixit similitudinem de prodigo filio, qui dissipavit substantiam suam cum meretricibus : postea vero quam egere cœpisset, misericorditer ac benigniter a Patre susceptus est. Ubi cum ostendisset peccatores conversos non solum non esse contemnendos, sed etiam recipiendos, ut animos discipulorum ad misericordiam provocaret, conversus ad illos, dixit : « Homo quidam erat dives, et habebat villicum. » Ex qua similitudine exhortatio nata est, cum illa finita dicitur :

« Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mam-« mona iniquitatis. » Et reliqua. Sed quia hæc per similitudinem dicta sunt, quid spiritualiter, significent breviter commemorare libet. Spiritualiter, homo iste Deus omnipotens est, de quo scriptum est : « Homo est, et quis cognoscet eum ? » (*Jer.* XVII). Et, ecce veniet Deus et homo de domo David. Qui bene dives esse dicitur, quia apud illum sunt « omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Col.* II). » Cujus divitiarum magnitudinem nec ille considerare valebat, qui postquam ad tertium cœlum ductus fuerat, dicebat : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! » (*Rom.* XI.) Illius villici nos sumus quos ad imaginem et similitudinem suam creavit, quibus etiam sensum et intellectum præbuit. Villicus enim a villa nomen accepit, qui alienæ villæ curam habere dignoscitur, quem nos œconomum, vel divulgato sermone dispensatorem possumus appellare. Et revera magnas suas divitias Deus omnipotens nobis commisit, quando rationalem sensum et intellectum communem cum angelis præ cæteris creaturis tribuit. Male autem divitias Domini nostri dispensamus, quando sensum discretionis, quem ad usum boni accepimus, in usum convertimus vitiorum. Diffamamur autem apud Dominum, quod dissipemus bona ipsius, quia non solum corda nostra conspicit, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum, sed etiam ab angelis deputatis nostra opera die noctuque illi nuntiantur, sicut viro justo ab angelo dictum est : « Cum oraretis, ego obtuli orationes vestras ante Deum (*Tob.* XII). » Sive certe diffamamur apud Dominum nostrum, quando ex nobisipsis malam opinionem damus, in tantum, ut pudorem vel reverentiam piis mentibus ingeramus, ut simus de illis, quibus ait Apostolus: « Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes (*Rom.* II). » Sed nunquid semper male divitias Domini tractabimus ? Non. Audi sequentia.

« Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de « te ? Redde rationem villicationis tuæ. Jam enim « non poteris villicare. » Dupliciter nos vocat Deus in præsenti ad pœnitentiam, et in futuro ad judicium. Vocamur ergo ad reddendam rationem villicationis nostræ, cum de præsenti vita ad ejus judicium ducimur, ubi non solum de opere, sed etiam de otioso sermone rationem reddituri sumus. Et posthæc non poterimus villicare, quia post mortem, ut ait Salomon, « nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scien-

A tia apud inferos erit (*Eccle.* IX). Unde per Psalmistam Deo dicitur : « In inferno autem quis confitebitur ? » (*Psal.* VI.) Subauditur nullus. Quibus exemplis territ, imitemur villicum, qui in futuro sibi prudenter prævidit, dicens intra se :

« Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me « villicationem ? Fodere non valeo, mendicare eru-« besco. Sico quid faciam, ut cum amotus fuero a « villicatione, recipiant me in domos suas. » Fodere rusticorum est, mendicare confusionis. Fodiendo enim agitur, ut species terræ, quæ infra latet, extra appareat: et quæ exterius apparet, deorsum jaciatur. Quid autem per fossionem, nisi confessio peccatorum designatur? Sicut ergo fodiendo terræ speciem vertimus, ita vomere compunctionis corda nostra

B exarantes, peccata quæ interius latent, per confessionem aperimus. Et inde ea ante oculos Domini abscondimus, quod per cordis compunctionem ea ministris Dei confitendo pandimus, sicut voce pœnitentis in psalmo legitur : « Delictum meum cognitum tibi feci (*Psal.* XXXI). » Et iterum : « Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei (*Ibid*). » Unde in lege figuraliter præcipitur, ut Israelitæ pergentes in itinere paxillos juxta balteos ferrent, et egressi ad requirenda necessaria naturæ, fodientes in terram stercora humo operirent (*Deut.* XXIII). Sicut ergo per paxillos cordis compunctio, sic per stercora peccata designantur, dicente propheta: « Computruerunt jumenta in stercore suo (*Joel.* I). » Jubemur ergo paxillos habere juxta balteos, ut quotidiana peccata

C quotidiania pœnitentia compunctione fodiendo cooperiamus. Mendicare enim, ut diximus, confusionis est, maxime illo pessimo genere mendicandi, quo fatuas virgines legimus mendicasse, quando prudentibus dixerunt (*Matth.* XXV) : « Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur. » Quibus dictum est : « Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. » De quo genere pessimo mendicandi etiam per Salomonem dicitur : « Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei (*Prov.* XX). » Ait ergo villicus : « Fodere non valeo, mendicare erubesco. » Quia post mortem nec fructuosam pœnitentiam de malis agere licebit, nec in bonis exercere, sicut voce sapientiæ per Salomonem de reprobis di-

D citur : « Invocabunt me, et non exaudiam. Mane consurgent, et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consiliis meis, et detraxerint universæ correptioni meæ (*Ibid.* I). » Igitur quia in die judicii nullus locus pœnitendi, corrigendi vel emendandi esse poterit, ut diximus, necesse est ut dum in hoc sæculo sumus et vivimus, et nobis vacat, secundum Apostolum, « dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (*Gal.* VI). Unde nos Dominus in Evangelio admonet, dicens : « Currite dum lucem habetis ut non tenebræ vos comprehendant (*Joan.* XIII). » Et

per Prophetam : « Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est (*Isa.* LV.) » Hinc et Apostolus ait : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in augustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu saucto, in charitate non ficta (*I Cor.* VI.) » Et Salomon : « Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare (*Eccle.* IX.) » Ante enim omnia et super omnia, diem mortis ante oculos ponere debemus. Facile namque contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Unde per eumdem sapientem dicitur : « In die malorum ne immemor sis bonorum (*Eccle.* XI.) Et iterum : « In omnibus vis tuis memorare tua novissima. (*Eccle.* VII.) »

« Convocatis itaque singulis débitoribus Domini « sui, dicebat primo : Quantum debes Domino meo ? « At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : Ac- « cipe cautionem tuam et sede, cito scribe quinqua- « ginta. Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes ? « Qui ait : Centum coros tritici. Dixitque illi : Accipe « litteras tuas, et scribe octoginta. » In hoc villico, quem dominus de villicatu ejiciebat, non omnia debemus ad imitandum assumere. Neque enim aut dominis, aut extraneis fraudem aliquam facere debemus, ut inde eleemosynas faciamus, sed, ut superius diximus, ista per similitudinem dicuntur, ut intelligamus quia si laudari potuit is qui fraudem fecit, eo quod in futurum sibi prudenter præviderit, multo magis nos laudabiliores erimus, si de propriis substantiis largas eleemosynas fecerimus : et dum in præsenti vivimus, in futurum nobis prospexerimus, sicut etiam de judice iniquitatis, qui interpellabatur a vidua, comparationem duxit ad judicem Dominum, cui nulla ex parte judex iniquus conferendus est, κάδος enim Græce, Latine mensura est, tres urnas continens. Corus vero triginta modiis impletur. Quod ergo de centum cadis olei quinquaginta, et de centum coris tritici octoginta a debitoribus scribere fecit, hoc insinuat, quia omnis qui de præteritis peccatis pœnitentiam agit, non solum in se peccantibus clementer dimittere debet, sed etiam ex substantiis juste acquisitis eleemosynas erogare, nec solum decimas et primitias, ut in lege præceptum est, dare, sed ex reliqua parte indigentibus ministrare. Vel certe dimidium rerum suarum tribuere, sicut fecit Zachæus, qui cum suscepisset Dominum Jesum in domum suam, ait : Dimidium rerum mearum do pauperibus, et si quid alicui tuli, in quadruplum restituam (*Luc.* XIX.)

« Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia « prudenter fecisset. Quia filii hujus sæculi pruden- « tiores filiis lucis in generatione sua sunt. » Non laudavit dominus villicum iniquitatis, quod fraudem fecerat, sed quod sibi in futurum prudenter præviderit, ut nos ejus exemplo discamus, non hic habere manentem civitatem, sed futuram toto desiderio inquirere (*Hebr.* XIII.) Filii sæculi dicuntur, qui hoc sæculum mente et desiderio inhabitant. Sicut enim filii lucis dicuntur, qui inaccesibilem lucem, id est Deum toto corde diligunt : sic filii sæculi hujus vocantur, qui in sæculi hujus amore radices cordis plantaverunt, in quibus voluntas esset sine fine vivendi, teste Petro apostolo, qui ait : Cujus quis opera facit, ejus filius appellatur. Ergo « filii sæculi, prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt, » quia cum illi sint callidi, astuti et ingeniosi, deceptores, duplices animo, isti econtrario simplices, humiles, puri, benigni, nescientes malum pro malo reddere : et sicut isti simplices sunt in malo, prudentes vero in bono, sic illi sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt. De quibus Dominus ait : « Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobis ipsis prudentes (*Isa.* V). » Qui recte in generatione sua prudentes dicuntur, quia tales non in generatione Dei, sed in sua computantur, quia prudentia hujus sæculi stultitia est apud Deum. De qua prudentia Paulus apostolus ait : « Prudentia carnis mors est (*Rom.* VIII.) » Non enim de illis dicitur : « Generatio rectorum benedicetur (*Psal.* CXI,) » sed potius inter eos enumerantur, de quibus scriptum est : « Generatio prava et adultera (*Matth.* XII.) « At vero de prudentia filiorum lucis dictum est : « Illa autem quæ sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, in bonis consentiens (*Jac.* III.) » Finita autem similitudine, pius Dominus ad nostram admonitionem sermonem convertit, dicens :

« Et ego dico vobis : Facite vobis amicos de mam- « mona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos « in æterna tabernacula. Quam sententiam quidam ita intelligendam putavere, ut aliena rapere et inde pauperibus tribuere, hoc esset amicos facere de mammona iniquitatis. Quod quantum sit absurdum et a religione alienum manifeste patet. Non enim Deus omnipotens aliena rapere jubet, qui propria præcepit largiri : nec dignatur de rapinis eleemosynam suscipere, qui per prophetam clamat : « Qui offert sacrificium de substantiis pauperum, quasi qui victimat in conspectu patris sui filium (*Eccli.* XXXIV.) » Unde per quemdam sapientem dicitur : Unus ædificans, et alter destruens : unus orans, et alter maledicens : cujus vocem exaudivit Deus ? Mammona Hebraice vel Syriace, Latine divitiæ interpretantur, quia Punice mammsn lucrum dicitur. Mammona ergo iniquitatis, istæ divitiæ vocantur, etiam ex justitia acquisitæ, et quæ ex jure parentum succedunt, quia cum labore acquiruntur, et cum magna sollicitudine custodiuntur, et sine iniquitate aut vix aut raro haberi possunt. Jubet ergo Dominus amicos facere de mammona iniquitatis, id est de devitiis cum labore acquisitis eleemosynam, dare ut, secundum quod ait Apostolus, in præsenti vita pauperum inopiam divitum abundantia suppleat ; ut iterum in alia vita divitum inopiæ pauperum abun-

dant sit consolatio (*II Cor.* VIII.) Amici, quos de mammona iniquitatis facere jubemur, pauperes sunt et indigentes, quos Deus permisit egere ad illorum purgationem et nostram probationem. Quos nobis amicos facimus, quando eorum nuditatem operimus, esuriem reficimus, sitim exstinguimus, et in omnibus eorum necessitatibus subvenimus. Qui non recipere dicuntur in æterna tabernacula, quia ille pro eis nos recepturus est, qui ait : « Venite, benedicti Patris mei : percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere ; hospes eram, et collegistis me : nudus, et cooperuistis me : infirmus et in carcere, et visitastis me (*Matth.* XXV.) » Et illis dicentibus : » Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus ; et sitientem, et dedimus tibi potum ; hospitem, et suscepimus te ; nudum, et cooperuimus te ; infirmum et in carcere, et venimus ad te ? (*Ibid.*) » respondet : « Amen dico vobis, quandiu uni minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Ibid.*) » Hos amicos quia noluit habere ille dives, non in æterna tabernacula, sed in æterna pœna positus, aiebat : « Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma (*Luc.* XVI.) » Æterna tabernacula diversæ retributiones sunt meritorum, quod Dominus alibi declarat, dicens : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV.) » Audiat ergo hoc dives, audiat Christianus, discat tribuere minima, ut possit accipere magna. Quia « qui in minimo fidelis est, ut Dominus ait, et in magno fidelis erit (*Luc.* XVI.) » Discat dare transitoria, ut mereatur accipere æterna, Suscipiat pauperem in domum suam, ut suscipi mereatur a Christo in tabernacula sua. In his tabernaculis locum sibi optabat invenire, qui dicebat (*Psal.* XIV) : « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo ? » Cui divina voce protinus respondetur : « Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat. Qui jurat proximo suo, et non decipit ; qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentes non accepit ; qui facit hæc, non movebitur in æternum (*Ibid.*) » « Beatus enim, » ait Propheta, « qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus (*Psal.* XL.) » Nam quantum virtus eleemosynæ valeat, Dominus manifestat, dicens : « Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis (*Luc.* XI.) » Et iterum : « Cum facis prandium aut cœnam, noli invitare eos qui te reinvitent, sed voca pauperes, et beatus eris, quia non habent unde retribuant tibi (*Luc.* XIV.) » Et alibi : « Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum (*Eccli.* III.) » Unde justi viri voce dicitur : « Fiducia magna erit coram summo Deo

A eleemosyna, in omnibus facientibus eam (*Tob.* IV). » Et iterum : Filii, « eleemosyna a morte liberat (*Tob.* XII,) » et non patitur hominem intrare in tenebras. Et rursum : Desudet elemosyna in manu tua, donec invenias justum cui tradas eam. Et pauperes ergo juxta possibilitatem suam eleemosynas tribuere debent. Unde bonus pater erudiens filium suum, ait ; Fili, « si multum tibi fuerit. abundanter tribue : » si autem exiguum etiam exiguum libenter impartire (*Tob.* IV.) Neque enim apud justum judicem excusatio de elemosyna erit, quando etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se promisit daturum (*Matth.* X.) Aliter : Quidam autem hanc similitudinem in Paulo apostolo impletam intelligi volunt hoc modo : Homo iste Deus omnipotens est, qui habuit villicum,
B scilicet Paulum apostolum, cui divitias suas dispensandas commisit, quando secus pedes Gamalielis legis doctoris, juxta veritatem paternæ legis eum erudivit. Sed male divitias Domini sui tractavit, quando legem carnaliter intelligens, Christianos persecutus est intantum, ut acciperet epistolas a principibus sacerdotum, ut quoscumque inveniret hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Diffamatus est autem apud Dominum suum, quando dictum est de eo : Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Hierusalem ; et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum. Cumque fama persecutionis ejus ad Dominum ascendisset, pergente eo Damascum, vocavit illum Dominus suus de cœlo, et ait illi : « Saule, Saule, quid me persequeris ? »
C (*Act.* IX.) Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Quod est dicere : « Quid hoc audio de te ? Redde rationem villicationis tuæ, jam non poteris villicare (*Luc.* XVI,) » id est judaizare. Ac si diceretur : Quia usque hodie legis doctor fuisti carnaliter, discipulus veritatis incipies esse spiritaliter. Villicus dicitur, qui super alienam villam curam gerit. Super alienam quippe villam curam gerebat Paulus, quando legem per Moysen datam carnaliter docebat. Sed ablata est ab eo villicatio, quando carnalis lex non carnaliter, sed spiritualiter ei intelligi præcepta est. « Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem ? » (*Luc.* XVI.) Quasi diceret : Quid faciam, quia magister fui in carnali doctrina
D legis, et villicus et discipulus cogor esse et operarius spiritalis legis ? « Fodere non valeo (*Ibid.*) » id est doctrinam legis perscrutari per memetipsum nequeo. « Mendicare erubesco (*Ibid.*), » quia fidem Christianitatis ab Anania, quem discipulum habui, discere vereor. « Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me Christiani in domos suas (*Ibid.*), » quos persecutus sum. Vocavitque duos debitores Domini sui, Judæorum scilicet populum et gentium, qui ambo sub debito seu jugo peccati constricti tenebantur, sicut ait Apostolus (*Rom.* XIII) : « Non enim est distinctio Judæi et Græci, Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. » Et

uni præcepit de centum cadis olei, quinquaginta : et alteri de centum coris tritici, octoginta scribere. Octogenarius numerus ad fidem resurrectionis pertinet, quia Dominus Jesus Christus octava die a mortuis resurrexit. Quinquagenarius ad pœnitentiam, quoniam quinquagesimus psalmus in pœnitentiam est decantatus. Et quinquagesimus annus in lege Jubilæus est dictus, id est annus remissionis. Judæorum ergo populo de centum coris tritici octoginta scribere fecit, quia resurrectionem Christi eum credere docuit. Gentilem vero de centenario ad quinquagenarium vocavit, quia per pœnitentiam pristina mala illius corrigere, et Deo appropinquare docuit. « Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset (*Luc.* XVI), videlicet Paulum apostolum, ex persecutore prædicatorem factum, in doctrina factum, in doctrina et prædicatione magnificavit, dicens de illo ad Ananiam : « Vade, quia vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israel (*Act.* IX), » impleta prophetia, quam Jacob olim, cum benediceret filios suos, prophetavit, dicens : « Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia (*Gen.* XLIX). » De tribu autem Benjamin Paulus apostolus fuit, ut ipse testatur. Qui velut lupus rapax in persecutione Christianorum exarsit. Mane comedit prædam, quia in adolescentia Ecclesiam Dei persecutus est. Vespere divisit spolia, quia postquam ad fidem Christi conversus est, eos quos, de potestate diaboli victor obtinuit, ad prædicandam fidem, quam prius persecutus fuerat, in diversas nationes destinavit.

HOMILIA CXXII.

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

(LUC. XIX). « In illo tempore : Cum appropinqua« ret Jesus Jerusalem, videns civitatem, flevit super « illam, dicens : Quia si cognovisses, et tu. » Et reliqua. In hujus lectionis serie Dominus Jesus Christus utramque suam naturam commendat, divinam scilicet et humanam. Humanæ quippe naturæ indicium est, cum perituræ civitati usque ad fletum compatitur : divinæ, cum eidem civitati, quæ ventura erant, ut Deus prædicit. Quasi homo templum ingressus est, sed quasi Deus vendentes et ementes de illo ejecit, dicens : « Domus mea domus orationis vocabitur (*Matth.* XXI). » Quantum autem de salute hominum gaudeat, quantumve de eorum perditione doleat, in exordio hujus lectionis demonstrat, cum perituram civitatem intuens, flevit super illam, dicens : « Quia si cognovisses, et tu. » Flevit, non pulchritudinem domorum, non altitudinem turrium, non ædificia murorum, sed metaphorice homines. Dicitur autem et a flente Domino : « Quia si cognovisses, et tu, » ubi subaudiendum est, quia si cognovisses mala quæ tibi imminent, fleres, quæ modo, quia nescis cito peritura, exsultas. Intenta enim solummodo in prosperitatibus, quæ præsentialiter ei affluebant, quod futurum erat, minime prævidebat. Unde et a Domino dicitur : « Et quidem « in hac die tua, quæ ad pacem sunt tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. » Quasi enim in die sua pacem habebat, cum extollebatur in honoribus, gloriabatur in facultatibus, lætabatur in fecunditate prolis, et ideo periculum, quod sibi venturum erat, nullo modo agnoscebat. Quæ autem illi ventura essent, Dominus brevi sermone comprehendit, cum adjungit :

« Quia venient dies in te, et circumdabunt te ini« mici tui vallo : et circumdabunt te, et coangusta« bunt te undique, et ad terram prosternent te et « filios tuos, qui in te sunt ; et non relinquent in te « lapidem super lapidem. » Dies venturos dicit, tribulationis et angustiæ, calamitatis et famis, obsidionis et mortis. Inimicos Romanos nominat principes, qui eamdem civitatem vallo circumdantes undique coangustaverunt, et eam ad litteram prostraverunt, et filios ejus necaverunt. Quæ omnia, qualiter civitati contigerint, Josephus historiographus Hebræorum pleniter narrat. Sed propter simpliciores, qui fortassis præfati viri historiam ignorant, ex multis pauca commemoranda sunt. Post Domini enim ascensionem, post necem Jacobi, qui justus est appellatus, Judæorum populo in malitia perseverante, suscitavit adversus eos Dominus duos Romanorum principes, Vespasianum scilicet et Titum, patrem et filium, justo Dei judicio agente, ut qui patrem et filium negaverant, a patre et filio necarentur. Cumque Judæorum regionem Romanus vastaret exercitus, imminente solemnitate paschali, cucurrit omnis populus in civitatem quasi vir unus; justo Dei judicio exigente, ut qui in paschali solemnitate Christum occiderant, in eadem solemnitate obsidionibus circumdarentur. Nam repente ab hostibus vallata est urbs, ita ut nullus ingredi aut egredi posset, et tandiu obsessa, quoadusque omnia quæ secum ad edendum detulerant, consumpta viderentur. Quæ autem extra civitatem reliquerant, omnia Romanus vastaverat exercitus. Longa ergo obsidione afflicti, multo gravius fame interius, quam ab hostibus premebantur exterius. Quod idem historiographus ostendit, cum dicit diræ et diuturnæ famis inopia etiam delicata viscera aruisse intantum, ut nonnulli nec ab ipsis calceamentis edendis se abstinuerint. Alii quisquilias feni veteris et purgamenta frumenti dentibus ruminanda tradebant. Nonnulli portarum indumenta detrahebant, ut hoc saltem edulio famis inopiam temperarent. Si quis autem pro colligendis herbis urbem egredi voluisset, quasi qui ad Romanos fugere vellet, tenebatur. Mensam vero nullus ex more apponere audebat, sed propria quasi furtiva edebant. Nam quidquid ad verecundiam vel pudorem naturalem pertinet, in hac necessitate contemnebatur, quia hoc totum sibi vendicaverat fames. Denique et mulieres de virorum manibus, et filii de parentum, et (quod infelicius est) matres a faucibus filiorum suorum cibos abstra

hebant. Nulla senibus pro canitie reverentia, nulla parvulis pro innocentia miseratio servabatur, sed verberabantur senes, si cibum occultare voluissent. Sparsis etiam crinibus mulieres per plateas trahebantur, cibum celare tentantes. Jacebant autem per plateas juvenum corpora, magis fame quam ætate consumpta. Sepelire autem mortuorum corpora, nec morientium multitudo, nec virium debilitas permittebat. Multi enim, dum charorum corpora sepelire vellent, spiritus emittebant. Cumque fetor intolerabilis de mortuorum cadaveribus in civitate crescere cœpisset, extra muros eadem ejiciebant. Et cum quadam die Titus, quem pater Romam reversus in obsidione Hierosolymorum reliquerat, cum militibus urbem circuiret, videns cadavera mortuorum pene muro civitatis æquari, cum ingenti gemitu elevatis oculis in cœlum, Deum invocat testem, hoc suum opus non esse. Conversusque militibus ait : Arbitror, quia si ab hac pestilentia urbis paululum Romanus recessisset exercitus, aut aquis diluvii necarentur, aut Sodomitanis ignibus cremarentur, aut certe hiatu terræ absorberentur. Et cum in proximo recessurus esset, iterum adversus civitatem confortat milites, custodias munit, armat exercitum, et super hæc omnia mala prædones ex ipsis viris consurrexerant, qui ab ipsis faucibus, ut ita dixerim, cibos rapiebant. Et si cujuspiam fores clausas vidissent, indicium esse credebant, quod intus positi ederent: et repente confractis foribus insilientes, quidquid invenire poterant, rapiebant. Sed quia longum est enumerare omnia mala, quæ Judæis pro effusione Dominici sanguinis contigerunt, qualiter eadem civitas capta sit, breviter commemorandum videtur. Erat enim quædam mulier Maria nomine, Eleazari filia, nobilis genere, facultatibus dives, hæc cum cætera multitudine ad diem festum convenerat : cumque diuturna obsidione omnia quæ secum detulerat consumpsisset, et jam delicata viscera fames torqueret, contra ipsam agitur naturam. Erat enim sub uberibus parvulus filius, hunc ante oculos suos constituens, ait: Infelicissima mater, o infelicior fili, in bello, fame et direptione prædonum, cui te reservabo? Nam et si vita sperari posset, jugo tamen Romanæ servitutis urgemur. Veni ergo, o mi nate, esto matribus sæculi fabula, prædonibus furor. Et hæc dicens, filium jugulat, partem igne torrens comedit, et partem in posterum reservavit. Cumque ob odorem adustæ carnis prædones ex more affuissent, mortem minari cœperunt, nisi quos absconderat, ostenderet cibos. At illa truculento vultu ex ipsis prædonibus tristior, partem, ait, optimam vobis reservavi. Et hæc dicens, membra quæ supererant detexit infantis. Cumque prædones stupefacti tantum facinus pertimuissent, ait : Meus est partus, meus filius, meus est cibus et facinus, mecum edite. Nam ego prior comedi, quæ genui. Nolite esse aut matre religiosiores, aut femina molliores. Quod si vos pietas vincit, exsecramini meos cibos. Ego quæ talibus pasta sum, ego his iterum pascar. At illi do-

A lentes, quod miseræ matri ex omnibus facultatibus hoc solummodo reliquissent, perpetratum facinus nuntiaverunt urbi. Factus est clamor magnus in civitate dolentium atque lugentium, et in ipso clamore apertis portis, ingressus est Titus cum Romano exercitu, alios gladio trucidavit, alios igne combussit, juvenes quoque in captivitatem destinavit. Ipsam vero urbem a fundamentis ita destruxit, ut juxta Domini vocem, non relinqueretur in ea lapis super lapidem. In cujus destructione impletum est quod Dominus olim figurate per Ezechielem prophetam prædixerat, dicens: « Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, et duces eum per caput tuum et barbam, et tertiam partem igni combures, et tertiam
B partem gladio concides, tertiam vero partem in ventum disperges, et evaginabo gladium meum post eos (*Ezech.* v). » Concordat autem hujus historiographi descriptio cum verbis Salvatoris, qui cum mœnia civitatis vidisset, ait : Cum videritis civitatem hanc ab exercitu circumdari, scitote quia prope est desolatio ejus. « Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus (*Luc.* xxi). » Et alibi legimus, quia cum discipuli ostendissent ei ædificia civitatis, dixit : Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, « non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur (*Marc.* xiii). » Ex qua autem causa ruina prædictæ civitati contigerit, Dominus manifestat, cum adjungit : « Eo quod non cognoveris tempus visitationis « tuæ. » Hanc quippe Dominus per incarnationis suæ
C mysterium visitavit, quando excelsus Deus humilis homo inter homines apparens, multa signa et miracula ostendit. Quam visitationem optabat videre, qui dicebat : « Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo (*Psal.* cv). » Hanc etiam in proximo prospexerat, qui aiebat: « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ (*Luc.* lxviii). » Sed tempus visitationis suæ superba civitas non cognovit, quia quem hominem vidit, Deum credere despexit. Ad cujus duritiam incredulitatis convincendam, etiam aves cœli in testimonium deducuntur, cum per Prophetam dicitur : « Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non co-
D gnovit judicium Domini (*Jer.* viii). » Et iterum : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit, populus meus me non intellexit (*Isa.* i). » Nec solummodo per præsentiam suæ incarnationis eam visitavit, sed post suam ascensionem multa signa et portenta, ut eorum cor ad pœnitentiam emolliret, ostendit. Nam ut idem historiographus refert, cum quamdam festivitatem celebrarent, subito commotione facta in populo Judæorum, triginta millia ex eis se mutuo interfecerunt. Nocte vero quadam sera templi Domini, quæ vix a viginti viris moveri poterat, sponte reserata est. Die quadam vitula sacrificiis admota,

enixa est agnam. Media namque nocte ita lux in templo clara refulsit, ut a nonnullis media dies esse putaretur. Quod cernentes ignari, æstimabant sibi prospera esse ventura. Sed sapientes minime latuit interitum civitatis significari. In die quoque sancto Pentecostes, sacerdotibus sacrificia offerentibus, auditæ sunt voces in templo dicentium: Transeamus ex his sedibus. Duobus autem annis ante obsidionem, cum ad celebrandam quamdam festivitatem Hierosolymis convenissent, quidam Ananiæ filius, nomine Jesus, repletus Spiritu clamare cœpit: Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, sæculi. Vox super Hierosolymam et templum, vox super sponsos et sponsas. Cumque verberibus hunc compescere vellent, magis ac magis clamabat. Et cum inter manus flagellantium spiritum exhalaret, ait: Væ væ Hierosolymis. Stella quoque per omnia gladio similis per integrum annum super Hierosolymam pependit, interitum civitatis indicans. Et currus igneus, et equi ignei visi sunt per aera ferri, et multa alia misericors Dominus, ut eorum cor ad pœnitentiam provocaret, ostendere dignatus est. Sed « illis secundum duritiam et impœnitens cor thesaurizantibus iram sibi in die iræ (*Rom.* IV), » « missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et eorum civitatem succendit (*Matth.* XXII). » Quorum interitus etiam in libris Regum præfiguratus est, quod Elisæo ascendente de Galgalis, pueri parvuli illudebant ei, dicentes: « Ascende calve, ascende calve (*IV Reg.* II). » At ille maledixit eos in nomine Domini, et statim egressi sunt duo ursi de saltu, et devoraverunt ex illis quadraginta duos pueros Elisæus enim figuram Domini tenuit. Qui cum in Calvariæ loco crucifixus esset, pueriliter illuserunt ei Judæi, dicentes: « Si Filius Dei est, descendat de cruce et credimus ei (*Matth.* XXVII). » Et iterum: Flectentes genua, dixerunt: « Ave, rex Judæorum (*Ibid.*). » Sed illis credere nolentibus, post quadraginta duos annos egressi sunt duo ursi de sylvis gentium: Vespasianus scilicet et Titus, qui eumdem populum veriis cladibus dilaniaverunt intantum, ut idem historiographus commemoret undecies centena millia in obsidione civitatis esse mortua, centum quoque millia juvenum in captivitate esse dispersa.

« Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes « et ementes de illo. » Cum Dominus ruinam civitatis prædixit, « et ingressus in templum, vendentes et ementes de illo ejecit, » ostendit quia maxime ruina templi ex culpa sacerdotum venit. Ipsi namque, qui in populo doctores et ductores esse debuerant in bonum exemplum, facti sunt in malum. Ad hoc enim in templo residebant, ut eos qui munera dabant, vanis favoribus extollerent; et qui dare nolebant, variis modis affligerent. Avaritiæ quoque suæ consulentes, quoddam ingeniosum invenerant, et filiis Israel de longinquo venientibus persuadebant, ne secum hostias deferrent, ut ab illis carius emerent, quod in templo Dei offerrent. Et ob hanc causam, ut alii evangelistæ testantur, oves et boves, et columbæ in templo Domini vendebantur. Neque enim ea quæ Domino oblata erant, juxta ritum legis sacrificabant, sed aliis atque aliis venundabant. Et ut omnem occasionem non habentibus auferrent, nummularios cum ære in templo præparatos habebant, et ideo domum orationis speluncam latronum fecerunt. Sed Dominus ingressus templum, vendentes et ementes de illo cœpit ejicere, dicens: « Scriptum est, « quia domus mea domus orationis est (*Isa.* LVI). « Vos autem fecistis illam speluncam latronum. » Et his factis, « Erat quotidie docens in templo. » Sed quod ad destructionem visibilis civitatis pertinere diximus, potest moraliter et ad perituram animam referri. Flevit enim Dominus per semetipsum perituram civitatem, deflet quotidie per doctores, eos qui de bono opere labuntur in malum. Frequenter namque doctores Ecclesiæ eos, quos admonendo corrigere non possunt, « qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II), » condolentes deflent, sicut faciebat Paulus apostolus, qui lapsum discipulorum suorum flebat, quando dicebat: « Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV), » vellem apud vos esse modo, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. Et iterum: Lugeo « multos ex his qui ante peccaverunt (*II Cor.* XII). » Convenit autem perituræ animæ, quod a flente Domino dicitur:

« Quia si cognovisses et tu. » Si enim mala quæ reprobis parata sunt, cognosceret, si æterni supplicii pœnas ante mentis oculos reduceret, non se falsa securitate deciperet, sed potius se cum electorum lacrymis defleret. Sed cum exsultat in prosperis, gaudet in honoribus, lætatur in facultatibus, ipsa prosperitas transeuntis vitæ, ante mentis oculos mala abscondit futuræ pœnæ. Unde et bene dicitur: « Et « quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc « autem abscondita sunt ab oculis tuis. » Quasi enim suam diem infelix anima habet, dum in mundi facultatibus totam spem suam collocat, ac per hoc scandalum in die judicii patietur. Non prævidet siquidem futuram tribulationem, quia excæcat oculos cordis amor terrenus. Quoniam sicut pulvis oculos corporeos excæcat, ne clare videre possint, ita amor hujus sæculi et præsentes divitiæ oculum mentis, ne futurum judicium valeat cavere. Talis erat ille dives, qui dicebat in corde suo: « Destruam horrea mea, et majora horum ædificabo, et dicam animæ meæ: Anima, multa bona habes reposita per annos plurimos, epulare (*Luc.* XII) » ergo et gaude. Hunc diem pro nihilo ducebat ille eximius propheta Jeremias, qui dicebat: « Diem hominis non concupivi (*Jer.* XVII). » Et Paulus apostolus hanc contempserat, cum discipulis suis aiebat: « Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die (*I Cor.* IV). » Quid autem mali torpenti animæ venturum sit, manifestatur cum subditur:

« Quia venient dies in te, et circumdabunt te, et « coangustabunt te undique et ad terram consternent te, et filios tuos qui in te sunt. » Dies tri-

bulationis miseræ animæ veniunt, quando dolore mortis constringitur, quæ in præsenti vita male gaudebat, et tunc incipiet secum rixari et dicere : Quare in malis operibus memetipsam dilatavi ? Quare ex præteritis peccatis pœnitentiam non egi ? Cur in bonis operibus memetipsam non exercui ? Tunc, inquam, incipiet pœnitere, cum nullus fructus pœnitentiæ remanebit, sed sola districtio vindictæ. Inimici vero ejus nulli pejores quam immundi spiritus sunt, de quibus se eripi cupiebat Psalmista, cum dicebat : « Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et eripe me de operantibus iniquitatem (*Psal.* LVIII). » Quam vallo circumdant, et undique coangustant, quando egrediente anima a corpore, mala quæ commisit enumerant, et ipsos habet exactores in pœna, quos habuit persuasores in culpa. Tunc enim infelix anima consternitur ad terram, quando a carne, quæ terra et cinis est, soluta, ad pœnam ducitur, vel quidquid virtutis se habere putat, amittit. Filios, aliquando bonas, aliquando malas cogitationes accepimus. De bonis legimus : « Et vide filios filiorum tuorum (*Psal.* CXXVII). » De malis autem hic dicitur :

« Et ad terram consternent te. » Valde autem terribile est quod subinfertur : « Et non relinquent « in te lapidem super lapidem. » In destructione autem civitatis lapis super lapidem non relinquitur, quia in damnatione perversæ animæ, non solum de malis operibus, sed etiam de perversis cogitationibus ratio exigetur. Et ideo necesse est ut dum in hoc sæculo sumus et vivimus et nobis vacat, non solum a malis abstineamus, sed etiam bonum in omnibus operari studeamus. Ante omnia autem diem mortis ante oculos ponamus, quia facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum. Unde Salomon hortatur, dicens : « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua (*Eccli.* VII). » Et iterum : « In die malorum ne immemor sis bonorum (*Eccli.* XI). » Et : « quodcunque potest manus tua facere, instanter operare (*Eccle.* IX). » Hinc pius Dominus, quia hic patienter exspectat, et districte nos in judicio judicabit, si conversi non fuerimus, nos admonere dignatus est, cum dixit : « Currite dum lucem vitæ habetis, ne tenebræ vos comprehendant (*Joan.* XII). » Et item : Concorda cum adversario tuo. Et Apostolus : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*I Cor.* II). » Cur autem infelici animæ hæc mala contigerint, manifestatur cum dicitur : « Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. » Tempus visitationis in præsenti est vita, ubi nos Deus omnipotens variis modis visitare dignatur, aliquando admonendo leniter, aliquando minando terribiliter, aliquando prosperis, aliquando adversis. Sed tempus visitationis suæ perversa anima non cognoscit, quando nec in prosperis humilitatem, nec in adversis servat patientiam, quia nec peccata perpetrare metuit, nec perpetrata fletibus punit. Quod autem subjungitur : « Et ingressus templum, cœpit ejicere vendentes et ementes de illo, » hoc quotidie in Ecclesia fieri cernitur. Templum Dei spiritaliter Ecclesia est, quæ domus orationis dici potest, dum quotidie Deo mundas orationes offerre non cessat, dicens cum Psalmista : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL). » Qui enim spiritalia dona quæ gratis acceperunt, aut propter præmium, aut propter temporalem laudem tribuunt, venditores sunt. In quibus autem maxime hoc negotium fiat, alius evangelista manifestare curavit, dicens quod in templo oves et boves et columbæ vendebantur. Per bovem prædicatores significantur, Domino dicente ad Moysen : « Non arabis in bove simul et asino (*Deut.* XXI), » hoc est noli conjungere in prædicatione sive doctrina prudentem cum stulto. Et iterum : « Non alligabis os bovi trituranti (*I Cor.* IX). » Quod exponens Paulus apostolus ait : « Nunquid de bobus cura est Domino ? » (*Ibid.*). Non. Sed propter nos hæc scripta sunt. Quicunque ergo verbum Dei ideo in Ecclesia prædicat, ut solummodo humanam gloriam aut temporale præmium accipiat, quasi bovem venalem in templo minat. Per ovem mitissimum animal innocentia designatur. Et qui Deo sanctitatem, vel ab hominibus laudetur ostendit, quasi ovem venalem in templo inducit. De quibus Dominus dicit : « Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus (*Matth.* XXIII). » Et alibi : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* VI). » Per columbam vero Spiritus sancti gratia figuratur, quod ipse manifestare dignatus est quando super baptizato Domino in specie columbæ apparuit. Igitur qui gradum ecclesiasticum, aut manus impositionem, per quam Spiritum sanctum credimus dari, ideo tribuit, ut temporale lucrum acquirat, quasi columbam venalem in templo portat, id est in Ecclesia, non considerans illud quod Dominus ait : « Gratis accepistis, gratis date (*Deut.* XVI). » De quibus scriptum est : « Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt (*Job.* XV), » Et item : Non accipias in judicio personam pauperis, quia munera obcæcant oculos sapientium, et verba rectorum subvertunt (*Deut.* XVI). Tales enim Dominus a templo suo ejecit, quia quamvis in præsenti sæculo corpore Ecclesia conjuncti videantur, tamen in die judicii ab Ecclesia separabuntur, quando illis dicetur : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Non solum Dominus vendentes de templo ejecit, sed etiam ementes, quia non solum illi rei sunt, et ab Ecclesia alieni, qui spiritalia dona vendunt, sed etiam qui emunt, quod carius vendere possint. Unde magna et sancta synodus decrevit, etiam laicum, si in hujusmodi negotiis mediator fuerit, ab Ecclesia alienum fieri. Tales domum speluncam latronum faciunt, quia in eo quod spiritalia dona vendunt, abominabilem fructum faciunt. De quibus ait Salvator : « Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro (*Joan.* XX). » Quod vero subjungit : « Et « erat docens quotidie in templo. » Hoc semper agit in Ecclesia spiritaliter, quod tunc per semetipsum fecit corporaliter. Ipse enim in templo docet, cum

exterius per prædicatores doctrinam format, et interius cor auditoris illustrat.

HOMILIA CXXIII.

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

(Luc. XVIII.) « In illo tempore dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam hanc : Duo homines ascenderunt in templum. » Et reliqua. In multis locis sacra Scriptura, quantum virtus humilitatis hominibus prosit, quantumve morbus superbiæ noceat, ostendit ; præcipue tamen in hac lectione, sub duorum hominum exemplo hoc Dominus declarat, pharisæi scilicet, de suis meritis inaniter se extollentis : et publicani sua peccata humiliter confitentis. Ait enim :«Duo homines ascenderunt in templum. » Supra retulit Evangelica lectio, qualiter Dominus ad constantiam orandi discipulos suos hortaretur, similitudinem proposuit de judice iniquitatis, quem interpellabat quotidie quædam vidua, dicens : « Vindica me de adversario meo, et nolebat per multum tempus(*Luc*.XVIII). » Post hæc dicit intra se : « Et si Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc mulier, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me (*Luc.* XVIII). » Et tædio victus præstitit quod beneficio præstare noluerat. Sed quod omnis, qui ad adorandum accedit, non solum humanitatem in corde, sed etiam servare debet in corpore, finita similitudine dicebat ad eos, qui in se confidebant tanquam justi essent : « Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus pharisæus, et alter publicanus.»Pharisæus namque divisus interpretatur, quo nomine illi in Judæorum populo censebantur, qui ut justiores apparerent, a cæteris se dividebant quasdam observationes et superstitiones docentes, quorum vitia Dominus in Evangelio non solum detegit, sed etiam frequenter increpat, dicens : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent quidem hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Ita et vos quidem a foris apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis iniquitate et hypocrisi (*Matth.* XXIII). » Et iterum : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis facite, secundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim, et non faciunt. Alligant autem onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere (*Ibid.*). » Ex quorum numero erat iste Pharisæus, qui cum ascendisset in templum ut oraret, dicebat : « Deus, gratias ego tibi quia non « sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adul« teri, velut etiam hic publicanus.» In quo loco colligere possumus, quia quatuor modis tumor arrogantium dividitur. Primo, cum se existimat habere homo, quod non habet. Secundo, cum hoc quod habet, propria virtute se habere putat. Tertio, cum hoc quod habet, a Deo quidem se accepisse, sed propriis meritis credit. Quarto, cum cæteris despe-

A ctis singulariter se habere æstimat quod habet. Quo morbo jactantiæ iste Pharisæus laborabat, qui non solum publicano humiliter oranti se præferebat, sed etiam cæteris hominibus, dicens : « Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. » Adhuc etiam ipsam mentis jactantiam Pharisæus verbis aperit, cum subjungit :

« Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ « possideo. »Quod ait:«Jejuno bis in sabbato, » intelligendum est in hebdomada. Ubi eorum tepiditas redarguitur, qui etiam indictum jejunium in Ecclesia violare præsumunt. Frustra tamen decimas de omnibus quæ possidebat dabat, qui mentem suam in fundamento humilitatis non collocaverat. Erat enim de illis de quibus Dominus ait : « Væ vobis,
B Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum et cyminum (*Matth.* XXIII ; *Luc.* XI), » et omne olus horti ; majora autem legis prætermittitis, id est judicium et æquitatem. Sollicita ergo consideratione prævidendum est, ut quotiescunque bona agimus, virtutem humilitatis in fundamento ponamus, ne si exterius inanem gloriam quærimus, interius mercede privemur. Unde Ezechiel, cum quatuor animalium corpora describeret, ait : Erant capita animalium plena oculis ante et retro. Quoniam sanctorum actio undique circumspecta, undique debet esse munita. Ecce enim Pharisæus iste ad referendas Deo gratias apertos oculos habuit, sed ad humilitatis custodiam clausos, cum dixit : « Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. »Nos autem in eo quod bonum agimus,
C oculos apertos habemus, sed si de bono opere inanem gloriam quærimus, in ea parte nihil videmus. Et quid prodest, si tota civitas munita sit, et muris undique circumdata, et unum foramen in ea relinquatur, per quod ab hostibus capiatur ? Aut quid valet, si navis in medio pelagi posita, clavis et tabulis firmiter confixa fuerit, et parvum foramen in ea remaneat, per quod aquæ ingrediantur, et navis demergatur ? Nihil. Sic non sufficit bonum agere, nisi quis humilitatem studeat servare. Quia qui sine humilitate virtutes colligit, quasi in ventum pulverem portat. Nam humilis dicitur, quasi humi acclivis. Quam humilitatem ille habebat, qui dicebat :« Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen*.XVIII). » Et Dominus ad humilitatis custodiam
D nos provocat, cum dicit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Et Salomon : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus (*Eccli.* III). » Et Petrus apostolus : « Humiliamini sub potenti manu Dei (*I Petr.* V).»Hanc humilitatem habebat Psalmista, cum dicebat :«Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me (*Psal.* CXVIII). » Et item « Humiliatus sum usquequaque, Domine (*Ibid.*). »Solet enim contingere, ut cum avis laqueo capitur, sana toto corpore et integris alis, summitate parvissimæ unguis teneatur. Quoniam antiquus et callidus auceps diabolus, quos per adulteria, homicidia et cætera manifesta mala capere non potest, per inanem

gloriam decipere conatur, ut de bono quod agunt, et sibi placeant et cæteros despiciant. Sed his de superbi Pharisæi tumore breviter dictis, ad pœnitentis publicani verba veniamus. Nam subditur:

« Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, « dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. » Publicanus dicitur, qui amisso pudore publice peccat, vel qui tributa et vectigalia publice exigit. Sicut enim Pharisæus mentis jactantiam aperuit verbis, ita et publicanus dolorem cordis in ipso situ ostendit corporis. Primo a longe stando, non audens appropinquare sanctis, a quorum consortio se peccando diviserat. Secundo, nolens oculos ad cœlum levare, timens illum respicere, quem se offendisse recolebat. Tertio, tundendo pectus, quod proprie illorum est, qui de peccatis erubescunt. In tunsione quippe pectoris, dolorem ostendit mentis. Sed quia nemo præ facinorum magnitudine veniam desperare debet, recte voce publicani dicitur : « Deus, propitius esto mihi peccatori. » Noverat enim illum esse, qui per Prophetam ait (*Ezech.* XVIII) :« Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut converiatur et vivat. » Et iterum : « Peccator in quacunque die conversus fuerit et ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur.» Imitemur ergo et nos, qui peccatis constringimur, hunc publicanum :et recolentes mala quæ gessimus, longe stemus, id est a consortio sanctorum nos indignos judicemus. Respiciemus terram, id est terram et cinerem nos jugiter consideremus. Tundamus pectora, ut delectatio carnalis in amaritudinem vertatur mentis. Neque enim pœnitentes de venia desperemus, sed ad illum, qui veniæ largitor est, humiliter accedamus, orantes cum propheta et dicentes : « Adjuva nos, Deus, salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum (*Psal.* LXXVIII). » Sed quia juxta vocem Salomonis (*Prov.* XVI) : Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur, bene subjungitur :« Amen dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo, »hoc est, magis quam Pharisæus. Iste enim se accusando justificatus est, ille se excusando reprobatur. Sicque in his adimpletum est quod alibi ait : « Amen dico vobis, quia gaudium est in cœlo coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia (*Luc.* V). » Allegorice autem per Pharisæum et publicanum, utrumque populum intelligere possumus, Judæorum scilicet et gentium. Ergo per Pharisæum, qui *divisus* interpretatur, Judæorum populus significatur, qui in circumcisione et legalibus cæremoniis a cæteris nationibus erat divisus. Per publicanum intelligitur gentilis populus, qui a cognitione Dei alienus, absque ulla reverentia publice peccare non erubescebat, non solum in idolorum cultura, sed etiam in variis immunditiis. Sed Pharisæus de propriis meritis confidens, reprobatus est, quia sicut ait Apostolus : « Judæorum populus volens statuere suam justitiam, justitiæ Dei non est subjectus (*Rom.* X).» Publicanus autem vel gentilis, accepta Dei notitia, tanto citius ad veniam pervenit, quanto vehementius dolens de peccatis erubuit, Apostolo teste, qui ait : « Quod quærebat Israel, non est consecutus, electio autem consecuta est (*Rom.* XI). » Sic ergo unus exaltando meruit humiliari, et alter humiliando meruit exaltari. « Superbum enim, » ait Salomon, « sequitur ignominia, et humilem spiritu sequitur gloria (*Prov.* XIX). » Unde et subditur :

« Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur :et qui « se humiliat, exaltabitur. » Sed quia simpliciter non ait: Qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur; sed cum additamento : «Omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur,» dicendum est, quia variis modis homines in hoc sæculo et in futuro exaltantur, et humiliantur. Alii hic et in futuro exaltantur sicut fuit rex David, Job, Ezechias, Josias et cæteri tales, qui gloriosi in hoc sæculo fuerunt, et gloriosiores in futuro. Alii hic et in futuro humiliantur, sicut sunt superbi homines, qui sunt pauperes : vel certe illi, qui in hoc sæculo de peccatis vindictam recipiunt, et in futuro ad pœnam perpetuam transeunt, quales fuerunt Herodes et Antiochus, Nabuchodonosor et Pilatus, et multi tales, de quibus scriptum est : « Duplici contritione contere eos, Domine(*Jer.* XIX).» Nonnulli enim hic exaltantur, sed in futuro humiliantur, sicut sunt superbi divites, qui juxta Scripturæ vocem, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (*Job.* XXI). Alii autem hic humiliantur, sed in futuro exaltantur, sicut sunt pauperes, et illi præcipue, qui propter Deum omnia sua relinquentes, semetipsos spontanea voluntate humiliant, ut in futuro a Domino exaltari mereantur. Ad quorum nos consortium perducere dignetur ille, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXIV.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

(MARC. VII.) « In illo tempore : Exiens Jesus de « finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ. » Et reliqua. Supra retulit Evangelica lectio, qualiter Dominus fines Tyri et Sidonis appropinquans, filiam mulieris Chananitidis a dæmonio liberavit. Nunc autem et aliud miraculum descripturus, non frustra ipsa loca, per quæ ambulavit, commemoranda putavit, dicens : « Et iterum exiens Jesus de finibus « Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter « medios fines Decapoleos.« Tyrus et Sidon civitates fuere gentilium, quæ quondam filiis Israel in sortem datæ sunt, sed ab eis minime possessæ. In corde enim maris sitæ, non facile ab hostibus capiuntur. In hac Tyro fuit rex Hiram potentissimus, qui Salomonem in constructione domus Domini plurimum juvit (*III Reg.* V). Contra quam Ezechiel propheta multa locutus est (*Ezech.* XXVII, XXVIII), dicens eam in corde maris sitam, divitiis locupletem, sed nec a vitiis vacuam. Nabuchodonosor quoque

regem Babyloniæ, ad ejus destructionem festinantem describit. Decapolis autem regio est trans Jordanem, decem urbes habens, ut ipso nomine comprobatur. Nam δέκα Græce, Latine decem: πόλις vero, in hoc loco civitas dicitur, ex quibus (ut diximus) nomen regionis Decapolis est compositum. Sicut ergo Tyrus et Sidon, civitates gentilium, gentilem significant populum, sic Decapolis Judæorum, qui ad suam eruditionem decalogum legis acceperat. Quod autem ait: « Venit per Sidonem ad mare Galilææ, » inter medios fines Decapoleos, non ipsos fines eum intrasse, sed juxta transisse significat. Quod etiam a mysterii significatione non vacat. Quasi enim fines Decapolis spiritualiter appropinquavit, quando carnem ex Judæis assumpsit, sicut dicit Apostolus: « Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est benedictus in sæcula sæculorum (*Rom.* IX) » Non autem ipsos fines ingressus est, quia ab eis nec cognitus, nec receptus est, sicut ipse eis improperans dixit: « Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me: si alius in nomine suo venerit, ipsum suscipietis (*Joan.* V). » Unde per Joannem dicitur: « In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I). » Vel certe fines Decapolis appropinquavit, quando consortium humanæ naturæ accepit. Non autem ipsos intravit, quia communionem culpæ non habuit.

« Et adducunt ei surdum, et mutum. » Surdus iste et mutus allegorice genus significat humanum, quod constat tam ex Judæis, quam ex gentibus. « Non est enim distinctio, » ut Apostolus ait « Judæi et Græci: omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei (*Rom.* III). » Tunc autem genus humanum obsurduit, quando in primo parente verbis serpentis auditum aperuit. Post surditatem tunc loquendi officium perdidit, quando a laude Dei cessavit. « Non est enim speciosa laus, » ut ait Scriptura, « in ore peccatoris (*Eccli.* XV). » Hi autem, qui surdum et mutum Domino ad curandum adducunt, patriarchas et prophetas significant, qui spiritaliter Dominos ægrotum ad sanandum detulerunt. Quia ad ejus liberationem, non solum Domini incarnationem prædixerunt, sed etiam totis viribus eam optaverunt. Unde et subditur: « Et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. » Manus Domini in Scripturis aliquando potentiam Divinitatis significat, aliquando incarnationem humanitatis. Potentiam significat Divinitatis, sicut scriptum est: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum (*Psal.* XXX; *Luc.* XXIII). » Incarnationis humanitatem, sicut alibi legitur: « Emitte manum tuam de alto (*Psal.* CXLIII). » Ergo in hoc loco non incongrue manus Domini incarnationis mysterium significat. Deprecatur autem eum, ut ei manum imponat, quia per hoc quod nostram mortalitatem accepit, genus humanum ab infirmitate animi liberavit.

« Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus. » Quid est quod Dominus sanaturus surdum et mutum, seorsum apprehendit? Nunquid non coram hominibus eum sanare poterat, qui cuncta creavit ex nihilo? Poterat utique. Sed prius ipsum a turba separat, et postea sanat, ut intelligat genus humanum se aliter sanitatem animæ non posse recipere, nisi prius pristinos errores relinquens, a turba immundorum spirituum, et tumultu vitiorum sese redderet alienum. Digitus autem Dei in Scripturis Spiritum sanctum significat, sicut Dominus alibi ait: « Porro si in digito Dei ejicio dæmonia (*Luc.* XI). » Quod alius evangelista manifestius declarat, dicens: « Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones (*Matth.* XII). » Iste est digitus, quem magi in Ægypto confitebantur dicentes: « Porro digitus Dei est iste (*Exod.* VIII). » Hoc digito tabulæ Testamenti scriptæ sunt. Et pulchre per digitum Dei Spiritus sanctus figuratur, quia sicut digitis aliquid constringimus, ut operemur, ita Pater et Filius omnia per Spiritum sanctum operantur, Psalmista testante, qui ait: « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII). » Hujus digiti mirabilem operationem aspexerat qui dicebat: « Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum (*Psal.* VIII). » Sive certe per digitum Dei recte Spiritus sanctus designatur; quia sicut in nullis aliis membris tantam partitionem habemus, quantam in digitis, et tamen una est manus, sic ejusdem Spiritus sancti dona cum sint in singulis divisa, in eodem tamen sunt indivisibilia. Unde Paulus, enumeratis ejusdem Spiritus sancti donis, adjunxit dicens: « Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Mittit ergo digitos in auriculas, ut surdo auditum restituat, quia ut aures cordis verbum Dei audire et spiritaliter intelligere possint, per Spiritus sancti gratiam aperiuntur. « Exspuensque tetigit linguam ejus. » Sputum ex capite descendit. Ergo per caput divinitas, per sputum humanitas designatur, Apostolo dicente: « caput Christi Deus est (*I Cor.* II). » Sputo igitur liguam tetigit ut loquelam reciperet, quando altitudinem suæ Divinitatis usque ad nostram inclinavit humanitatem (*Joan.* XI). Quod alibi manifestius demonstravit, quando oculos cæci nati aperuit. Lutum siquidem ex sputo fecit, et linivit oculos ejus.

« Et suspiciens in cœlum, ingemuit et ait illi: « Ephpheta, quod est, adaperire. » Sanaturus Dominus ægrotum, in cœlum suspexit, ut ostenderet omnia bona et sancta a Deo esse petenda. Inde enim surdis auditus, inde mutis redditur loquela, quia sicut Jacobus apostolus ait: « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jacob.* I). » Et sicut in Evangelio dicitur: « Non potest homo a se facere quidquam, nisi ei datum fuerit desuper (*Joan.* IX *et* XIX). » « Ingemuit. » Nunquid indigeret aliquid postulare, a Patre, cum gemitu, qui cuncta postulata dat cum Patre? Non. Sed ut exemplum nobis ostenderet gemendi, quoties vel pro nostris, vel pro alienis peccatis intercedimus. Quod autem ait, Ephpheta, evangelista exposuit, cum adjunxit: « quod est, adaperire. » Consuetudo est enim

evangelistarum, ut aliquando ipsa verba vel nomina A hebraica cum ipsa sua expositione ponant, sicut in Evangelio Joannis dicitur: « Vade ad natatoriam Siloæ, quod interpretatur missus (*Joan.* IX). » Et in Evangelio Marci, « Bartimæus Timæi filius scribitur (*Matth.* X). » Et Judas Zelotes idem est qui et Judas Chananæus, quoniam Chanaan zelus interpretatur. Ephpheta ergo, quod est adaperire, proprie ad aures pertinet. Et pulcherrimo ordine Dominus prius digitos in auriculas surdi mittit, deinde linguam sputo tetigit, et postremo ait: Ephpheta, quod est adaperire, ut ordinatissimum officium baptizandi sacerdotibus demonstraret. Quoniam hi qui baptizantur, prius Spiritus sancti gratia sunt illuminandi, deinde a doctoribus sunt instruendi et postremo ad confessionem fidei vocandi. Unde consuetudo est sacerdotum, ut eorum linguam et na- B res, quos catechizant, sputo tangant, ipsius Domini verba dicentes: Ephpheta, quod est adaperire. Sed quia inter dicere Domini et facere nulla est distinctio: « Dixit enim et facta sunt, mandavit et creata sunt (*Psal.* CXLVIII). »

« Statim » ut dixit, « Ephpheta » quod est adaperire, « apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum « linguæ ejus, et loquebatur recte. » Non enim erat dignum, ut is qui a Domino creatus fuerat, aliter loqueretur quam recte. Juxta vero superiorem intelligentiam, postquam Dominus per immissionem Spiritus sancti cor humani generis ad pœnitentiam emollivit, postquam incarnationis suæ mysterium patefecit, linguam, quam prius infidelitas vinxerat, fides absolvit, et Deum laudare cœpit, dicens cum Psalmista: « Domine, labia mea aperies, et os meum C annuntiabit laudem tuam (*Psal.* L). » Et cum Isaia: « Dominus Deus dedit mihi linguam eruditam, ut possim sustinere eum, qui lapsus est, verbo (*Isa.* L). »

« Et præcepit eis ne cui dicerent. » Quid est, quod qui ad hoc in mundum venerat, ut miracula faciendo se Deum esse ostenderet, miraculum a se factum occultare præcepit? Nimirum bonis exemplum ostendit, ut etiam in bono opere inanem gloriam et jactantiam caveamus, juxta quod alibi ipse præcipit, ut intremus in cubiculum, et clauso ostio oremus Patrem nostrum. Et Pater noster, qui videt in abscondito, reddet nobis. Est autem hæc discretio in hac taciturnitate observanda, ut is qui novellus est in conversatione, non solum ab officio prædicationis cesset, sed etiam sua bona opera ab aliorum aspecti- D bus abscondat, nesciente sinistra sua quid faciat dextera sua, ne forte radicem cordis, quam profunditas terræ nondum fortiter ligavit, ventus elationis eradicet. Qui autem diuturna conversatione probatus est, non solum in prædicatione proficere debet, sed etiam exemplo, implens quod Dominus alibi ait: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V). » Quod utrumque Dominus suo exemplo ostendit, quando præcepit uni: nemini dixeris, alteri vero ait: « Vade in civitatem ad tuos, et annuntia illis quanta tibi fecerit Deus (*Marc.* I *et* V). »

« Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. » Hic tempora eorum redarguuntur, quibus officium prædicationis injunctum est et tamen a prædicatione cessant. Considerandum namque est, quæ culpa sit doctoribus, post præceptum Domini se sub silentio ponere, quando etiam nec illi tacere possunt, quibus præceptum est ne cui dicerent. Quid autem dicant audiamus:

« Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mu- « tos loqui. » Non solum in hoc bene fecit, quod surdos fecit audire et mutos loqui, sed etiam omnia quæ ab initio creavit, bene fecit, sicut scriptum est: « Et vidit Deus cuncta quæ fecit, et erant valde bona (*Gen.* I. » Moraliter autem per surdum et mutum, quilibet peccator designatur. Qui enim avertit aures suas ne audiat legem, surdus est. Quia autem loquitur iniquitatem in excelso, et seminat inter fratres discordias, etiam officia loquendi mutus est. Tales ut auditum et loquelam spiritalem recipere possint, a magistris et doctoribus Ecclesiæ Domino adducuntur. Quasi enim ægrotum Domino adducunt, quando in sua doctrina et exhortatione peccatores converti faciunt: et pro his, quos converti velle videtur, ad Dominum preces fundunt. Nec differt pietas Domini tales sanare, qui animarum vulnera venit curare, tamen ut fides et satisfactio pœnitentium non desit. Nam satisfaciendi ordinem Dominus ostendit, cum surdum et mutum curaturus seorsum eum extra turbam educit, ostendens nimirum quia si peccatores fructus dignos facere volunt, necesse est ut societatem dæmonum, et tumultum vitiorum, et carnalem hominum communionem deserant. Sicut enim bonorum societas multum adjuvat, sic communio carnalium hominum infirmis mentibus plurimum nocet, teste Psalmista qui ait: « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris (*Ps.* XVII). » Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. Et sicut Salomon ait: « Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Amicus stultorum efficitur similis (*Prov.* XIII). » Unde et ipse alibi nos admonet, dicens: « Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ (*Prov.* XXII). » Quasi enim Dominus fideles suos spiritaliter ab infidelium turba separabat, cum per Isaiam dicebat: « Exite de medio eorum, et immundum ne tetigeritis (*Isa.* LII). » Perfecti in medio pravorum positi, seorsum manent, dum eorum pravis operibus nec corde consentiunt, nec ore parcunt. Qualem sollicitudinem habebat ille, qui in sollicitudine regali positus, aiebat: « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV). » Sed quia nullus dignam pœnitentiam agere potest, nisi Spiritus sancti gratia cor ejus ad pœnitendum emolliat, recte subditur: « Misit digitos suos Dominus in auriculas, et exspuens tetigit linguam ejus. » Quasi enim Dominus digitos suos in auriculas surdi misit, quando per ardorem Spiritus sancti cor peccatoris ad pœnitentiam emollit: « Quia ut ait Apostolus, quid

oremus sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). » Quasi enim sputo linguam muti tangit, cum saporem divinæ sapientiæ cor peccatoris degustat. Quantum autem Dominus erga conversos peccatores misericors existat, manifestatur cum subinfertur : « Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. » Nullum enim peccatum tam magnum est, quod medicamento pœnitentiæ sanari non possit. Non enim mentitur ille qui ait : « Vivo ego, dicit Dominus ; nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. » Et : « Peccator in quacunque die conversus fuerit et ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur. » Recte autem post curationem peccator loquitur, quando linguam, quæ conviciis et detractionibus tortuosa fuerat, ad laudandum Deum et exhortandum proximum commutat. Sed quia post publicam pœnitentiam aliquis non statim ad prædicandum prodire debet, bene dicitur : « Et præcepit illis ne cui dicerent. » Prius enim semetipsum curare debet, qui aliena vulnera vult tergere. Unde Apostolus, cum de ordinandis ministris Ecclesiæ loqueretur, ait : « Non nuper conversum, non neophytum, ne forte elatus in judicium incidat diaboli (*I Tim.* VIII). » Quem autem diuturnitas temporis et perfectio pœnitentiæ idoneum reddit, de fovea peccati etiam alios extrahere debet, juxta illud quod in Apocalypsi dicitur : « Qui audit, dicat, Veni (*Apoc.* XXII). » Unde et bene dicitur : « Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur dicentes : Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui. »

HOMILIA CXXV.

DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

(Luc. x.) « In illo tempore dixit Jesus discipulis « suis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis. » Et reliqua. In exordio hujus lectionis quæritur, quare Dominus oculos se videntium beatificet. Nunquid omnes oculi beati fuerunt, qui eum corporaliter videre potuerunt ? Nunquid beati oculi Pilati et Caiphæ, et cæterorum qui eum viderunt et crucifixerunt ? Aut nunquid oculi Judæ beati, qui eum vidit et tradidit ? Non. Alioquin et oculi bestiarum et volucrum beati esse possent. Sed beatos dicit oculos apostolorum, quibus se et Patrem revelare dignatus est, pro quibus superius Patrem glorificaverat, dicens : « Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI). » Quod evidenter evangelista manifestare curavit, cum postea, quæ superius scripserat, adjunxit dicens : Et conversus ad illos, dixit : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis. » Illorum scilicet oculos beatos ostendens, qui hominem videntes, Deum crediderunt. Nam quid in illo homine spiritalibus oculis interius viderunt, alibi ostendunt, cum requisiti unius voce respondent, dicentes : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). » Et talis visio, talisque confessio quod beatitudinem mereatur, ipse Dominus ostendit, cum protinus respondit, dicens : « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis (*Ibid.*). Neque hac beatitudine fraudabimur, qui in eum corporaliter non vidimus, et tamen spiritaliter credimus, sicut cuidam se videnti dixit : « Quia vidisti me, credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt (*Joan.* XX). »

« Dico enim vobis, quod multi reges et prophetæ « voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, « et audire quæ auditis, et non audierunt. » Si reges juxta litteram accipimus, agnoscere possumus quia sancti reges, qualis fuit David, Ezechias et Josias, voluerunt videre quod apostoli videbant, sed non viderunt. Sed quia rex a regendo nomen accepit, spiritaliter eos reges accepimus, qui quamvis sint paupertate tenues, tamen actus suos et cogitationes juste regere et disponere noverunt. De quibus per Salomonem dicitur : « Cor regis in manu Domini (*Prov.* XXI). » Unde bene alius evangelista pro regibus justos posuit, dicens : « Multi justi et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt (*Matth.* XIII). » Sicut enim amittit regiam potestatem, qui tyrannidem exercens, nec se, nec sibi subjectos regere novit : sic pauper et exiguus regis nomine censetur, qui seipsum regere novit bene. Quod Fortunatus breviter versiculo comprehendit, dicens :

Pauper in occulto regnat, habendo Deum.

Sed quæritur quare Dominus dicat : « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt, » cum Jacob patriarcha dicat : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea (*Gen.* XXXII). » Et Isaias : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum (*Isa.* VI). » Et ipse Abrahæ testimonium perhibeat, dicens : « Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est (*Joan.* VIII). » Sed ad hoc dicendum est, quia aliud est figura, et aliud ipsa res quæ figuratur : aliud speculum, et aliud species. Sancti ergo prophetæ per Spiritum sanctum in carne præviderunt Deum futurum, sed corporaliter secum conversantem, colloquentem, convescentem, sicut apostoli videbant, videre desideraverunt, sed minime viderunt. Et ideo de præsentia sua corporali dixit : « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt. » Nam quantum antiqui sancti eum in carne voluerunt videre, indicat venerabilis Jacob, qui cum moriturus filios benediceret, ait : « Salutare tuum exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX). » Et Isaias hoc desiderio ardebat, cum dicebat : « Utinam dirumperes cœlos et descenderes ! » (*Isa.* LXIV.) Et David eodem fervens amore, dicebat : « Domine, inclina cœlos tuos et descende (*Psal.* LXVI). » Hoc etiam æstuabat desiderio ille justus Simeon in Evangelio (*Luc.* II), qui pro magnitudine sui amoris responsum accepit, non visurum se mortem, priusquam videret Christum Domini incarnatum.

« Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans « illum et dicens : Magister, quid faciendo vitam

« æternam possidebo? » Fortassis legisperitus iste, ut ad tentandum Dominum surgeret, ex ipsius verbis occasionem sumpsit, quibus superius Dominus dixerat : « Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo (*Luc.* x). » Voluit enim scire, utrum et nomen suum scriptum diceret in cœlo, ideo tam sollicite interrogat, quid faciendo vitam æternam possideat. Sed quia imperite est loqui, bonum non recta intentione proferre, legisperitus iste imperite interrogasse comprobatur. Quod enim non recta intentione Dominum interrogaverit, evangelista manifestat cum dicit : « Surrexit tentans eum. » Surrexit autem, non solum corpore ad interrogandum, sed etiam mentis elatione ad tentandum. Quod ipsis suis aperit verbis, cum hunc non quasi Dominum, sed quasi magistrum inquirit, dicens : « Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? » Sed Dominus quem occulta cordis non fallunt, et quem nulla latet cogitatio, ita suam responsionem temperat, ut ad interrogationem scribæ respondeat, et a tentatore reprehendi non possit. Misit enim eum statim ad legem, quam in ore et non corde gestabat, dicens :

« In lege quid scriptum est? Quomodo legis? » At ille, quod legerat, nec negare poterat, respondens dixit :

« Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, « et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, « et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut « teipsum. » Quam responsionem, quia Dominus suam esse recognovit, protinus collaudavit dicens :

« Recte respondisti : hoc fac, et vives. » Sed interrogatio hæc scribæ magnam nobis utilitatem parit, si quod hoc respondit verbis, servemus operibus. Ait enim : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. » In quibus verbis ostenditur, quia si vitam volumus possidere æternam, debemus Deum diligere non ex parte, sed ex integro, toto corde, tota anima, totis viribus, tota mente, ut locus nullus remaneat vacuus, qui non Dei dilectione repleatur, sed mens, manus et lingua, ejus dilectionem resonent. Ubi notandum quia in dilectione Dei mensura non ponitur, cum dicitur : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, » etc. Quia enim immensus est Deus, sine mensura est diligendus; ut cum multum eum diligimus, parum nos diligere fateamur. In proximi vero dilectione mensura ponitur, cum dicitur : « Et proximum tuum sicut teipsum. » Debemus igitur Deum diligere plus quam nos, et proximum sicut nos, id est sicut nostræ necessitati volumus subveniri, sic subveniamus et proximo; et sicut nostræ infirmitati volumus compati, sic compatiamur et proximi; et sicut ad vitam volumus venire æternam, sic optemus nobiscum pervenire et proximum; et hoc est vere diligere proximum, sicut nosmetipsos. Considerandum est autem in hoc loco, quia vere non diligitur Deus sine proximo, nec vere proximus sine Deo. Si quis enim ita Deum diligit ut proximi curam negligat : vel ita

A proximum diligit, ut Dei dilectionem postponat, non habere veram dilectionem credendus est. Quod in divina lege figuraliter demonstratur, quando in ornamento pontificis coccus bis tinctus poni præcipitur (*Exod.* xxv). Quasi enim in ornamento pontificis coccus bis tinctus ponitur, cum in nostro opere dilectio geminatur. Sicut enim avis sine duabus alis ad alta sese sustollere non potest, sic nos ad perfectionem venire nequimus, nisi duo præcepta principalia servemus, dilectionem videlicet Dei et proximi, testante Joanne apostolo qui ait : « Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est (*I Joan.* iv). » Et iterum : « Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? » (*Ibid.*) Et hoc mandatum habemus a

B Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

« Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad « Jesum : Et quis est meus proximus? » Erat enim de illis, de quibus Dominus ait : « Quæsierunt gloriam hominum magis quam Dei. » Sed Dominus ita suam responsionem temperavit, ut et se nobis proximum per misericordiam ostenderet factum esse, et pharisæo quem imitari deberet, declararet.

« Suspiciens autem Jesus, dixit : Homo quidam « descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in « latrones. » Qui in Scripturis litteram sequuntur, congrue dicunt, quia Dominus cum similitudinem vulnerati hominis poneret, recte hunc ad Jerusalem in Jericho descendisse commemorat. Siquidem ab Jerusalem in Jericho pergentibus rupes sunt magnæ et valles concavæ, et loca latronum insidiis apta. Hu-

C jus rei testis est Josephus, qui multitudinem latronum ab Herode in eodem loco necatam esse narrat. Nos spiritaliter hunc hominem Adam cum stirpe sua intelligimus, qui bene de Jerusalem in Jericho descendisse dicitur : quia visionem supernæ pacis amittens, in præsentem vitam miseriis et ærumnis plenam decidit. Jerusalem quippe visio pacis : Jericho autem luna interpretatur. Luna vero in sacro eloquio humanæ fragilitatis defectum significat, quæ dum menstruis horis crescit et decrescit, nostræ calamitatis mutabilitatem exprimit, qui crescimus nascendo, decrescimus moriendo. Tunc ergo primus homo de Jerusalem in Jericho descendit, quando societatem angelorum, cum quibus Deum contemplabatur, relinquens, præsentis vitæ miserias expertus est. Latrones

D vero, in quos incidit, immundi spiritus sunt, qui sedent in insidiis in occultis, ut interficiant innocentes. Ab horum insidiis orabat se liberari Propheta, cum dicebat : « Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem (*Psal.* cxl). » « Qui etiam despoliaverunt eum. » Despoliaverunt quippe eum, quia post peccatum veste immortalitatis, qua vestitus erat, nudaverunt. Unde et illico cognoscentes se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata (*Gen.* iii). « Et plagis impositis, abierunt. » Plagas imposuerunt, quando post inobedientiam genus humanum de paradiso expulsum variis vitiis et peccatis vulneraverunt. Abierunt

autem non a tentatione cessando, sed non tantum quantum voluerunt nocendo. Unde bene dicitur : « Semivivo relicto. » Quasi enim semivivus est, qui ex alia parte est vivus, et ex alia mortuus. Semivivum ergo reliquerunt, quia veste immortalitatis eum nudaverunt, sed spem redeundi ad veniam penitus auferre non potuerunt.

« Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet « eadem via, et viso illo, præterivit. » Sacerdos iste Aaron intelligitur ordine suo, cui honor sacerdotii legalis a Deo concessus est. Et ipse ergo eadem via descendens, vidit hominem vulneratum, et pertransiit, quia de eadem mortalitate natus, intellexit genus humanum sub primæ prævaricationis peccato teneri, sed nec se, nec alios potuit liberare.

« Similiter et levita, cum esset secus locum, et « videret eum, pertransiit. » Levita ordinem significat prophetarum ; quia ipse vidit hominem vulneratum, et pertransiit ; quia intellexerunt prophetæ sub vinculo primi reatus hominum genus esse ligatum, sed nec se, nec alios absolvere potuerunt.

« Samaritanus autem quidam iter faciens, venit se- « cus eum, et videns eum, misericordia motus est. » Samaritanus, qui custos interpretatur, Dominum significat Jesum Christum, de quo per Prophetam dicitur : « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum vigilant qui custodiunt eam (*Ps.* CXXVI). » A quo se custodiri optabat, ille qui dicebat : « Custodi me, Domine, ut pupillam oculi ; sub umbra alarum tuarum protege me (*Ps.* XVI). » Iste enim est ille custos, cui per Isaiam prophetam dicitur : « Ad me clamat ex Seir : Custos quid de nocte ? Ait custos : Venit mane, et nox. Si quæritis, quærite : convertimini, et venite (*Isa.* XXI). » Nam et in Evangelio, cum Judæi improperando ei dicerent : « Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ((*Joan.* VIII)? » negavit se dæmonium habere, sed non negavit se Samaritanum esse. Hujus Samaritani iter fuit de cœlo in uterum, de utero in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro iterum in cœlum. Sed cum iter faceret, venit secus vulneratum, quando similitudinem nostræ carnis accepit. Videns autem vulnera ejus, misericordia motus est, quia quod nos de perpetua morte liberavit, et quod pro nostra redemptione Deus homo factus, usque ad nostram humanitatem se inclinavit totum misericordia fuit, et non meritum, quod inspexerat Propheta cum dicebat : « Misericordia autem Domini ab æterno et usque in æternum super timentes eum (*Psal.* CII). »

« Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens « oleum et vinum. » Vulnera alligavit, quando peccare prohibuit. Sive vulnera alligavit, quando pœnitentibus veniam repromisit, dicens : Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. » Et iterum : « Non est opus sanis medico, sed male habentibus (*Matth.* IX). » Et recte dicitur : « Infundens oleum et vinum. » Hæc enim duo liquamina (ut medici ferunt) curandis vulneribus sunt apta : quia vinum purgat, oleum fovet. Spiritaliter autem Dominus quasi plagis vulnerati vinum infudit, quando asperitatem pœnitentiæ indixit Oleum infudit, cum pœnitentibus suavitatem veniæ repromisit. Quasi vinum infundit, cum dixit : « Pœnitentiam agite. » Quasi oleum, cum adjunxit : « Appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III *et* IV). » « Et imponens illum in « jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. » Jumentum hic immaculatum Domini significat corpus. Quasi ergo vulneratum hominem jumento imposuit, quando per sacram passionem suæ carnis nos Dominus a peccatis liberavit. Unde bene jumentum dictum est, quasi adjumentum, quia inde nostram infirmitatem juvit quod pro nobis passionem carnis sine peccato sustinuit, sicut per Petrum dicitur : « Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus cujus livore sanati sumus (*I Petr.* IV). » Hoc etiam juxta aliam Evangelii parabolam significare voluit, quando errantem ovem inveniens, humeris suis imposuit, et sic reportavit ad gregem (*Luc.* XV ; *Matth.* XVIII). Positum autem hominem vulneratum in jumento, duxit in stabulum, quia redemptum genus humanum duxit ad Ecclesiam. Hæc enim spiritaliter stabulum dicitur, ubi quotidie sancta animalia pabulo divini verbi reficiuntur, ubi juxta Isaiæ prophetiam, accubat lupus cum agno, et bos cum leone paleas comedit (*Isa.* XI).

« Et altera die protulit duos denarios et dedit sta- « bulario. » Altera dies tempus est post Domini resurrectionem. Quasi enim una dies fuit ante passionem, et altera post resurrectionem. Duo denarii, duo Testamenta, Novum et Vetus : sive duo præcepta charitatis, dilectio scilicet Dei et proximi. Tunc enim duos denarios dedit stabulario, quando duo Testamenta sive duo præcepta charitatis, primum apostolis, deinde sequacibus eorum (id est magistris Ecclesiæ), docendo tradidit. Quantum autem Dominus de nostra salute curam habeat, manifestat cum adjungit : « Et ait illi : Curam illius habe. » Quasi enim curam vulnerati hominis habendam stabulario injunxit, quando in persona omnium pastorum specialiter Petro dixit : « Si diligis me, pasce oves meas (*Joan.*, *ult.*). » Cui recte in præmio promittitur : « Et quodcunque supererogaveris, ego cum rediero « reddam tibi. » Supererogat quippe stabularius, quando hoc agit homo doctor ex voto, quod non accepit ex præcepto. Quod fecit Paulus apostolus, quando habens licentiam, ut Evangelium annuntians, de Evangelio viveret, noluit uti hac potestate, sed die prædicabat, et noctibus laborabat, unde sibi suisque victum et vestimentum tribueret. Samaritanus cum redierit, quod supererogaverit reddet ei, quando in judicium veniens, pro majori labore prædicationis, majorem retribuet retributionem, dicens fideli servo : « Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV). » Finita autem similitudine, interrogationem scribæ Dominus pulcherrime conclusit, dicens :

« Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse « ili qui incidit in latrones? » Ille vero quod negare non poterat, et quod evidentissima ratio demonstrabat, respondit : « Qui fecit misericordiam in illum. » Cujus responsionem Dominus confirmat adjungens. « Vade, et tu fac similiter. » Ac si diceret : Sicut Samaritanus alienus natione, proximus factus est vulnerato homini charitate, ita et tu omnem hominem proximum tuum judicans, omnia bona opera quæ potes, quibuscunque vales impende, et implesti utique charitatem, quæ ad vitam ducit æternam.

HOMILIA CXXVI.

DOMINICA DECIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

(Luc. xvii.) « In illo tempore : Dum iret Jesus in « Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. » Et reliqua. Qui Judææ terræ confinia novit, facile intelligit, quod pergens Dominus Jerusalem ex his locis, in quibus eum supra evangelista docuisse commemoravit, etiam ad litteram per mediam Samariam et Galilæam transitum habuit. Et quia propter nos et propter nostram salutem homo factus, non solum ad se venientibus regnum Dei evangelizabat, sed etiam per diversa loca pergens, plurimis sanitatem tribuebat.

« Et cum ingrederetur quoddam castellum, occur- « rerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe, « et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, « miserere nostri. » Non enim prope accedere audebant, quibus quamvis fides suaderet affectum, lepra tamen prohibebat accessum. Excludebantur enim a castris, qui hujusmodi sustinebant passionem. Neque enim solo visu vel sermone ab illo se recipere sanitatem dubitabant, cujus a longe stantes auxilium humiliter flagitabant. Spiritaliter autem, castellum quod Dominus ingressus est, mundum significat. Quasi enim castellum intravit, quando ex Maria virgine carnem assumens, mundo visibilis apparuit. Decem viri leprosi, qui ei occurrerunt, populum significant Judæorum. Qui bene decem fuisse referuntur, quia idem populus decalogum legis acceperat ad suam eruditionem. Decem autem, sed leprosi fuerunt, quia ejusdem decalogi præcepta transgrediens apparente Domino in carne, variis doctrinis divisus, diversis erat iniquitatibus pollutus, Apostolo teste, qui ait (*Rom.* iii) : « Non est distinctio Judæi et Græci, omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. » Et iterum : « Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci (*Rom.* x). » Convenit autem his, qui ex Judæis in Christum crediderunt, quod leprosi a longe stantes clamabant, dicentes : « Jesu præceptor, miserere nostri. » Jesus Hebræo sermone, Latine salvator sive salutaris dicitur. Et ideo a quo salutem sperabant, non solum salvatorem nominabant, sed etiam misericordiam poscebant. Et quia in ejus præceptis se offendisse recolebant non solum salvatorem, sed etiam hunc

A pariter et præceptorem vocabant. Nec de suis meritis quidquam præsumebant, qui in ejus misericordiam tam humiliter deposcebant : « Jesu præceptor, miserere nostri. » Aliter : Per leprosos non incongrue hæreticos intelligere possumus, quia sicut lepra varios colores exprimit in cute, sic hæreticorum doctrina varios errores generat in sermone. Non solum enim a catholica Ecclesia sunt divisi, sed etiam adversum seipsos diversa sentiunt. Dum enim alius Christum Deum tantum credit, et non hominem : alius vero hominem tantum, et non Deum ; alius eum veram carnem suscepisse negat, alius e contrario veram animam non assumpsisse affirmat, quasi lepra varium colorem in cute exprimit. Hi tales longe stare debent, qui ab Ecclesia repellendi sunt, ne lepra suæ

B immunditiæ simplicium corda commaculent, sicut per Apostolum dicitur : « Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia perversus est hujusmodl (*Tit.* iii). » Unde et Joannes ait : « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite eum excipere in domum, neque ave ei dixeritis, ut non communicetis operibus illius malignis (*II Joan.* i). » Quod si ad Ecclesiam redire voluerint, non prius recipiendi sunt, quam coram sacerdotibus orthodoxis suam hæresim anathematizent. Unde et bene subditur :

« Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdo- « tibus. » De nullis aliis legimus, quibus Dominus hæc beneficia corporaliter præstitit, quod miserit eos ad sacerdotes, nisi tantum leprosos. Quod non solum in hoc loco fecisse legitur, sed etiam alibi,

C juxta Matthæum, cum descenderet de monte, leprosum perhibetur curasse, cui dixit : « Vade et ostende te sacerdotibus et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis (*Matth.* viii). » Quod varias ob causas eum fecisse credimus : Primum, ut sacerdotibus honorem deferret ; secundo, ut non contradictor legis videretur, quia legis præceptum erat, ut si quis a lepra mundatus esset, veniret ad sacerdotem et offerret hostiam pro sua emundatione ; tertio, ut sacerdotes videntes leprosos mundatos, si crederent in mundatorem, invenirent salutem ; si autem credere nollent, inexcusabiles essent. Sive certe leprosos ad sacerdotes misit, ut ostenderet quia illud carnale sacerdotium, spiritale sacerdotium, quod nunc in Ecclesia agitur,

D præfigurabat. Est enim invisibilis lepra in anima, quando variis peccatis inquinatur conscientia. Dum enim alius homicidium, alius furtum, alius adulterium, alius rapinam, alius sacrilegium et cætera his similia perpetrat, quasi diversis coloribus invisibilis lepræ animam fœdat. Tales si mundationem animæ accipere volunt, necesse est ut longe stent, id est a consortio sanctorum se indignos judicent, magnisque clamoribus Jesum interpellent, id est cum magna contritione cordis divinam clementiam exorent, dicentes cum Psalmista : « Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti

sumus nimis (*Psal.* LXXVIII). » « Adjuva nos Deus salutaris noster. et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum (*Ibid.*). » Et quia non solum sacerdotibus peccata sua confiteri debent, sed etiam secundum eorum consilium pœnitentiam et satisfactionem veniæ suscipere, recte dicitur : « Ite, ostendite vos sacerdotibus. » Vice enim Dei peccata sacerdotibus pandenda sunt, et juxta eorum consilium pœnitentia agenda. Quod in divina lege præfiguratum est, quando Moysi de leprosis tale præceptum est datum : « Vir, in cujus cute varius color apparuerit, veniat ad sacerdotem et ostendat se illi (*Lev.* XIII). » Qui recludat eum in domo per septem dies separata seorsum. Post septem autem dies eum intuitus, si viderit crevisse lepram, addat et alios septem. Post quatuordecim vero dies, adhuc si viderit crescere lepram, sciat quia lepra perseverans est. Et tunc judicet eum leprosum, et ejiciat extra castra, maneatque intonsa barba, scissa veste, operto capite, aperto ore, immundum se judicans omnibus diebus separationis suæ. Quod si sanatus fuerit. qui hujusmodi passionem sustinet, veniat ad sacerdotes, et offerat pro emundatione sua hostiam, id est tortam panis, et sextarium olei ad luminaria concinnanda : duosque passeres vivos, unum pro peccato, et alterum in holocausto. Quæ omnia qualiter nunc in Ecclesia agenda sunt, breviter videamus : Lepra, ut diximus, peccatum significat. Qui ergo habet lepram peccati in anima, debet venire ad sacerdotem, et ei humiliter sua peccata confiteri. Quid eum intuitus, recludat septem diebus in domo separata seorsum, id est secundum qualitatem et quantitatem peccati pœnitenttam ei injungat. Post septem autem dies eum intuitus, si viderit crevisse lepram, addat et alios septem : quia ubi additur peccatum, necesse est ut augeatur vindicta peccati. Post quatuordecim vero dies, si lepram crescere viderit, id est peccatum in consuetudinem venire, sciat quia lepra perseverans est. Et tunc judicet eum esse leprosum, et ejiciat extra castra, id est extra Ecclesiam eum repellat, vel a consortio sanctorum indignum judicet. Maneatque intonsa barba, quod ad squalorem pœnitentiæ pertinet. Scissa veste, ut per confessionem manifestam habeat pœnitentiam vel conscientiam. Operto capite, quia a prædicatione cessare debet, qui peccatis inhæret. Aperto ore, non in peccati defensione, sed in sua accusatione. « Si autem mundatus fuerit, qui hujusmodi passionem sustinet, » hoc est, si digne pœnitendo a consuetudine peccati cessaverit, « offerat pro emundatione sua tortam panis, » id est dulcedinem charitatis, quibuscunque potest, impendat, non solum amicis, sed etiam inimicis, « et sextarium olei, » id est misericordiæ viscera indutus in se peccantibus clementer ignoscat ; et hoc ad luminaria concinnanda, ut sicut plures suo malo destruxit exemplo, perdite vivendo : ita plures reædificet sua satisfactione, digne pœnitendo. « Offerat quoque duos passeres vivos, unum pro peccato, et alterum in holocausto, » id est vel duo genera compunctionis, timoris scilicet et amoris ; vel certe corpus et animam, ut sicut exhibuit membra sua servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita et exhibeat servire eadem justitiæ in sanctificationem. Quæ omnia quia ad judicium sacerdotis agenda sunt, recte leprosis dicitur : « Ite, ostendite vos sacerdotibus. » Qui locus eorum opionem destruit, qui erubescentes peccata sua sacerdotibus confiteri, quoddam occasionis ingenium invenerunt, dicentes sibi sufficere ut soli Deo peccata sua confiteamur, si tamen ab ipsis peccatis in reliquo cessent. Quorum opinio si vera esset, nequaquam Dominus leprosos, quos per semetipsum mundaverat, ad sacerdotes mitteret. Nec Paulum (*Act.* IX), quem per semetipsum in via allocutus fuerat, ad Ananiam sacerdotem destinaret. Nam ut ostenderet ad judicium sacerdotum peccata esse liganda atque solvenda, Lazarum quem quatriduanum mortuum per semetipsum a mortuis resuscitaverat, non prius abire permisit, quam a discipulis solveretur, sicut scriptum est in Evangelio (*Joan.* XI). Et surrexit ligatis manibus et pedibus, qui fuerat quatriduanus mortuus. Tunc ait discipulis suis : « Solvite eum et sinite arbire. » Ad quam etiam auctoritatem confirmandam, cum Petro apostolo, collatis clavibus regni cœlorum, pontificium ligandi solvendique tradidisset, ait : « Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et qnodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI). »

« Et factum est dum irent, mundati sunt. » Non solum divina potestate, sed etiam piissima dispositione, leprosi antequam ad sacerdotes venirent, in via mundati sunt, ut et ipsi mundatorem suum cognoscerent, et sacerdotes illorum mundationi nihil se contulisse sentirent. Juxta vero spiritalem intelligentiam, leprosi, antequam ad sacerdotes veniant, mundantur, quia non sacerdotes, sed Deus peccata dimittit.

« Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est « regressus est, cum magna voce magnificans Deum. « Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. » Unus iste qui ad referendas gratias mundatori suo reversus est, unitatem significat Ecclesiæ, quæ cum sit longitudine terrarum divisa, quia unum credit, unum sapit, unum desiderat, in unitate tenetur, de qua scriptum est : « Multitudiuis credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV). » Et iterum : « Qui facit unanimes habitare in domo (*Ps.* LXVII). » Et alibi : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (*Ps.* CXXXII). » Non enim longitudo terrarum separat, quos eadem fides et charitas sociat. Magna enim vox non tantum sonum oris, quantum intentionem significat cordis. Magnus enim clamor sanctorum magnum est desiderium, quia unusquisque quantum amat, tantum clamat. Hinc Moysi a Domino dicitur : « Quid clamas ad me ? (*Exod.* XIV), » cum tunc nihil locutus fuisse legatur. Hunc clamorem se noverat habere in corde Propheta, qui pro magnitudine amoris dicebat : « Clamavi in

toto corde, exaudi me, Domine (*Psal.* CXVIII). » Et iterum : « Domine, clamavi ad te, exaudi me, intende voci meæ cum clamavero ad te (*Ps.* CXL). » Et pulchre iste, qui ad referendas Deo gratias mundatori suo rediit, iu faciem cecidisse dicitur. Qui enim in faciem cadit, ibi cadit, ubi non videt. Cadere ergo in faciem, adorantis est sive deprecantis. Cadere retro est superbientis sive contemnentis. Denique Abraham, postquam vidit diem Christi, cecidit in faciem suam, et adoravit (*Gen.* XVII *et* XVIII). At vero de persecutoribus Domini scriptum est, quia « abierunt retrorsum et ceciderunt in terram (*Joan.* XVIII). » Heli vero, quia filios non corripuit, cecidit de sella retrorsum, et fractis cervicibus mortuus est (*I Reg.* IV). Et de Antichristo Scriptura figurate loquitur : « Ut cadet ascensor ejus retro (*Gen.* XLIX). » Et ideo ante cadere electorum est, retro autem reproborum.

« Et hic erat Samaritanus. » Cum hunc, quid ad referendas gratias mundatori suo rediit, evangelista tam sollicite Samaritanum nominavit, reliquos, qui ingrati remanserunt, Judæos tacite notavit. In multis enim locis Evangelii promptior fides gentium, quam Judæorum ostenditur, sicut Dominus alibi fidem centurionis collaudavit, dicens : « Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel (*Matth.* VIII). » Sed quia Samaritanus interpretatur custos, recte iste, per quem unitatem Ecclesiæ diximus figurari Samaritanus nominatur, quoniam inde Ecclesiæ suæ mundationem vel virtutem firmiter custodit, quia non in se, sed in Deo firmiter confidit, dicens cum Psalmista : « Custodi me, Domine. ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me (*Psal.* XVI). » Et iterum : « Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam (*Ps.* CXXVI). » Vel ut alias virtutes habere posset, custodiam humilitatis retinere studuit, sicut faciebat qui dicebat. « Humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum tuum (*Ps.* CXVIII). »

« Respondens autem Jesus dixit : Nonne decem « mundati sunt? et novem ubi sunt? » Non ideo Dominus interrogat, ut aliquid ignoret, ante cujus oculos nuda et aperta sunt omnia, quique scit antequam fiant, sed ut ostenderet se illos nescire. Scire vero Dei, eligere est : nescire vero, reprobare. Novit Dominus quos elegit, sicut cuidam justo viro dictum est : Novi te ex nomine. Et sicut Apostolus dicit : « novit Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* II). » Quos autem reprobat, nescit, sicut in fine reprobis dicturus est : « Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem, nescio vos unde estis (*Matth.* VII ; *Luc.* XIII). » Eos ergo, qui ad referendas Deo gratias ingrati remanserunt, quasi incognitos ubi sint requirit, dicens : « Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? » « Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, « nisi hic alienigena. » Et pulchre hi qui ingrati remanserunt, novenario numero continentur. Novenarius namque numerus imperfectus est, et ad suam perfectionem explendam uno indiget. Numerus vero unitatis perfectus est, et dividi non potest : et ad

A suam perfectionem explendam nullo indiget, quia « unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et Pater omnium. » Bene ergo per illos, qui in novenario continetur, illi significantur, qui ex perceptis donis dominicis gratias Deo non referunt. Per illum vero, qui mundatori suo gratias retulit, illi, qui ex perceptis beneficiis gratias ei referunt, dicentes cum Psalmista : « Benedicam Dominum in omni tempore (*Psal.* XXXIII). » Quia neque hic Decalogi præcepta perfecte custodiunt, neque in futuro denarium remunerationis, qui in vinea laborantibus promissus est, percipient.

« Et ait illi : Surge. vade. » Qui humiliter ante pedes Domini ceciderat, recte audire meruit : « Surge, vade. » Quia sicut ipse ait in Evangelio : « Omnis qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XIV *el* XVIII). » Et
B sicut per Salomonem dicitur : « Humilem spiritu sequitur gloria (*Prov.* XXIX). » Tunc autem peccator surgere et abire permittitur, quando per dignam satisfactionem a peccatis absolvitur. Et quia « sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI), » recte subditur : « Quia fides tua te salvum fecit. » Fides enim principalis est virtus, quia sicut ait Scriptura : Justus ex fide vivit. Et sicut Apostolus : « Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc (*I Cor.* XIII). » Vera est autem fides quæ hoc credit mente, quod non videt corpore, teste Apostolo, qui ait in Epistola ad Hebræos : « Est fides sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium (*Heb.* XI). »

HOMILIA CXXVII.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN.

(MATTH. VI). « In illo tempore dixit Jesus discipulis
C « suis : Nemo potest duobus dominis servire. » Et reliqua. Cum ad unius Dei culturam Dominus Jesus Christus mentes hominum provocaret, sciens humanam naturam Deo simul et diabolo subditam esse non posse, ait inter cætera : « Nemo potest duobus dominis servire. » Duo domini, Deus et diabolus intelliguntur : Dominus enim a dominatu nomen accepit, quod nomen illi specialiter convenit, qui non solum gubernator, sed etiam conditor est totius creaturæ, qui est Rex regum et Dominus dominantium. Diabolus enim non proprie, sed abusive Dominus dictus est, eo quod dominium suæ tyrannidis in eorum mentibus, qui ei per mala opera subduntur, exerceat. His ergo duobus dominis unus idemque homo, uno eodemque tempore servire simul non potest :
D quia valde inter se contraria sunt et diversa, quæ Dominus præcepit, et diabolus suggerit; verbi gratia : Dominus præcepit humilitatem et diabolus suggerit superbiam ; Dominus vocat ad castitatem, diabolus persuadet luxuriam; Dominus largitatis eleemosynam imperat, diabolus avaritiam ; Dominus pacem, diabolus discordiam ; Dominus dilectionem, diabolus odium. Et ut cuncta breviter concludam, Dominus vocat ad virtutes, diabolus ad vitia. Et ideo non est humana mens tam ampla et capax, ut utramque voluntatem, utramque servitutem in se simul retinere possit. Dedignatur enim Christus eorum suscipere servitia, qui mentis collum jugo diaboli supponunt,

teste Apostolo, qui ait: « Quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ societas luci ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli? (*II Cor.* VI). » Nulla. Et sicut alia scriptura ait: Nemo est, qui utrumque valeat simul, et mittere manum suam in ambobus. Hinc per Jacobum dicitur: « Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis (*Jac.* I). » Et per Isaiam prophetam: Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. « Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. » Odiet videlicet diabolum, et diliget Christum. Qui enim diligit Deum, odit malum. Nemo enim tam feræ mentis est, qui se Deum verbis odire fateatur. Sed odire Deum dicitur, qui eum non diligit, id est qui ejus præcepta non custodit, de qualibus ipse dicit: « Quia viderunt me, et odio habuerunt me gratis (*Joan.* XV). » Qui autem comtemnit Deum, sustinet diabolum durum et perniciosum dominum, qui non solum in perpetua pœna, sed etiam in præsenti vita, qui ei serviunt, multa dura et aspera sustinent. Sicut enim onus Christi leve est et jugum suave, ita econtrario servitus diaboli dura est et aspera. Unde de his qui ejus voluntatem sequuntur, per Salomonem dicitur: « Non enim dormiunt, nisi malefecerint: nec rapitur somnus ab oculis eorum, nisi supplantaverint (*Prov.* IV). » Et per prophetam: « Ut inique agerent, laboraverunt (*Jer.* IX). » Sed quia diabolus hanc servitutem maxime in eorum mentibus invenit, qui avaritiæ æstibus ardent, recte subditur: « Non potestis Deo servire et mammonæ. » Mammona autem Hebraice vel Syriace, Latine divitiæ interpretatur; a quarum proprietate non longo societas Punicæ linguæ distat, quia Punicæ mammon, Latine lucrum dicitur. Audiat hoc avarus, audiat qui Christiano censetur nomine, et intelligat se Deo simul et divitiis servire non posse. Aliud est enim habere divitias, et aliud servire divitiis. Qui enim divitiarum Dominus est, eas ut Dominus distribuit, implens illud quod per Prophetam dicitur: « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.* CXI). » Qui autem earum servus est, non solum in acquirendis, sed etiam in custodiendis sollicita servitute torquetur, Et ideo dum servitute divitiarum implicatus tenetur, a Christi servitute evacuatur. Quia fluvius dum in multis rivulis dividitur, a proprio alveo siccatur. Unde Dominus ait in Evangelio: Divitiæ et voluptates suffocant verbum, ut non ferat fructum. Hinc per Jacobum apostolum dicitur: « Omnis qui voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur (*Jac.* IV). » Unde eos, qui Christo servire desiderant, Dominus ad spontaneam paupertatem invitat, cum subjungit, dicens:

« Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ « quid manducetis, neque corpori vestro quid in- « duamini. » Ac si diceret: Quia non potestis Deo servire et mammonæ, ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ubi fortassis simpliciores quærunt, utrum cibus iste ad animam pertineat, cum anima incorporea sit invisibilis, cibus autem visibilis. Quibus respondendum est, quia anima in hoc loco pro præsenti vita ponitur, cujus sustentaculum est cibus et potus, somnus et vestimentum. Quæritur autem quare dixerit, « Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, » cum in laude viri sancti dictum sit per Prophetam: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit (*Psal.* CXXVII). » Ad quod dicendum qui in hoc loco Dominus non laborem prohibuit, sed sollicitudinem vetuit. Laborare enim debet homo unde vivat, non unde dives efficiatur, sicut primo homini dictum est (*Gen.* III): « In sudore vultus tui vesceris pane » tuo. Hinc Apostolus discipulis suis præcepit: « Magis autem laboret unusquisque operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patientibus (*Ephes.* IV). » Et ne mens humana de præsentis vitæ sustentaculo dubitaret, adhuc subjunxit, dicens: « Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus « quam vestimentum? » Ac si diceret: Qui majora præstitit Dominus, minora non negabit; qui dedit animam, dabit et cibum; et qui tribuit corpus, adjiciet vestimentum. Et ne mens humana sub fragilitatis occasione de præsentis vitæ necessitate causaretur, Dominus de volatilibus cœli exemplum adhibuit, dicens:

« Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, « neque metunt, neque congregant in horrea, et « Pater vester cœlestis pascit illa. » Ac si diceret: Si Deus volatilia cœli, quæ animam irrationalem habent, absque aratri labore et sine sollicitudine metendi atque in horrea congregandi pascit, nequaquam hominem ad imaginem et similitudinem suam factum, fame perire patietur. Unde et subditur: « Nonne vos magis pluris estis illis? » Quod non ad numerum, sed ad imaginem pertinet, quod est dicere: Pluris estis illis, id est rationales, quia meliores estis illis. Alius enim evangelista pro volatilibus cœli specialiter corvos posuit, dicens: Respicite corvos. Tradunt enim physiologi, quia quando corvorum pulli procreati fuerint, tandiu a parentibus aluntur, quoadusque nigrescentibus plumis similitudinem eorum in se formare cœperit; sed quia a parentibus relinquuntur, Dei providentia pascuntur, teste Psalmista qui ait: « Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum (*Psal.* CXL). » Unde divina voce ad beatum Job dicitur (*Cap.* XXXVIII): « Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus ad Deum clamant vagientes eo quod non habeant cibos? » Si ergo tam vilia volatilia, quæ etiam hominibus superflua esse videntur, Deus fame perire non patitur, nullo modo hominem ad imaginem et similitudinem suam factum fame perire patietur, nisi forte peccatis abundantibus sterilitas terræ justo Dei judicio contra naturam accidat, Psalmista teste qui ait: « Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem (*Psal.* XXXVI). » Et iterum: Nihil deest timentibus Deum. Quia Dominus superius sollicitudinem prohibuerat, nunc etiam vestimentorum

superfluam curam vetat, cum adjungit:

« Quis autem vestrum cogitando potest adjicere « ad staturam suam cubitum unum? et de vesti- « mento quid solliciti estis? » Si ergo omnibus patet, quia nullus ad staturam suam cubitum vel minimam partem adjicere potest: ille qui in mensura et pondere et numero cuncta disposuit, sicut dedit mensuram corporis prout voluit, sic dabit et vestimenti necessitatem. Unde etiam ad carnalium hominum superfluitatem convincendam, de rebus minimis similitudinem adhibuit, dicens:

« Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non « laborant neque nent. » Hic lilia agri pro omnibus herbis posuit, quas Deus omnipotens sine textricum labore mira varietate depingit, aliis candidum colorem præbens, ut liliis; aliis rubicundum, ut rosis; aliis purpureum, ut violis, tantum ut ne Salomon in omni gloria sua coopertus sit, sicut unum ex istis, id est liliis. Quoniam cum esset non solum potentissimus, sed etiam omnium regum sapientissimus, et disputasset de omnibus herbis terræ a cedris Libani usque ad hyssopum qui egreditur de pariete, in omni gloria sua non potuit invenire tale genus vestimenti, quod esset candidum ut lilium, rubicundum ut rosa, purpureum ut viola. Sed quod temporalis Salomon non potuit invenire in omni gloria sua, spiritalis noster Salomon, id est Dominus noster Jesus Christus, qui est verus pacificus, habet in sua Ecclesia, scilicet lilium in virginibus, rosam in martyribus, violam in continentibus. Et prudentissima comparatione Dominus jactantiam hominum redarguit cum adjungit,

« Si autem fenum agri, quod hodie est et cras in « clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis « vos minimæ fidei? » Ac si diceret: Si fenum agri, id est herbas terræ, quæ ad abundantiam pluviæ crescunt et in ardore solis arescunt, Deus tanta varietate et decore vestit, nec vos nuditate vel frigore perire patietur, quos ad imaginem suam et similitudinem creavit. Sed cum eos, quibus loquitur, minimos fidei vocat, ostendit quia fides augmentum habet. Qui enim non credit, infidelis est; qui autem perfecte credit, rectæ fidei est; qui vero ex parte credit, et ex parte non credit, minimæ est fidei. Et talis fides augmentum desiderat, sicut apostoli Domino dixerunt (*Luc.* XVII): Domine, « adauge nobis fidem. » Et centurio ille, qui pro puero rogaturus venerat, cum audisset a Domino (*Marc.* IX): « Credis? omnia possibilia sunt credenti, » respondit: Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam (*Ibid.*). » Finita autem similitudine, ad nostram admonitionem iterum sermonem convertit, cum ait:

« Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid man- « ducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? « Hæc omnia gentes inquirunt. » Gentes dicit, alienos a fide, ethnicos et paganos, qui Deum nesciunt, et vitam æternam non credunt, et ideo tantum de præsentibus solliciti sunt, ut habeant quid manducent usque ad crapulam, et quid bibant usque ad ebrietatem, et quid induantur usque ad jactantiam

A et superfluitatem. Nam pretiosa vestis non nisi propter inanem gloriam requiritur: unde Dominus in hoc loco bene juxta alium evangelistam fertur dixisse: « Et nolite in sublime tolli (*Luc.* XII). » Nobis autem, qui solliciti servare debemus unitatem spiritus in vinculo pacis, et quorum spes in altera vita est, in quo nostram sollicitudinem ponere debemus, manifestat eum adjungit:

« Scit enim Pater vester, quia his omnibus indi- « getis. »

Pater noster ille est, qui non solum nos dignatus est creare, sed etiam redimere, et per Spiritum sanctum suum regenerare. Cui quotidie in oratione dicimus: « Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum (*Luc.* XI). » Ille enim qui nos creavit,

B sciens figmentum nostrum, et considerans fragilitatem nostram, si nos pro æterna vita sollicitos esse viderit, absque magna sollicitudine victum et vestimentum ministrabit. Ipse enim scit quid nobis necesse sit, antequam petamus eum. Nam in quo velit nos esse sollicitos, et quid ab eo petere debeamus, ostendit cum ait:

« Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam « ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. » Primum autem, id est præcipue, regnum Dei et justitiam ejus quærere monet, quia ante omnia et super omnia hoc petere, hoc quærere, hoc amare et desiderare debemus, ut regni cœlestis participes simus. Notandum autem quod non ait: Hæc omnia dabuntur vobis, sed adjicientur, ostendens illud esse principale bonum quod datur, id est regnum Dei et jus-

C titiam ejus; hæc omnia quæ adjicientur, tantum in præsenti vita esse necessaria, id est victum et vestitum.

HOMILIA CXXVIII.

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

(LUC. VII.) « In illo tempore, ibat Jesus in civitatem, « quæ vocatur Naim. Cum autem appropinquaret « portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius « unicus matris suæ. » Et reliqua. Mediator Dei et hominum Jesus Christus, homo pro nobis factus, ita in homine, quem ex nobis assumpsit, sua opera temperavit, ut frequenter in uno eodemque miraculo, se verum Deum verumque hominem declararet. Quod in hujus lectionis serie aperte demonstratur, cum

D prius misericordia motus dicitur, ac deinde juvenem resuscitasse narratur. Qui enim ad fletum viduæ misericordia movetur, verus est homo: qui autem sola jussione juvenem a mortuis resuscitavit, procul dubio verus est Deus. Sed quid hæc significent spiritaliter videamus, ut unde unus resuscitatur in corpore, inde multi resurgant in mente. Ait enim evangelista: « Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur « Naim. » Naim civitas est Galilææ, duobus millibus distans a monte Thabor. Interpretatur autem in nostra lingua fluctus, sive commotio, et significat spiritaliter mundum, qui amissa tranquillitate, in fluctuationibus et commotionibus est; sicut per Psalmistam

dicitur : « Commovisti, Domine, terram, et conturbasti eam (*Psal.* LIX). » Dominus autem quasi Naim appropinquavit, quando humanitate nostra assumpta, visibilis mundo apparuit. Suscitaturus autem mortuum, non solum discipulos, sed etiam turbam copiosam secum voluit comitari, ut ex visione miraculi, non pauci, sed plures ad credulitatem et fidem ejus vel laudem vocarentur. « Cum autem appropin« quaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, « filios unicus matris suæ. « Defunctus iste, qui extra civitatem ad sepeliendum delatus fuerat, hominem significat mortifero crimine soporatum. Moritur enim anima per peccatum, quia anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Tribus enim modis peccatum agitur, suggestione, delectatione, consensu. Fit enim suggestia per hostem, delectatio per carnem, consensus per spiritum. Quem enim in corde peccare delectat, quasi infra civitatem mortuus jacet; cum vero delectatio, non solum usque ad consensum, sed etiam usque ad operationem perducit, quasi extra portas civitatis mortuus expellitur. Quia sicut in civitate homo inhabitat, ita anima ad tempus corpus ingreditur, per quod bonum vel malum operari potest. Portas autem civitatis, non incongrue sensus corporeos accipimus, scilicet visum, auditum, gustum, odoratum, tactum; per has enim portas aut vita, aut mors ad nostram animam ingreditur. Qui enim sublimes habet oculos et elatos, et ad concupiscentiam mulieris apertos, quasi per portas oculorum suorum extra civitatem mortuus expellitur. Qui autem aures suas libenter detractionibus, maledictionibus et falsitatibus aperit, quasi per portas aurium suarum mortuus educitur. Qui vero propter carnalem delectationem satisfaciendam varios odores per illecebras sequitur, quasi extra portas narium suarum mortuus deportatur. Et qui loquitur iniquitatem in excelso, et seminat inter fratres discordias, quasi per oris sui portas mortuus effertur. Qui autem promptas habet manus ad effusionem sanguinis, et læsionem proximis inferendam, quasi per portas manuum suarum mortuus rapitur. Quibus per Prophetam dicitur: « Intravit mors per fenestras vestras, ingressa est domos vestras (*Jer.* IX). » Sed nos talium exempla contemnentes spiritales nostræ civitatis portas muniamus, ut non ad animas nostras mors, sed potius vita introeat. Muniamus portas oculorum ab illicito visu, ut cum Psalmista dicere valeamus: « Levavi oculos meos ad montes (*Psal.* CXX). » Et cum beato Job : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine (*Job.* XXXI). » Et cum Psalmista : « Oculi mei semper ad Dominum (*Psal.* LXXXIV). » Muniamus aures, ne libenter audiant verba detractionis, maledictionis, falsitatis et scurrilitatis, ut cum beato Job dicere possimus : « Auditu auris audivi te, Domine (*Job* XLVIII). » Et cum Propheta : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* LXXXIV). » Muniamus nares ab illicitis odoribus, ut, secundum Apostolum, simus « Christi bonus odor Deo » in omni loco. Muniamus linguam a maledictione, detra-

A ctione, falsitate et odioso sermone, ut cum Psalmista dicere valeamus (*Psal.* XXXVIII) : « Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam. » Muniamus manus ab effusione sanguinis et læsione proximi, semperque eas ad eleemosynam largiendam et bona opera facienda paratas habeamus, ut cum Psalmista dicere queamus: « Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine (*Psal.* XXV). » Et cum Ecclesia : « Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima (*Cant.* V). » Custodiamus etiam pedes, ne sint veloces ad currendum in malum, sed potius ad pacem evangelizandam, ut impleatur in nobis illud, quod in Isaia scriptum est: Beati pedes pacem portantes. Et cum Psalmista : « Lucerna pedibus

B meis verbum tuum, Domine (*Psal.* CXVIII). » Si enim hos quinque sensus bene custodierimus, spiritualiter a Domino resuscitari merebimur, et erimus in illis, de quibus Isaias ait : « Qui ambulant in justitiis suis (*Isa* XXXIII), » et reliqua. « Et hæc vidua erat, et « turba civitatis multa cum illa. » Vidua hæc spiritualiter sanctam significat Ecclesiam, quæ pro eo vidua dicitur, quia præsentia Domini sui viduata est, ejusque reditum ad judicium exspectat, de qua scriptum est (*Psal.* CXXXI) : « Viduam ejus benedicens benedicam. » Hæc est illa vidua, quæ quotidie in Evangelio judicem interpellat : quoniam Ecclesia instantissime in oratione perseverat, de qua scriptum est: « Nonne lacrymæ viduæ ad maxillas ejus descendunt, et exclamatio ejus usque ad deducentem eas (*Eccli.* XXXV)? » Hujus quoque viduæ filius, unusquisque credentium est, qui

C tunc moritur in anima, quando peccat in corpore. Flebat autem mater unicum filium suum, quia Ecclesia spiritalium filiorum suorum mortem quotidie flere non cessat, sicut faciebat Paulus apostolus, quando dicebat : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, vellem enim apud vos esse modo, et mutare vocem meam, quam ut confundar in vobis (*Gal.* IV). » Et iterum : « Lugeo multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super impudicitiis quas gesserunt (*II Cor.* XII). « Solet autem contingere ut aliorum orationibus et exhortationibus multi resuscitentur ad vitam, qui propriis meritis tenebantur in morte. Unde et subditur :

« Quam cum vidisset Dominus, misericordia mo-

D « tus super eam, dixit illi : Noli flere. » Sanctorum enim fletu Dominus ad misericordiam commovetur, ut peccatoribus misereatur. Quod in operibus Moysi et Eliæ discimus, quorum alter pro peccatis populi intercedens, ac dicens: « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti, » audire meruit (*Exod.* XXXII) : « Ecce placatus feci secundum verbum tuum (*II Reg.* XIV) » Ad alterius vero orationem pluviam terræ dedit, quam peccatoribus per triennium negaverat. « Et accessit, et tetigit loculum. (*Luc.* VII). » Loculus in quo mortuus portabatur, conscientiam peccatoris male desperatam significat. Quasi enim in loculo mortuus ad sepeliendum portatur,

quando peccator pro magnitudine sui sceleris seipsum desperans, quasi securus absque timore peccat. Sed Dominus loculum tangit, quando cor durum peccatoris per divinam gratiam ad pœnitentiam emollit.

« Hi autem qui portabant, steterunt. » Hi qui mortuum ad sepeliendum portabant, vitia et peccata significant, qualia sunt adulteria, homicidia, furta rapinæ, sacrilegia, et cætera talia, quæ dum in opere peccatoris vicissim sibi succedunt, quasi mortuum ad sepulturam deferunt; sed Domino tangente loculum, hi qui portabant, steterunt: quia cum cor peccatoris ad pœnitentiam conversum fuerit, consuetudo peccandi cessat. Mutantur enim opera, prior iniquitas refrenatur, et pro luxuria castitas, et pro odio charitas, pro ebrietate amatur sobrietas. Aliter: Ili qui mortuum portabant, adulantium linguas significant. Quasi enim super mortuum adulatores terræ congeriem jaciunt, quando peccantem vanis favoribus et blandimentis demulcent. Sed Domino tangente loculum, hi qui portabant steterunt: quia postquam peccator Spiritus sancti gratia fuerit illuminatus, adulantium blandimenta fugere incipit, juxta illius exemplum qui ait: « Corripiet me justus in misericordia et increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum (*Psal.* CXL). »

« Et ait illi: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui, et dedit « illum matri suæ. » Tunc ad divinam jussionem mortuus resurgit, quando per pœnitentiam peccator reviviscit, ab illius misericordia vocatus, qui ait: « Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII). » Incipit loqui, cum et sua mala opera accusare, et Deum discit laudare. Redditur matri, cum per sacerdotale ministerium reconciliatur Ecclesiæ, a qua peccando ante abscesserat. Frequenter enim illorum restitutione divinæ misericordiæ largitas glorificatur, de quorum vita prius fuerat desperatum. Unde et recte subditur:

« Accepit autem omnes timor, et magnificabant « Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit « in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam. » Cujus enim gradus altior est, ejus peccatum gravius. Sed quo magis de majoribus peccatis a Deo liberatur, eo amplius liberatoris gratia glorificatur. Quia et medicorum opus tanto magis laudabile apparet, quanto et difficiliores morbos curare potuerint. Possumus etiam aliter per hunc mortuum allegorice genus humanum intelligere, quod tunc in mortem incidit, quando præcepta vitæ contempsit, dicente Domino: « In quacunque die comederitis de ligno scientiæ boni et mali, morte moriemini (*Gen.* II). » Mater autem vidua, quæ unicum filium flebat, Synagoga intelligitur, quæ in patriarchis et prophetis generis humani interitum deflebat. Et quia prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, recte subditur: « Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. » Ac si diceret: Desine flere mortuum, quem post paulu-lum resurgentem videbis. Ne timeas mortem, cum præsentem habeas vitam. « Et accessit et tetigit loculum. » Tunc enim spiritaliter loculum Dominus tetigit, quando homo factus, per semetipsum corda hominum ad pœnitentiam provocavit, dicens: « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Loculus namque a quatuor deportatur. Quatuor enim modis genus humanum ante adventum Domini astrictum tenebatur, amore scilicet et timore, gaudio et mœrore. Amore, in acquirendis rebus; timore, in custodiendis; gaudio in acquisitis; mœrore in amissis; quia qui prius gaudebat in abundantia rerum, postmodum exultabat in paupertate: et qui tunc gratulabatur in acquisitis, post lætabatur in amissis. Hi autem qui portabant, immundos spiritus significant, qui non solum per prævaricationem primi hominis, sed etiam per multa mala opera genus humanum ad mortis sepulturam trahebant. Sed Domino tangente loculum, hi qui portabant, steterunt: quia postquam corda hominum per pœnitentiam ad Deum conversa sunt, potestas immundorum spirituum cessavit. « Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui, et dedit illum matri suæ. » Recte per adolescentem genus designatur humanum, quia sicut in adolescentia forte et robustum est corpus, ita genus humanum prioribus temporibus velut in juventute viguit, in procreatione prolis fecundum in longitudine vitæ diuturnum, in abundantia rerum uberrimum. Resedit autem qui erat mortuus, quando genus humanum ad vitam rediit. Cœpit loqui, id est, qui prius opera manuum suarum laudabat, Deum confiteri cœpit, dicens cum propheta: « Dominus Deus dedit mihi linguam eruditam (*Isa.* L). » Et cum Psalmista: « Domine, labia mea aperies (*Psal.* L). » Dedit illum matri suæ, quando eum Ecclesiæ restituit. « Accepit autem omnes timor. » Hi qui timore et admiratione concutiebantur, immundi spiritus intelliguntur, qui videntes genus humanum per adventum Domini de sua potestate eripi, tota intentione concussi sunt in tantum, ut per obsessum hominem dicerent: « Quid nobis et tibi, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos (*Matth.* VIII). »

HOMILIA CXXIX.

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

(LUC. XIV). « In illo tempore, cum intraret Jesus in « domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato « manducare panem. » Et reliqua. Quoties legimus Dominum ad nuptias vel ad convivium venisse, non gulæ illecebris deputare debemus, sicut Scribæ et Pharisæi faciebant, dicentes eum vini potatorem esse, et amicum publicanorum, sed ob certi gratiam mysterii eum venisse credere debemus, id est pro lucrandis animabus. Sicut enim doctus piscator et peritus venator, sive anceps, in eo loco retia sua tendit, ubi multitudinem piscium vel avium sive bestiarum convenire novit, ut ex multis aliqui capiantur: ita Dominus retia suæ prædicationis in eo loco

extendere voluit, ubi plures conveniebant, ut ex A multis aliqui caperentur in fide. Et ob istiusmodi causam, vel ad convivia, vel ad nuptias vocatus, venire non renuit. Unde, sicut præsens lectio narrat : « Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis « Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi « observabant eum. » Ubi notandum quia panis nomine omnia quæ ad victum pertinent, evangelista significare voluit; quia usus Scripturæ est, ut a principali parte, quæ est in vita hominis, id est pane, cætera significet, sicut de Joseph fratribus dictum legimus : « Quia isti hodie mecum comesturi sunt panem (*Gen.* XLIII), » qui tamen postea cum eo inebriati fuisse leguntur. Et sicut in eadem Genesi legimus de puero Hæbreo, qui uxorem domino suo quærebat : « Et appositus est coram eo panis (*Gen.* XXIV). » B Quod autem ait : « Et ipsi observabant eum, » non ad sabbatum, sed ad ipsum Dominum pertinet. Observabant quippe eum, si in sabbato curaret hominem, aut aliquod opus faceret, sive aliquem sermonem protulisset, in quo merito eum reprehendere possent. Neque enim observatores sabbati erant, qui ipsum sabbati sanctificatorem reprehendere cupiebant, si possent. Observatio ergo et in bono et in malo ponitur; in bono, sicut Domini voce Israelitis dicitur : « Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te et custodiat semper. Observa ergo, et audi vocem ejus (*Exod.* XXII). » Et sicut Apostolus ait : « Observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram (*Philip.* III), » id est eos imitamini, quos juxta formam, quam vobis ostendimus, ambulare videritis. In malo ponitur, sicut ait Propheta : « Ob- C servabit peccator justum et stridebit super eum dentibus suis (*Psal.* XXXVI), » vel quæret mortificare eum. Sic in hoc loco, non in bono, sed in malo ponitur, cum dicitur : « Et ipsi observabant eum. » Igitur observabant eum, non ut imitari vellent, sed reprehendere cupiebant, si possent. Observatio ergo et in bono, et in malo ponitur.

« Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. » Hydropisis gravis est infirmitas, quæ nascitur ex vitio vesicæ, cum inflatione turgente et anhelitu fetido. Proprium est hydropici, ut quo amplius biberit, eo magis sitiat. Ergo per hydropicum avarus quilibet designatur, quia sicut hydropicus quo est grossior, eo est infirmior : ita avarus quo plus abundat divitiis, eo plenior est vitiis. Et sicut hydropicus D quo amplius bibit, eo amplius sitit : sic avarus quanto magis divitias, quas concupiscit, acquisierit, tanto magis in eis acquirendis exardescit. Quod pulchre quidam de sapientibus brevi versiculo comprehendit, dicens :

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Et sicut quidam ait : Avarus obolo indiget. Sicut enim sapienti totus mundus divitiarum est, sic avaro totus mundus avaritiæ : quia quidquid videt oculis, concupiscit mente et habere desiderat. Alienum damnum suum lucrum deputat, teste Salomone : « Avarus non implebitur pecuniis, nec anima ejus satiabitur bonis (*Eccle* IX). » Potest quoque non inconvenienter per hydropicum quilibet luxuriosus intelligi : quia sicut hydropicus quo plus bibit, plus sitit, ita luxuriosus quo plus ad petulantiam carnis deditus fuerit, eo plus ad petulantiam libidinis exardescit. De quibus per prophetam dicitur : « Quorum carnes sunt ut carnes asinorum, et fluxus eorum ut fluxus equorum (*Ezech.* XXIII). » Et iterum : « Computruerunt jumenta in stercore suo (*Joel.* I). »

« Et respondens Jesus, dixit ad legisperitos et Pha« risæos, dicens : Si licet sabbato curare ? At illi « tacuerunt. » Responsio ista Domini ad illud pertinet, quod superius dictum est : « Et ipsi observabant eum. » Non enim hic ab aliis interrogatus legitur, sed ad eorum cogitationes respondit. Et prudentissima ratione Dominus observatores suos hinc inde conclusit, ne aptam invenirent responsionem. Si enim dicerent : Licet sabbato curare, reprehensibiles essent, ut quid eum observarent, utrum sabbato curaret hominem; si vero dicerent : Non licet, arguerentur, quare sabbato asinum vel bovem solventes a præsepio, ducerent adaquare, et ideo non invenientes quid dicerent, tacuerunt. Nec solum in hoc loco reprehensores suos ita conclusit, sed etiam in aliis frequenter locis, sicut de quadam muliere in adulterio deprehensa (*Joan.* VIII), vel de denarii redditione (*Matth.* XXII), et sicut fecit quando interrogaverunt eum dicentes (*Matth.* XXI) : Dic nobis, in qua potestate hæc facis ? At ille respondens, dixit : Dicite et vos mihi unum verbum, et ego dicam vobis in qua potestate hæc facio. Quod si hæc non dixeritis mihi, nec ego dicam vobis in qua potestate hæc facio. Dicite mihi : Baptismum Joannis de cœlo erat, an ex hominibus ? At illi cogitaverunt intra se, dicentes : Si dixerimus e cœlo, dicet nobis : Quare ergo non suscepistis illud ? Si dixerimus ex hominibus, turba quæ a Joanne baptizata est, lapidabit nos. Et ideo non habentes quid dicerent, siluerunt. Sic et in hoc loco nullam aptam invenientes responsionem, tacuerunt, impleta prophetia, quæ ait : « Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua (*Psal.* LXII). » Sed quia Dominus etiam ingratis beneficium suæ largitatis frequenter præstat, recte subditur : « Ipse vero ap« prehensum eum sanavit, ac dimisit. » Et pulchre coram avaris hydropicum curavit, ut cum in uno sanaretur infirmitas corporis, in multis morbus curaretur mentis. Quorum avaritiam Dominus prudentissima comparatione redarguit, cum ait :

« Et respondens ad illos dixit : Cujus vestrum « asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo « extrahet illum die sabbati ? Et non poterant ad « hæc respondere illi. » Ac si diceret : Si vestrum animal in puteum cadens cum tanta festinatione eripere curatis, non propter animalis curam, sed propter vestram avaritiam consulendam : multo magis ego hominem, qui melior est pecore, et qui ad imaginem Dei factus est, ab infirmitate in sabbato de-

beo liberare, cum facilius sit hominem verbo sanare, quam animal de puteo abstrahere. Jam enim per hydropicum avarum diximus designari. Pulchre ergo avarus animali in puteo cadenti comparatur, quia hydropicus humore inordinato abundat. Dum enim quis morbo avaritiæ succumbit, quasi sitiens in puteum cadit. Unde et Dominus mulierem, quæ decem et octo annos incurvata fuerat, nec sursum aspicere poterat (*Luc.* XIII), assimilavit animali, quod ad aquam ducitur. Malum est ergo vitium avaritiæ, quod fidem tollit, concordiam dissipat, charitatem violat, et innumerabilia mala generat, teste Apostolo qui ait : « Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, circa fidem naufragaverunt, et inseruerunt se doloribus multis (*I Tim.* VI). » Inflatus autem divitiis, per arctam et angustam viam in regnum cœlorum intrare non potest, Domino dicente : « Difficile, qui pecunias habent, in regnum cœlorum intrabunt. Amen dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei intrare (*Luc.* XVIII). » Unde Apostolus ad Timotheum ait : « Præcipe divitibus hujus sæculi, non sublime sapere, nec in incerto divitiarum sperare, sed in Domino, qui abunde præstat omnibus ad fruendum. » Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem (*I Tim.* VI). Duplici enim pœna avarus constringitur, quando et hic infelix divitias cum labore acquirit, et in futuro earumdem divitiarum rationem cum dolore in tormentis exsolvet, Jacobo teste qui ait : « Agite nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis quæ supervenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis (*Jac.* V). » Avaritia enim visceribus pietatis caret, patrem nescit, matrem ignorat, fidem et amicitiam non custodit, proximo vel propinquo non miseretur, sed propinquos velut extraneos efficit, dicente Salomone : « Bene facit animæ suæ vir misericors, avarus autem etiam propinquos abijcit (*Prov.* XI). »

« Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos : Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. » Quantum ad litteram pertinet, prudentis et eruditi viri vitam et mores componit, quoniam honestissimum genus est vivendi in conviviis vel nuptiis, sive aliis conventibus, fideles ut se alterutrum præferant, et honore se invicem præveniant, præcipiente Petro apostolo qui ait : « Omnes invicem humilitatem insinuate (*I Pet.* V). » Sicut enim honor est aliquem superius vocari, sic dedecus, cum qui primum locum imprudenter aperit, ad ultimum revocari. « Melius est enim » ait Salomon, « ut dicatur tibi : Ascende superius, quam ut humilieris coram principe (*Prov.* XXV). » Et iterum : « Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (*Eccli.* III). » Et iterum : « Ad mensam magnam sedisti (*Eccli.* XXXI), etc. Et rursum : « Superbum sequitur ignominia (*Prov.* XIX). » Spiritaliter autem conjunctionem Christi et Ecclesiæ, nuptias vocari in Scripturis usitatissimum est, sicut est illud in Evangelio : « Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo (*Matth.* XXII). » In nuptiis duo conjunguntur, sponsus et sponsa. Sponsus ergo Christus est, de quo per Joannem dicitur : « Qui habet sponsam, sponsus est (*Joan.* III). » Sponsa vero est sancta Ecclesia, cui per prophetam dicitur : « Sponsabo te mihi in justitia et veritate (*Ose.* II). » Thalamus hujus sponsi uterus virginis fuit, sicut per Psalmistam dicitur : « Tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). » Celebratores harum nuptiarum apostoli fuerunt, de quibus scriptum est : « Non possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus (*Matth.* IX). » In his ergo nuptiis feliciter discumbit, qui in fide vocatus, humiliter, pie, justeque in Ecclesia vivit. Bene autem dicitur : « Non discumbas in primo loco. » Novissimus enim locus ad mentis humilitatem pertinet. Ille ergo spiritaliter novissimus discumbit, qui se omnibus inferiorem et indigniorem in mente judicat, considerans non solum sanctiores, sed et multos se esse sapientiores. Unde et subditur : « Ne forte honoratior te sit invitatus ab eo, et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum. » Sæpe enim per mentis elationem de superiori gradu ad inferiorem quisque descendit, quia dum mente tumidus est et inflatus, aut in carnis petulantiam, aut in aliquod facinus cadere permittitur, per quod ab hominibus vituperetur. Unde et subditur : « Et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. » Quod Sauli contigit, cui superbienti a Domino dictum est : « Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel constitui te ? Nunc quia elevaris, dejeci te ne sis rex (*I Reg.* XV). » Sed postquam quid agere non debeas prohibuit, quid agendum sit, pius Redemptor manifestare curavit, cum subjunxit :

« Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. » Quem ergo humilem invenit, amici nomine beatificat, atque ut superius ascendat vocat : quia, ut ait Petrus apostolus : « Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (*I Petr.* V). » Et pulchre subdidit : « Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, » ne nunc in præsenti quærere incipias. Hæreditas enim, ait Salomon, « ad quam in principio festinatur, in novissimo benedictione carebit (*Prov.* XX). » Exponens Dominus quid in similitudine proposuerat, adjunxit, dicens :

« Quia omnis qui se exaltat humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. » Ubi notandum quia non ait simpliciter : Qui se humiliat, exaltabitur : sed cum additamento : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. » Alii ergo

in hoc sæculo et in futuro exaltantur, qualis fuit David, Ezechias et Josias, et cæteri tales qui in præsenti sæculo gloriosi fuerunt, et in futuro gloriosiores sunt. Alii hic in futuro humiliantur, quales sunt superbi pauperes, et illi qui pro peccatis in præsenti vita vindictam recipiunt, et in futuro ad perpetuam pœnam transeunt, qualis fuit Herodes, Antiochus, et multi tales, de quibus scriptum est : « Duplici contritione contere eos, Domine (*Jer.* XVII). » Nonnulli hic exaltantur, et in futuro humiliantur, quales sunt superbi divites, qui juxta Scripturæ vocem, « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (*Job.* XXI). » Alii hic humiliantur, sed in futuro exaltantur, sicut sunt sancti pauperes, et præcipue illi, qui propter Deum omnia sua derelinquunt, et spontanea paupertate semetipsos humiliant, ut in futuro exaltari mereantur. Amemus ergo virtutem humilitatis in præsenti vita, ut a Domino exaltari mereamur in altera vita, illius vestigia sequentes qui ait : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Humilis autem dictus est quasi humi acclivis. Ille ergo vere humilis esse cognoscitur qui se terram et cinerem jugiter esse considerat, dicens cum beato Abraham patriarcha : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Genes.* XVIII). » Humilitas non solum in corpore, sed etiam in mente conservanda est, juxta exemplum illius, qui in regali solio constitutus, aiebat : « Humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum tuum (*Psal.* CXVIII). » Humilitas quippe magistra est sapientiæ, teste Propheta qui ait : « Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas (*Ibid.*). » Quanto enim unusquisque hic propter Deum fuerit humilior, tanto in futuro erit excelsior, Petro apostolo teste qui ait : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis (*I Pet.* V). »

HOMILIA CXXX.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM.

(MARC. IX). « In illo tempore, respondens unus de « turba, dixit ad Jesum : Magister, attuli filium « meum ad te, habentem spiritum mutum : qui ubi« cunque eum apprehenderit, allidit eum. » Et reliqua. Notandum quod semper loca rebus congruunt. In monte Dominus orat, transformatus, discipulis arcana suæ majestatis aperuit ; in inferiora descendens, turbæ occursu excipitur, miserorum fletu pulsatur ; sursum, discipulis mysteria regni cœlestis reserat ; deorsum, turbis peccata infidelitatis exprobrat. Sursum Patris vocem, his quibus poterat, pandit ; deorsum spiritum malum ab his qui vexabantur, expellit. Qui etiam nunc pro qualitate meritorum, aliis ascendere, aliis vero non desistit descendere. Nam carnales adhuc et incipientes, quasi ima petentes confortat, docet, castigat ; perfectos autem, quorum conversatio in cœlis est, sublimius extollendo glorificat, liberius de æternis instruit, et sæpe

A quæ a turbis nec audiri quidem valeant, docet. Dæmoniacum autem hunc, quem descendens de monte Dominus sanavit, Marcus quidem surdum mutumque Matthæus vero lunaticum fuisse commemorat ; significat autem eos de quibus scriptum est : « Stulti ut luna mutantur (*Eccli.* XXVII), » qui nunquam in eodem statu permanentes, nunc ad hæc, nunc ad illa vitia mutati, crescunt atque decrescunt. Qui multi sunt, non confitendo fidem, surdi, nec ipsum aliquatenus veritatis audiendo sermonem ; spumant autem, cum stultitia tabescunt. Stultorum et languentium atque hebetum est spumas salivarum ex ore dimittere. Strident dentibus, cum iracundiæ furore flammescunt, et nulla virtutis industria confortati, enerviter vivunt. Quod autem ait : « Et dixi discipulis
B « tuis, ut ejicerent eum, et non potuerunt. » Patenter accusat apostolos, cum impossibilitas curandi interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt fidem referatur, dicente Domino « Fiat tibi secundum fidem tuam (*Matth.* IX). »

« Qui respondens, dixit eis : O generatio incre« dula, quandiu apud vos ero ? quandiu vos pa« tiar ? » Non hoc tædio superatus ait mansuetus ac mitis, qui non aperuit sicut agnus coram tondente os suum, nec in verba furoris eripuit, sed quasi in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat : Usquequo accedam ad domum tuam ? quousque artis perdam industriam, me aliud jubente, et te aliud perpetrante ? In tantum autem non est iratus homini, sed vitio ; et per unum hominem Judæos arguit infidelitatis, ut statim intu-
C lerit : « Afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et « cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit eum, « et elisus in terram, volutabatur spumans. » Allatum Domino puerum spiritus conturbat et elidit, quia sæpe dum converti ad Deum conamur, majoribus novisque antiqui hostis pulsamur insidiis. Quod ob id utique callidus facit adversarius, ut vel odium virtutis incutiat, vel expulsionis suæ vindicet injuriam. Hinc est enim (ut de specie transeamus ad genus) quod Ecclesiæ sanctæ primordiis tot gravissima inferebat certamina persecutionum, quot suo regno dolebat subito animarum illata fuisse dispendia.

« Et interrogavit patrem ejus : Quantum temporis « est, ex quo hoc ei accidit ? At ille ait : Ab infan« tia. Et frequenter eum in ignem et in aquas misit,
D « ut eum perderet. » Erubescat Julianus, qui dicere audet omnes homines absque ulla contagione peccati nasci in carne tam innocentes per omnia, quam fuit Adam quando creatus est. Quid enim habuit iste puer, ut ab infantia a dæmonio vexaretur acerbissimo, si nullo originalis peccati vinculo tenebatur, quem constat nullum adhuc proprium potuisse habere peccatum ? Confiteatur catholicus quia nemo immunis a noxa primæ prævaricationis nascitur, et invocet gratiam Dei, qua liberetur de corpore mortis per Jesum Christum Dominum nostrum. Intelligat scriba doctus, in hoc dæmoniaco a Domino curato, salvationem omnium fidelium esse designatam, qui

originalis culpæ reatu astricti veniunt in mundum, unius Redemptoris Jesu Christi fide et gratia salvandi. Quod autem dictum est. « Et frequenter eum in ignem et in aquas misit, » maxima humanæ vecordiæ facinora designat. Ignis namque ardor ad fervorem iracundiæ referendus est : aqua, ad voluptates carnis, quæ dissolvere mentem per delicias solent. Vel certe in ignem fertur dæmoniacus, quo adulterantium corda succensa sunt : et in aquas, quæ solent exstinguere charitatem. « Sed si quid « potes, adjuva nos, misertus nostri. Jesus autem « ait illi : Si potes credere, omnia possibilia cre- « denti. » Aptum Dominus responsum dedit pœnitenti. Ipse enim ait : « Si quid potes, adjuva nos : » et Dominus, « si potes, » inquit, « credere, » possum vos misertus adjuvare : quia fides non ficta omnia quæ salubriter petit, impetrare meretur. Quo contra leprosus, qui fideliter clamabat : « Domine si vis, potes me mundare, » congruum suæ fidei accepit responsum. « Volo, mundare (*Matth.* VIII). »

« Et continuo exclamans pater pueri cum lacry- « mis aiebat : Credo, Domine, adjuva incredulita- « tem meam. » Nemo repente fit summus, sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat. Alia namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim et ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, iste interrogatus an crederet, non responderet : « Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. » Si enim credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se noverat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ, meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemque tempore is, qui necdum perfecte crediderat, simul et credebat, et incredulus erat.

« Et cum videret Jesus concurrentem turbam, « comminatus est spiritui immundo, dicens illi : Surde « et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et « amplius ne introeas in eum. » Comminatio Domini divini est virtus imperii. Non autem puero qui vim patiebatur, sed dæmoni qui inferebat, comminatus est ; quia qui peccantem emendare desiderat, vitium utique increpando et exsecrando debet exterminare, sed hominem amando refovere. Bene autem Dominus, qui spiritum immundum pellit ab homine, simul ne amplius in eum ingrediatur imperat : quia ille veraciter a dæmoniaca dominatione liberatur, qui ad peccata, a quibus semel pœnitendo mundatus est, vitat male vivendo reverti.

« Et clamans, et multum discerpens illum, exiit « ab eo. » Exiturus ab homine spiritus immundus, discerpsit eum, ac furenti clamore terruit intuentes : quia plerumque diabolus, dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat, quando hoc quietus possidebat. « Et factus « est sicut mortuus, ita ut multi dicerent quia mor- « tuus est. Jesus autem tenens manum ejus, eleva- « vit illum, et surrexit. » Quem hostis impius jam fugere compulsus stravit, ac mortuo similem reddi-

A dit, hunc pius Salvator miti suæ dexteræ tactu elevavit. Qui sicut verum se esse Deum potentia salvandi docuit, ita etiam veram se habuisse carnis naturam more tactus humani declaravit. Negat namque Manichæus insanus veraciter eum carne indutum fuisse : sed ipse cum tot languentes suo tactu erexit, mundavit, illuminavit, hæresim illius, et antequam nata esset, damnavit.

« Et cum introisset in domum, discipuli ejus se- « creto interrogabant illum : Quare non potuimus « ejicere eum? Et dixit illis : Hoc genus in nullo « potest exire, nisi in oratione et jejunio. » Dum docet apostolos quomodo dæmon nequissimus debeat expelli, omnes instituit ad vitam, ut scilicet noverimus graviora quæque peccata vel immundorum spi-
B rituum tentamenta jejuniis et orationibus esse superanda ; iram quoque Domini, cum in ultione scelerum nostrorum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari. Jejunium autem generale est, non solum ab escis, sed a cunctis illecebris abstinere carnalibus, imo ab omnibus vitiorum continere passionibus. Sic et oratio generalis, non in verbis solum est, quibus divinam clementiam invocamus, verum etiam in omnibus quæ in obsequium nostri Conditoris fidei devotione gerimus, teste Apostolo qui ait : « Semper gaudete, sine intermissione orate (*I Thes.* V). » Quomodo enim quis omnibus horis atque momentis sine intermissione Deum potest invocare sermonibus? Sed tunc sine intermissione oramus, cum ea solum opera gerimus, quæ nos pietati nostri commendent auctoris. Quo nimirum jejunio et oratione,
C juvante Domino, cunctas antiqui hostis debellabimus ac propulsabimus insidias :

HOMILIÆ CXXXI.

FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM

(LUC. XVIII). « In illo tempore dicebat Jesus parabo- « lam hanc ad discipulos. » Et reliqua. Dicit et Aposto- « lus, Semper gaudete, sine intermissione orate (*I Thes.* V). Quis autem potest ita semper orare sine defectu vel intermissione precibus insistere, ut nec alimentum sumendi, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est, eum semper orare, et non deficere, qui canonicis horis quotidie juxta ritum ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis precibusque consuetis Dominum laudare et rogare non desistit, et hoc est quod Psal-
D mista dicit : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo (*Psal.* XXXIII). » Aut certe, omnia quæ justus secundum Deum gerit, ad orationem esse reputanda. Quia enim justus sine intermissione quæ justa sunt agit, per hoc sine intermissione orabit, nec unquam ab oratione cessabit, nisi justus esse desistat.

« Judex quidam erat in quadam civitate qui « Deum non timebat, et hominem non reverebatur. « Vidua autem quædam erat in civitate illa, et venie- « bat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo. « Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem « dixit intra se : Et si Deum non timeo, nec homi-

« nem revereor, tamen quia molesta est hæc vidua « mihi, vindicabo illam, ne in novissimo veniens, « suggillet me. » Parabolas Dominus aut secundum similitudinem aliquam ponit, sicut de homine qui habebat duos filios, majorem in agro sibi propinquantem, minorem autem in longinquo luxuriantem: aut ex ipsa dissimilitudine aliquid probat, veluti est illud : « Quod si fenum agri quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minimæ fidei ? » (*Matth.* VI.) Itaque illud superius genus his verbis adjungi potest : Sicut illud, ita et illud. Hoc autem posterius his verbis : Si illud, quanto magis illud ? Aut si illud, quanto minus illud ? Sed alibi obscure, alicubi aperte ista ponuntur. Hic ergo iniquus judex, non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est. Non enim ullo modo ille injustus judex personam Dei allegorice tenet, sed tamen quantum Deus, qui bonus et justus est, curet deprecantes se, hinc cognosci Dominus voluit, quod nec injustus homo eos qui illum assiduis precibus tundunt, vel propter tædium devitandum potest contemnere. Nam hoc est quod ait : « Ne veniens suggillet me. » Ipsa vero vidua potest habere similitudinem Ecclesiæ, quæ desolata videtur, donec veniat Dominus, qui tamen in secreto etiam curam ejus gerit.

« Ait autem Dominus : Audite quid judex iniquus « dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum « suorum, clamantium ad se die ac nocte, et patien- « tiam habebit in illis ? Dico vobis quia cito faciet « vindictam illorum. » Si quem movet, cur electi Dei se vindicari deprecentur, quod etiam in Apocalypsi Joannes de martyribus dicit, cum apertissime moneamur, ut pro inimicis et persecutoribus oremus, intelligendum est eam vindictam esse justorum, ut omnes mali pereant. Pereunt autem duobus modis, aut conversione ad justitiam, aut amissa per supplicium potestate, qua nunc adversus bonos, quandiu hoc ipsum bonis expedit, vel temporaliter aliquid valent. Quod in finem justi convenire desiderant, quamvis pro inimicis suis orent, tamen non absurde vindictam desiderare dicuntur. « Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra ? » Quamvis omnipotens Conditor semper electos suos ad se clamantes sit vindicare paratus, in die tamen judicii (quod trementi est corde retinendum) cum idem Conditor in forma filii hominis apparebit, tanta erit raritas electorum, ut non tam ob clamorem fidelium injuste damnatorum totius jam mundi sit acceleranda ruina. Quod autem Dominus quasi dubitative dicit : « Putas inveniet fidem in terra, » non dubitat, sed arguit. Verbo quippe dubitationis increpatur infidelitas, non opinatur divinitas. Nam et nos aliquando de rebus, quas certas habemus, increpative verbum dubitationis ponimus, cum corde non dubitemus : velut si indigneris servo tuo, ut dicas : Contemnis me ? considera, forsitan dominus tuus sum. Et Apostolus ad quosdam contemptores suos : « Puto autem, » inquit, « quod et ego spiritum

A Dei habeam (*I Cor.* VII). » Qui dicit puto, dubitare videtur, sed ille increpabat, non dubitabat. Ita ergo et Dominus scit quidem omnia, per quem facta sunt omnia, et tamen dubitando increpat infidelium corda.

HOMILIA CXXXII.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

(LUC. XIII.) « In illo tempore dicebat Jesus turbis « similitudinem hanc : Arborem fici habebat quidem « plantatam in vinea sua. » Et reliqua. Potest quidem hæc arbor fici generis humani designare naturam: per vineam genus humanum, per ficum doctores, sive principes hujus mundi. Quæ bene plantata est, hoc est ad auctoris sui similitudinem creata est. Sed B domino per triennium fructum dare negavit, quia ante legem, sub lege, sub gratia obedire despexit. Verum si ad superiora respexeris, animadvertes significari per vineam plebem Judæorum, per ficum Scribas et Pharisæos : et si generaliter omnium, specialiter tamen Synagogæ typum portare. Nam cum præmissa illa terribili tremendaque sententia: « Si non pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis (*Luc.* XIII), » mox de infecunda arbore parabolam subjungit, apertissime docens eos quibus loquebatur, instar infructuosæ ficus, si non pœniterent, esse succidendos. « Vinea Domini sabaoth domus Israel est, » ut Isaiæ cantico docemur (*Isa.* V) : synagoga autem in eadem domo condita, fici est arbor in vinea. Sed qui vineam suam permisit a viatoribus diripi, hic etiam ficum jussit excidi. « Et venit C quærens fructum in illa, et non invenit. » Id quod sequi synagogam per Moysen instituit Dominus, in carne natus aperuit, et crebrius in synagoga docens, fructum fidei quæsivit, sed in Pharisæorum mente non invenit.

« Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres « sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea « hac, et non invenio. » Per cultorem vineæ apostolorum doctorumque ordo exprimitur, quorum precibus ac monitis assidua plebi Dei cura suggeritur. His etenim Dominus sæpissime de infructuosa Judæorum gente querebatur, quod per tres annos suæ visitationis, hoc est in legalibus edictis, in propheticis contestationibus, in ipsa coruscantis Evangelii gratia negligens exstiterit.

D « Succide ergo illam, ut quid etiam terram occu- « pat ? » Non ab apostolis, sed a Romanis gens Judæa succisa, et a terra repromissionis ejecta est. Sed succide, inquit, illam, id est succisionis ei futuræ cladem, pœnitentiam suadendo, propone. Quæ justo judicio terram cum regno perdidit, pro cujus amore cœli cives persequi ipsumque cœli et terræ regem occidere non metuit, dicens per suos pontifices et Pharisæos : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani et tollent locum nostrum et gentem (*Joan.* XI). » Potest etiam per terram sterili ficu occupatam, Judaicæ plebis turba figurari, quæ noxia præpositorum umbra, ne verita-

tis lumen recipere possit. est depressa: et ne supernæ dilectionis sole calefieret, exemplo est eorum pravitatis impedita, juxta quod eisdem alibi Salvator: « Væ, » inquit, « vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui claudistis regnum cœlorum ante homines Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare (*Matth.* XVIII). »

« At ille respondens, dixit illi: Domine, dimitte « illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam. » Vox apostolorum est, qui post passionem Domini pro Judæis summopere precabantur, ne absque pœnitentia Dominicæ crucis ultionem paterentur: « Usque dum fodiam, » inquit, « circa illam, » id est radicem infructuosæ mentis ligone bis acutæ infectionis humiliem, præsentium videlicet pressurarum horrorem et perpetuæ damnationis incutiens. Omnis quippe fossa in imo est, et nimirum increpatio, dum mentem sibi demonstrat, humiliat. « Et mittam stercora. » Id est malorum quæ fecit abominationem ad animum reducam, ut compunctionis gratiam quasi de putredine stercoris suscitem.

« Et siquidem fecerit fructum, sin autem, in futu- « rum succides eam. » Cum diceret: « Et siquidem fecerit fructum, » non subjunxit aliquid, sed suspendit sententiam. Cum vero adderet, « sin autem, » continuo judicium venturæ damnationis annexuit, dicens: « in futurum succides eam. » Quia videlicet multum procliviorem ad negandum, quam ad confitendum Dominus Synagogam videbat. Unde et alibi rebus eamdem figuram, quam hic verbis agens, infœcundam ficum æternæ sterilitatis maledictione damnavit, ostendens videlicet eam, et si fodiant apostoli corripiendo, et si stercus advehant peccata improperando, nulla tamen pœnitentiæ fruge cumulandam, sed districte bipennis severitate tollendam.

« Erat autem docens in synagoga Judæorum sab- « batis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infir- « mitatis annis decem et octo. » Dicto de ficu parabola, Dominus in synagoga docuisse narratur, ut videlicet intimetur, non alio parabolam tendere, sed hoc esse fructum in ficulnea quærere, et non invenire, verbum synagogæ commodare, nec recipi. Quam tamen ne totam funditus ob culpam sterilitatis exstirpandam putares, sed reliquias per electionem gratiæ scires esse salvandas, mox ibidem Ecclesiæ primitivæ sanatio subincurvatæ mulieris specie subsequitur. Quæ bene decem et octo annis fuit curvata, qui numerus ternario sexies ducto perficitur, quia videlicet eam in testimonio legis, in vaticinio prophetiæ, et in revelatione gratiæ per infirma opera languere ostendit. Senarius enim numerus, in quo mundi est creatura perfecta, operum perfectionem significat. Tria vero sunt, ut dixi, tempora Dominicæ visitationis, in quibus Judæa, quæ terrena magis quam cœlestia noverat operari, quasi decem et octo annis a suæ mentis erat rectitudine curvata, « Et erat incurvata, nec omnino poterat sursum respicere. » Quia terrena sapiens, infima requirens, cœlestia cogitare nondum sciebat, audiens per Prophetam: « Si volueritis et audieritis me, bona terrena comedetis (*Isa.* I). » Quo contra membris Ecclesiæ dicit Apostolus: « Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram (*Col.* III). »

« Quam cum vidisset Jesus, vocavit eam ad se, « et ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. « Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et « glorificabat Deum. » Vidit, prædestinando per gratiam: vocavit, illustrando per doctrinam: imposuit manus, spiritalibus donis adjuvando: erexit ad glorificandum Deum in operibus bonis, usque ad fidem firmam provehendo. « Quos, » inquit, « prædestinavit, hos et vocavit. quos autem vocavit, illos et justificavit: quos autem justificavit, illos et magnificavit (*Rom.* VIII). »

« Respondens autem archisynagogus indignans « quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex « dies sunt, in quibus oportet operari. In his ergo « venite et curamini, et non in die sabbati. » Sabbato curavit Jesus, ostendens jam esse tempus, ut secundum prophetiam Cantici canticorum aspiraret dies, et removerentur umbræ (*Cant.* II). Sed nesciebat archisynagogus, vel hoc vel illud multo excellentius sacramentum, quod sabbato curando Dominus intimabat, quia scilicet post sex sæculi hujus ætates, perpetua vitæ immortalis erat gaudia daturus, in cujus figura Moyses sabbato non a bono, sed a servili, hoc est, noxia præcipit actione feriandum, illud utique tempus præfigurans, quo sæcularia nostra opera, non autem religiosa, hoc est Deum laudandi acta, cessarent. Fallitur ergo et fallit archisynagogus, quia lex in sabbato non hominem curare, sed onera ferre, hoc est peccatis gravari, prohibuit.

« Respondens autem ad illos Dominus, dixit: « Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non sol- « vit bovem suum aut asinum a præsepio, et ducit « adaquare? » Infidelitatis quidem arguit principes Synagogæ, et merito hypocritarum, id est simulatorum nomine notat, quos, cum magistri plebium esse appeterent, hominis sanationem pecoris curæ postponere puderet. Sed altiore sensu bovis et asini vocabulo, Judæum Græcumque significat, de quorum vocatione scriptum est: « Bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui (*Isa.* I): » qui uterque peccati vinculis absoluti, sitim æstumque mundi hujus Dominici fontis haustu deposuit.

« Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Sa- « tanas, ecce decem et octo annis, non oportuit sol- « vi a vinculo isto die sabbati? » Filia Abrahæ est anima quæque fidelis. Filia Abrahæ est Ecclesia, de utroque populo ad fidei unitatem collecta, quæ tempore legis et Dominicæ resurrectionis impleto, per gratiam Spiritus sancti septiformem, a vinculo longæ captivitatis erupit. Nam et hoc modo fortasse, mysterium sabbati decem et octo annorum potest non inconvenienter intelligi. Idem est ergo mystice, bovem vel asinum solutos a præsepio ad potum agi, quod et filiam Abrahæ a vinculo noxiæ inclinationis erigi: Ecclesiam videlicet ex Judæis et gentibus con-

gregatam, laqueis peccatorum per aquam baptismatis absolvi, atque ad cœlestia speranda sublimari. Notandum sane quod nefandissima hæresis, ex eo quod Dominus ait ad alligatam a Satana, conatur astruere corporum humanorum vitia, non ad Dominum auctorem, sed potius ad diabolum pertinere: quasi diabolus, cum habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cuiquam possit, nisi ab Omnipotente acciperet potestatem. Nam quid aliud non solum in libro beati Job, quem memorata hæresis cum cæteris Veteris Testamenti libris, et cum ipso Deo qui dedit, quasi maligno mundi principe, ut insanos exsufflat, sed etiam in Evangelio declaratur, ubi dæmonia nec in porcos ire potuisse, nisi hoc illis ipse concederet, legitur (*Matth.* VIII).

HOMILIA CXXXIII.

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

(MATTH. XXII.) « In illo tempore: Accesserunt « ad Jesum Sadducæi, qui dicunt non esse resur« rectionem. » Et reliqua. Prædicante Domino nostro Jesu Christo, duæ præcipuæ hæreses erant inter Judæos, una Sadducæorum, et altera Pharisæorum. Sadducæi autem dicuntur, qui Sadducum quemdam magistrum legis sequentes, neque resurrectionem credebant, neque angelos, neque spiritus esse. Hi tantum quinque libros Moysi recipientes, oracula prophetarum respuebant. Et contra Pharisæi, qui *divisi* interpretantur, eo quod a cæteris in quibusdam observationibus se separent, et resurrectionem credebant corporum, et angelos et spiritus esse fatebantur, et non solum quinque libros Moysi, sed etiam oracula prophetarum recipiebant. Sadducæi ergo, ut resurrectionis veritatem negare possent, turpitudinis fabulam composuerunt de muliere, quæ septem fratres habuerit,

« Unde et interrogaverunt eum, dicentes: Ma« gister, Moyses dixit (*Deut.* XXV): Si quis mortuus « fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus « uxorem illius, ut suscitet semen fratris sui. Erant « autem apud nos septem fratres, et primus uxore « ducta defunctus est, et non habens semen, reliquit « uxorem suam fratri suo. Similiter secundus et « tertius usque ad septimum. Novissime autem om« nium et mulier defuncta est. In resurrectione ergo « cujus erit de septem uxor? Omnes enim eam ha« buerunt. » In quibus verbis patet, quod non solum spiritaliter, sed etiam nec juxta litteram recte se intelligere demonstrabant. Potuit quadam infelicitate accidere, ut in eodem populo, qui a legis observantia defecerat, septem fratres unam habuerint uxorem; sed hoc Moyses in lege non præcepit. Qui enim de primo et secundo legem dedit, et de cæteris tacuit, nequaquam septem fratres unam uxorem habere jussit. Sed hoc mandatum spiritaliter potius quam carnaliter est intelligendum. Frater enim noster Dominus est Jesus Christus, qui cum sit creator et Dominus noster per Divinitatem, nobis fieri dignatus est frater per humanitatem, sicut

A ipse ait in Evangelio: « Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis, ipse meus frater, soror et mater est (*Matth.* XII). » Et per Prophetam: « Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te (*Psal.* XXI). » Hujus uxor Ecclesia sancta est, cui ipse per prophetam ait: « Sponsabo te mihi in justitia et veritate (*Ose.* II). » De qua per Joannem in Apocalypsi dicitur: « Vidi civitatem sanctam Jerusalem, novam, descendentem de cœlo, tanquam sponsam ornatam viro suo (*Apoc.* XXI). » Mortuus est sine liberis, quia ante passionem suam paucos Judæorum per suam prædicationem et bonum exemplum filios spiritaliter Deo generavit. Primogenito quoque fratris nomen imponit, qui a Christo Christiani vocamur, ut intelligant doctores non suos B esse proprios, sed Dei, quos per prædicationem generant. Sed Sadducæi, quia Scripturas spiritaliter non intelligebant, resurrectionem negare volebant. Unde congrue a Domino audierunt:

« Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem « Dei » Quia enim Scripturarum sensus ignorabant, consequenter Christum, qui est Dei virtus et Dei sapientia, minime cognoscebant. Quid autem de resurrectione credere vel sentire debeamus, manifestat cum ait: « In resurrectione enim neque nu« bent neque nubentur, sed, erunt sicut angeli Dei « in cœlo. » In quibus verbis proprietas Latinæ linguæ cum Græca eloquentia non concordat. Apud Latinos enim proprie feminæ nubere, et viri uxores esse dicuntur. Sed hanc proprietatem Græci sermonis sequimur, cum dicimus: « Non nubent, » scilicet C viri: « neque nubentur, » scilicet uxores. Non ergo nubent in resurrectione viri, neque nubentur uxores, quæ habebunt quidem corpora vera, quæ possunt nubi et nubere, sed tamen immortalia, et absque infirmitate et ideo non solum a pollutione, sed etiam ab omni corruptione aliena. Quales autem sint, qui in hoc sæculo digni habentur, manifestat dicens: « Sed erunt sicut angeli Dei in cœlo, » id est immortales effecti:

« De resurrectione autem mortuorum non legi« stis quod dictum est a Deo, dicente vobis: Ego « sum Deus Abraham et Deus Isaac, et Deus Ja« cob? » Ad comprobandam resurrectionis veritatem, multa apertiora testimonia Dominus de oraculis prophetarum proferre poterat, ex quibus est ilD lud: « Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum (*Soph.* III). » Et iterum in Osee: « Vivificabit nos post duos dies, et vivemus in conspectu ejus (*Ose.* VI). » Et in Daniele: « Multi quidem de terræ pulvere consurgent, alii in vitam æternam, alii in opprobrium sempiternum (*Dan.* XII). » Et Psalmista: « Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me (*Psal.* III). » Sed, sicut superius dictum est, quia Sadducæi, contra quos de resurrectione sermonem habebat, oracula prophetarum non recipiebant, ideo superfluum erat ex illis libris proferre testimonia quos illi non recipiebant. Quod si diligenter consi-

deremus, hoc testimonium evidenter ad resurrectionem pertinere cognoscimus. Cum enim quadringentesimo circiter anno post mortem Abrabæ hæc Dominus Moysi loqueretur, non dixit: Ego fui Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: sed, Ego sum, ostendens animas non simul cum corporibus (ut Sadducæi putabant) interiisse, sed vivere et esse. Unde et subditur: « Non est Deus mortuorum, sed « viventium. » Illorum autem Deus esse non posset, si non subsisterent.

« Et audientes turbæ mirabantur in doctrina « ejus. Pharisæi autem audientes quod silentium im« posuisset Sadducæis, convenerunt in unum. » Cum reprobi inter se discordes sint, frequenter in bonorum oppressione concordare solent, sicut de Herode et Pilato legimus, quia cum essent inimici B ad invicem, in Domini passione amici facti sunt (*Luc.* XXIII). Ita Sadducæi et Pharisæi duæ hæreses Judæorum, cum inter se diversa sentirent, ad Dominum calumniandum pari mente conveniebant. Dolebant enim Pharisæi Sadducæos, mirantibus turbis atque gavisis, a Domino esse superatos, quos si ipsi vicissent, utique gauderent, et ideo invidia ducti, convenerunt in unum.

« Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, « tentans eum: Magister, quod est mandatum ma« gnum in lege? » Unus eum interrogavit pro omnibus. Quod enim tentando eum interrogaverit, ex ipsis suis verbis demonstrat, cum ait: « Magister, » Si enim vere interrogasset, magis Dominum quam magistrum appellasset. Ex qua interrogatione Pharisæi, intelligimus gravem quæstionem inter Judæos C illo tempore fuisse versatam, de præcepto legis contendentes, et aliis hoc, aliis illud præferentibus. Alii enim circumcisionem meliorem esse dicebant, alii sabbati observationem magis valere arbitrati sunt, alii hostiarum et victimarum oblationem præferebant, alii Calendas et festivitates præponere volebant. Interrogavit ergo Pharisæus Dominum, quod sit magnum mandatum in lege, ut dum unum magnum diceret, cætera mandata infamare videretur, ac per hoc illorum odium incurreret, qui aliud mandatum legis laudare volebant. Sed Dominus ita suam responsionem temperavit, ut quod esset magnum mandatum ostenderet, et ipse irreprehensibilis permaneret. Ait enim: « Diliges Dominum Deum tuum « ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota D « mente tua. Hoc est enim maximum et primum « mandatum. » Dilectio ergo Dei dicitur maximum et primum esse mandatum, non tantum pro ordine quantum pro dignitate. Usus enim Scripturæ est vocare primum quod est melius, sicut populus Israeliticus primitias auri et argenti jussus est offerre, id est, quod pretiosius erat in auro et argento. Et Jeremias propheta de eodem populo dicit. « Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus (*Jer.* II). » Maximum igitur et primum mandatum charitas est, quia ipsa et in Novo et in Veteri Testamento primatum obtinet, sicut ait apostolus Paulus: « Maneat in A vobis fides, spes, charitas, tria hæc, major autem his est charitas (*I Cor.* XIII). » Nobis autem interrogatio Pharisæi proficit, quibus dicitur: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. » In quibus considerandum est, quia in dilectione Dei mensura non ponitur, cum toto corde, tota anima, tota mente eum diligere præcipimur. Quia enim immensus est Deus, sine mensura est diligendus, ut cum cum multum diligimus, parum nos diligere fateamur, nullusque locus in nobis remaneat vacuus, qui Dei dilectione non repleatur, sed mens, lingua et manus ejus dilectionem resonent. Sed quia Deum nemo perfecte diligere potest, nisi diligat et proximum, recte subdidit:

« Secundum autem simile est huic: Diliges proxi« mum tuum sicut teipsum. » Debemus igitur diligere Deum plus quam nos, et proximum tanquam nos, id est sicut volumus nostræ necessitati subveniri, sic subveniamus et proximi: et sicut nostræ volumus infirmitati compati, sic compatiamur et proximi: et sicut ad vitam volumus pervenire æternam, sic optemus et proximum nobiscum pervenire. Et hoc est diligere proximum tanquam nosipsos: quoniam tunc diligitur Deus si ex dilectione proximi ejus dilectio condiatur. Frustra enim se Deum diligere asserit, qui proximum suum non diligit. Hinc per Joannem apostolum legitur: « Si quis dixerit quoniam: diligo Deum et fratrem suum oderit, mendax est (*I Joan.* IV). » Et iterum: « Qui non diligit fratrem suum quem videt: Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum (*Ibid.*). » Sicut enim avis ad alta se sustollere non potest sine duabus alis, sic nos ad perfectionem veræ charitatis venire non possumus, nisi geminam dilectionem, Dei videlicet et proximi, servemus. Unde et in ornamento pontificis coccus bis tinctus poni præcipitur, ut videlicet in nostro bono opere dilectio Dei et proximi conjungatur, quoniam hoc confirmat Dominus, cum subjungit:

« In his duobus mandatis universa lex pendet et « prophetæ. » Si cui non vacat omnes libros legere, teneat dilectionem Dei et proximi, et universa implevit, teste Apostolo, qui ait: « Qui diligit proximum, legem implevit. Nam, non adulterabis, non furtum facies, non occides, non fslsum testimonium dices, non concupisces uxorem proximi, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Rom.* XIII). » Et iterum: « Plenitudo legis est dilectio (*Ibid.*), » Mandatum charitas latum et breve. Latum exhibitione operis, sicut per Psalmistam dicitur: « Latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVIII). » Breve in descriptione sermonis, sicut in hoc loco: « Diliges proximum tuum sicut teipsum. » Sicut per prophetam dicitur: « Abbreviatum sermonem faciet Dominus super terram (*Isa.* X). » Duo ergo sunt erga dilectionem proximi observanda. Primo, ne quemque lædas: secundo, ut bona quæ vales impendas, quia qui dixit: « Quod tibi

non vis fieri, alii ne facias (*Tob.* IV), » ipse alibi ait : « Quod vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis (*Matth.* VII). » Ut enim multi arboris rami ex ima radice prodeunt, sic et cæteræ virtutes ex dilectione Dei et proximi procreantur. Sed sine causa gloriatur habere ramos boni operis, qui non habet radicem charitatis. Quod Dominus ostendit, cum ait : «Omni habenti dabitur, et abundabit : ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo (*Luc.* XIX); »quia qui habet charitatem, adjicientur ei cæteræ virtutes : qui autem eam non habet, frustra de eleemosyna, abstinentia et vigilia gloriatur, teste Apostolo : « Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam (*I Cor.* XIII), et reliqua. Quam Dominus in Evangelio collaudans, ait discipulis : « In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII). » Et iterum : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem (*Ibid.*). » Vultis scire quid sit hoc ? Audite Joannem apostolum dicentem : Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo (*I Joan.* IV). »

« Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos « Jesus dicens : Quid vobis videtur de Christo ? cu« jus Filius est ? » Et reliqua. Cum Dominus alibi ait : Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos (*Matth.* VII), » quid est quod ipse Judæos, qui suis interrogationibus eum dilaniabant, illa quæ justa et sancta sunt, docet ? Ad quod dicendum, quia non dedit sanctum canibus, neque misit margaritas suas ante porcos, sed ideo prædicationem suam omnibus patefecit, quia tales erant in turba, qui per ejus prædicationem credituri : et ut illi, qui credituri erant, haberent quod crederent : qui vero credere nollent, inexcusabiles essent : sed Pharisæis per varias interrogationes errantibus, Dominus quod ad credulitatem et salutem pertinet, interrogavit eos, dicens : « Quid vobis videtur de Christo ? cujus Filius est ? » At illi quod legerant nec negare poterant, responderunt, dicentes : « David. » Sic enim ad eumdem David dictum noverant : « Et erit postquam dormieris tu cum patribus tuis, suscitabo nomen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus (*I Par.* XVII). » Et iterum : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex et sapiens erit (*Jer.* XXIII, XXXIII). » Interrogatio Salvatoris multum nobis hodie proficit contra Judæos, eos scilicet qui eum tantum hominem, et non Deum credunt. Nos autem ab illo docti, interrogemus eos : Si Christus tantum homo est, et non Deus. « Quomodo « David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, « donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo« rum (*Psal.* CIX) ? Si ergo David vocat eum Domi« num, quomodo filius ejus est ? » Et cum non habuerint quod respondeant, nos fiducialiter respondeamus, hunc et Dominum David, et filium David, Dominum David in Divinitate, filium David in humanitate; Dominum David, per hoc quod in principio erat, Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I) ; filium David per hoc quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Ibid.*). Nec mirum si unus idemque Mediator Dei et hominum Dominus Jesus Christus, et Dominus dicitur David, et filius David, cum hodie in plurimis contingere soleat, ut aliquis episcopus ordinatus patris sui dicatur pater, non nascendi ordine, sed honore. Sed illud non est prætermittendum quod Judæi de Scripturis multa mentientes, hunc psalmum in persona Abrahæ tradunt fuisse decantatum a puero ejus Damasco Eliezer, ut sit sensus : Dixit Dominus, id est Deus omnipotens, domino meo, id est Abrahæ, sede a dextris meis, quando eum a cæde quinque regum revertentem triumpho victoria glorificaverit, quoniam sessio victori paratur. Interrogemus ergo eos quomodo Abrahæ conveniat, quod in eodem psalmo (*Psal.* CIX) sequitur : « Ex utero ante Luciferum genui te. » Et iterum : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » Dicant ergo, quomodo Abraham ex utero Dei ante Luciferum sit genitus, cum ejus ortum et nativitatem legamus : et quomodo fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, cum ipse potius prædam eidem Melchisedech obtulerit, et ab eo benedictionem postulaverit (*Gen.* XIV). Et cum respondere non potuerint, nos firmiter credamus, hunc psalmum in persona Christi esse decantatum. Et est sensus : « Dixit Dominus. » id est Deus Pater : « Domino meo, » id est Deo Filio. Quod autem ait : « Dixit Dominus Domino meo, » geminatio unius nominis, non divisionem ostendit substantiæ, sed proprietatem uniuscujusque personæ : quia in natura qui est Pater, hoc est Filius, sed tamen alia est persona Patris, alia Filii. Dixit autem quod nec ille ore protulit, nec iste aure intentus audit, sed quod vult Pater, novit Filius : et quod vult Filius, novit Pater, quorum dicere, velle est. Quod vero ait : « sede a dextris meis, » victori Filio dicitur, quia sessio victori debetur. Qui postquam per suam passionem et resurrectionem antiquum hostem superavit, humanitatem, quam ex nobis assumpserat, in dexteram Patris collocavit, Marco evangelista teste, qui ait : « Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei (*Marc.* XVI), » non quod Deus Pater dexteram vel sinistram habere credendus sit, sicut et nos, sed totus est dexter, quia totus est Sanctus. Quod vero subjungit : « donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, » adverbium finitum pro infinito posuit tempore. Usus enim Scripturæ est, hoc adverbium finitum aliquando pro finito, aliquando pro infinito poneri. Pro finito, sicut per Isaiam prophetam dicitur : « Popule meus, intra in cubicula tua, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio (*Isa.* XXVI). » Pro infinito, sicut ait Psalmista : « Oculi nostri ad Dominum Deum

nostrum, donec misereatur nostri (*Psal.* cxii). » Et Propheta : « Donec senescatis ego sum. » Nunquid post illorum senectam Deus futurus non erat, aut oculi nostri cessabunt respicere ad eum, postquam misertus fuerit nostri ? Non ; sed, ut diximus, finitum pro infinito posuit. Sic et in hoc loco dum dixit, « donec ponam inimicos tuos, » etc., hoc adverbium infinitum æternitatem Christi sonat. Scabellum enim a scandendo dicitur : pedes autem æternitatem ejus perpetuæ stabilitatis designant. Inimici vero, qui sub scabello pedum ponuntur, non perseverantes inimici intelligendi sunt, sed illi, qui quondam inimici, per conversionem reconciliati facti sunt amici. Quod in eo facile intelligitur, quia Filius, sub cujus scabello pedum ponuntur, in dextra sedere dicitur. Soli enim electi in dextera ponendi sunt, ipso Domino dicente : « Statuet quidem oves a dextris, hædos autem a sinistris. Tunc dicet illis qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (*Matth.* xxv). »

« Et nemo poterat ad hæc respondere ei verbum, « neque ausus fuit ex illa die amplius quisquam interrogare. » Videntes Pharisæi in suis interrogationibus Domini laudem crescere, et suam vituperationem non ausi sunt eum amplius interrogare : quia quid quid dixerint, contra se dictum sentiebant. Sed quem interrogare non audebant, manifeste comprehensum Romanæ tradiderunt potestati, ut intelligamus quia livor et invidia superari potest, sed quiescere nescit.

« Tunc locutus est Jesus ad turbas, et ad discipu« los suos, dicens : Super cathedram Moysi sederunt « Scribæ et Pharisæi : Omnia ergo quæcunque dixe« rint vobis, facite et servate, secundum vero opera « eorum nolite agere. Dicunt enim et non faciunt. » Grandis in hoc loco Domini ostenditur patientia, sed non minor ejus declaratur benevolentia. Scribæ ergo et Pharisæi gravissimis hunc quæstionibus lacessere cupiebant, ipse autem ad eorum subjectionem et venerationem turbas hortabatur, dicens : « Super cathedram Moysi. » Et reliqua. Cathedra autem sedile est ligneum, sustentationi corporis undique aptum, et ideo magistris et doctoribus congruum. Per cathedram namque aliquando bona, aliquando mala significatur doctrina : mala, sicut in primo psalmo legitur : « In cathedra pestilentiæ non sedit ; » bona, sicut Psalmista alibi ait : « Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum (*Psal.* xi). » Sic et in hoc loco in bono ponitur, cum dicitur : « Super cathedram Moysi. » Hic cathedra Moysi doctrinam legis significat, quæ pro eo Moysi dicitur, quia a Domino data specialiter populo per Moysen est administrata. Super cathedram ergo Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, quia in doctrina legis quieverunt. Et ideo Dominus ad eorum doctrinam audiendam turbas hortatur, quia quamvis male viverent, tamen bona dicebant. Quia quam vulgaris populus intelligere non poterat, illi specialiter a Domino ad docendum populum acceperant. In eo enim, quod

A bene docebant audiendi erant : in eo quod male vivebant, nec audiendi, nec imitandi erant. Unde et bene dicitur : « Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite. » Quia enim non suam doctrinam, sed Dei prædicationem docebant, ideo ad eorum doctrinam audiendam vel observandam populum invitabat ; et quod ad eorum prædicationem observandam populum provocaverat, nunc ab eorum imitatione observanda revocat, cum subjungit : « Secundum vero opera eorum nolite facere. » Quicunque enim hodie in Ecclesia bene docet, et male vivit, Scriba est et Pharisæus. Sed cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur, tamen propter mala opera, bona prædicatio non est relinquenda. Unde Paulus apostolus dicit : « Sive ex occasione, sive ex B veritate Christus annuntietur, in hoc gaudeo, sed et gaudebo (*Philip.* i).

« Alligant enim onera gravia et importabilia, et « imponunt in humeros hominum, digito autem suo « nolunt ea movere. » Onera gravia et importabilia, præcepta legis fuerunt, quæ propter duritiam Israelitici populi, dura et aspera sunt data, intantum ut nullus ea juxta litteram implere potuisset, sicut Petrus apostolus testatur : « Quid vultis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum et illi (*Act.* xv). » Sed onera gravia et importabilia Scribæ et Pharisæi graviora fecerant, quasdam observationes et superstitiones addentes in lege, ut per hæc simplicem turbam ad suam venerationem inclinarent C sicut eis Dominus alibi exprobat, dicens : « Hypocritæ, quare transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras ? Nam Deus dixit : Honora patrem tuum et matrem. Vos autem dicitis : Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificatis patrem, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras (*Matth.* xv). » Digito autem suo nolunt ea movere, quia non solum majora legis præcepta non observabant, verum etiam minora digito operationis tangere nolebant. De quibus alibi ait : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui tulistis clavem scientiæ (*Luc.* xi). » Sed quia hæc non amore Dei, sed cupiditate laudis humanæ faciebant, recte subjungitur :

« Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab D « hominibus. » Erant enim tales, ut illud audire mererentur, quod Dominus alibi ait : « Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra (*Luc.* xi). » De quibus alibi dicitur : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* vi). » Unde alibi fortiter eos increpat, dicens : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis (*Matth.* xxiii), » et reliqua. Quorum vitia Dominus detegit, cum adhuc subjungit, dicens : « Dilatant enim phylacteria sua et « magnificant fimbrias. » Cum dedisset Dominus legem per Moysen, ad extremum intulit : « Ligabis eam in digitis tuis, et erunt immota ante oculos tuos

et meditaberis in eis die ac nocte (*Deut.* VI). » Et est sensus : Ligabis eam in digitis tuis, id est opere adimplebis. Et erunt immota ante oculos tuos, hoc est jugiter meditaberis in eis. Scribæ ergo et Pharisæi vanæ gloriæ amatores, decem verba legis in membranulis scribebant, et ea frontibus suis circumligabant, ut invicem se salutantes atque obviantes, præceptorum legis recordarentur, et ipsa pictatiola phylacteria vocabant. Jusserat quoque Dominus in lege (*Num.* XV), ut in quatuor angulos palliorum hyacinthinas fimbrias ponerent, ad Israeliticum populum dignoscendum. Scribæ ergo et Pharisæi, avaritiæ sectatores, lucrum de mulierculis captantes, longissimas fimbrias faciebant, in quarum summitatibus acutissimas spinas ligabant, ut in conviviis vel in synagogis sedentes invicem se pungerent, et per hoc legis recordarentur, et qui hoc haberet, religiosior putaretur. Juxta hanc similitudinem fuit illa fimbria Domini, non superstitione pharisaica superflua, sed modica et parva secundum præcepta legalia, quam mulier, quæ duodecim annis fluxum sanguinis passa erat, accedens retro tetigit (*Luc.* VIII), et non est secundum superstitionem Pharisæorum compuncta, sed Domini misericordia sanata. Ad quid autem has et hujusmodi superstitiones invenisset, manifestatur cum subditur :

« Amant autem primos recubitus in cœnis. » Quod pertinet ad ventris ingluviem ; « et primas cathedras in synagogis : » quod pertinet ad inanem gloriam ; « et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi : » quod pertinet ad indebitam reverentiam. Sed eorum vitiis patefactis, Dominus ab eorum imitatione suos compescuit, dicens :

« Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus est enim « magister vester. » Ac si diceret : Vos enim estis electi, qui unum et verum habetis magistrum, illum scilicet, a quo procedit omnis sapientia, et cum quo fuit semper, et est ante ævum, quorum fiducia Deus est, et qui terrena vobis tribuit, ut cœlestia adipisci possitis. Nolite vocari Rabbi, id est magistri, ut honorem ei debitum ad vestram gloriam inflectatis. « Omnes autem vos fratres estis. » In quibus verbis ostenditur, non tantum carnalem, quantum spiritalem nativitatem esse laudandam cum ait : « Omnes enim vos fratres estis. »

« Et Patrem nolite vocare vobis super terram. « Unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec « vocemini magistri, quia magister vester unus est « Christus. » Quibus est enim unus Pater Deus, et una Mater Ecclesia, et una est fides catholicorum, consequenter fratres esse debent, non carne, sed Spiritu, ut unum credant, unum sapiant, unum desiderent, et impleatur in illis quod scriptum est : « Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII). » Quales erant, de quibus alibi dicitur : « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid esse suum dicebat, sed erant illis omnia communia (*Act.* IV). » Unde Apostolus omnes credentes fratres appellat. Et Joannes : « Charissimi, filii Dei sumus (*I Joan.* III). » Quæritur, quare aliqui eos qui sibi præsunt in doctrina vel regimine, patres vel magistros audeant appellare, et maxime in monasteriis, cum Dominus dicat : « Vos autem nolite vocari Rabbi, et patrem nolite vocare vobis super terram ; » et Paulus apostolus magistrum gentium se nuncupet, dicens : « Quandiu sum magister gentium, ministerium meum honorificabo (*Rom.* XI). » Ad quod dicendum, quia aliud est essentialiter esse patrem et magistrum, et aliud nuncupative. Verus namque ille magister et Pater est, qui omnia scit antequam fiant, et cujus sapientia cuncta regit et ordinat. Cæterum sine culpa eos, qui nobis præsunt, magistros vel patres appellamus, quia in hac appellatione reverentiam eorum sanctitati et ætati atque sapientiæ deferimus, non tamen auctores nostræ confitemur naturæ. Sicut enim « nemo bonus nisi solus Deus (*Matth.* X), » et tamen ab ejus bonitate multi boni vocantur : ita unus est Pater qui omnia creavit, et unus Magister qui omnia docuit, tamen ab ejus magisterio vel imitatione multi magistri et patres appellantur. Sed iste, ut diximus, essentialiter, illi vero abusive. Sed quia ad hanc dignitatem, ut magistri vel patres vocentur, non per superbiam, sed per humilitatem ascenditur, recte subditur.

« Qui major est vestrum, erit minister vester. » In quibus verbis illorum superbia retunditur, qui non per vitæ meritum, sed propter temporalem honorem altiorem gradum ascendere cupiunt. Hoc quippe inter sæcularem potentiam et Ecclesiæ humilitatem distat, quia in illis potentia, in istis humilitas eligitur. Et quanto quisque in illis fuerit potentior, eo et reverentior : in istis autem quanto humilior, tanto utique melior. Cum ergo ait : « Qui major est vestrum, erit minister vester, » tale est ac si diceret Dominus : Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare : et factus est inter vos, non quasi recumbens, sed sicut qui ministrat : quanto magis magistri discipulis viam humilitatis debent demonstrare ? scilicet ut quo altiores sunt gradu, eo et humiliores sint exemplo. Quod Dominus alibi ostendere voluit, cum discipulis inter se conquirentibus, quis eorum major esset in regno cœlorum, ait : « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. In vobis autem non sic. Sed qui voluerit esse major, sit omnium minimus : et qui præcessor, tanquam qui ministrat (*Luc.* XXII). » Et iterum : « Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII). » Quam virtutem præbuit, dicens : « Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat ? nonne qui recumbit ? Ego autem in medio vestrum sum tanquam qui ministrat (*Luc.* XXII). » Sicut alibi dixisse legitur : « Vos vocatis me, magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim. Si ergo Dominus et magister vobis lavi pedes, et vos debetis alter alterius lavare pedes (*Joan.* XIII). » Quod proprie illorum est facere, qui magis æternam gloriam,

quam temporalem diligunt vitam. Unde et subditur: « Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui « se humiliaverit, exaltabitur: » Quæritur quare dicat: Qui se exaltaverit, humiliabitur, cum multos videamus in præsenti sæculo exaltatos, et usque in finem ipsorum in ipsa exaltatione permanere: rursum videmus alios in paupertate et egestate, et in ipsa paupertate usque ad exitum animæ consistere. Ad quod dicendum, quia qui se in præsenti sæculo superbe exaltaverit, in futuro humiliabitur: et qui se in hoc sæculo veraciter propter Dominum Christum humiliaverit, in futuro exaltabitur. Sicut ergo inter superbos semper jurgia sunt, sic inter humiles pax et concordia inviolata conservatur. Quoniam qui se humiliant in præsenti, exaltabuntur in futuro, quando illam desiderabilem vocem audire merebuntur: « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* xxv). »

HOMILIA CXXXIV.

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

(MATTH. IX.) « In illo tempore: Ascendens Jesus « in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem « suam. » Et reliqua. Sæpius contingere solet, ut una eademque res in Scripturis duplicem vel triplicem habeat significationem, sicut est navis, quæ aliquando vexillum sanctæ crucis, aliquando sanctam Ecclesiam, aliquando uterum intemeratæ Virginis significat. Vexillum sanctæ crucis, sicut in alio loco legimus: « Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus (*Matth.* VIII): » sanctam Ecclesiam, sicut in psalmo legitur: « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo (*Psal.* CVI). » Uterum intemeratæ Virginis, sicut in hoc loco: « Ascendens Jesus in naviculam. » Quasi enim Dominus spiritaliter navem ascendit, quando ex intemeratæ Virginis utero carnem assumpsit. Transfretavit, quia natus docuit, mirabilia fecit, passus est, et resurrexit, sicut per Petrum apostolum dicitur: « Qui pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo (*Act.* x). » Venit in civitatem suam, id est sanctam Ecclesiam, non quod ad eam veniens suam invenerit, sed quod subveniendo eam suam fecerit. In cujus typo ejus civitas Nazareth dicta est, quæ *munda* vel *custodita* interpretatur, significans Ecclesiam quam sibi elegit non habentem maculam vel rugam: quoniam Dominus mundavit jam Ecclesiam suo sanguine et custodit sua protectione. Cui in amoris Cantico loquitur: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (*Cant.* IV). » Et item: « Una es, amica mea, formosa mea, columba mea, immaculata mea (*Cant.* v, VI). » Quæritur autem quare Matthæus dicat Dominum venisse in civitatem suam, cum Marcus hoc signum sanitatis non in Nazareth quæ ejus civitas dicta est, sed in Capharnaum fuisse referat? Ad quod brevis et facilis patet responsio: quia videlicet Nazareth

A et Capharnaum in Galilæa regione sitæ sunt. Sicut enim tota Galilæa ejus patria est vocata, eo quod ibi sit conceptus vel nutritus, unde et Galilæus appellatur, sic non solum Nazareth, sed etiam Capharnaum, quæ in Galilæa sita est, ejus civitas intelligi potest. Nihil enim Matthæus et Marcus inter se discordant, cum unus ipsum nomen posuit, alter vero in civitatem suam absolute dixit. Vel certe Capharnaum ejus civitas dici potest, non quod in ea natus vel nutritus sit, sed quod eam miraculis illustraverit. Rursum quæritur, quare navim ascenderit? Nunquid non poterat super undas maris ambulare, qui quondam Petro præstitit, ut super undas maris ambularet (*Matth.* XIV)? Aut non poterat coram suis vestigiis mare siccare, qui coram filiis Israel egre-
B dientibus ex Ægypto mare Rubrum siccavit, et eos transire per siccum fecit (*Exod.* XIV)? Poterat utique; sed ideo navem ascendit, ut omnia quæ hominis sunt agens, verum hominem pro nostra salute se venisse demonstraret.

« Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto jacen- « tem. » Paralysis non solum gravissima, sed etiam acutissima est passio, quæ subito ut hominem attigerit, ad omne opus inutilem efficit. Fit autem dum calor naturæ vel sanguinis in frigus versus, naturales meatus venarum præcludit, in tantum ut si totum hominem attigerit, invalidum reddat; si autem quodlibet membrum arripuerit, inflexibile et inutile faciat. Ergo per paralyticum quilibet peccator designatur, qui a calore divini amoris recedens, in tepore vel frigore iniquitatis convertitur, in tantum ut si ali-
C quando gravissima mala perpetret, nec ea velut minima pertimescat, qualibus per prophetam dicitur: « Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit stultus malitiam suam (*Jer.* VI). » Lectus in quo paralyticus portabatur, vel corpus hominis peccatis assuetum, vel conscientiam desperatam significat. Illi autem qui paralyticum Domino ad curandum obtulerunt, doctores et magistros Ecclesiæ significant. Offerunt enim paralyticum Domino ad sanandum ecclesiastici viri, quando peccantem verbis corrigunt, et orationibus juvant, ut ab ipsis peccatis resipiscat. Qui bene, Marco narrante, quatuor fuisse referuntur, quia quatuor sunt libri sancti Evangelii, in quibus omnis prædicantium doctrina non solum instruitur, sed etiam roboratur. Sed quia
D omnis, qui alienas animas suscipit regendas, non terrenis desideriis inhærere debet, sed cœlestia concupiscere, recte hi qui paralyticum Domino ad curandum obtulerunt, juxta alium evangelistam, non invenientes qua parte eum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. Omnis namque anima quæ a paralysi suæ iniquitatis vult liberari, necesse est ut turbas dæmonum et tumultus vitiorum repellat, et sublimia appetat. Tectum quippe ascendit, qui terrena contemnens cœlestia concupiscit. Per tegulas autem infirmum ante Dominum ponit, cum humanæ fragilitatis memor, sic contra

peccantes irascitur, ut pœnitentibus compatiatur. Vel certe hi, qui paralyticum Domino ad curandum obtulerunt, recte quatuor fuisse memorantur: quia quatuor sunt principales virtutes, de quibus in æternæ sapientiæ laude canitur, sobrietas et sapientia, justitia et virtus: quas nonnulli versis nominibus, prudentiam, temperantiam, fortitudinem et justitiam appellant, quibus, ut ait Scriptura, nihil est utilius in vita hominis. Prudentia enim est Deum cognoscere et ejus voluntatem intelligere. Quæ quam necessaria et utilis sit virtus, Dominus manifestat cum discipulis ait: « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* x). » Qualis est ista prudentia, si fortitudo desit? Scire enim bonum et non posse facere, magis pœna est quam virtus. Addatur ergo ad prudentiam fortitudo, ut bonum quod per prudentiam cognoscitur, per meriti fortitudinem infatigabiliter teneatur, Scriptura dicente: « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino (*Psal.* xxx). » Porro fortitudo tunc laudabilis erit, si justa fuerit: quoniam fortiter agere, et non juste, non virtus est, sed vitium: multi enim fortiter agunt in prœliis, in luctaminibus, in oneribus portandis, sed quia non juste faciunt, talis fortitudo non virtuti, sed vitio deputatur. Addatur autem ad fortitudinem justitia, ut quod justum et rectum est, et opere servetur, et memoria teneatur, Scriptura monente: « Diligite justitiam, qui judicatis terram (*Sap.* I). » Tunc enim justitia Deo accepta et dulcis erit hominibus, si discreta et temperata fuerit, quia bona virtus, quæ sine temperantia agitur, frequenter in vitium vertitur. Unde Scriptura admonet: « Ne sis multum justus, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas (*Eccle.* VII). » Addatur ergo ad justitiam temperantia, id est discretio, quæ, ut ait Scriptura, mater est omnium virtutum, ut in ipso bono opere non sit aliquis nimius vel superfluus, sed discretus et temperatus: quia frequenter virtus, quæ sine observatione agitur, in vitium convertitur. Et quia has quatuor virtutes habere debet, qui suam ac alterius animam Deo offerre vult, recte hi, qui paralyticum Domino ad sanandum obtulerunt, quatuor fuisse narrantur. Sed ne cuiquam impossibile videatur, unum eumdemque hominem has quatuor virtutes simul habere posse, ex multis qui eas et opere servaverunt, et sermone docuerunt unum in medium libet deducere, videlicet sanctum Abraham patriarcham. Ipse vero prudentiam habuit, qui cæteris a cultura Dei aberrantibus, creatorem suum Deum credidit et cognovit: quia sicut insipiens est, qui dicit in corde suo: « Non est Deus (*Psal.* XIII): » sic prudens qui cognoscit Deum. Addidit autem ad prudentiam justitiam, quand ollius præceptis, quem Deum cognovit. absque ulla mora obedivit, exiens de terra sua, et de cognatione, et de domo patris sui. Unde Scriptura ipsa protinus subjunxit, dicens: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (*Gen.* xv). » Sed iste tam prudens, tam justus, quam fortis sit videamus, Cum enim senex ex dilecta conjuge unicum filium per repromissionem accepisset, audivit a Domino (*Gen.* XXII): « Tolle filium tuum quem diligis Isaac, et offeres eum mihi in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. At ille de nocte consurgens, stravit asinum suum, etc. » Et iterum: « Cumque die tertio, elevatis oculis, vidisset locum procul, dixit pueris suis: Exspectate hic cum asino, ego et puer illuc usque properantes, potsquam adoraverimus, revertemur ad vos. » Cumque ad locum perveniens, altare ædificasset, et colligatum puerum super struem lignorum imposuisset, non parvum dolorem et angustiam in corde sustinuisse credendus est, non tantum pro morte dilecti filii, sed etiam timens et verens ne puer teneræ ætatis cum dolore mortis saltem contra Deum in corde murmuraret; sed magnum dolorem major fortitudo vincebat. Sed iste tam prudens, tam justus, tam fortis, quam discretus et temperatus sit aspiciamus. Cum enim jamjam immolaturus filium, gladium evaginatum in manibus teneret, audivit à Domino: « Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam. » At ille discretus et temperatus, sicut fuit fortis in immolando, sic factus est temperatus in relinquendo. Unde divina voce meruit consolari, cum protinus audivit: « Nunc cognovi quod timeas Deum, eo quod non peperceris filio tuo unigenito propter me. Benedicens benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli (*Gen.* XXII). » Hæc de operibus Abrabæ breviter commemorare libuit, ut intelligamus et nos has quatuor virtutes habere posse, si eas a Deo postulare non pigeat.

« Videns autem Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. » Hic considerandum est, quantum unumquemque propria fides adjuvet, ubi tantum profuisse aliena monstratur. Non enim ait evangelista: Videns Jesus fidem illius qui offerebatur, sed illorum qui offerebant. Paralyticus enim quia per se venire non poterat, alienis manibus deportatur, aliena fide sanatur. Unde intelligere possumus quia sunt nonnulli in Ecclesia, qui etsi suis meritis non salvantur, tamen aliorum intercessione salvari merentur. Ubi non solum Domini adoranda potentia ostenditur, sed ejus humilitas veneranda, atque pro viribus imitanda declaratur. Multum namque distat inter superbiam Judæorum et Domini humilitatem. Infirmum enim et totis membrorum compagibus dissolutum, quem Scribæ et Pharisæi non solum tangere, sed etiam vix respiscere dignabantur, Dominus non solum ab infirmitate curavit, sed etiam filium vocavit, dicens: « Confide, fili. » Fides quoque operibus exornata, magna est virtus, sicut ait Jacobus apostolus: « Fides sine operibus mortua est (*Jac.* II), » et « sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI). » Quam Dominus discipulis commendans ait. « Si habueritis fidem sicut granum sinapis (*Luc.* XVII). » Et pulchre filium appellat quem a peccatis liberavit; nimirum ut qui ante fuerat filius malitiæ et nequitiæ et filius diaboli,

post peccata dimissa factus est filius Dei. Sequitur: « Remittuntur tibi pecca tua. » Notandum autem, quia prius ejus peccata dimittuntur, et sic sanitas corporis tribuitur. Sed cum prius peccata dimisit ut diximus, et postmodum sanitatem tribuit, ostendit propter peccata plerisque hominibus infirmitates accidere. Quinque enim modis divina flagella homines in præsenti vita tanguntur. Alii propter solam probationem flagellantur, qualis fuit Job et Tobias, quorum patientia cum sibiipsis et Deo tantummodo esset cognita, ideo flagellati sunt ut probatiores fierent et eorum patientia ad aliorum exemplum perveniret. Alii, ut curantis virtus glorificetur, qualis fuit ille cæcus de quo cum discipuli Dominum interrogassent (*Joan.* IX). « Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? » audierunt: « Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. » Alii ob humilitatis custodiam, ne se de acceptis virtutibus extollant, flagellantur, quod Paulo apostolo contigit, qui de seipso ait: « Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, ut me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi. ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.*. XII). » Alii propter enormitatem scelerum flagellantur, ut hic pœnas experiri incipiant quos in futuro passuri sunt, qualis fuit Herodes rex et Nabuchodonosor, Antiochus et Pilatus, et cæteri tales, de quibus scriptum est: « Duplici contritione conters eos Domine (*Jer.* XVII). » Alii propter præterita peccata remittenda flagellantur, qualis fuit ille languidus qui jacebat ad piscinam Siloe, cui, post peccata dimissa, a Domino dictum est: « Ecce sanus factus es. jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (*Joan.* V); » qualis fuit et iste paralyticus de quo nunc sermo agitur, cui non solum peccata dimissa sunt, sed etiam sanitas corporis restituta est.

« Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: « Hic blasphemat. » Morem suum servaverunt Scribæ, cum non ob amorem, sed propter invidiam Dominum sequebantur; ut cum reprehendere possent. scientes visibile miraculum quod factum erat se negare non posse, quod invisibiliter peccata dimitteret, blasphemias dicebant. Unde, secundum Marcum evangelistam, indignantes dixisse leguntur: « Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? » (*Marc.* II.) In his verbis verum dicebant, quia nullus peccata, nisi solus Deus dimittere potest, qui ait per prophetam: « Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me (*Isa.* XLIII), et cætera. Quem secutus Psalmista dixit: « Secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam (*Psal.* L). » Et: « Amplius lava me ab iniquitate mea (*Ibid.*). » Sed multum errabant, cum eum, qui invisibiliter peccata dimittere potest, præsentialiter videntes, Deum credere nolebant. Sed quia etiam ingratis beneficium præstare oportet, primum Dominus ad co-

A gitationes blasphemantium respondit, ac deinde miraculum sanitatis ostendit, Unde et subditur:

« Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: « Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? » In quo facto Dominus blasphematoribus suis, quod Deus credendus esset, manifeste declaravit. Sicut enim solus Deus peccata dimittere potest, sic solus cogitationes hominum intueri valet, Scriptura dicente: « Tu solus Deus cogitationes hominum nosti (*II Par.* VI). » Et: « Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor (*I Reg.* XVI). » Ac si diceret: Eadem divinitatis potentia, qua vestras cogitationes intueor, possum non solum paralytico, sed etiam cunctis pœnitentibus peccata dimittere. Adhuc autem ex vestris cogitationibus intelligite quid paralyticus iste consequatur.

B « Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata « tua, an dicere: Surge et ambula? Inter dicere et facere apud homines magna distantia est, apud Deum autem nulla, cui dixisse, fecisse est. « Dixit enim, et facta sunt; mandavit, et creata sunt (*Psal.* XXXII). » Quod autem ei peccata dimissa essent, ipse noverat qui dimittebat. Quod vero surgeret et ambularet, tam ille qui surgebat, quam illi qui surgentem videbant, noverant. Sed valde cæci erant Scribæ et Pharisæi, qui per corporale miraculum spiritale non intelligebant: et cum vidissent paralyticum mundatum, peccata dimissa esse non credebant. Fit ergo signum corporale, ut probetur spiritale, quia secundum Apostolum linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus: et ne invisibiliter peccata

C animæ dimissa dubitarent, visibilis sanitas paralytico restituta est. Unde subjungens dixit:

« Ut autem sciatis quoniam filius hominis habet « potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait « paralytico: Surge, tolle lectum tuum. » Idem enim est Filius Dei et filius hominis; et idem est filius hominis qui est Filius Dei, ex substantiis duabus et una persona. Et quia filius hominis a Filio Dei assumptus est, potestatem habet in terra dimittendi peccata, juxta quod ipse alibi ait: « Potestatem dedit ei Pater judicium facere, quia filius hominis est (*Joan.* V). » Et iterum: « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Ibid.*). » Frequentius tamen filium hominis quam Filium Dei se maluit appellare, propter virtutem humilitatis insi-

D nuandam. Curato ergo paralytico recte dicitur: « Surge, tolle lectum tuum, etc. »

« Et surrexit, et abiit in domum suam. » Jam superius per paralyticum peccatricem animam diximus figurari, cujus lectum carnem peccatis assuetam diximus esse. Recte namque dicitur: « Surge, » quia omnis pœnitens, si veniam vult consequi, primum ab iniquitate, in qua jacuit, resurgere debet, ut est illud Apostoli: « Surge. qui dormis et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Eph.* V). » Non solum autem paralyticus surgere, sed etiam lectum portare jubetur, quia non solum anima a peccatis quiescere debet, sed etiam caro quæ vitiis mancipata

fuit, virtutibus servire debet, juxta Apostolum: «Ut sicut exhibuit membra sua servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita eadem exhibeat servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* VI). » Quasi enim paralyticus lectum portat, quando peccator post conversionem carnem suam crucifigit, mortificando membra sua, quæ sunt super terram, et secundum Apostolum: « Crucifigit carnem suam cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V). » Cujus enim anima Deum perfecte videre desiderat, dignum est ut etiam ejus caro virtutibus se subdat, illius exemplo qui ait: « Sitivit in te anima mea, quam multipliciter et caro mea (*Psal.* LXII). » Et iterum: « In Deo speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea (*Psal.* XXVII). » Et rursum: « Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum (*Psal.* LXXXIII). » Domus ad quam post curationem ire jubemur, paradisus est. Ad hoc vero conditi fueramus, ut si primus homo non peccasset, absque ulla incorruptione in eo permaneremus, sed quia peccando ab illa recessimus, æquum est ut pœnitendo ad illam redeamus. Ad quam ardentissimo amore pervenire optabat ille, qui dicebat: « Unam petii a Domino, hanc requiram (*Psal.* XXVI). » Et iterum: « Introibo in domum tuam, Domine, adorabo ad templum sanctum tuum (*Psal.* V). » Et rursus: « Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei (*Psal.* XLI). » In hac domo tanto quisque mansionem inveniet ampliorem, quanto in præsenti vita justius vixerit, ipso Domino dicente: « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). »

« Videntes autem turbæ timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. » In hoc loco declaratur quantum inter doctam malitiam et sanctam simplicitatem distet. Scribis enim Deum blasphemantibus, turbæ, quæ minus eruditæ erant, ejus opera videntes, cum timore et admiratione glorificaverunt Deum. Sed et hoc quotidie fit in Ecclesia in conversione peccatorum, quia dum quilibet facinorosus publice ad Deum convertitur, et per pœnitentiam curatur, multi in ejus conversione immensam Dei pietatem glorificant. Juxta superiorem sensum turbæ quæ timent, immundi spiritus intelligi possunt, qui videntes peccatores per Domini incarnationem de sua potestate eripi, timore et admiratione concussi sunt. Unde et per obsessum hominem loquebantur: «Quid nobis et tibi, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos (*Matth.* VIII). » Et ut evangelista ait: « Multum rogabant eum dæmonia ut non eos mitteret in abyssum (*Luc.* VIII). »

HOMILIA CXXXV.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

(MATTH. XXII.) « In illo tempore. Loquebatur Jesus « cum discipulis suis in parabolis, dicens: Simile « factum est regnum cœlorum homini regi qui fecit « nuptias filio suo et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. » Et reliqua. Cum frequenter regnum cœlorum in Evangelio nominatur, non incongrue semper unam eamdemque habet significationem, sed aliquando cœlestem Dominum Jesum Christum, aliquando doctrinam sancti Evangelii, aliquando cœlestem patriam, aliquando præsentem significat Ecclesiam. Dominum Jesum Christum, sicut ipse ait: « Regnum Dei intra vos est (*Luc.* XVII). » Doctrinam sancti Evangelii, sicut ipse Judæis hanc recipere nolentibus dixit: « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). » Cœlestem patriam, ut est illud: « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » Sanctam Ecclesiam, sicut alibi ait: « Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum (*Ibid.*). » Ergo in hoc loco regnum cœlorum præsentem significat Ecclesiam, id est congregationem justorum, in qua Dominus non solum regnat, sed etiam quiescit, sicut scriptum est in Salomone: « Anima justi, sedes sapientiæ. » Sunt nonnulli, qui hanc eamdem lectionem esse putant, quam Lucas sub appellatione cœnæ descripsit, sed quædam inter se diversa continere videntur: quia ibi cœna, hic prandium nominatur: ibi nullus qui intravit, egressus legitur: hic qui cum veste nuptiali non intraverat, cum magno dedecore expulsus narratur. Nam quamvis consuetudo antiquis fuerit, semel in die prandere, et hoc convivium et prandium et cœna vocaretur, apud nos tamen usitatius post prandium cœna restat, post cœnam vero nullum convivium remanet. Unde per illam cœnam Ecclesia figuratur, qualis erit in futuro: per hoc vero prandium, qualis est in præsenti. Homo iste rex spiritaliter Deus omnipotens est, Filius ejus Dominus Jesus Christus, de quo per Psalmistam dicitur: « Deus, judicium tuum regi da (*Psal.* LXXI), » etc. Qui fecit nuptias filio suo, quando per incarnationis mysterium ei sanctam Ecclesiam sociavit, non habentem maculam neque rugam, de qua per Apostolum dicitur: « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI). » In nuptiis vero duo junguntur, sponsus et sponsa. Sponsus enim Christus est, de quo per Joannem dicitur: « Qui habet sponsam sponsus est (*Joan.* III). » Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Sponsa sancta Ecclesia est, cui per prophetam dicitur: « Sponsabo te mihi in justitia et veritate (*Ose.* II). » De his nuptiis Joannes in Apocalypsi loquitur dicens: « Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt (*Apoc.* XIX). » Et iterum: « Vidi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo (*Apoc.* XXI). » Thalamus hujus sponsi, uterus genitricis fuit, de quo ad conjungendam sibi Ecclesiam, velut sponsus de thalamo suo processit. Unde cum Apostolus exponeret testimonium, quod primo homini dictum fuerat: « Propter hoc relinquet homo patrem et ma-

trem, et adhærebit uxori suæ, » et reliqua, continuo adjecit : « Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Ecclesia et in Christo (*Ephes.* v ; *Gen.* II.) »

« Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias. » Si servum legerimus, ut nonnulla habent exemplaria, Moysen intelligere debemus ; si autem pluraliter servos, patriarchas et prophetas accipere possumus. Misit ergo servos vocare invitatos ad nuptias, quia incarnationis suæ mysterium per patriarchas et prophetas longe ante dicere voluit : qui plurimos ad Christi nuptias vocaverunt, quia per Spiritum sanctum adventum Christi prævidentes aliis annuntiaverunt. Sed valde dolendum est quod subdidit : « Et nolebant venire. » Et pulchre dicitur : « Nolebant venire. » Quia plurimi per prophetas annuntiatum audierunt, sed tamen venturum minime crediderunt. Offert Deus quod rogari debuerat, non rogatus dare paratus est, quod vix credi potuit, ut largiri dignaretur etiam postulatus. Sed reprobi ad nuptias venire nolunt, quia ejus jussionibus per multa opera contradicunt. Quia sunt nonnulli qui non solum ea quæ sibi conveniunt, a Deo non postulant, verum etiam oblata sibi accipere renuunt. Nec tamen divina pietas contemnentes se contemnit, cum ad eos, qui venire nolebant, iterum misit alios servos. Servi, qui secundo mittuntur, apostoli sunt intelligendi, qui post Domini incarnationem ad prædicandum Evangelium sunt missi. Qui tanto securius adventum Christi annuntiaverunt, quanto ab ipso ore veritatis uberius Verbum divinum audierunt. Sed quia plerumque apud auditorum mentes plus exempla quam verba proficiunt, recte in secunda invitatione dicitur :

« Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, « tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata, « venite ad nuptias. » In tauris et altilibus utriusque Testamenti sanctos Patres accipimus, Veteris scilicet ac Novi. Taurus enim erectæ cervicis est animal, cornua in capite gerens, quibus se defendat et minora animalia terreat. Unde et per tauros non incongrue Patres Veteris Testamenti accipimus, qui dum ex promissione legis acceperant, ut Dei suosque inimicos corporaliter ferirent, quasi in capite cornua gestabant. Sed in præparatione nuptiarum tauri occisi sunt, quia cum incarnationem Christi Patres Veteris Testamenti prædicerent, nonnulli interfecti sunt : alii secti, ut Isaias ; alii lapidati, ut Jeremias. Altilia autem dicta sunt quasi alitilia, quæ nos vulgari locutione manu pasta, id est saginata appellare consuevimus. Ergo per altilia apostoli eorumque successores figurantur, qui dum terrenas divitias contemnere, et cœleste regnum amare didicerunt, quasi altilia penna contemplationis sese ad alta sustollere noverunt, dicentes cum Apostolo : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* III). » Qui cum ab ipsius Domini ore doctrinæ pabulum acceperunt, quasi manu pasti sunt, tantoque brevius spirituali pinguedine sunt saginati, quanto manifestius et perfectius ejusdem Spiritus sancti dono sunt repleti, ut cum Psalmista dicere possint : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII). » Et iterum : « Impinguasti in oleo caput meum (*Psal.* XXII.) » Sed in præparatione nuptiarum Christi cum tauris altilia sunt occisa, quia Patres Novi Testamenti pro prædicatione Evangelii corporaliter interierunt. Alii crucifixi sunt, ut Petrus ; alii decollati, ut Paulus ; alii lapidati sunt ut Stephanus ; alii igne cremati, ut Laurentius ; alii lacerati, et secundum Apostolum : « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis (*Hebr.* XI) : » Omnem autem occasionem excusandi aufert rex, cum dicit : « Omnia parata. » Omnia enim parata sunt, quia ille singularis agnus occisus est, in cujus figura omnia præcesserunt. Sive certe omnia parata sunt, quia nullum exemplum virtutis est sanctorum, quod ad nostram imitationem in operibus eorum manifestatum jam non sit. Jam enim innocentiam Abel audivimus, obedientiam Abrahæ, castimoniam Isaac, tolerantiam Jacob, mititiam Moysi, misericordiam David, patientiam Job audivimus, et finem Domini vidimus. Sed reprobi omnes, dum terrenis divitiis acquirendis studiose inhiant, non solum servorum Dei exempla imitari contemnunt, sed etiam ipsius Domini verba invitantis audire negligunt. Unde et subditur :

« Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in vil« lam suam. » Quid per villam, nisi terrena substantia designatur ? Ad villam quippe vadit qui terrena et superflua diligens, cœlestem patriam non requirit. Cumque naturalem intellectum non in servitio Dei, sed in terrenis commodis occupat, non solum ad villam, sed etiam ad negotiationem suam pergit. Unde bene subditur : « Alius vero ad nego« tiationem suam. » Quid per negotiationem, nisi calliditates et ingenia figurantur ? In negotiatione vero hoc agitur, ut quod vilius emitur, carius venundetur. Quicunque ergo arte vel ingenio injusta lucra appetit, quasi ad negotiationem pergens, ad nuptias Dei venire contemnit. De talibus sine dubio ait Apostolus : « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, quæ mergunt hominem ad interitum et perditionem (*I Tim.* VI). » Et quisquis his deditus fuerit, necesse est ut non solum mendacia, verum etiam perjuria incurrat. Qui autem eis deseruerit, ad nuptias Christi, ut diximus, venire contemnit. Unde Apostolus ait : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut placeat illi cui se probavit (*I Tim.* II). » Et Jacobus : « Qui voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur (*Jac.* IV). »

« Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contume« lia affectos occiderunt. » Inter eos qui verbum Dei audire negligunt, et eos qui nuntios persequuntur, magna distantia est. Sunt nonnulli qui nec verbum Dei audire dignantur, et sunt alii qui verbum Dei audiunt, sed opere implere contemnunt. Sunt alii etiam qui non solum verbum Dei despiciunt, sed etiam prædicatores verbi odiis et gladiis persequun-

tur. Illi vero districte damnandi sunt qui verbum Dei non audiunt : sed illi districtius qui auditum implere negligunt. Quia sicut Dominus ait in Evangelio : « Servus nesciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit paucis ; sciens autem et non faciens digne, plagis vapulabit multis (*Luc.* XII). » Severius namque illi adhuc judicandi sunt qui manus a persecutione prædicatorum continere non possunt. Unde et subditur :

« Rex autem cum audisset, iratus est, et missis « exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civita- « tem eorum succendit. » Quæ similitudo, si specialiter ad populum Judæorum referatur, manifeste patet quia servos Dei contumeliis affecerunt, quando, sicut ait liber Actuum apostolorum : « Ibant gaudentes discipuli a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V). » Stephanum quoque lapidaverunt, et Jacobum Justum præcipitantes de pinnaculo templi, occiderunt (*Act.* VII). Quod cum audisset rex, illis in malitia perseverantibus, mittens duos Romanorum principes cum exercitibus suis : Vespasianum scilicet et Titum, patrem utique et filium, perdidit homicidas illos; civitatem quoque illorum, id est præcipuam Jerusalem igne succenderunt, ita ut, juxta Domini vocem, « non sit relictus in ea lapis super lapidem (*Marc.* XXIII). » Si autem generaliter hæc parabola ad omnes reprobos referatur, datur intelligi quia non solum in animabus, sed etiam in corporibus damnandi sunt, qui verba invitantis Dei audire negligunt. Exercitus enim regis nostri angelici sunt spiritus, unde Dominus sabaoth, id est Dominus exercituum dicitur. De quibus ait Daniel : « Millia millium ministrabant ei (*Dan.* VII), » et reliqua. Missis ergo exercitibus suis, perdidit homicidas illos, quia omne judicium in hominibus per angelos suos impleturus est, sicut ipse ait in Evangelio : « Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et mittent ea in caminum ignis ardentis (*Marc.* XIII). » Civitas namque reproborum propria sunt illorum corpora: quia sicut ad tempus homo in civitate manet, ita anima inhabitat in corpore. Non solum ergo homicidæ perduntur, sed etiam civitas succenditur, quia usque ad judicium reprobi in animabus, et post judicium etiam cum corporibus damnabuntur. Sed quia superius hunc regem Dei omnipotentis speciem tenere diximus, quæritur quomodo iratus dicatur, cum in natura Dei nulla ira, nulla mutabilitas cadat, teste Psalmista, qui ait: « Deus judex justus, fortis et patiens, nunquid irascitur per singulos dies ? » (*Psal.* VII.) Ad quod dicendum quia multis in locis Scriptura sacra more nostro loquitur, ut occulta Dei judicia per visibiles res intelligantur. Sicut enim rex terrenus iratus dicitur, quando in subjectis vindictam exercet, sic Deus omnipotens illis iratus videtur, quos justo judicio propter peccata damnat et punit : cæterum in sua natura semper immutabilis, semperque tranquillus permanet. Cui per quemdam sapientem dicitur : « Tu autem, Domine sabaoth, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos (*Sap.* II). » Et per prophetam : « Ego sum Deus, et non mutor (*Mal.* III). »

« Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ « sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite « ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, « vocate ad nuptias. » In his verbis Domini manifeste Judæorum repulsio, et gentium vocatio designatur. In via enim quondam Judæi stabant, quando Deum cœli cognoscentes, legalia præcepta observabant. Sed Domino veniente in carne, hi qui invitati erant non fuerunt digni, quia non credendo in eum, quem promissum habebant, fecerunt se esse indignos. Sed nunquid quia Judæi venire nolunt, locus nuptiarum Dei vacuus remanebit ? Absit. Nam protinus servi ad gentium vocationem mittuntur, cum dicitur: « Ite ergo ad exitus viarum. » De exitibus ergo viarum gentilis populus vocatus est, quando, nullam Dei cognitionem habens, ad idolorum cultura ad credulitatem Dei adductus est. Sed quia non ad solos Judæos hanc parabolam, sed ad nos pertinere credimus, sicut vias actiones accipimus, sic exitus viarum defectus dicimus actionum. Sunt enim nonnulli qui non facile ad Deum convertuntur, nisi prius prosperitas hujus sæculi eis deficiat, sicut scriptum est : « Et tantummodo vexatio intellectum dabit auditui (*Isa.* XXVIII). » Et Psalmista : « Cum occideret eos, quærebant eum (*Psal*, LXXVII), » et cætera. Frequenter enim nonnulli divinis flagellis percussi ad salutem redeunt, qui si in prosperitatibus sæculi permansissent, utique perirent, quibus per prophetam dicitur: « Virga et flagello castigaberis, filia Sion, ut non discedat zelus meus a te (*Ezech.* XXIII). » Tales significavit ille puer Amalechites, de quo in Regum libris legitur (*I Reg.* XXX) : quia Amalechitis fugientibus, infirmus in via remansit, quem David persequens, Amalechitas reperit, eique cibum et potum tribuit, atque postea ducem sui itineris fecit. Amalechites autem, qui *lambens populus* interpretatur, mundi significat amatores, qui alienis divitiis locupletari, et extraneis facultatibus cupiunt augeri. Cumque nonnulli electi cum talibus præsentis vitæ cursum communem ducere desiderant, misericordissima Dei bonitate, aut flagellis atteruntur, aut paupertate attenuantur, aut aliqua necessitate constringuntur, ut etiam nolentes ad Deum convertantur. Tales non de viis, sed de exitibus viarum ad Domini nuptias vocantur, quibus convenit, quod per Osee prophetam dicitur : « Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria: et sequeris amatores tuos, et non apprehendes eos : quæres, et non invenies eos, et dices : Revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc (*Ose.* II). »

« Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt « omnes quos invenerunt, malos et bonos, et imple- « tæ sunt nuptiæ discumbentium. » In quibus verbis manifeste ostenditur, quia, sicut superius diximus, per has regis nuptias præsens Ecclesia significatur.

Ecce enim dicitur: « Egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos. » Boni namque soli nusquam sunt, nisi in cœlo: mali soli nusquam, nisi in inferno. Præsens autem Ecclesia, quæ inter cœlum et infernum consistit, utriusque partis cives recipit: quia multi per fidem in Ecclesiam intrant, qui per vitæ meritum in regnum cœlorum minime intrare possunt, de quibus per Prophetam dicitur: « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX). » Nec mirum si reprobi super numerum multiplicantur, cum inter multitudinem palearum grana tritici salvantur, et rosa quæ redolet, inter spinas quæ pungunt, nasci soleat.

« Intravit autem rex ut videret discumbentes. » Discumbere in nuptiis est fide in Ecclesia quiescere, sicut Dominus alibi dicit: « Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII). » Quotidie autem iste rex ad suas nuptias intrat, quia Deus omnipotens actus moresque hominum subtili examine dijudicat, et qua intentione quisque vivat, pensat: et si aliquem bonis operibus viderit esse adornatum, hunc quasi spiritalem convivam secum sedere et convivari gaudet. Solet autem contingere, ut talis in Ecclesia inveniatur, qualis et iste fuit, de quo adhuc subditur: « Et vidit hominem ibi, non « vestitum veste nuptiali, et ait illi: Amice, quo« modo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? » Quæritur autem quæ sit vestis nuptialis a, sine qua quisquis Ecclesiam intraverit, non recipietur ad convivium, sed cum magno dedecore ejicietur. Vestem nuptialem non recte fidem intelligere possumus, quia sine illa Ecclesiam intrare non valemus. Nam et baptismum vestem nuptialem non accipimus, quia sine illo Ecclesiam non intramus. Fiducialiter ergo, et absque ulla contradictione, vestem nuptialem intelligamus charitatem, sine qua quisque in vacuum Ecclesiam intrat, etiamsi rectam fidem se habere simulat. Recte ergo vestem nuptialem intelligimus charitatem; quia sicut ves is duobus filis texitur, superiori et inferiori, sic charitas duobus præceptis impletur, dilectione Dei videlicet et proximi. Filum ergo inferius, dilectionem proximi: filum superius, dilectionem significat Dei. Minus enim, quam inter duos haberi charitas non potest, quia nec vere diligimus Deum sine proximo, nec vere proximum sine Deo diligere possumus. Unde inter cætera ornamenta in veste pontificis coccus bis tinctus poni præcipitur (*Exod.* XXIII), ut scilicet in nostro bono opere charitas geminetur, ut diligamus Deum toto corde, tota anima, tota mente, et proximos sicut nosmetipsos, sicut Joannes apostolus ait: « Filioli, hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. Et qui dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est (*I Joan.* IV). » Vel certe aliter per vestem nuptialem recte

A charitas figuratur, quia sicut vestis plurimis filis contexitur, sic charitas diversis virtutibus adornatur. Ex ipsa enim nascitur prudentia, eleemosynarum largitas, hospitalitas, inimici dilectio, et cætera his similia. Si quis vult scire quibus filis vestis charitatis contexitur, legat Paulum apostolum, qui cum dixisset: « Si linguis hominum loquar et angelorum, et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, et si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII); » continuo ejusdem charitatis membra enumeravit, dicens: « Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non

B agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet, charitas nunquam excidit (*Ibid.*). » Sive aliter recte charitas vestis nuptialis est, quia sicut vestis non solum nuditates corporum operit, sed etiam decorem tribuit, sic charitas non solum cæteras virtutes generat, vel multitudinem peccatorum operit, sed etiam ornat, Domino dicente: « Omni habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo (*Matth.* XXV). » Et Apostolus: « Nunc manet, fides, spes, charitas (*I Cor.* XIII). » Mirum autem quomodo amicum vocat, quem cum tanta confusione a convivio repudiat. Ad quod dicendum, quia tropice loquens, per antiphrasin, id

C est per irrisionem amicum appellat, qui non meretur diligi. Ac si diceret: Amice, et non amice. Amice per fidem, sed non amice per operationem. Amice, quia ad nuptias venisti: sed non amice, quia vestem nuptialem non attulisti.

« At ille obmutuit. » Increpatus a rege is qui sine veste nuptiali nuptias intraverat, obmutuit, quia in illa discussione districti examinis, nec fugiendi, nec mentiendi, nec cuiquam se occultandi locus erit, quando non solum Dei præsentia, et angelorum atque sanctorum multitudo testis erit, sed etiam ipsa conscientia peccatrix semetipsam, cur peccaverit, accusabit, teste beato Job, qui ait: « Et terra adversum me clamat (*Job.* XXXI). » Unde in persona Judæ proditoris, sive cujuslibet impii dici-

D tur: « Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra adversus eum consurget, et manifestum erit peccatum illius in die furoris Domini (*Job.* XX). » Hanc quippe districtionem considerabat Propheta, cum dicebat: « Neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus (subauditur locus fugiendi erit) quoniam Deus judex est (*Psal.* LXXIV). » Quid autem post hæc sequatur, manifestatur cum subditur:

« Ligatis pedibus et manibus, mittite eum in te« nebras exteriores. » Si quis autem vult scire qui-

a Hæc cum judicio legantur: videtur subesse mendum, tametsi archetypa concordent.

bus funiculis peccatorum manus et pedes ligentur in pœna, Salomon manifestat, cum ait : « Funiculis peccatorum suorum unusquisque constringetur (*Prov.* v). » Et Psalmista de ipsis loquitur : « Funes peccatorum circumplexi sunt me (*Psal.* CXVIII). » Funis enim torquendo componitur, ut longior efficiatur : et quicunque peccatis peccata addunt, quasi funem faciunt, quo in pœna ligentur. Quibus Isaias terribiliter clamat : « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi funiculum plaustri peccatum ! » (*Isa.* v.) Ministri isti immundi sunt spiritus intelligendi, de quibus per Psalmistam dicitur : « Immissiones per angelos malos (*Psal.* LXXVII). » Ligatio pedum vitia et peccata significant. Quisquis autem hic ligatas habet manus vel pedes, ne bonum operetur, ne viam mandatorum Dei currat, necesse est ut illic ligatas habeat manus vel pedes : et qui undique se dilatavit in malo opere, undique constringatur in retributione vindictæ. Digne vero peccatoris manus et pedes ligantur in pœna, quos hic habuit solutos ad culpam. Cum tenebræ semper sint interiores, et nunquam exteriores, cur iste in tenebras exteriores mitti dicitur ? Ad quod dicendum, quia tenebræ interiores cæcitas est mentis : exteriores vero, pœna infernalis. Justum igitur est ut post mortem in exteriores tenebras mittatur qui, dum viveret, in interioribus tenebris, id est, in cæcitate mentis se conclusit. Quid autem ibi missus patiatur, manifestatur cum subinfertur : « Ibi erit « fletus et stridor dentium. » Ubi per nomina membrorum, qualitas ostenditur tormentorum. Acriori enim fumo oculi tacti lacrymari solent, et nimio frigore dentes stridescere. Cum ergo dicit : « Ibi erit fletus et stridor dentium, » datur intelligi quia reprobi æterno supplicio damnati et frigus inæstimabile et calorem intolerabilem sustinebunt, beato Job teste, qui ait : « A calore nimio transibunt ad aquas nivium (*Job.* XXIV). » Ubi etiam considerandum quia non solum sanctorum corpora, sed etiam reproborum in judicio resurrectura monstrantur. Unde per beatum Job alibi dicitur : « Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra resurrecturus sum, et in carne mea videbo Deum (*Job.* XIX). » Oculi enim carnei sunt, et dentes ex ossibus : igitur cum dicit : « Ibi erit fletus et stridor dentium, » ostendit corpora reproborum, quæ constant ex carne et ossibus, veraciter esse resurrectura : ut qui in carne et anima peccaverunt, in carne et anima pariter puniantur. Quod autem ait :

« Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. » Magis timendum est quam exponendum. Quod enim omnes vocati sumus, novimus ; utrum autem ad electorum sortem pertineamus, adhuc ignoramus. Tanto ergo solliciti esse debemus in bono opere, quanto inexcusabiles nos esse scimus de vocatione, ut non cum multis reprobis audiamus : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV), » sed cum electis audire mereamur : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. (*Ibid.*) » Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXXVI.

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

(JOAN. IV.) « In illo tempore. Erat quidam regulus « cujus filius infirmabatur Capharnaum. » Et reliqua. Aliquoties contingere solet, ut nonnulli a qualitate mentis, quam habent interius, nomina sortiantur exterius, sicut Simon dictus est Petrus ob firmitatem fidei, eo quod firmæ petræ inhæserit, et Filii Zebedæi Boanerges, id est, filii tonitrui, sunt vocati, quia de spiritali cœlo intonituri erant : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Et Judas zelotes dictus est, eo quod zelo amoris Dei plurimum ferveret. Sic ergo et iste regulus fortassis a qualitate mentis quam habebat interius, nomen traxit exterius. Regulus enim diminutivum nomen est a rege, quasi dicatur sub rege primus, vel parvus rex. Et ideo quia ex parte credebat, et ex parte non credebat, non rex, sed regulus meruit appellari. Sed quod nos verbis de illo dicimus, hoc ipse de se operibus comprobat. Nam subditur :

« Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa « in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut de« scenderet et sanaret filium ejus. Incipiebat enim « mori. » Quæ omnia juxta litteram ita manifesta sunt, ut expositione non indigeant. Hoc tantummodo mirum videtur quare is qui pro filio rogaturus venerat a Domino audivit :

« Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. » Cum utique nisi credidisset, nequaquam pro sanitate filii rogaturus ad Dominum accessisset ? Ad quod dicendum quia credebat et non credebat. Credebat quod Dominus per præsentiam corporalem salutem filio suo restituere posset, sed non credebat eum per Divinitatem ubique esse præsentem, cujus tam sollicite corporalem adventum requirebat, dicens :

« Domine, descende priusquam moriatur filius « meus. » Quia ergo credebat, rogaturus pro filio accessit, sed quia non perfecte credebat, audire meruit : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. » Fides enim augmentum habet, sicut apostoli Domino dixerunt : « Domine, auge nobis fidem (*Luc.* XVII). » Et centurio ille, qui pro puero lunatico rogaturus venerat, cum audisset a Domino : « Credis, omnia possibilia credenti, » respondit : « Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam (*Marc.* IX). » Inter signa autem et prodigia hoc interest, quia signa dicuntur miracula insolita : prodigia vero ea dicuntur, quæ cum præsentialiter mira sunt, etiam in futuro aliquid præmonstrant. Unde prodigium dictum est, quasi porro digium. Sed in hac lectione nostra superbia confunditur, si eam cum alia conferamus. Legimus enim in Evangelio Matthæi, quia cum introisset Jesus in Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans

eum, et dicens : « Domine, per meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. » Et ait illi Jesus : « Ego veniam et curabo eum (*Matth.* VIII). » Quis enim ignorat regulum majoris esse potestatis quam centurionem? Et quid est quod Dominus ad filium reguli rogatus ire noluit, et ad servum centurionis etiam non rogatus ire paratus fuit? Nimirum nostra superbia, ut diximus, confunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed potentiam consideramus. Quos enim potentes cernimus honoramus : et quos metuimus veneramur : pauperes autem contemnimus, despicimus et negligimus. Econtra Filius Dei, qui de cœlo descendit in terras, ad filium reguli rogatus ire noluit, et ad servum centurionis, etiam cum non rogaretur, ire paratus fuit. Quia sicut Petrus de eo veracissime testatur : « Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* X). » Imitemur ergo et nos caput nostrum, et quem plus Deum amare viderimus, illum studiosius diligamus. Et hæc dicentes, non prohibemus honorare potentes, maxime cum Petrus apostolus dicat : « Deum timete, regem honorificate (*I Petr.* II). » Sed sicut illorum veneramur potentiam, sic pauperum supplere debemus indigentiam, ut in Ecclesia Dei unicuique congruus honor exhibeatur. Sed quia increpatio piis mentibus multum prodesse solet, postquam regulus a Domino increpatus audivit : « Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni « quem dixit ei Jesus et ibat. » Unde fides protinus effectum consecuta est.

« Jam autem eo descendente, servi occurrerunt « ei, et nuntiaverunt dicentes quia filius ejus vive« ret. » Ex eo ergo, quod superius iste regulus Domino dixit : « Descende priusquam moriatur Filius meus, » et hic dicitur : « Jam autem eo descendente, » datur intelligi, quia Capharnaum in valle erat sita, quæ vallis *pinguis* sive *villa pulcherrima* interpretatur. At ille volens scire utrum ea hora sanitas esset reddita filio, in qua audierat a Domino : Filius tuus vivit, « interrogavit horam ab eis in qua melius « habuerit. Et dixerunt ei : Quia heri hora septima « reliquit eum febris. » Pulchre autem hora septima filius reguli sanatur, quia septem sunt dona Spiritus sancti, cujus gratia et virtute, non solum remissio peccatorum, sed etiam virtus et sanitas tribuitur, Apostolo teste, qui ait : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V). » Sive certe hora septima filius reguli sanatus est, ut intelligamus quia in præsenti vita quæ per septem dies volvitur, salutem animæ nostræ bene operando quærere debemus.

« Cognovit ergo Pater quia illa hora esset in qua « dixit ei Jesus : Filius tuus vivit, et credidit ipse, « et domus ejus tota. » In multis locis Evangelii promptior fides gentium ad credendum ostenditur quam Judæorum, ipso Domino de centurione dicente : « Amen, dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel (*Matth.* VIII). » Legimus paulo superius, eodem evangelista Joanne narrante, quia cum mulier Samaritana audisset a Domino omnia quæ fecit, abiit in civitatem, et dixit illis omnibus : « Venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus ? cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies, et multo plures crediderunt propter sermonem ejus. Et mulieri dicebant : Quia jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi (*Joan.* IV). » Ibi enim sine ostensione miraculi tota civitas credidit, hic cum magnum signum ostensum esset, ipse pater tantum « credidit et domus ejus tota. »

HOMILIA CXXXVII.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

(MATTH. XVIII.) « In illo tempore dixit Jesus disci« pulis suis parabolam hanc : Simile est regnum « cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere « cum servis suis. » Et reliqua. Virtus et sapientia Dei Dominus Jesus Christus, humanæ ignorantiæ condescendens, frequenter suis sanctis sermonibus similitudines dignatus est adjungere, ut quod per similitudinem sermonum auditores capere non poterant, saltem per parabolas et figuras tenerent. Unde sicut alibi Matthæus ait : « Loquebatur Jesus cum discipulis in parabolis, et sine parabolis non loquebatur eis, ut adimpleretur quod per Prophetam dicitur : Aperiam in parabolis os meum (*Matth.* XIII et *Psal.* LXXVII), » loquar propositiones ab initio. Quod in hac lectione eum fecisse cognovimus, si diligentius superiora hujus Evangelii consideremus. Cum enim præceptum dimittendi fratribus in nobis peccantibus dedisset, ne dura hæc viderentur et aspera, adjecit similitudinem de rege qui debitori suo decem millia talenta ad unam supplicationem dimisit. Spiritaliter homo iste rex Dominus Jesus Christus de quo scriptum est : « Ecce veniet Deus et homo de David qui est rex regum et Dominus dominantium (*I Tim.* VI) », et cujus regni non erit finis. Hujus regis servi homines sunt quos ad sibi serviendum, seque laudandum ad suam imaginem condidit, quibus etiam sensum et intelligentiam præbuit. Huic rei servire summa est libertas, ab ejus servitio recedere turpissima servitus. Hujus servum se gloriabatur Psalmista, cum dicebat : « Ego servus tuus et filius ancillæ tuæ (*Psal.* CXVIII). » Et iterum : « Servus tuus ego sum, da mihi intellectum (*Psal.* CXVI), » Domine. Ponit autem rex rationem cum servis suis, quia non solum opera, sed etiam cogitationes nostras ejus majestatis oculus subtiliter examinat atque discernit. Sed eo rationem ponente, solet contingere ut inveniantur plures qui non solum in minoribus peccatis, sed etiam in majoribus criminibus sunt obligati. Quorum speciem tenet iste, de quo subditur :

« Et cum cœpisset rationem ponere oblatus est ei « unus qui debebat ei decem millia talenta. » Talentum in Scripturis aliquoties peccatum significat, vel

pondus, sive multitudinem peccatorum, sicut in Zacharia legitur: « Vidi, et ecce talentum plumbi portabatur (*Zach.* v), » et projecit illum in medio amphoræ, et dixit: « Hæc est impietas (*Ibid.*), » sicut enim talentum diversis modis ponderatur, sic peccatorum species diversæ sunt. Qui enim homicidium, adulterium, sacrilegium, et cætera his similia perpetrat, quasi decem millia talenta debebat.

« Cum autem non haberet unde redderet, jussit « eum dominus venundari, et uxorem ejus et filios, « et omnia quæ habebat, et reddi. » Non habebat servus unde redderet debitum, quia digne pro peccatis Deo satisfacere non potest per proprium meritum. Sive certe non habet servus unde debitum reddat, quia peccator in die judicii nullam excusationem pro peccatis suis inveniet. Sed quia Deus B misericors, nec vult peccatores perire perpetuo, jubet servum venundari, cum peccatorem per pœnitentiam præcipit immutari. In venundatione enim hoc agitur, ut alterius res ad alterius transeat possessionem. Et tunc spiritaliter servus venundatur, quando peccator de possessione diaboli, per pœnitentiam ad possessionem convertitur Dei. Venundatur quoque uxor et filii cum caro, quæ peccatis fuit subdita, et cogitationes carnales in servitio Dei immutat. Et qui servivit immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, serviat justitiæ in sanctificationem, et pro superbia humilitatem, pro luxuria castitatem, pro avaritia diligat largitatem. Et qui antea procreaverat filios diaboli male vivendo. Et per uxorem, propriam carnem intelligere possumus: per filios, vitia et peccata. Vel certe aliter: venundatur ser- C vus, cum peccatori impœnitenti æternum comminatur supplicium, et declinare a malo, et facere bonum ei præcipitur. Venundantur quoque uxor et filii, quando non solum animæ pro peccatis, sed etiam carni peccatrici pœna æterni cruciatus prædicitur. Quod cum audierit servus frequenter post peccatum, timore concutitur ad pœnitendum, qui pro amore Dei noluit cavere peccatum. Unde et subditur·

« Procidens autem servus ille, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam « tibi. » Procidit autem servus ante Deum, cum peccator, suam fragilitatem recognoscens, humiliter veniam postulat, dicens cum Propheta: « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, et malum D coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L). » Rogat quoque patientiam, ut dignam possit exhibere pœnitentiam, quatenus præsentis vitæ dies ad inducias pœnitendi accipiat, et secundum Apostolum, per patientiam Dei ad pœnitentiam convertatur. Quantum autem misericors Deus erga peccatores conversos existat, manifestatur cum subditur.

« Misertus autem dominus servi illius, dimisit « eum, et debitum dimisit ei. » Ecce enim non solum patientiam, quam rogaverat, invenit, sed etiam debiti absolutionem accepit. Quia divina clementia A semper majora consuevit præstare, quam humana fragilitas sciat rogare. Nemo ergo de magnitudine vel multitudine peccatorum diffidere debet, ac de ipsa desperare, cum ille qui decem millia talenta debebat, et patientiam rogaret ut redderet omnia a Domino impetravit. Amat enim Deus peccatores post conversionem, si dignam faciant satisfactionem. Quia sicut ipse dicit per prophetam, non vult mortem peccatoris, « sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII *et* XXXIII). » Et iterum: « Peccator, quocunque die conversus fuerit (*Ibid.*), » etc. Et sicut pius Redemptor in Evangelio ait: Quia « non veni vocare justos, sed peccatores (*Matth.* IX). » — « Et gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia (*Luc.* VII). » Unum autem summopere necessarium est pœnitentibus, ut sicut sibi sua a Deo dimitti volunt peccata, ita fratribus in se peccantibus clementer ignoscant. Sunt enim nonnulli qui cum Deum erga se benignum esse desiderant, fratribus duri, asperi et amari existunt. Quorum similitudinem videtur iste tenere, de quo subditur:

« Et egressus servus ille, invenit unum de con- « servis suis, qui debebat ei centum denarios, et « tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. » Egreditur servus, quando liber abire permittitur. Suffocationem supradictam tribulationes et angustias, quas ei ingerebat, intelligere possumus. Spiritaliter, unusquisque nostrum exiens, invenit unum de conservis suis debentem sibi centum denarios, quando reminiscitur se ab alio esse læsum.

« Procidens autem servus ille, rogabat eum, di- « cens: Patientiam habe in me, et omnia reddam « tibi. » Iisdem ergo verbis quibus dominum supplicaverat a conservo rogatus est, sed non talem misericordiam conservo exhibuit qualem a Domino acceperat. Unde et subditur:

« Ille autem noluit, sed abiit et misit eum in car- « cerem, donec redderet debitum. » Mali autem retributio carceris conclusione vel suffocatione designatur. Igitur carcer in hoc loco afflictio, qua eum coarctabat, intelligitur. Debitum in Scripturis peccatum vocari, ex eo intelligimus quod quotidie in oratione poscimus, dicentes: « Dimitte nobis debita nostra (*Matth.* VI). » Unde in lege præcipitur: Debitum debet tibi quispiam frater tuus, si abstuleris « pignus ab eo, ante solis occasum (*Exod.* XXII) » pignus restitue. Omnis enim homo debitor est et debitorem habet. Quis enim est qui non sit debitor Dei, cum nullus sit sine peccato? Et quis est qui debitorem non habeat fratrem suum, nisi ille in quem nullus peccavit? Quantum autem inter decem millia talenta et centum denarios distat, tanto majora sunt quæ in Deum committimus, quam ea quæ fratres in nobis peccant. Ea ergo benignitate fratribus in nobis peccantibus minora dimittere debemus, qua majora nobis a Deo dimitti optamus. Quod melius agnoscimus si superiorem Domini admonitionem, ex qua hæc similitudo orta est, consideremus. Cum enim

superius præciperet, dicens : « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum (*Matth.* XVIII), et cætera quæ sequuntur, interrogavit eum Petrus, dicens : « Domine. quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei ? usque septies? Ait illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies (*Ibid.*). » Ex qua interrogatione et responsione hoc discimus, quia si toties peccaverit in nobis frater noster, quoties humana fragilitas in die peccare non sinit, semper parati esse debemus ad ignoscendum. Sed dicet aliquis: Peccavit in me frater meus, dimisi ei usque septuagies septies, nunquid amplius dimittere debeo quam a Christo præceptum est? Cui respondere debemus, quia etsi septuagies octies, etsi centies, et quoties omnimo peccaverit, semper dimittendum est. Quia sicut a Domino non B ex parte, sed ex integro volumus dimitti peccata : sic ex toto corde fratribus in nobis peccantibus dimittere debemus, monente Paulo apostolo: « Donate vobis omnia invicem, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et in Christo donavit nobis (*Col.* III). » Numerus enim iste non pro quantitate, sed pro mysterio positus est. Hujus numeri sacramentum Lucas evangelista ostendere curavit, cum humanæ generationis Christi ordinem describens, septuaginta septem generationes enumeravit. Cum enim Matthæus ab Abraham incipiens usque ad Christum descendendo, quadraginta duas generationes enumerasset, e contra Lucas a Christo ascendendo usque ad primum hominem Adam describens, septuaginta septem generationes enumeravit, ut intelligamus, septuagies non ad quantitatem numeri, C sed ad peccatum pertinere. A Christo ergo usque Adam septuaginta septem generationes numerantur, quia illud peccatum quod primus homo de paradiso perpetravit, per septuaginta septem generationes usque ad Christum. qui sine peccato venit, viguit. Unde bene idem Lucas a baptismate Christi numerare cœpit, quia omnia peccata in baptismo absolvuntur. Quod mystice Lamech suis verbis ostendit, quando uxoribus suis ait: Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Nam quantum ad litteram pertinet, septuagies septies de Cain ultio data est, quia vindictam, quam pro fratris morte promeruit, usque ad generationem in ipso pertulit. De Lamech vero septuagies septies ultio data est, quia septuaginta septem animæ de D femore ejus egressæ sunt, quæ omnes diluvio perierunt. Spiritaliter vero de Lamech septuagies septies ultio data est, quia peccatum quod primus homo peccavit, ut diximus, per septuaginta septem generationes usque ad Christi adventum viguit. Unde bene idem Lamech percutiens, sive percussus interpretatur, quia primus homo peccati, et omnem suam stirpem eodem vulnere percussit. Hæc diximus, ut ostenderemus septuagies septies, non ad quantitatem numeri, sed ad peccatum pertinere. Omnia ergo quæ fratres in nobis peccare possunt, dimittere jussit, quando septuagies septies fratribus

A in nobis peccantibus indulgere præcepit. Regulam ergo dimittendi in nobis ipsis discamus, ut sicut Deum post peccatum volumus invenire propitium, sic in nobis peccantibus clementes et benignissimus, ipso Salvatore monente : « Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra (*Matth.* XI). » Nam qui divini beneficii oblitus, suas vult vindicare injurias, non solum de futuris peccatis veniam non merebitur, sed etiam præterita peccata quæ sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur. Unde et subditur :

« Videntes ergo conservi ejus quæ fiebant, con-« tristati sunt valde, et venerunt et narraverunt « omnia domino suo quæ facta fuerant. » Conservi, B qui hæc videntes Domino nuntiant, angeli sunt qui opera nostra die noctuque factori nostro annuntiare creduntur, sicut angelus ad Tobiam ait: « Dum oraretis, ego obtuli orationes vestras ante Deum (*Tob.* XII). » Qui pro eo conservi dicuntur, quia nostris humilitatibus ministrant, sicut Apostolus ait. » Sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem cupiunt salutis (*Hebr.* I). » Contristati autem dicuntur, quia sicut gaudent super bene agentes, sic dolere dicuntur super male agentes. Sive aliter, conservi qui hæc domino nuntiant, doctores et magistri Ecclesiæ intelliguntur, qui videntes minores a majoribus opprimi vel affligi, compatiuntur eis: et dum eis condolent, quasi per affectum mentis omnia hæc Domino nuntiant.

« Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : C « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quo-« niam rogasti me; nonne ergo oportuit et te mi-« sereri conservi tui, sicut et ego tui misertus « sum ? » Ecce qualem pœnam merebitur, quia suas vult vindicare injurias. Ait enim : « Serve nequam, etc. Ac si diceret : Serve male, ingrate serve, cum ad unam petitionem omne debitum tibi dimiserim, quare non considerasti quia oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

« Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, « quoadusque redderet universum debitum. » Quæritur, quomodo Dominus iratus dicatur, cum in natura Dei nulla ira, nulla mutabilitas cadat, teste Psalmista, qui ait : « Deus judex justus, fortis et patiens, nunquid irascitur per singulos dies? « (*Psal.* D VII.) Ad quod dicendum, quia multis in locis Scriptura sacra more nostro loqui tur, ut occulta Dei judicia per visibiles res intelligantur. Sicut enim terrenus rex iratus dicitur, quando in subjectis vindictam exercet, sic Deus omnipotens illis iratus videtur, quo justo judicio propter peccata damnat et punit, cæterum in sua natura semper immutabilis semperque tranquillus permanet, cui per quemdam sapientem dicitur (*Sap.* XII) : « Tu autem, Domine Sabaoth, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos. » Tortores, quibus ingratus servus traditur, immundi sunt spiritus, de quibus scriptum est (*Psal.* LXXVII). « Immissiones per-

angelos malos: » qui graviter a nobis exigunt quod blande et leniter persuaserunt. Ipsos enim peccator tortores habet in pœna, quos habuit suasores ad culpam. Quod autem dicitur : » Quoadusque redderet universum debitum. » Finitum adverbium pro infinito tempore posuit, quoniam reprobi æterno supplicio damnati, sic quotidie debitum peccati in pœna exsolvent, ut tamen pœnarum cruciatus nunquam eis deficiat, Domino alibi dicente (*Psal.* xxvi) : « Amen dico vobis, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem. » Non ergo ita est accipiendum, quod post universale judicium vindicta peccatorum peracta, reprobi veniam consequi possint, licet Origenistæ testentur, quorum sententia non est sequenda, quia postquam semel damnati fuerint, veniam non consequentur. Exponens Dominus quod in similitudinem præmiserat adjunxit, dicens :

« Sic Pater meus cœlestis faciet vobis, si non « remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus ve- « stris. » In quibus verbis ostenditur, quia, sicut superius diximus, qui fratribus in se peccantibus dimittere non vult, etiam illa peccata, quæ sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur. Et quia Deus inspector est cordis, signanter dicitur, « de cordibus vestris. » Sunt enim nonnulli, qui cum ab aliis læsi fuerint, ore dimittere videntur, sed corde injurias reservant, quod ideo faciunt, quia ab aliis coguntur ut dimittant: aut certe defendere non se prævalent ab his a quibus læsi sunt, vel certe tempus vindicandi aptum exspectant, de quibus per prophetam dicitur (*Jer.* ix): « Ore pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. » Sed isti tales, qualem vindictam percipiant, Psalmista declarat, dicens (*Psal.* xxvii) : « Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. » Et iterum : « Da illis secundum opera eorum, et secundum opera manuum eorum tribue illis (*Ibid.*). Quorum patientia non præmium accipiet virtutis, quia velamentum est furoris. Nihil ergo prodest ore dimittere, qui vult iracundiam corde servare. Propter hoc, cum dixisset Dominus : « Sic pater vester cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo. » adjunxit : « de cordibus vestris. »

HOMILIA CXXXVIII.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

(Matth. xxii.) « In illo tempore, abeuntes Pha- « risæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in « sermone. » Et reliqua Ab eo tempore quo totius mundi monarchia sub unius hominis principatu redacta est, propter pacem et concordiam servandam in populis, statutum est, ut unusquisque censum capitis sui redderet. Cujus rei testis est Lucas evangelista, qui tempore quo Dominus et Salvator noster natus est, hanc legem in populum Judæorum allatam descripsit, dicens : « Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis (*Luc* ii).» Super hanc rem autem Cæsar Augustus Herodem Antipatri filium Judæis præfecit, ut et tributa exigeret,

A et Romano pareret imperio. Ergo prædicante Domino et Salvatore nostro, continuo magna inter Judæos nata quæstio fuerat, propter redditionem census, aliis dicentibus pro securitate et quiete, quia Romani principes pro eis militarent, debere tributa solvi, e contra scribis et Pharisæis dicentibus, non debere populum Dei humanis legibus esse subjectum, maxime cum decimas, et primitias, et spontaneas oblationes Deo offerret. Et quia scribæ et Pharisæi, ut sæpe diximus, ad hoc Dominum sequebantur, ut eum vel in opere, vel in sermone reprehendere possent, sub hac occasione consilium ineuntes,

« Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, di- « centes : Magister, scimus quia verax es, et viam « Dei in veritate doces, et non est tibi cura de ali-
B « quo. Non enim respicis personam hominum. Dic « ergo nobis, quid tibi videtur? licet censum dare « Cæsari, an non ? » Quod ideo interrogabant, ut dum unum ex eis quodlibet affirmaret, aut illorum aut istorum odium incurreret. Ut scilicet, si diceret: Licet, reprehenderetur ab aliis, qui censum dare nolebant, vel videretur esse contrarius legi Dei. Si vero diceret : Non licet, quasi qui rebellionem contra Cæsarem movere cogitaret, a ministris Herodis comprehensus teneretur, Herodianos autem vel ministros Herodis vocat, qui publice vectigalia exigebant, vel certe illos quos scribæ et Pharisæi, quia sponte Herodi tributa solverent, illudentes Herodianos vocabant. Et quia, ut Dominus ait, scribæ et Pharisæi similes erant sepulcris dealbatis, blandam et fraudulentam interrogationem præmittebant, ei
C dicentes: « Magister, scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. » Proprium est enim illorum qui alios fraude decipere conantur, ut prius mentem audientis adulationibus demulceant ut blandimentis, provocatus, non quod verum est respondeat, sed quod illi, qui interrogat, placere probaverit. Quod vero illi fraudulenter de Domino dicebant, nos firmi et immobili fide credere debemus, illum scilicet verum ac singularem esse magistrum, a quo procedit omnis sapientia, et cum quo fuit semper et est ante ævum, qui ait in Evangelio : « Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim (*Joan.* xiii). » Et iterum : « Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est
D Christus (*Matth.* xxiii). » Ipse autem verax est, quia, ut ait Scriptura, « omnis homo, mendax (*Psal.* cxv),» quia ait in Evangelio : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* xiv). » « Viam quoque Dei in veritate docuit (*Luc.* xx), » quia nec defellit aliquem, nec falli ab aliquo potuit, quoniam servantibus quæ præcepit, veraciter dabit quod promisit. « Non enim respicit personam hominum (*Matth.* xxii), » quia nec propter paupertatem aliquem abjicit, nec propter divitias aliquem eligit, sed quem in suo servitio viderit devotionem, ipsum efficit sanctiorem. De quo veracissime Petrus apostolus dicit : « In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor

Deus, sed in omni gente qui operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* x). » Cæsarem autem, non Augustum, sed Tiberium successorem ejus, sub quo passus est Dominus, intelligere debemus. Omnes enim imperatores Romanorum Cæsares appellabantur, a primo Caio Cæsare, qui ob duas causas Cæsar est nuncupatus, vel quia cæso ventre matris exiit, vel quia cum cæsarie capitis, id est cum capillis est natus.

« Cognita autem Jesus nequitia eorum dixit: Quid « me tentatis, hypocritæ?» Sapientia semper sapienter agit. Et primum cogitationes tentatorum denudavit, ut sic saltem in eo cogerentur cognoscere divinitatem. Quoniam proprium est Deo cogitationes hominum intueri, Scriptura teste, quæ ait: « Quæ sunt in corde hominis, oculi tui vident, Domine. » Et recte tentatores suos hypocritarum appellatione redarguit, quia aliud ore proferebant, et aliud in corde retinebant. Hypocrita enim Græce, Latine simulator dicitur. Quo nomine recte illi censentur qui aliud servant interius, et aliud ostentant exterius. Quales erant isti qui cum Domino dicerent: « Magister, scimus quia verax es, » eum capere cogitabant in sermone. Quibus adhuc dicitur :

« Ostendite mihi numisma census. » Numisma est, ut Isidorus dicit, solidus aureus, vel argenteus, sive æreus. Dicitur enim numisma, quia nominibus principum effigiisque signabatur. « At illi obtulerunt ei « denarium. » Denarius genus erat nummi, qui pro decem nummis imputabatur, et habebat imaginem Cæsaris expressam nomenque superscriptum.

« Et ait illis : Cujus est imago hæc et superscri- « ptio? Dicunt ei : Cæsaris. » Non ex ignorantia interrogatio Salvatoris descendit, maxime cum manifeste pateret, cujus esset expressa imago in nummo. Sed tentatores suos interrogavit, ut illis cujus esset imago respondentibus, rationabiliter et absque reprehensione, quæ Dei Deo et quæ Cæsaris Cæsari reddenda esset doceret. Unde et subditur :

« Et ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, « Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. » Ac si diceret : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, id est tributum, vectigal et censum : et quæ sunt Dei Deo, id est decimas, primitias et spontaneas oblationes. Unde subtiliter considerandum, quia sicut Cæsar imaginis suæ censum a sibi subditis exigebat, sic Deus omnipotens imaginis suæ figuram a nobis exacturus est. In denario quippe imago regis exprimebatur, homo autem secundum interiorem hominem, ad imaginem et similitudinem Dei factus est, ipso Domino dicente: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I). » Hujus imaginis figuram in se expressam noverat, qui dicebat: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine(*Psal.* IV). » Quemadmodum ergo Cæsar denarium, in quo imago ejus exprimebatur, a subditis exquirebat, sic Deus omnipotens inviolatam in urbis suam imaginem vult invenire in piis actibus et piis moribus vel castis. Simulque etiam considerandum est quia nisi

A primus homo imaginem Dei in se peccando violasset, nequaquam homo homini subjectus esset. Quia in initio cum fecisset Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, non ait : Præsit homo hominibus, sed « dominamini piscibus maris et volatilibus cœli et bestiis terræ (*Gen.* I). » Postquam vero peccatum inter homines, jurgia, rixæ, et seminarium discordiæ crescere cœpit, ad comprimendam pravorum hominum insolentiam, proposuit Deus hominibus hominem, ut quos amor Dei non provocabat ad bonum, saltem timor hominis coerceret a malis. Jam vero Christianorum temporibus divina providentia ordinavit, ut esset in Ecclesia Dei non solum pastor et pontifex, sed etiam in sæculo princeps, ut iste Ecclesiam Dei verbis instruat, et ille armis de-

B fendat. Et quod iste non potest corrigere verbo, ille feriat ferro. Et qui nolunt ecclesiasticam suscipere disciplinam prohibeantur a malis per potestatem regiam. Et qui potestati Dei non sunt subditi, mundanis legibus constringantur. Et ideo debemus Christianis principibus esse subditi (nisi contra Dei voluntatem nobis imperent) et obedientes, ut juxta Salvatoris præceptum reddamus « quæ sunt Cæsari Cæsari, et qua sunt Dei Deo. « Unde Apostolus admonet nos dicens: « Omnibus potestatibus sublimioribus » subditi estote, quia « non est potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit (*Rom.* XIII).» Et iterum : « Reddite omnibus debitum: et cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: et cui honorem, honorem : et cui timorem, timorem (*Ibid.*). »

C Quod non solum Dominus verbis, sed etiam exemplis faciendum ostendit, quando et Deo reddidit, quæ sunt Dei, Patris faciens voluntatem: et Cæsari, quæ sunt Cæsaris, quando pro se et Petro tributum reddere jussit, sicut scriptum est in Evangelio (*Matth.* XVII) : Quia cum accessissent hi « qui didrachma accipiebant, ad Petrum, dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma? Et ait: Etiam. Et cum » contristatus Petrus « intrasset domum, prævenit eum Jesus, dicens : Quid tibi videtur, Simon ? reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? » Et illo respondente, « ab alienis. » ait : « Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum. Et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore

D ejus, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te. » Cujus etiam exemplum secutus idem Petrus, discipulos suos per epistolam admonet, dicens : « Deum timete. regem honorificate (*I Petr.* II). » Et iterum : « Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum (*Ibid.*). »

HOMILIA CXXXIX.

DOMINICA XXV POST PENTECOSTEN.

(MATTH. IX). « In illo tempore. Loquente Jesu ad « turbas, ecce princeps unus accessit, et adoravit « eum, dicens : Domine, filia mea. » Et reliqua. Inter

omnia miracula quæ Dominus Jesus Christus per semetipsum ostendit in terris,tres tantum mortuos resuscitasse legitur. Resuscitavit filiam archisynagogi in domo jacentem,de qua nunc sermo agitur; resuscitavit filium viduæ, extra portam civitatis ad sepeliendum delatum ; resuscitavit nihilominus et Lazarum quatriduanum mortuum, jam fetentem in monumento. Qui ergo omnes in se credentes venerat resuscitare in anima, non sine causa est, quod tres tantum mortuos resuscitasse legitur in corpore. Trina namque mortuorum resuscitatio varietatem significat peccantium, atque post peccatum digne pœnitentium. Moritur enim anima per peccatum, quia, sicut ait Scriptura, anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII). Ipsum autem peccatum tribus modis in mente, tribus perpetratur in corpore : in mente agitur suggestione, delectatione et consensu : in corpore aliquando occulte, aliquando palam, aliquando consuetudine. Qui vero occulte peccat, quasi intra domum mortuus jacet:sed cum divina gratia ejus cor ad pœnitentiam agendam inflammat,quasi intra domum mortuus resuscitatur: tales significavit filia archisynagogi, quæ in puellari ætate resuscitata est. Qui autem manifeste peccat, quasi extra portam civitatis ad sepeliendum mortuus expellitur ; sed cum tales per divinam gratiam et aliorum correptionem ad pœnitentiam compungantur, quasi antequam ad sepulcrum perveniant, a Domino resuscitantur : hos significavit adolescens filius viduæ, quem Dominus extra portam civitatis resuscitavit (*Luc.* VII). Sunt etiam aliqui, qui non solum publice peccare non erubescunt, sed etiam ipsum peccatum in longam consuetudinem vertunt: quales significavit Lazarus quatriduanus mortuus, de quo bene scriptum est : « Quia jam fetet (*Joan.* XI), » quia dum publice per consuetudinem peccare non erubescunt, piis mentibus fetorem malæ famæ ingerunt :sed nec de talibus desperandum est, quia Dominus etiam Lazarum quatriduanum mortuum fetentem solo jussu resuscitavit, de quo lacrymasse legitur Jesus,et voce magna clamasse :« Veni foras,» quia tales a doctoribus non solum exhortationibus, verum etiam orationibus sunt instruendi, et cum magna instantia prædicationis voce magna clamandi. Frequenter enim per divinam gratiam compuncti ab ipsis peccatis resipiscunt, seque ipsos assiduis fletibus et longioribus jejuniis macerant, largiores eleemosynas tribuunt,et « ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* V), » et sicut prompti fuerunt ad peccandum,sic promptiores sint ad pœnitendum. Sed nunc quid princeps vel filia ejus, pro qua rogaturus venerat,allegorice significent, videamus. Ait enim Evangelista :

« Loquente Jesu ad turbas, ecce princeps unus « accessit, et adoravit eum, dicens: Filia mea de- « functa modo est, » et reliqua.Allegorice princeps iste Moysen significat.Unde bene juxta Lucam evangelistam Jairus est dictus,qui interpretatur illuminans, sive illuminatus ; quoniam idem legislator

A Moyses dum verba vitæ aliis ministraturus a Deo accepit, et ipse illuminatus est spiritali gratia, et alios sua doctrina illuminans,Filia ejus Synagogam significat,quam dum primus divinis præceptis legalibus observationibus erudivit,quasi spiritali utero genuit. Sed, Domino loquente ad turbas, principis filia defuncta est, quia tempore quo Dominus in carne apparuit. Synagoga a paterna religione et legis observatione defecerat. Unde etenim tumultuantibus rebus pristinam amisit dignitatem ?quia nec sacerdotalis honor proprium decorem habebant, et templi reverentia et hostiarum immolatio non solum non spiritaliter,sed etiam nec historialiter observabantur. Rogavit ergo princeps pro filia, quia frequenter Moyses pro Synagogæ liberatione

B divinam exoravit clementiam, quemadmodum in multis locis Scripturæ scriptum invenis, præsertim in eo loco,ubi Deum usque adeo pro populo Israelitico deprecabatur, ut etiam ex libro vitæ deleri cuperet, modo posset Dei iram deprecari. Et quia intellexit, eam non aliter a morte animæ posse liberari, nisi per incarnationem unigeniti filii Dei,recte ejusdem principis voce dicitur :« Veni,impone manum tuam super eam, et vivet. » Manus enim Domini in Scripturis,aliquando incarnationem significat Filii,sicut per prophetam dicitur (*Psal.* LXXIII) :«Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo ? » Et iterum : « Emitte manum tuam de alto, eripe me,et libera me de aquis multis (*Psal.* CXLIII). » Ut ergo super defunctam filiam manum imponeret, rogare fuit, quatenus per incarnationis Domini my-

C sterium mundo visibiliter appareret. Quasi enim spiritaliter Moyses manum super Filiam defunctam imponere rogavit,quando incarnationis Domini mysterium Judæis prædicabat, dicens : « Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris tanquam me, ipsum audietis (*Deut.* XVIII), » juxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Et quia adveniente plenitudine temporis, non solum de Synagoga carnem assumere, sed etiam Deum inter homines visibiliter se dignatus est demonstrare, recte subjungitur:

« Et surgens Jesus sequebatur eum, et discipuli « ejus.Et ecce mulier,quæ sanguinis fluxum patieba- « tur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fim- « briam vestimenti ejus. » Sicut archisynagogi filia

D Synagogam significat,sic « mulier,quæ fluxum sanguinis patiebatur duodecim annis,» significat Ecclesiam ex gentibus.Fluxus enim sanguinis immunditiam significat peccatorum, sicut per prophetam dicitur:«Furtum,homicidium, et adulterium inundaverunt,et sanguis sanguinem tetigit (*Ose.* IV).» A quo fluxu sanguinis se liberari optabat ille qui dicebat : « Libera me de sanguinibus,Deus,Deus salutis meæ (*Psal.* L). » Non autem prætermittendum videtur quod hæc « mulier duodecim annis fluxum sanguinis patiebatur, » ut enim evangelistæ commemorant, puella hæc archisynagogi filia duodecim annos habebat ætatis,considerata ergo utraque lectione,cogno-

A scimus quia, quando puella nata est, tunc mulier cœpit infirmari. Quoniam et illa duodecim annos habebat ætatis, et ista duodecim infirmitatis. Juxta vero spiritalem intelligentiam, quando Synagoga nata est, Ecclesia ex gentibus cœpit infirmari : quia facile cognoscuntur vitia in comparatione virtutum. Gentilis ergo populus ex eo vilior esse cœpit, ex quo populus Judæorum electus est. Si enim, ut diximus, puella duodecimo anno ætatis defuncta est, tempore pubertatis appropinquante vitam finivit; quia, tempore liberationis vel redemptionis instante, Judæa suum non cognovit liberatorem, magisque mortem elegit quam vitam. Juxta hunc sensum, non vacat a mysterio, quod archisynagogus filiam suam octavo loco miraculorum a Domino resuscitari rogavit. Recensita igitur evangelica lectione, invenitur primum B miraculum Dominus in Galilæa fecisse, scilicet de aqua vinum : secundum descendens de monte, leprosum curasse : tertium, puerum centurionis a paralysi sanasse : quartum, socrum Petri febricitantem liberasse : quintum, mare turbatum sedasse : sextum, in regione Gerasenorum a legione dæmonum hominem curasse : septimum, in civitate sua Capharnaum paralyticum sanasse : octavo loco subintrat archisynagogus, pro filia rogaturus, nolens a mysterio circumcisionis excludi. Subintrat etiam et mulier a fluxu sanguinis curata. Retro autem accessit, quia non Domino manente in carne, sed post ejus ascensionem credidit Ecclesia ex gentibus. Vel certe accessit retro, quia non solum incarnationis ejus mysterium cognovit, sed etiam vestigia passionis illius imitatur. Retro enim post Dominum accedere, est ejus vesti- C gia imitari, sicut ipse dicit in Evangelio (*Matth.* XVI) : « Si quis vult venire post me, » etc. Et iterum : « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). » Unde in lege præcipitur : Post Dominum Deum tuum ambulabis. Hinc Petrus Ecclesiam, quæ ad Dominum accessit, admonet dicens : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II). » Et Joannes : « Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare (*I Joan.* II). » Accessit ergo Ecclesia corde, non corpore, juxta illud propheticum : « Accedite ad eum et illuminamini (*Psal.* XXXIII). » Fimbriam autem vestimenti tangere est incarnationis ejus mysterium agnoscere, et secundum illud spiritaliter vivere. Quia enim Deus in divinitate tangi non potest, quasi D fimbriam vestimenti tangendum esse exhibuit, quando se in humanitate visibilem demonstravit.

« Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. » Pulchre hæc mulier intra se dicebat, quia omnis Ecclesiæ fides vel operatio magis in corde est quam in corpore. Ut enim clarior in conspectu Dei appareat, sua bona opera frequenter ab humanis conspectibus abscondit. De qua per prophetam dicitur : « Omnis gloria ejus ab intus (*Psal.* XLIV). » In tactu enim vestimenti salutem esse credidit, quia per incarnationis mysterium genus humanum salvari posse non dubitavit.

« At Jesus conversus, et videns eam, dixit : Confide, filia. » Conversio Domini ad mulierem respectum miserationis ejus significat ad Ecclesiam. Quasi enim terga, et non faciem Domini videbat, quando post idola manuum suarum currens, creatorem suum Deum ignorabat. Et postquam fide eum tangere cœpit, faciem ei ostendit, quando per suam gratiam mentem Ecclesiæ ad se videndum illuminavit. Quod quia per fidem accipere meruit, recte dicitur : « Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. » Nam si quis solam litteram attendat, non parvam fidem mulierem istam habuisse cognoscit. Cujus perfectionem fidei Lucas (*cap.* VIII) Evangelista manifestius declarat, dicens eam « omnem substantiam suam in medicos erogasse, nec ab ullo poterat curari. » Sed cum vidisset Dominum in turba ambulantem, solo tactu vestimenti ejus posse fieri credebat, quod multis medicis impossibile fieri comprobaverat : « Unde et accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, et confestim stetit fluxus sanguinis ejus (*Ibid.*). » Cujus virtutem fidei, ut Dominus comprobaret, ait : « Quis est qui me tetigit ? » Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant : Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et tu dicis quis me tetigit ? Et dixit : Tetigit me aliquis. Nam et ego novi virtutem de me exisse. Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, et procidit ante pedes illius, et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit illi : « Filia, fides tua te salvam fecit (*Ibid.*). » Recte ergo filiam vocavit, quæ tam perfectam habuit fidem. Spiritualiter autem, ut diximus, significat Ecclesiam, quæ filia est Dei per adoptionem, quia, sicut ait evangelista : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). » Cui per Prophetam dicitur : « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam (*Psal.* LXVII). » Quæ recte per fidem salvatur, quia, sicut scriptum est : « Justus ex fide vivit (*Gal.* III), » et « sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI). » Unde Dominus mulieri Chananææ ait : « O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis (*Matth.* XV). » Notandum autem quia cum Dominus ad filiam archisynanogi resuscitandam pergeret, mulier in itinere sanata est : quia cum Dominus ad Synagogam docendam veniret, Ecclesia ex gentibus credendo anticipavit salutem, juxta illud propheticum : « Æthiopia præveniet manus ejus Deo (*Psal.* LXXVII) » Æthiopia enim, quæ nigrum gignit populum, Ecclesiam significat ex gentibus nigredine peccatorum coopertam. Æthiopia ergo manus ejus præveniet, quando Ecclesia ex gentibus, ante Synagogam credidit. Oportet autem considerare quia mulier nec in domo, nec in urbe, quoniam ab urbe longe excludebatur, sed in via ei occurrit : quia gentilis populus nullam cognitionem Dei, nec legis notitiam habebat, et ideo quasi nudus et discoopertus Domino occurrebat. Sicque cum Dominus ad puellam tendebat, mulier in via sanata est : quia dum Judæorum populo

prædicabat, fidem gentium approbabat, sicut ipse alibi de centurione ait: « Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel (*Matth.* VIII). » Unde et apostoli Judæis dixerunt: « Vobis quidem oportuerat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Manifeste etiam major fides mulieris comprobatur, quam archisynagogi: quoniam cum archisynagogus Dominum ad domum suam venire rogasset, et in itinere eundo vel redeundo eum laborare fecisset, mulier perfecte credens, nihil eum laborare fecit, sed tantum fimbriam vestimenti tetigit. Sed postquam Dominus mulierem in itinere curavit, filiam archisynagogi in domo resuscitavit: quia circa finem sæculi Synagoga creditura est, juxta illud Apostoli (*Rom.* XI): Cum « plenitudo gentium subintraverit, B tunc omnis Israel salvus fiet. » Et iterum: « Non prius quod spirituale est, sed quod carnale deinde quod spirituale (*I Cor.* XV), » id est, non prius Synagoga credidit, quæ spiritualis fuit, sed gentilis populus, quæ erat animalis deinde Synagoga, quæ fuit spiritualis.

HOMILIA CXL.

DOMINICA VIGESIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

(JOAN. VI.) « In illo tempore: Cum sublevasset « oculos Jesus, et vidisset maximam multitudinem « venientem ad se, dicit ad Philippum: Unde eme- « mus panes? » Et reliqua. Quoties legimus Dominum ex paucis panibus multas turbas hominum pavisse, non tantum est mirandum quantum venerandum. Non est enim mirum, quia potuit: sed potius venerandum, quia facere voluit. Qui enim ex nihilo cuncta creavit, non est mirum si ex paucis panibus multas turbas pavit. Sed illud considerandum est, quod Dominus refecturus turbas, prius sublevatis oculis in cœlum respexisse dicitur. Oculi enim Domini in Scripturis duplicem habent significationem, etc.

Vide Dominicam Lætare *in Quadragesima.*

HOMILIA CXLI.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

(LUC. VI.) « In illo tempore dixit Jesus discipulis « suis: Non est abor bona quæ facit fructum ma- « lum. » Et reliqua. Dominus Jesus Christus ædificator et conservator suæ Ecclesiæ, quales ad ædificationem arbores quærat, in exordio hujus lectionis delarat, dicens: « Non est enim arbor bona quæ facit fructum malum. »

« Neque arbor mala faciens fructum bonum. » Arbores spiritaliter in Scripturis homines significant, sicut ille cæcus, qui a Domino illuminatus fuerat, dicebat: « Video homines quasi arbores (*Marc.* VIII). » Et Daniel in visione Nabuchodonosor regis, arborem magnam ipsum regem interpretatus est (*Dan.* IV). Fructus autem arboris opera sunt hominis vel bona, vel mala, sicut Dominus ait in Evangelio: Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum

A (*Matth.* XII). » Sed quæritur quare ipse Dominus dicat: « Non est arbor bona quæ facit fructum malum, neque arbor mala faciens fructum bonum, » cum legimus Petrum Apostolum, arborem utique bonam malum fructum fecisse, quando Deum negavit et magistrum: et, econtra, Judam arborem malam fuisse nemo dubitat, et tamen fructum bonum fecit quando cum cæteris discipulis Dominum secutus est? Ad quod respondendum. quia tandiu bona arbor, id est bonus homo, bonos fructus facit, quandiu in bona intentione perseverat: et mala arbor tandiu malos fructus facit, quandiu mala intentio perdurat. Sicut enim ex radice arboris procedit fructus, ita ex radice intentionis, fructus operationis, et ideo necesse est ut qualis fuerit intentio, talem proferat fructum, Domino dicente: Qualis fuerit intentio tua, tale erit et opus tuum. Cæterum et is qui videtur esse bonus, si a bona intentione cessaverit, malos fructus facere potest: et is qui putatur malus, si per pœnitentiam præterita mala correxerit, bonos fructus facere potest. Juxta quem sensum et David. arborem utique bonam malum fructum fecisse legimus, quando homicidium pariter et adulterium perpetravit: e contra Nabuchodonosor, cum esset arbor mala, fructum bonum fecit, quando Deum Danielis in universo regno suo adorari jussit. Similiter et Jethro, cum prius mala esset arbor, bonum fructum fecit, quando Moysi utile consilium dedit. Paulus quoque cum bona esset arbor, malos fructus fecit, quando Ecclesiam Dei est persecutus. Et quia ea, quæ occulta sunt hominibus, Deo placent, quomodo homines in- C ter bonas et malas arbores discernere valeant, Dominus manifestat, cum adjungit:

« Unaquæque enim arbor ex fructu cognosci- « tur. » Sicut enim visibiles arbores ex fructu discernimus, cujus generis vel saporis sunt, ita spiritales arbores, id est homines, ex operibus discernere possumus, cujus intentionis sint. Nam si quales mala arbor proferat fructus, vel ex quibus cognosci possit, Paulus apostolus denuntiat cum ait: « Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, averitia, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones et æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, ebrietates, comessationes, quæ prædico vobis sicut prædixi, quod qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (*Gal.* V). » At D vero quales bona arbor proferat fructus, idem ipse ostendit cum adjungit: » Fructus enim spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, adversus hujusmodi non est lex (*Ibid.*). » Hos fructus gratulabatur se protulisse Propheta, cum dicebat: « Ego autem sicut oliva fructifera in Domo Dei speravi in misericordia Dei in æternum et in sæculum sæculi (*Psal.* LI). » Qualem arborem etiam alibi descripsit, dicens: « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. et in via peccatorum non stetit (*Psal.* I). » Adjiciens: « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum quod fructum

suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet (*Psal.* I). » Et iterum : « Justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur (*Psal.* XCI). » At vero mala arbor qualem finem habeat, Dominus in Evangelio ostendit, cum dicit : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* VII), » qualem arborem describit Jeremias propheta, cum dicit : « Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum (*Jer.* XVII). » De qua adhuc subditur : « Non enim « de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant « uvam. » Spina et rubus arbores sunt plenæ aculeis, ita ut vix aut nullo modo absque læsione tractari possint : quibus contrariæ sunt vitis et ficus, quæ et gustum dulcis saporis, et fragrantiam habent suavis odoris. Ergo per spinam et rubum vitia et peccata significantur, de quibus primo homini dictum est, « Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* III). » Sunt enim nonnulli, in quibus ita aculei peccatorum abundant, ut eorum societas absque læsione haberi non possit, quoniam cum male in seipsis vivant, proximis amari, asperi et insuaves existunt vel male vivendo, vel injurias irrogando. Sunt vero alii, qui velut vitis, dulcem cœlestis patriæ memoriam in suis operibus ostendentes, et fragrantiam bonæ opinionis reddentes, ad amorem cœlestem alios pertrahunt, non solum in terrenis substantiis necessitatem indigentium sustentando, sed etiam in spiritualibus eruditionibus verbum vitæ suaviter ministrando. Sed quia illi, in quibus compunctiones facinorum abundant, habere non possunt, Domini voce declaratur, cum dicitur : « Non enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam, » possumus per spinam et rubum hæreticorum pravam doctrinam accipere, quæ animas audientium cruentat et laniat. Hi autem in tantum fugiendi sunt, ut, in quantum fieri potest, nulla participatio, nec collocutio cum eis habeatur : quia, sicut ait Scriptura, « qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea (*Eccli.* XIII), » et « qui dissipat sepem, mordebit eum coluber (*Eccle.* X). » Unde nos Apostolus admonet, dicens : « Hæreticum hominum post unam et secundam correptionem devita, sciens quia perversus est hujusmodi (*Tit.* III). » Sed quamvis spina botrum non gignat, solet tamen vitem cum botro sustinere. Cernimus enim aliquoties in vineis caricem ex spinis vitem cum botro sustinere. Et cum ex alta radice botrus procedat, frequenter tamen spina vitem cum botro sustentat. Quid ergo faciendum? Nunquid propter spinam relinquenda est uva? Non. Sed, sicut ait quidam de sapientibus, sic colligendus est botrus, ut tamen caveatur spina. Juxta ergo hanc similitudinem, quia in suis assertionibus quædam bona et utilia docent, ab ecclesiasticis viris prius discernendi sunt, et postmodum bona carpenda, et mala fugienda. Quod in Scripturis Veteris Testamenti figurate ostendit (*Exod.* XI), quando egredientibus filiis Israel ex

A Ægypto, præcepit eis ut mutuarent a vicinis suis vasa aurea et argentea non pauca, et exspoliarent Ægyptum. Per aurum enim nitor eloquii designatur, Salomone dicente : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (*Prov.* XVI). » Per argentum, quod sonat et lucet, subtilitas prædicationis exprimitur, Psalmista teste : « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI). » Quasi enim vasa aurea et argentea ab Ægyptiis mutuamus, quando ab hæreticis vel paganis sententias utiles nostræ fidei necessarias discimus : quod illi facer debent, qui in fide catholica ita radicati sunt, ut subtilitas hæreticæ pravitatis nullo modo eis nocere possit. Unde Dominus alibi in lege figurate præcepit, dicens : « Cum egressus fueris ad pugnam contra hoB stes tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manus tuas, captivosque eos duxeris, si videris in numero feminarum puellam quæ oculis tuis placeat, volueris que eam habere uxorem, introduces eam in domum tuam, ita tamen, ut prius radas cæsariem capitis ejus, et præcidas summitates unguium, maneatque in domo tua lugens patrem suum et matrem uno mense. Postea vero ingredieris ad eam, et erit tibi uxor (*Deut.* XXI ; *Jud.* III). » Quasi enim spiritaliter ad bellum contra hostes nostros pergimus, quando cum hæreticis de fide et religione Christiana conflictum habemus, cumque divina auctoritate a nobis superati fuerint, si viderimus in eorum disputationibus sententias nostræ fidei utiles et necessarias, debemus eas accipere nobis in uxorem, quia uxor viri sapientia vocatur, ita tamen, ut prius raC damus cæsariem capitis ejus, et præcidamus summitates unguium, id est quidquid hæreticum, quidquid distortum et pravum in eorum doctrina invenitur, adjiciamus et respuamus. Sed et si aliqui ex hæreticis ad catholicam fidem converti voluerint, recipiendi sunt, ita tamen, ut pristinum errorem anathematizent. Exponens autem Dominus quid dixerit in eo quod ait : « Non enim de spinis colligunt ficus, « neque de rubo vindemiant uvam, » adjunxit dicens :

« Bonus homo de bono thesauro cordis sui pro« fert bonum, et malus de malo profert malum. » Thesaurus dicitur locus ubi ponitur aurum, qua θέσις Græce, Latine positio dicitur. Thesaurus ergo in hoc loco intentionem significat cordis, juxta illud D quod alibi ait : « Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum (*Matth.* VI). » « Bonus ergo homo de bono thesauro cordis sui profert bonum (*Matth.* XII), » quia de bono desiderio cordis procedit loquela boni sermonis : similiter et « malus homo de malo thesauro profert malum (*Ibid.*), » quia ex mala intentione cordis procedit fructus pravæ operationis, juxta illud quod Dominus ait : « Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, ebrietates, homicidia, furta, blasphemiæ (*Matth.* XV) » et his similia. Unde adhuc subjungit, dicens : « Ex abundantia cordis os loqui« tur. » Ubi forte quærit aliquis quare dicat, » Ex abundantia cordis os loquitur, » cum sæpe homines,

et maxime illi qui hypocritæ appellantur, alia pro A aliis mentientes, et fallant alios, et fallantur ab aliis. Sed facilis ad hæc patet responsio, quia si hominibus hæc occulta sunt, Deo tamen manifesta sunt, qui clarius videt ea quæ sunt in corde, quam tu videre possis quæ sunt in facie, dicente Scriptura : Quæ sunt in corde hominis, oculi tui vident, Domine. Illi ergo soli « ex abundantia cordis os loquitur, » cujus oculis nuda et aperta sunt omnia (*Hebr.* IV), et ante videt intentionem, quam lingua proferat sermonem. Sed non semper latere possunt homines hypocritæ, quoniam quæ in corde ardenter diligunt, frequenter in sermone proferunt. Qui enim toto corde Deum sciunt, etiam sermonibus suum desiderium ostendunt, juxta illud sapientis :

Mentibus instat amor, sermonibus æstuat ardor. B

Sed quia sunt nonnulli, ut diximus, qui ut homines fallere possint, judicium Dei non metuunt, recte increpatio subinfertur, cum dicitur :

« Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non « facitis quæ dico ? » Dicere enim Domine, Domine, ad fructum bonæ arboris pertinere videtur, et ad boni thesaurum cordis ; sed non facere quæ jubet, magis ad contumaciam pertinet, quam ad obedientiam, quoniam sicut Apostolus ait de falsis fidei professoribus : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I). » Quales Dominus per prophetam reprobat, dicens : Populus autem hic labiis me honorat, cor « autem illorum longe est a me (*Isa.* XXIX). » Et alibi in Evangelio : « Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum C (*Matth.* VII). » Unde fatuis virginibus ad januam sponsi clamitantibus : Domine, Domine, aperi nobis, dicturum se esse testatur : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV). » Suos enim confessores, præceptorum suorum vult esse operatores. Unde adhuc similitudinem adjungit, dicens :

« Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, « et facit eos, ostendam vobis cui similis est. » Et pulchre postquam dixit, « et audit sermones meos, » adjunxit « et facit eos : » quia ut ait Apostolus : « Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores justificabuntur (*Rom.* II). » Et ipse in Evangelio Salvator cum dixisset : « Beati qui audiunt verbum Dei, » adjunxit, « et custodiunt illud (*Luc.* XI). » Unde alibi Dominus discipulos suos beatificat, di- D cens : « Scitis hæc ? beati eritis, si feceritis ea (*Joan.* XIII). » Hinc et Joannes in Apocalypsi sua cum dixisset : « Beatus qui audit et legit verba libri hujus, » continuo adjunxit : « et servat ea quæ in ea scripta sunt (*Apoc.* I). » Illos enim specialiter Dominus suos recognoscit, qui cum recta fide bona opera adjungunt. Unde Psalmista cum in laude sanctorum diceret, « Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, » adjunxit : « Custodiebant testimonia ejus et præceptum quod dedit illis (*Psal.* XCVIII). » Et alibi : « Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore (*Psal.* X). » Qui ergo talis est, merito ipsius Domini imitator efficitur, sicut subjungitur :

« Similis est homini ædificanti domum, qui fodit « in altum, et posuit fundamenta supra petram. » Homo iste per similitudinem Dominus Jesus Christus est : quia ædificat domum, videlicet sanctam Ecclesiam, non ex lapidibus et lignis visibilibus, sed ex pretiosis et imputribilibus animabus sanctorum. De qua per Prophetam dicitur : « Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum (*Psal.* XCII). » « Qui fodit in altum, » quia terrenam cupiditatem radicitus a cordibus fidelium suorum abscidit. « Posuit autem fundamentum supra petram, » quia fidem Ecclesiæ super seipsum constituit vel stabilivit, sicut Petro, cui a firmitate petræ nomen impositum est, dicit : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI). » Petra enim Christum significat, sicut ait Apostolus : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X). » Quod vero subjungit : « Inun« datione autem facta, illisum est flumen domui illi, « et non potuit ea moveri. » Manifeste patet, quia sæpe persecutionibus concussa est Ecclesia, non tamen a fide commota, aliquando paganorum infestationibus, aliquando falsorum fratrum perversis dogmatibus, aliquando impulsione dæmonum, vel propriæ fragilitatis, sed contra hæc omnia firma stat Ecclesia, quia non in se confidit, sed in Christo, dicens cum propheta : « In petra exaltasti me, deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici (*Psal.* LX). » Et iterum : « Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos (*Psal.* XXXIX). » Unde et subditur : « Fundata enim « erat supra petram, » id est supra Christum. De quo ait Apostolus : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III). » Sicut enim in ædificationibus nihil fundamento prius ponitur, sic quicunque amorem Dei omnibus rebus præponit, etsi pulsari potest, tamen cadere nescit : quia superjecta titubare nesciunt, quando fixa stant ea quæ continent. Unde alibi de Ecclesia dicitur : « Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI). »

HOMILIÆ ALIQUOT DE SANCTIS

Tum propriæ singulis, tum communes omnibus.

HOMILIA PRIMA.

IN DIE CELEBRI SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

(MATTH. IV.) « In illo tempore : Ambulans Jesus « juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, « qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus. » Et reliqua. In omnibus operibus suis, quæ Dominus Jesus Christus nobis ad imitandum ostendit, hoc declarare dignatus est, quia si virtutes animæ volumus accipere, prius tentationum stimulos debemus superare. Denique prædicaturus mundo Evangelium prius a Joanne baptizatus, secessit in desertum, ibique quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunans, trinam tentationem diaboli superavit : ac inde egressus, ambulans juxta mare Galilææ, ut præsens lectio narrat, discipulos elegit : nos nimirum in hoc facto instruens, quia si volumus bonum accipere, prius a malo debemus declinare. Est enim ordo recte vivendi, ut prius vitia superet, qui virtutes vult accipere : quia superato diabolo Dominus discipulos eligere voluit, ut ostenderet nobis tunc virtutum culmen posse ascendere, quando tentationes diaboli fortiter superaverimus, quoniam sicut ait Apostolus, « Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit. Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V). » Sed de vocatione apostolorum locuturi, primum de situ loci, in quo hæc facta fuisse memorantur, aliqua commemoranda sunt. Hoc enim mare, quod nunc Galilææ dicitur, propter varietates adjacentium locorum, variis censetur nominibus. Dicitur enim mare Galilææ, propter adjacentem provinciam Galilæam. Dicitur et mare Tiberiadis, a Tiberiade civitate. Dicitur et stagnum Genezareth, eo quod flantibus ventis, crispantibus undis, auram ex se generare videatur. Dicitur et lacus Genezareth, propter eamdem civitatem sibi adjacentem. Et a quibusdam mare asphaltum, propter inopportunitatem portus vocatur. Extenditur autem in longitudine centum quadraginta stadia, in latitudine quadraginta. Nec propterea mare dicitur, eo quod amaræ sint aquæ ejus, sunt enim dulces ad potandum, habilesque ad piscandum ; sed idioma linguæ Hebrææ est omnes congregationes aquarum vocare mare, sicut in Genesi scriptum est (*cap.* I) : « Congregationes aquarum appellavit maria. » Sed ut hæc spiritaliter consideremus, non ab re putandum est, quod evangelista Dominum non sedisse, nec stetisse, sed deambulasse juxta mare Galilææ descripsit. Ipsa

A enim motio Dominici corporis, a mysterio vacua non est putanda. Mare ergo in hoc loco, mundum significat. Et pulchre, quia sicut mare immobile esse non potest, sed semper accedit et recedit, sic mundus diversis perturbationibus et fluctuationibus commovetur. Hinc per Psalmistam dicitur : « Commovisti, Domine, terram (*Psal.* LIX). » Unde mare a meando dicitur, eo quod semper accedat et recedat, significat, ut dictum est, mundum, qui crescit nascendo, decrescit moriendo, elevatur in prosperis, dejicitur in adversis. Ad hoc ergo mare Dominus venit, quando per incarnationis suæ mysterium mundo visibilis apparuit, quando, ut ait Apostolus, « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum (*Phil.* II). » Non autem stetisse B vel sedisse, sed perambulasse dicitur, quia non, sicut cæteri mortales in mundo cum esset natus, ut cæteri homines permansit, sed post doctrinam sancti Evangelii, post ostensionem miraculorum, post suam sacram passionem resurgens a mortuis, victor ad cœlum rediit, sicut ipse ait : « Exivi a Patre (*Joan.* XVI), » et reliqua, hoc significavit deambulatio ejus. De cujus motione vel transitu per Petrum dicitur : « Qui pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo. » Neque illud absque consideratione prætermittendum est, quod Dominus discipulos electurus, juxta mare ambulavit, qui postea coram illis super fluctus maris ambulasse narratur. Ut enim diximus, mare mundum significat. Discipulis ergo in mari piscantibus, Dominus secus mare C ambulavit, quia etsi venit in mundum per naturam, alienus fuit tamen a mundo per culpam. Quoniam sicut Petrus veracissime testatur : « Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II). » Sed forte quærit aliquis, quare Dominus discipulos primum a Galilæa eligere voluit, et non a Judæa, vel cæteris regionibus, quæ nobiliores putabantur. Ad quod, qui curiosus est, respondere potest, quia quamvis gloriosa Domini nativitas prius in Judæa sit celebrata, tamen ejus sancta conceptio primum in Galilæa ab angelo virgini est annuntiata, Luca evangelista teste, qui ait : Eodem tempore « missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph (*Luc.* I). » Et post pusillum adjecit : « Ne timeas, D Maria, invenisti gratiam apud Dominum, ecce concipies et paries filium (*Ibid.*). » Dignum enim erat, ut ubi caput nascendi sumpserat exordium, inde membra horum acciperent incrementum : et ubi ortum

primum sol justitiæ dederat, inde stellæ fulgentes mundo apparerent: et ubi virgo audierat: «Ecce concipies (*Luc.* I),» ibi piscatores audirent: «Venite post me.» Sive ideo a Galilæa Dominus discipulos eligere voluit, quia per virtutem miraculorum, per manifestationem suam, primum in Galilæa mundo innotuit. Primum enim miraculum in Cana Galilææ fecisse legitur, quando ex aqua vinum fecit «et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus (*Joan.* II).» Et Petrus: « Vos scitis verbum, quod factum est in universam Judæam, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth, incipiens a Galilæa (*Act.* X).» Nos autem dicimus primum discipulos a Galilæa eligere voluisse, propter sacramentum ipsius nominis. Galilæa namque *transmigratio facta* sive *revelatio perpetrata* interpretatur, et cum Dominus discipulos a Galilæa elegit, nos instruxit, ut si ejus discipulatui adhærere volumus, primum divitiis ad virtutes transmigrare debemus, et de mundi amore ad amorem Dei, dicentes cum Propheta: « Quoniam advenæ et peregrini sumus apud te, sicut omnes patres nostri (*Psal.* XXXVIII), » ut in Galilæa, id est in revelatione æterna faciem Domini contemplantes, dicamus cum Apostolo: « Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes, transformamur a claritate in claritatem, tanquam a spiritu Dei (*II Cor.* III). »

« Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, « et Andream fratrem ejus, mittentes retia sua in « mare, et vocavit eos. » Videre Dei, eligere est, sicut nescire, reprobare. Sicut enim illos nescit, quos reprobat, unde in finem reprobis dicturus est: « Nescio vos unde sitis (*Matth.* XXV): » sic videre eos dicitur, quos in æterna præsentia elegit, sicut cuidam dictum est: « Cum esses sub ficu, vidi te (*Joan.* II). » Vidit ergo Dominus Petrum et Andream, quos per prævenientem gratiam in sorte apostolatus dignos elegit. Sed nec illud prætermittendum est, quod in prima sua vocatione carnales fratres elegit. Petrus enim et Andreas fratres erant non solum spiritu, sed etiam carne germani. Cum ergo carnis fratres elegit, ostendit, qui ejus discipulatui volumus adhærere, fratres esse debemus non carne, sed spiritu: non genealogia, sed charitate. Omnes quoque qui in Christo regenerati sumus, unum Patrem habemus Deum, cui quotidie in oratione dicimus: « Pater noster, qui es in cœlis (*Matth.* VI), » de quo ipse ait in Evangelio: « Et patrem nolite vocare vobis super terram, unus est Pater vester qui in cœlis est (*Matth.* XXIII). » Hujus filios nos esse gloriemur, dicentes cum Apostolo: « Filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus (*I Joan.* III). » Mater vero nostra sancta Ecclesia est, quæ nos per fidem et sacramentum baptismatis quotidie spiritaliter generat. Quibus ergo unus est Pater Deus, et una mater Ecclesia, consequens est, ut fratres sint, id est ut unum sentiant, idipsum sapiant, non dissideant, non discordent, ut in eorum numero computentur quibus Salvator ait: « Omnes enim vos fratres estis (*Matth.* XXIII). » Hos enim spiritales fratres admirabatur Propheta, cum dicebat: « Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII). » Notandum autem, quod duos fratres elegit, ut non ostenderet quia suos discipulos geminam vult habere charitatem, dilectionem scilicet Dei et proximi. « Væ enim soli, » ait Scriptura, « quia cum ceciderit, non habet sublevantem (*Eccle.* IV). » Cujus rei gratia Dominus binos elegit; binos ad prædicandum postea misit, ut ostenderet quia prædicationis officium non debet suscipere, nisi qui dilectionem Dei et proximi habet in pectore. Vel certe binos elegit ad confirmandam auctoritatem, qui duorum Testamentorum doctores fierent, ut impleretur in eis quod ipse alibi ait: «Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII). » « Erant enim piscatores. » Piscatores et illitterati a Domino eliguntur, ne fides credentium, quæ per eorum doctrinam et prædicationem instruenda erat, in eloquentia verborum, et non in virtute Dei fieri putaretur. Magister humilitatis, qui veniens in mundum ait: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI), » humilitatis exemplum, quod in omnibus operibus suis ostenderet, etiam in vocatione apostolorum servare voluit. Non enim elegit matrem potentissimam, sed quantum sanctissimam, tantum pauperrimam, in tantum ut non inveniret agnum, quem pro Filio offerret. Nec natus est in domibus cedrinis laqueatis et vario picturæ colore decoratis, sed reclinatus est in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio. Neque involutus est vestibus purpureis, auro et margaritis resplendentibus: sed sicut scriptum est: « Pannis eum involvit (*Luc.* II). » Hanc ergo humilitatem, quam in his et his similibus servaverat, in vocatione duorum, non deseruit, quia non elegit potentes vel filios regum, non philosophos vel sapientes mundi, sed pauperes simplices, qui quotidianum victum arte piscandi quærerent, per quorum tamen doctrinam et prædicationem potentes mundi et sapientes ad suam fidem vocavit, quia sicut Apostolus ait: « Mundus non cognovit per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (*I Cor.* I). » Et iterum: « Nam sermo noster et prædicatio non fuit in humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute (*II Cor.* II), » ut non evacuetur crux Christi. « Quia non multi potentes non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobiliora et contemptibiliora mundi elegit, ut confundat sapientes: et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I). » Sed quid de talibus Dominus dicat, videamus: « Et ait illis: Venite post me. » Bene quidem Petrum et Andream vidisse dicitur, ac postmodum ad sequendum vocasse, quia omnes electos prius ex interna Dei præsentia ad sequendum vocat, diciturque eis:

« Venite post me, » Quid est dicere, « Venite post me, » nisi me sequimini, meis præceptis et non vestris voluptatibus obedite? ire enim post Dominum, est ejus vestigia imitari, sicut ipse ait : « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum (*Matth.* XVI), » etc. Et iterum : « Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non est me dignus (*Luc.* XIV). » Unde in lege præcipitur : Post Dominum Deum tuum ambulabis. Quid autem in promissione dicat, audiamus. Ait enim : « Faciam vos fieri piscatores hominum. » Non dicit piscatores piscium, sed piscatores hominum : nomen mutavit, officium non abstulit. Nam post resurrectionem legimus eos isse piscatum. Et congrue de piscatoribus piscium, piscatores hominum facere voluit : quia sicut officium est piscatoris navem ascendere, retia manibus tenere, et de profundis gurgitibus pisces ad littus trahere : sic isti in gremio Ecclesiæ recepti, navem fidei ascendentes, retia prædicationis in verbo et opere habentes, de amarissimis et tenebrosis mundi gurgitibus, multos homines ad veram lucem traxerunt, quæ ait : « Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris (*Joan.* VIII), » impleta prophetia quæ dicit : « Populus qui ambulat in tenebris (*Isa.* IX), » etc. Vide Petrum Hierosolymis retia in manibus tenentem, et multos pisces spiritaliter de profundis gurgitibus capientem. Legimus enim ad ejus prædicationem una die quinque millia, altera tria millia hominum credidisse. Vide beatum Andream, cujus hodie festivitatem colimus, in Achaia retia in manibus tenentem, et multos pisces spiritaliter capientem. Non solum enim ad ejus prædicationem tota civitas, sed etiam tota regio credidisse legitur, sicut ipse ait : « Christus me misit ad istam provinciam, ubi non parvum populum acquisivi. » Istos piscatores pollicebatur Ecclesiæ Dominus, cum per prophetam dicebat : « Mittam piscatores meos, et piscabuntur eos : venatores meos, et venabuntur eos de omni monte et de omni colle (*Jer* XVI). » Sed libet suaviter intueri quod Dominus, qui Petrum et Andream de arte piscandi elegit, Paulum quoque qui non minoris gratiæ fuit, de arte scenofactoria ad prædicationis officium vocavit. Sicut enim isti convenienter de piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt, sic decenter ille, qui erat tabernaculorum corporalium ædificator, ad spiritalia tabernacula construenda translatus est. Ædificavit ergo spiritalia tabernacula, cum sua prædicatione ab humanis mentibus culturam dæmonum expulit, ut habitaret Christus per fidem in cordibus eorum. Ædificavit etiam spiritaliter Christo tabernacula, quando ab Hierusalem usque Illyricam replevit Evangelio Christi : ut qui corporalia tabernacula morituris hominibus ædificabat, postmodum inciperet spiritualia Deo, ut diximus, construere in animabus in sempiternum victuris. Ædificabat tabernacula Deo, quando prædicabat, « Reddite omnibus debitum : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal (*Rom.* XIII), » etc. Vel quando præcipiebat (*Eph.* IV, V), qualiter viri erga mulieres, et mulieres erga viros deberent esse : qualiterque parentes erga liberos, et filii erga parentes : qualiter servi erga dominos, et domini erga servos. Quarum pulchritudinem tabernaculorum admirabatur propheta, cum dicebat : « Quam pulchra tabernacula, Jacob, et tentoria tua, o Israel (*Num.* XXIV). » Et Psalmista : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum (*Psal.* LXXXIII), » etc. Domini jussionem obedientia secuta est apostolorum. Nam sequitur :

« At illi continuo relictis retibus et navi, secuti sunt « illum. » In quorum opere nostra superbia confunditur, nostra duritia redarguitur, qui quotidie flagellis atterimur, et minis terremur, signis provocamur, promissionibus sublevamur et tamen vocantem sequi contemnimus. At vero illi non hunc miracula facientem viderant, non ejus promissionibus sublevati fuerant, et tamen ad unius jussionem relictis omnibus secuti sunt illum. Sequamur ergo et nos eos, quos in Christo patronos habere meruimus, ut eorum exemplo incitati, saltem post multas admonitiones et promissiones sponte relinquamus quod quotidie amittimus, ut impleatur promissio Domini, dicentis : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » Ille enim in cœlo sedet, qui adhuc in terris de conversione nostra monet. Sed solent hi, qui proprias voluntates abrenuntiare volunt, paupertatis occasionem in sua excusatione prætendere, dicentes : Imitari contemptores mundi volumus, sed quod relinquamus non habemus. Quibus nos respondemus, quia Deus omnipotens in abrenuntiatione mundi, non censum, sed votum pensat, nec perpendit quod habeas in arca, sed qualem habeas conscientiam. Unde si habeas temporalem rem, vende : si autem non habes, de magno onere liberatus es. Tanto ergo liberius Christum sequi potes, quanto minus divitiarum funibus fueris illigatus. Considerare etiam tales monemus, quid et quantum nostri sancti patres reliquerint. Nonne retia et navem? Et tamen postea Domino promittente audire meruerunt : « Omnis qui reliquerit domum, agros, patrem et matrem, uxorem et filios, fratres et sorores propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit (*Matth.* XIII). » Petrus in persona omnium libere respondit : « Domine, ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? « Et ille qui (ut diximus) non censum, sed votum pensat, ait : « Amen dico vobis, quia vos qui reliquistis omnia et secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Ibid.*). » Parum videtur Petrus et Andreas reliquisse in retibus et navi, et magnam gratiam et præmium a Domino accepisse. Sed tamen multum reliquerant, qui voluntatem habendi abnegaverunt. Tantum enim a sequentibus relinquitur, quantum a non sequentibus concupisci potest. Quoniam regnum Dei, quantum habes, tantum valet. Valuit Zachæo dimidium substantiæ, va-

luit Petro et Andreæ navem et retia : sicut cum omnia quæ relinquerent, nihil profuit Hermogeni et Socrati, quia Christum non fuerunt imitati. Valet etiam calicem aquæ frigidæ,et si hæc omnia defuerint, sola bona voluntate comparari potest. Quia Domino nato, cœli cives in terris visi sunt, qui clamarent : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). » Bene autem postquam dixit, « relictis omnibus,» adjunxit, «secuti sunt eum. » Quoniam in vacuum omnia sua reliquit, qui Christum non sequitur, id est, imitatur.Sed inter hæc omnia considerandum est,qualis artifex sit Spiritus sanctus,qui sine mora mentem, quam tangit, non solum immutat, sed etiam habet et docet.Tetigit puerum citharœdum,et Psalmistam fecit (*I Reg.* XVI). Tetigit armentarium sycomoros vellicantem, et prophetam fecit (*Amos.* VII). Tetigit abstinentem juvenem, et judicem senum fecit(*Dan.* XIII). Tetigit publicanum, et evangelistam fecit (*Matth.* IX). Tetigit persecutorem, et doctorem gentium constituit(*Act.*IX).Tetigit Petrum et Andream, et piscatores piscium apostolos statuit. Rogandus est ergo a nobis artifex et devotissimis precibus supplicandus, ut mentes nostras tangere dignetur, cujus solummodo tetigisse docuisse est.

« Et procedens inde vidit alios duos fratres, Ja« cobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus,in navi « cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, « et vocavit eos. Illi autem statim,relictis retibus et « patre, secuti sunt eum. » Geminata in binis vocatio superiorem narrationem confirmat. Non solum enim semel, sed et iterum bini vocati sunt discipuli : quia duo sunt, quæ erga charitatem proximis sollicite servare oportet. Primo, ut nullum lædamus : secundo,ut bonum, quod possumus,impendamus, quoniam qui dixit : « Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris (*Tob.* IV), » ipse alibi ait : « Quod vultis ut faciant vobis homines,et vos facite illis (*Matth.*VII), » Zebedæus interpretatur *dealbatio*, significat diabolum.Cui ideo recte nomen dealbationis convenit, quia cum sit et merito tenebrosus, ut ait Apostolus, transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* XI). Filii ergo Zebedæi isti discipuli, qui a Domino vocati sunt, fuisse memorantur : quia, ut ait Apostolus (*Eph.* II): Omnes iræ filii sumus, antequam redimeremur, non conditionis naturæ, sed imitatione et primi parentis prævaricatione. Navis Zebedæi, infidelitatem significat : cujus navis instrumenta vitia sunt et peccata. Qualia Paulus apostolus enumerat, dicens :« Manifesta autem sunt opera carnis,quæ sunt fornicationes,immunditiæ,impudicitiæ, avaritiæ, idolorum servitus, veneficia, et his similia (*Gal.* V). » Sicut autem isti discipuli vocati a Domino, relicto patre, secuti fuerunt, et ultra ad patrem non dicuntur reversi,sic et nos, qui de potestate diaboli per divinam gratiam liberati ad cœleste regnum sumus vocati, nec propter amorem parentum,nec cujuscunque cupiditatis obtentu, ulterius ad eum debemus,redire propter illud quod Dominus dicat : « Quia nemo mittens manum in aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei (*Luc.* IX) : » sed infatigabiliter usque in finem in bono opere perseverare, quia, sicut ait Salvator : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X). » Unde cuidam dicenti : Domine, sequar te quocunque ieris, sed dimitte me prius sepelire patrem meum, respondit : «Sine mortuos sepelire mortuos suos (*Matth.* VIII). » Tu autem sequere Christum. Sed his de vocatione discipulorum breviter dictis, libet intueri quod non frustra Dominus in prima sua vocatione quatuor discipulos elegit. Quaternarius enim numerus perfectus est,et in suis partibus divisus, perfectionem significat. Dividitur namque in unum, duos et tres. Unum ergo, quod est prima pars ejus, perfectionem significat. Quia « unus Dominus, una fides,unum baptisma, unus Deus et Pater omnium (*Eph.* IV). » Duo, quod est alia pars ejus,ad perfectionem pertinent, propter duo Testamenta,vel propter geminam dilectionem.Tres vero, propter individuam Trinitatem, et propter tria tempora, ante legem, sub lege, et sub gratia: vel quia homo interior ex tribus rebus constat, memoria, sensu et voluntate. Quaternarius autem numerus perfectus est, propter quatuor Evangelia, vel quatuor tempora anni, sive propter quatuor elementa, ex quibus constamus in exteriore homine, aere, igne, terra et aqua : frigida, calida, sicca et humida : seu propter quatuor flumina, quæ egrediuntur de paradiso : vel certe propter quatuor principales virtutes,prudentiam scilicet et temperantiam,fortitudinem et justitiam. Has etiam virtutes non solum in numero,sed etiam in nominibus isti discipuli significant. Petrus enim, qui a quibusdam *agnoscens* interpretatur, prudentiam significat: cujus virtutis prima pars est, Deum ejusque voluntatem cognoscere : quia sicut insipiens est, qui dicit in corde suo, non est Deus (*Psal.* XVIII), ita prudens, qui cognoscit Deum. Hanc virtutem in se habuit, qui corde, hominem videns, Deum cognovit, dicens : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). » Andreas,qui *virilis* interpretatur, fortitudinem significat.Quam virtutem non solum in nomine,sed etiam in opere habuit,quia in fide recta usque ad passionem viriliter perseveravit in tantum, ut etiam cum duceretur ad crucifigendum, videns crucem, cum gaudio diceret : Salve, crux pretiosa, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata es,gaudens et exsultans venio ad te,ut suscipias me ab hominibus,et reddas me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te redemit me. Per Jacobum, qui interpretatur *supplantator*, justitia designatur,quæ iniquitatem supplantare et æquitatem novit diligere.Quam in omnibus actibus nostris habere debemus, sicut propheta dicit :« Indicabo tibi, homo (*Mich.* VI), » et reliqua. Joannes qui interpretatur *gratia Dei*, vel *in quo est gratia*, temperantiam designat, quæ alio nomine discretio vocatur, et est mater omnium virtutum. Hanc vir-

tutem habebat ille qui dicebat : « Angelus noster es an adversariorum (*Joan.* v) ? » Ut enim homo prudens, fortis et temperatus sit, non a se habet, sed per divinam gratiam accipit. Cum ergo Dominus in prima sua vocatione quatuor discipulos suos elegit, in ipso numero nobis innotuit, quia si ejus discipuli esse volumus, has quatuor virtutes habere debemus : ut simus Petrus, bonum agnoscendo, ut videamus præterita, præsentia et futura, propter illud quod Dominus admonet, dicens : « Estote prudentes sicut serpentes (*Matth.* x). » Et ipse Petrus, « Estote prudentes et vigilate in orationibus (*I Petr.* iv). » Andreas, viriliter, quod bonum cognoscimus, per fortitudinem tenendo, sicut angelus admonet Joannem in Apocalypsi, dicens : « Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente (*Tit.* ii), » etc. Jacobus, vitia cum justitia supplantando, ut in omnibus actibus justitiam teneamus, sicut ait Apostolus: « Juste et pie vivamus (*Tit.* ii). » Et Salomon : « Diligite justitiam qui judicatis terram (*Sap.* i). » Joannes gratiam Dei adipiscendo. Et cum ipso discretionem habeamus, ut inter bonum malumque discernentes, bonum teneamus et malum relinquamus, propter illud Apostoli : « Omnia autem probate, quod bonum est tenete (*I Thess.* ii). » Quod cum fuerimus, habebimus in quadriga Cherubim faciem hominis per prudentiam, leonis per fortitudinem, vituli per justitiam, aquilæ per discretionem. Allegorice autem per hos quatuor discipulos, ut quidam dicunt, duo populi figurantur. Petrus enim, qui interpretatur *agnoscens*, populum Judæorum significat, qui in cæremoniis observandis Deum cognovit. Id idem significat Jacobus, qui gentilem fratrem suum prius credendo supplantavit. Andreas, qui interpretatur *virilis*, populum gentium significat, qui postquam Deum credidit, viriliter in fide permansit. Eumdem significat Joannes, qui interpretatur *gratia Dei*, quia gentilis populus, gratia Dei subveniente, salvari meruit, non suis meritis, sed sicut Paulus dicit : « Gratia Dei salvæ factæ sunt gentes (*Ephes.* ii). » Imitemur ergo hos Dei apostolos, ut per gratiam ipsius mereamur salvari, quemadmodum et illi. Quod ipse præstare dignetur, qui sine fine vivit et regnat, etc.

HOMILIA II.

IN NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

(Luc. i.) « In illo tempore : Elizabeth impletum « est tempus pariendi, et peperit filium. Et audie- « runt vicini et cognati ejus. » Et reliqua. Non solum opera et virtutes sanctorum plenæ sunt admirationibus, sed etiam ipsa verba, quibus ad memoriam posterorum scribuntur, aliquando a mysteriis vacua non sunt. Quod in exordio hujus lectionis evangelista ostendere voluit, cum præcursoris Domini nativitatem descripturus, ait : « Elizabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. » Verbum impletionis Scriptura sacra in bonorum tantum ortu, actu vel obitu ponere consuevit. Denique impleti sunt dies Mariæ parere filium. Et Elizabeth impletum est

A tempus pariendi. Et Salomon implevit ædificare domum Domini(*III Reg.* ix). Mortuus est autem Abraham, vel alius aliquis patrum, senex et plenus dierum. Merito enim in operibus sanctorum impletio commemoratur, quia etiam in brevi tempore ad cumulum perfectionis perveniunt, sicut de uno illorum scriptum est : « Consummatus in brevi explevit tempora multa (*Sap.* iv), » quia placita erant Deo opera illius. Ut ergo ostenderet evangelista quantæ perfectionis præcursor Domini futurus esset, in ipso ortu nativitatis ejus, verbum impletionis ponere ratum duxit. At contra dies impiorum inanes et vacui, qui licet longo tempore feliciter vivunt, nunquam tamen ad cumulum perfectionis perveniunt. De quibus Psalmista ait : « Viri san-
B guinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (*Psal.* liv). » Et sicut de eorum principe per beatum Job dicitur : « Antequam dies ejus impleantur, peribit : et ut incaluerit sol, solvetur de loco suo (*Job* vi). » Horum umbraticam felicitatem sine perfectione transitura despexerat Psalmista, cum dicebat : « Vidi impium super exaltatum (*Psal.* xxxvi), » etc.

« Et audierunt vicini ejus quia magnificavit Domi- « nus misericordiam suam cum illa, et congratula- « bantur ei. » Concordet autem hæc evangelistæ narratio cum præmissa promissione evangelica. Cum enim angelus Zachariæ nasciturum Joannem promitteret, inter cætera ait : « Et erit tibi gaudium et exaltatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt (*Luc.* i). » Nunc autem nato puero, evangelista adjungit, dicens : « Et audierunt vicini et cognati
C ejus, » et reliqua. Merito enim vicini et cognati Elizabeth congratulabantur, non solum quod in provecta ætate filium genuisset, sed etiam quia ad similitudinem Saræ et Annæ per repromissionem eum accepisset. Quod superius evangelista de Zacharia et Elizabeth protulerat. Qui erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, hoc nunc in illorum operibus demonstrat, cum ait :

« Et factum est in die octavo, venerunt circumci- « dere puerum, et vocabant eum nomine patris sui « Zachariam. » Præceptum erat in lege, ut infans recens natus, octavo die circumcideretur, ubi declaratur, cum quanto studio alia præcepta legalia observabant, qui etiam in hujus mandati custodia tam
D studiosi erant. Hi autem qui convenerant vicini et cognati, vocabant eum nomine patris sui Zachariam, ut dignitas quæ in patre sene et muto videbatur amissa, in filio recuperaretur. Quod autem die circumcisionis nomina pueris imponebantur, ex eo in auctoritatem credimus venisse, quod beatus Abraham patriarcha cum signaculo circumcisionis, augmentum vel immutationem promeruit nominis(*Gen.* xvii).

« Et respondens mater ejus, dixit : Nequaquam, « sed vocabitur Joannes. » Hæc enim a marito non didicerat, quippe qui ex eo, quod sibi filium nasci non crediderat, mutus permanebat : sed quia ille ab-

angelo, ista didicerat a Spiritu sancto. Decebat enim ut novæ gratiæ præco, novo vocaretur vocabulo, quod ei imponebat divina electio, non autem carnalis cognatio.

« Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in co- « gnatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant « autem patri ejus quem vellet vocari eum. Et postu- « lans pugillarem, scripsit dicens: Joannes est no- « men ejus. » Ili qui convenerant vicini et cognati, quia nomen patris filio imponere volebant, nec mater ad hoc assensum præbebat, quibus nutibus valebant, patrem mutum interrogare satagebant. At ille postulans pugillarem, id est stylum scriptorium quod verbis non poterat, litteris expressit dicens: « Joannes est nomen ejus. » Ubi notandum quia non dixit: Joannes erit nomen ejus, cum futurum videret, sed, Joannes est nomen ejus. Ac si diceret: Non nos ei imponimus, quia habet vocabulum quod agnovimus, non quod eligimus. Hoc ergo nomen non tunc primum impositum est, sed antequam nasceretur, quando a Gabriele angelo Zachariæ dictum est: Ne timeas, Zacharia, exaudita est oratio tua, et Elizabeth uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem (*Luc.* I). Ubi magnus præcursor Domini futurus præmonstratus est, quando ejus nomen antequam nasceretur, prædictum est. Novum enim aliquid in eorum actibus futurum præmonstratur, quibus nomina antea a Deo imponuntur, quam corporaliter nascantur: quod de Isaac et Ismael legimus, de Salomone et Josia, de Joanne Baptista, et de Domino salvatore. Magnus ergo iste Joannes futurus ostenditur, quia antea nominatus est quam natus. Cui illud convenire potest, quod divina voce Jeremiæ dicitur: « Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te (*Jer.* I). » Et illud: « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei: et posuit os meum Dominus ut gladium acutum sub umbra manus suæ (*Isa.* XLIX). » « Et mirati sunt universi, » de tali scilicet concordia, quod mater verbis, et pater scriptis in nomen filii concordarent. Mirati sunt tamen maxime, cum in eorum cognatione nemo vocaretur hoc nomine.

« Apertum est autem illico os ejus et lingua ejus, « et loquebatur. » Merito lingua quam infidelitas vinxerat, fides absolvit, ut impleretur quod ab angelo ei dictum fuerat: Pro eo quod non credidisti verbis meis, eris mutus, nec poteris loqui usque in diem quo hæc fiant. Quia enim vox clamantis in deserto nascebatur, merito in ejus nativitate lingua patris, qui prius obmutuerat, absolvitur. Loquebatur autem non verba otiosa vel fabulosa, sed benedicens Deum. Quia consuetudo sanctorum est, ut cum semper benedicant Dominum, maxime tunc in ejus benedictione ora relaxant, quando ab aliqua tribulatione liberati fuerint. Quod hymnus trium puerorum pleniter declarat (*Dan.* III), qui in camino ignis ardentis soluti deambulantes, non solum Deum benedicebant, sed etiam creaturam ad eum laudandum provocabant.

« Et factus est timor super omnes vicinos eorum, « et super omnia montana Judææ divulgabantur « omnia verba hæc. » Quia præco judicis nascebatur, non solum vicinis, sed etiam aliorum corda timore commovebantur: et quia audierant illum per repromissionem angelicam de sene patre et sterili matre natum, et quia videbant in ejus nativitate linguam patris esse solutam, non solum admiratione, verum etiam timore corda eorum commota sunt. Unde et dicunt:

« Quis putas puer iste erit? « Quod est dicere: qualis est? Sed ne putares Joannem hanc gratiam sua virtute adeptum esse, et non per divinum auxilium, recte subjungitur:

« Etenim manus Domini erat cum illo. » Manus Domini in Scripturis aliquod divinæ protectionis auxilium significat, sicut in Psalmis legitur: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum (*Psal.* XXX). »

« Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu « sancto, et prophetavit. » Igitur quia ille natus est, qui non solum propheta, sed etiam plus quam propheta futurus erat, de quo et Salvator ait in Evangelio: « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne (*Matth.* XI), » non solum officium loquendi in ejus nativitate pater recepit, sed etiam spiritu prophetiæ repletus, adventum Salvatoris pronuntiavit. Quod quia vicinum futurum prospexit: prophetico more quasi jam factum narravit, dicens:

« Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit « et fecit redemptionem plebis suæ. » Ubi considerandum quod duo sunt quæ posuit: « Visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ. » Visitatio quippe ad infirmos pertinet: redemptio, ad captivos. Visitavit ergo et fecit redemptionem plebis suæ, per adventum suum Dominus Jesus Christus, qui in se credentes et a languore animæ liberavit, et a captivitate diabolica pretioso sanguine redemit. Unde finis hujus cantici ita concluditur: « Visitavit nos « oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris « et in umbra mortis sedent. » Etc. Plebi suæ dicit, non quod hanc veniens suam invenerit, sed quia eam visitando et redimendo suam fecerit, sicut ipse per Osee prophetam dicit: « Vocabo non plebem meam (*Ose.* II), » et reliqua. Hæc de nativitate præcursoris Domini ad litteram breviter dicta sunt. Spiritaliter cum Joannis celebratur nativitas, Novi Testamenti inchoatur sublimitas. « A diebus enim Joannis, ait Salvator, regnum cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud (*Matth.* XI). » Congratulabantur vicini et cognati Elizabeth in nativitate Joannis, quia gaudium natum est in cœlo angelis de ablutione justorum, Domino dicente: « Gaudium erit coram angelis Dei in cœlo (*Luc.* XV). » etc. Sive congratulabantur vicini et cognati genitrici in ortu novi pueri, quia Ecclesia spiritale gaudium habuit, cum fidelem populum per bapti-

smum genuit. Concinit autem gratia Novi Testamenti, quod ejusdem præconis circumcisio octava die celebratur. Octonarius enim numerus ad fidem resurrectionis pertinet, dicente Salomone : « Da partes septem, necnon et octo (*Eccle.* XI). » Et Dominus Jesus Christus octava die resurgens a mortuis, nostram resurrectionem in octava ætate sæculi futuram demonstravit. Recte cum Novum Testamentum inchoatur, Joannes octava die circumciditur, pulchre etiam nativitate novi præconis patris lingua absolvitur, quia et spiritualiter sacerdotii dignitas, et Veteris Testamenti mysterium, quod absconditum et ligatum erat, post Domini resurrectionem manifestatum et declaratum est. Hic autem qui patris nomen puero magis quam Joannem imponere volebant, illam partem populi significant, qui magis ex operibus legis quam per fidem Christi hominem posse justificari credebant. Sed mater hæc prophetico spiritu prohibet, dicens: « Nequaquam, sed vocabitur Joannes, » quia Ecclesia eorum ablutionem, quos per baptismum regenerat, magis per fidem et gratiam, quam per opera legis posse implere credit. Quod nomen Joannis in nostra lingua sonare videtur, quia *gratia Dei*, sive *in quo est gratia*, interpretatur. « Gratia enim Dei, » ait Apostolus, « salvæ factæ sunt gentes (*Ephes.* II). » Et sicut alibi ait : « Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur (*Gal.* V). » Unde spiritaliter patris nomen puero imponere volentibus, Petrus apostolus cum Elizabeth contradicit, cum ait : « Quid vultis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum et illi (*Act.* XV). »

HOMILIA III.

IN DIE SANCTO APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

(MATTH. XVI.) « In illo tempore : Venit Jesus in « partes Cæsareæ Philippi. » Et reliqua. Cæsareas tres legimus, duas in terra repromissionis, tertiam vero in Cappadocia. Est enim Cæsarea Palestinæ regionis, in littore maris Magni, quæ prius turris stationis vocabatur, sed postea ab Herode in honorem Cæsaris nobilius reædificata, Cæsarea est appellata. In qua idem Herodes in honore Cæsaris magnificam domum albo marmore construxit: ubi Herodes ab angelo percussus, eo quod non dedisset honorem Deo, consumptus a vermibus exspiravit (*Act.* XII). In hac etiam Cornelius centurio a Simone Petro baptizatus est (*Act.* X): in ea vero quatuor filiarum Philippi virginum sepulcra usque hodie ostenduntur. Est et alia Cæsarea quædam in Cappadocia, de qua Lucas evangelista in Actibus apostolorum meminit: « Descendit Cæsaream, et salutavit ecclesiam (*Act.* XXV). » Tertia autem Cæsarea est Philippi, cujus in hoc loco evangelista meminit, et ipsa in terra repromissionis quam Philippus Herodis filius in honore Cæsaris ad radices

A montis Libani ædificavit: et hanc Cæsaream Philippi cognominavit ubi duo fontes oriuntur, unus nomine Jor, alter vero Dan, qui, simul juncti, Jordanem efficiunt fluvium. In hujus ergo partes veniens Jesus cum discipulis suis interrogabat eos dicens : « Quem di- « cunt homines esse filium hominis? Ut scilicet ubi Cæsar nummum exigebat tributi, ibi Salvator nummum acciperet fidei. Notandum autem, quia non ait : Quem me dicunt homines esse, ne jactanter de se quærere videretur, sed « quem dicunt homines esse filium hominis. » Et cum majoris honoris videretur Filium Dei se vocari, filium hominis se voluit nominare, ut ostenderet in omnibus actibus humilitatem esse servandam : sive certe, ne aliquis de veritate assumptæ carnis dubitaret, B frequentius filium hominis, quam Filium Dei se vocare maluit, sicut est illud : « Veniens filius hominis, putas inveniet fidem in terra? » (*Luc.* XVIII.) Et: Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis (*Matth.* XVI). » Et : « Vulpes foveas habent (*Matth.* VIII), » et his similia. Ubicunque enim in Latino filius hominis legitur, in Hebræo filius Adam habetur, sicut illud in Psalmo : « Filii hominum, usquequo gravi corde? » (*Psal.* IV). pro quo in Hebræo habetur filii Adam. Sed interrogati discipuli diversorum opinionem proferunt, dicentes :

« Alii Joannem Baptistam, alii vero Eliam, alii « vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. » Quid autem homines Eliam aut Jeremiam Christum putaverint, cum ante multa curricula annorum fuisse leguntur. Sed hic error in populo ex stultitia gentilium C descenderat, ut putarent aliquem magnum virum post mortem suum spiritum dare posse cui vellet. Quo errore seductus fuerat Herodes, quando audita fama de Jesu, dixit : « Joannes quem ego decollavi, surrexit a mortuis, et virtutes multæ operantur in eo (*Marc.* VI). » Diversorum autem opinionibus auditis, Salvator ad discipulos specialiter sermonem convertit, et dicit:

« Vos autem quem me esse dicitis? » Ac si diceret: Illis hominibus humana tantum de me opinantibus, vos, qui ex illis non estis, quia ego elegi vos de mundo, quem me esse dicitis? In quibus verbis ostendit, eos in humana fragilitate humanæ naturæ meritum transcendisse, et ad imitationem veri Dei quodammodo deos vocari posse, juxta illud Psalmographi : « Ego D dixi, dii estis et filii excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). »

« Respondens autem Simon Petrus, dixit : Tu es « Christus Filius Dei vivi. » Non solum Petrus ordinem sui prioratus servat, cum interrogatus primus respondit, sed etiam magnitudinem amoris ostendit. Merito ergo primus respondet, quia plus cæteris eum diligit. In multis namque Evangelii locis legimus, Petrum præ cæteris Dominum discipulis dilexisse, ipso Domino dicente : « Simon Joannis, diligis me plus his? Et ille: Tu scis Domine, quia amo te (*Joan.* XXI), » sive diligo. Et cum duodecim discipulis suam passionem prædiceret, hoc Petrus præ magnitudine amoris ferre non valens, assumpsit eum secreto, et

dixit ei : Propitius tibi esto, Domine, ne fiat istud. A Non enim decet ut Filius Dei gustet mortem (*Matth.* xvi). Et cum imminente articulo passionis diceret : «Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.» Ille respondit : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. » Cumque quod futurum erat prædiceret, dicens : « Amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis, » Petrus de se præsumens ait :« Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo (*Matth.* xxvi). » Et cum post resurrectionem stans in littore, discipulis piscantibus apparuisset, audiens Petrus quod Dominus est, tunica succinxit se, et misit se in mare, et venit ad Jesum. Cæteri vero discipuli navigio venerunt. Ejusdem ergo amoris flamma Petrus succensus, omnibus discipulis interrogatis, primus respondit, dicens : B « Tu es Christus Filius Dei vivi. » In quibus verbis fundamentum veræ fidei decentissime declaravit. Christus enim Græce ab unctione chrismatis nomen accepit. Et cum Christum confitetur, verum hominem credere docet, qui non materiali oleo, sed Spiritus sancti dono unctus est. Unde Psalmista ait : « Unxit te Deus tuus (*Psal.* xliv,) » etc. Cum vero adjunxit, « Filius Dei vivi » verum Deum illum esse insinuat, quia quod est Pater, hoc genuit, id est Deus Deum. Deum autem vivum appellat, ad comparationem falsorum deorum, qui ab hominibus dii putabantur, sed mortui erant, ut scilicet, Jupiter, Saturnus, Mars, Mercurius, Venus, et cætera idolorum portenta, de quibus per prophetam dicitur : « Dii qui cœlum et terram non fecerunt, pereant (*Jer.* x), » et reliqua. Et Psalmista : « Omnes dii C gentium dæmonia (*Psal.* xcv). »

«Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus, es Simon Barjona.» Mercedem recepit vera confessio. Quia enim Petrus confessus est Christum Filium Dei vivi, merito beatificatur, et Barjona, quod in nostra lingua sonat filius columbæ, a Domino cognominatur. Quod enim columba Spiritum sanctum significet, ipse manifestavit, quando Redemptore baptizato, in specie columbæ apparuit. Barjona ergo, filius columbæ, id est Spiritus sancti, dicitur: quia Spiritu sancto revelante, Filium Dei vivi confessus est. Nonnulli autem Barjona, pro bar Joanna scribendum putant, eo quod juxta alii Evangelii locum, filius Joannis sit appellatus, Domino dicente : «Simon Joannis, diligis me ? » (*Joan.* xii). Joanna vero *gratia Dei*, sive D *in quo est gratia*, interpretatur. Merito ergo primus apostolorum Joannis filius dicitur, quia non propria virtute, sed Patris gratia revelante Filium Dei cognovit. Unde et subditur: «Quia caro et sanguis non « revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. » Caro et sanguis in hoc loco carnalem doctrinam Scribarum et Pharisæorum significant, juxta illud quod apostolus Paulus protestatur, dicens : « Continuo non acquievi carni et sanguini (*Gal.* i). » Non ergo per doctrinam Pharisæorum et Scribarum princeps apostolorum Christum Filium Dei cognovit, sed Patre revelante, sicut idem Filius alibi Patrem glorificat, dicens : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ (*Matth.* xi). »

« Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc « petram ædificabo Ecclesiam meam. » Ac si diceret: Quia tu me confessus es Christum Filium Dei vivi, et ego dico tibi, non casso vel transitorio sermone, quoniam meum dixisse, fecisse est, dico, inquam tibi, quia tu es Petrus, etc. Ubi non est putandum, quod nunc ei primum Petri cognomen imposuerit, sed quando evangelizante Andrea ad eum venit, cum intuitus eum, dixit : « Tu es Simon filius Joanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus (*Joan* i), » quod enim Cyriace *Cephas*, Latine *Petrus* dicitur. Utrumque autem nomen ab illa petra derivatur, de qua ait Apostolus : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* x) ; » quod autem ait, « Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, « tale est ac si diceret, super hanc fidem, id est super me, quem tu confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. « Fundamentum enim aliud, ait Apostolus, nemo potest qonere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* iii). » Ea ergo quæ continentur, cadere non possunt, quia fixa sunt ea quæ continent. Unde et subinfertur : « Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. » Per portas inferi in hoc loco doctrinam hæreticorum accipere possumus, quæ suos auditores in infernum ruere facit. Portæ ergo inferi contra Ecclesiam, quæ super Christum fundata est, non prævalent, quia licet frequenter pulsata sit persecutionibus hæreticorum, tamen a fide catholica evelli non potuit. Aliter portas inferi, vitia et peccata intelligere possumus, qualia Apostolus commemorat, dicens : « Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, et his similia (*Gal.* v) : » quæ recte portæ inferi nominantur, quia in se perseverantes ad infernum dimergunt, sicut idem Apostolus concludit, dicens: « Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. » Portæ enim inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, qualiter his vitiis et peccatis electi tentari possint, tamen in his usque ad finem perseverare nesciunt. Aut enim antequam vincantur vincunt, aut post lapsum cito per pænitentiam surgunt, juxta quod Dominus alibi ait : « Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, dicam vobis cui similis est : similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum (*Matth.* vii), » etc.

« Et tibi dabo claves regni cœlorum. » Claves regni cœlorum nihil aliud, nisi ligandi et solvendi potestatem significant. Sicut enim clavis ad hoc in ostio ponitur, ut amici recipiantur, extranei autem excludantur : sic ligandi atque solvendi potestas justos recipit, injustos vero excludit. De qua subditur: « Et quodcunque ligaveris super terram, » etc. Ubi considerandum, vir iste quia tanta humilitate vocatur, ad quantam gloriam sit perductus, quia enim relictis omnibus Christum ardentissimo amore secutus est, ad tantam celsitudinem pervenit, ut vice Dei quorumdam peccata relaxare, quorumdam etiam retinere posset. Nec tamen putan-

dum est, quod solum beato Petro hæc potestas data A est, sed sicut unus pro omnibus respondit: « Tu es Christus Filius Dei vivi, » ita in uno omnes audierunt: « Quodcunque ligaveris super terram, » et reliqua. Unde cum post resurrectionem Dominus discipulis suis Spiritum sanctum dedisset, omnibus generaliter ait: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » Nec solum apostolis hæc potestas data est, sed etiam episcopis et sacerdotibus, qui nunc eorum ordinem in Ecclesia retinent, et ligandi solvendique potestatem habent. Unde in lege de leprosis figuraliter præcipitur, ut si quis lepra percussus esset, ostenderet se sacerdoti, et ad ejus judicium aut ejiceretur extra castra, aut reciperetur : non quod ipse leprosum mundare, aut mundatum leprosum facere posset, sed quia ad ministerium ipsius sacerdo- B tis pertinet, ut discernat inter lepram et lepram, id est, inter peccatum majus et minus. Hunc sensum require in Evangelio in octava Paschæ.

HOMILIA IV.

DE SANCTO LAURENTIO MARTYRE.

(Joan. xii.) « In illo tempore, loquebatur Jesus « cum discipulis suis in parabolis: Amen, amen dico « vobis, nisi granum frumenti cadens in terra mor- « tuum fuerit. » Et reliqua. Hortaturus Dominus discipulos ad martyrium, suæ passionis exemplum præmisit, ut tanto minus pro ejus nomine mortem pati timerent, quanto in hoc opere cœlestis magistri imitatores exsisterent. Ait enim: « Amen, amen dico vobis, » et reliqua. In quibus verbis intelligimus, quia Dominus in similitudine grani frumenti seipsum C dicit mortificandum et multiplicandum : mortificandum, in infidelitate Judæorum : multiplicandum, in fide omnium populorum. Quod non solum facilius, sed etiam apertius intelligere possumus, si superiora hujus Evangelii parumper attendamus. Supra enim retulit Evangelista, quia prædicante Domino Hierosolymis in die festo, erant quidam gentiles, qui venerant adorare in Jerusalem : hi accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, et dixerunt ei : « Domine, volumus videre Jesum. » Venit Philippus et dixit Andreæ. Andreas rursum et Philippus dixerunt Jesu. Jesus autem respondens dixit eis: « Venit hora ut clarificetur Filius hominis. » Ac deinde subjunxit: « Amen, amen dico vobis, » et reliqua. Qui ergo ex gentibus se videre de- D siderantibus dixit: « Venit hora ut clarificetur Filius hominis, » ac deinde subjunxit: « Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram, » etc., ordinem suæ passionis profecto insinuavit, quia prius mortificandus erat a Judæis, et postea prædicandus gentibus. Nam ejus nomen tanto magis crescit in fide credentium, quanto per mortem in perfidia Judæorum est exstinctum. Nec indignum debet Redemptore nostro videri, si in assumpta humanitate grano frumenti comparetur, in qua etiam vilibus vermibus assimilatur, sicut ipse per prophetam dicit: « Ego sum vermis et non homo (*Psal.* xxi). » Et pulchre Dominus grano tritici comparatur, quia sicut in omnibus annonis nihil frumento pulchrius, nihil est delectabilius : ita ipse omnes creaturas excellit, quia nihil eo suavius, nihil dulcius invenitur. Sive certe grano frumenti comparatur, quia alimento corporis et sanguinis sui fidelium animas reficit. Ipse enim ait in Evangelio : « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi (*Joan.* vi). » Et iterum : « Panis quem ego dedero, caro mea est, pro sæculi vita. » Et alibi: « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Ibid.*). » Præmisso autem mysterio suæ passionis, mox ad constantiam martyrii discipulos suos hortatur, dicens :

« Qui amat animam suam, perdet eam, et qui « odit animam suam in hoc mundo, in vitam æter- « nam custodit eam. » Anima in Scripturis, aliquando interiorem hominem, id est vitalem spiritum, significat, aliquando præsentem vitam. Interiorem hominem, sicut Dominus dicit: « Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur (*Matth.* xvi)? » Præsentem vitam, sicut alibi ait : « Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? » (*Ibid.*) Ergo in hoc loco animæ nomine præsentem vitam designat, cum dicitur: Qui amat animam suam, perdet eam.» Mira autem res est, ut amando anima pereat, et odiendo in hoc mundo, in vitam æternam custodiatur. Tunc enim nostram animam bene odimus, et odiendo custodimus, quando ejus carnalibus desideriis contradicimus, ejus appetitum frangimus, ejus passionibus reluctamur, et in comparatione futuræ vitæ præsentem vitam p.o nihilo ducimus : illud sollicite considerantes, quod Dominus ait: « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem, filios et fratres, et sorores, » adhuc autem et animam suam, « non potest esse meus discipulus (*Luc.* xiv). » Taliter Paulus animam suam oderat, cum dicebat : « Ego autem non solum alligari, sed etiam mori paratus sum in Jerusalem pro nomine Domini nostri Jesu Christi (*Act.* xxi). » Non enim facio animam meam pretisiorem quam me. Et ut hoc quod dicimus etiam simpliciores intelligere possint, libet aliquos ad medium deducere, qui odientes animam suam amaverunt, et alios qui amantes, odio habuerunt. Verbi gratia, dictum est quibusdam : Adorate idola, alioquin interficiemini. At illo odientes animam suam, id est præsentem vitam pro nihilo ducentes, in mortem corporis inciderunt, sed ad vitam animæ pervenerunt. Dictum est etiam aliis : Adorate idola, alioquin interficiemini. Illi vero male amantes animam suam, id est præsentem vitam adoraverunt, et mortem perpetuam invenerunt. Taliter beatus Laurentius levita, cujus hodie festivitatem colimus, animam suam oderat, et odiendo in vitam æternam custodiebat, quando expensis facultatibus Ecclesiæ propter nomen Domini nostri Jesu Christi in craticula positus, crudelissimo tyranno dicebat : » Assatum est, jam versa et manduca, » nam facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cœlestes

thesauros manus pauperum deportaverunt. Cujus autem imitatores in passione sint martyres, Dominus manifestat cum dicit : « Si quis mihi ministrat, me « sequatur. » Sequi enim Dominum imitari est, sicut ipse alibi dicit : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me (*Matth.* XVI). » Et iterum : « Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non est me dignus (*Luc.* XIV). » Variis enim modis fideles Christo ministrant. Alii bene dicendo, ut confessores ; alii pro ejus nomine moriendo, ut martyres ; alii juste eleemosynas tribuendo, ut fideles laici. Sed qui Christo ministrat, Christum debet sequi. Quia sicut Joannes apostolus ait : « Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (*I Joan.* II). » Qualem autem remunerationem pro tali imitatione recipiat, ipse declarat, cum subjungit :

« Et ubi ego sum, ibi et minister meus erit. » Quid amplius potest promitti fideli ministro, quam ut mereatur esse cum Domino suo, nec solum videre ejus humanitatem, sed etiam contemplari ipsius divinitatem. Unde et subditur :

« Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum « Pater meus qui est in cœlis. » Honorificabit Pater ministrum Filii, quoniam pro fideli ministerio vitam æternam retribuet, dicens : « Euge, serve bone et fidelis (*Matth.* XXV), » et reliqua. Et tunc implebitur oratio Salvatoris : « Pater, da ut sicut ego et tu unum sumus, ita et isti in nobis unum sint (*Joan.* XVII) : » non æqualitate naturæ, sed participatione gloriæ. Ad quam nos adducere dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA V.

IN SOLEMNITATE PERPETUÆ VIRGINIS MARIÆ.

Lectio libri Ecclesiastici, omnibus festis diebus beatæ Virgini dicatis communis.

(ECCLI. XXIV.) « Ab initio et ante sæcula creata « sum, et usque ad futurum sæculum non desinam. » Et reliqua. Lectionis hujus capitulum, quod ex libro Sapientiæ sumptum cognoscitur, specialiter laudem æternæ sapientiæ, per quem omnia creata sunt, commendare videtur. Sed hæc particula a catholicis et eruditis Patribus in solemnitate perpetuæ virginis Mariæ, de qua eadem Dei sapientia carnem assumpsit, ad legendum ordinata est. Potest pars quædam illius non incongrue eidem Dei genitrici aptari, quæ ab ipsa Dei sapientia talis creata est, ut per illam ad redimendam humanam naturam Dei Filius sine humana concupiscentia crearetur. Quid enim absurdum, quodve contrarium est, si hoc quod ait :

« In omnibus requiem quæsivi et in hæreditate « Domini morabor, » Dei genitrici convenire dicamus? ipsa quippe in omnibus requiem quæsivit, quæ ut in requie sempiterna patrem invenire posset, prima omnium virginitatem suam sine macula servare devovit, sicut angelo Gabrieli Domini conceptionem nuntianti respondit : « Quomodo fiet istud, quoniam

A virum non cognosco ? » (*Luc.* I.) id est, ne cognoscerem disposui. Ipsa in hæreditate Domini morata est, quæ non peccando a passione Domini discessit, sed integram suam animam a concupiscentia, et carnem a corruptione servans, portio hæreditatis Dei effecta est, cantans cum Propheta, et dicens : « Etenim hæreditas mea præclara est mihi (*Psal.* XV). » Cujus personæ convenire videtur quod sequitur :

« Tunc præcepit et dixit mihi Creator omnium, « et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. » Quis autem Creator omnium credendus sit, Joannes in Evangelio declarat, qui cum dixisset : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » adjecit : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I). » Et David : « Omnia in sapientia fecisti (*Ps.* CIII). » Iste igitur Creator omnium in ejus

B tabernaculo requievit, quando Verbum Dei per quod omnia facta sunt, ut homo verus fieret, intra virginis uterum carnem suscepit. Quapropter cesset latrare Manichæorum hæretico grunnitu præsumptio, qui ausi sunt dicere Christum ex virgine veram non assumpsisse carnem. Dicat autem ipsa Dei sapientia in persona Virginis : « Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi, in Jacob inhabita et in Israel hæreditare. » Jacob qui *supplantator* interpretatur, illorum significat actiones, qui ut in virtutibus animæ proficere valeant, viriliter vitiorum blandimenta calcant. In illis ergo habet Dei sapientia habitaculum, qui vitia supplantantes, hoc habent in opere, quod Jacob signat in nomine. Sicut ipse dicit : « Et inhabitabo in illis, et inambulabo

C (*II Cor.* VI). » Israel vero idem Jacob appellatus est, postquam angelum superans, Deum videre meruit. Unde merito *vir videns Deum* interpretatur. Igitur post supplantationem vitiorum, ad contemplationem Dei tendens anima, hæreditas efficitur Dei sapientiæ, id est Christi, juxta illud Apostoli : « Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII). » Jubetur nihilominus et in electis mittere radices, id est cogitationum suarum semina illorum mentibus occulta inspiratione immittere, quos novit fructum boni operis germinare. Non ergo in reprobis, sed in electis radices mittit, in quorum cordibus ita radicibus spiritalibus bona ligatur voluntas, ut antequam ad maturitatis fructum perveniat, non arescant. Sed qui modo euntes et flentes mittunt semina

D sua, in furore venientes, venient cum exsultatione portantes manipulos (*Psal.* CXXV), etc., a pio judice audientes : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum, etc. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV), » etc. Sequitur :

« Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas « mea. » Sion in ipsa Jerusalem posita est, non solum ad defensionem munitior, sed etiam ad contemplandum sublimior, unde congrue *speculum* vel *speculatio* interpretatur. Cujus nominis interpretatio congruit Ecclesiæ, quæ ne invisibilium hostium insi-

diis pateat, superior per spiritale desiderium petit, atque cœlestia per mentis munditiam contemplatur, orans cum Propheta et dicens : « Esto mihi, Domine, turris fortitudinis (*Psal.* LX). » Civitas autem sanctificata sancta Ecclesia est, quæ ab illo sanctificari se optat, cui quotidie, in oratione dicit : « Sanctificetur nomen tuum (*Matth.* VIII), » considerans sollicite admonitionem Domini, dicentis : « Sancti estote, quia ego sanctus sum Deus vester (*Lev.* XI). » In civitate ergo sanctificata Dei sapientia requiescit, quia in illorum mentibus requiescit, qui sanctimoniam diligunt. Quod vero subditur : « Et in Jerusalem potestas mea. » Ad hoc pertinet, quia quondam potestatem in illorum cordibus tenet, qui visionem intimæ pacis toto affectu diligunt. Sequitur :

« Et radicavi in populo honorificato, et in partes « Dei mei hæreditas illius. » Populum honorificatum, populum dicit sanctum. Quia, ut ait Apostolus : « Gloria, honor et pax in omnem animam hominis operantis bonum (*Rom.* II). » In tali ergo populo radicasse dicitur, qui non flatu tentationis flevit favilla rapiuntur, sed firmiter in amore Dei radicati perseverant, juxta admonitionem Apostoli, dicentis : « In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo et sublimitas et profundum (*Ephes.* III). » Hujus igitur populi partes Dei hæreditas est, qui ejus amori nil anteponunt, et in ejus comparatione nihil charum æstimant, de quibus in lege dicitur : « Tribui autem Levi non dabis hæreditatem, ego enim pars et hæreditas illius (*Num.* XVIII). » Et de quibus ait Psalmista : « Beata gens cujus est Dominus Deus ejus (*Psal.* CXLIII), » etc. Et ipse clamans dixit ad illum : « Dominus, pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es (*Psal.* XV), » etc. Qui ergo tales sunt, ad perseverantiam tendere debent, unde et subditur : « Et in plenitudine sanctorum detentio mea. » Plenitudo sanctorum, perfectio est operum. Plenitudinem habent, qui in bonis operibus consummantur, quam plenitudinem concedere nobis dignetur, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

IN DIE SANCTO ASSUMPTIONIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ.

(Luc. X.) « In illo tempore. Intravit Jesus in quod« dam castellum, et mulier quædam Martha nomine « excepit illum. » Et reliqua. Conditor et redemptor humanæ naturæ Dominus Jesus Christus, non solum ad se venientibus verbum vitæ annuntiabat, sed etiam circuiens civitates et castella ; ut Evangelium refert, cœleste regnum omnibus evangelizabat. Cumque juxta hanc consuetudinem per diversa discurreret loca, « intravit in quoddam castellum, » ut præsens Evangelii lectio narrat, « et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. » Excepit autem illum quasi hospitem, quasi peregrinum, quasi illum qui non haberet ubi caput reclinaret. Et adhuc excepit illum quasi virum magnum et prophetam eadem devotione, qua vidua Sareptana quondam Eliam prophetam susceperat. Suscepit illum, suscipienda ab illo ; seminans et sua carnalia, ut meteret illius spiritalia. Hujus autem soror erat Maria nomine ; quia Martha et Maria sorores erant, non solum spiritu, sed etiam carne germanæ, quarum fratrem Lazarum Dominus a mortuis resuscitaverat. Hæc ergo Maria sedens secus pedes Domini verbum de ore illius intenta auribus audiebat. Audierat enim prophetam dicentem : « Vacate et videte quoniam ipse est Deus (*Psal.* XLV). » Et illud quod per Moysen dicitur : « Et qui appropinquant pedibus ejus, accipiunt de doctrina ejus (*Deut.* XXXIII). » Sed quia omnis qui hospitem et peregrinum suscipit, juxta possibilitatem suam temporale subsidium ministrare debet, Martha circa frequens ministerium in tantum sollicita erat, ut non solum contra sororem, sed etiam contra ipsum Dominum querelam assumeret, dicens :

« Domine, non est tibi curæ quod soror mea reli« quit me ministrare solam ; dic ergo illi ut me adju« vet. » Ille vero qui non est personarum acceptor, sed subtiliter singulorum merita dijudicat, et virtutes discernit, ut ostenderet meliorem esse cibum spiritalem quam carnalem, ita unius opus laudat, ut alterius non vituperet.

« Ait vero : Martha, Martha, sollicita es et turba« ris erga plurima. Porro unum est necessarium. » Ubi non opus Marthæ reprehenditur, sed Mariæ laudatur, cum dicitur : « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. » Quod autem ait : « Martha, Martha, » repetitio istius nominis admonitio est piæ intentionis. Hæc ad litteram breviter dicta sunt. Spiritaliter autem castellum quod Dominus ingressus est, mundum significat. Quasi enim castellum intravit, quando mundo visibilis apparuit, quando « exinanivit semetipsum, formam servi accipiens in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philip.* II). » Duæ autem devotæ sorores quæ Dominum susceperunt in domum suam, duas Ecclesiæ vitas significant, activam scilicet et contemplativam. Quarum proprietatem in suis actibus demonstrant. Cum una circa frequens ministerium satagebat, activæ vitæ labor exprimitur : ad quam pertinet reficere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, suscipere hospitem, visitare infirmum, sepelire mortuum ; his etiam quæ in regimine sunt subjectorum necessaria, laboriosa sollicitudine prævidere. Per Mariam vero quæ sedens secus pedes Domini verbum illius audiebat, contemplativæ vitæ dulcedo designatur. Cujus sapor quanto magis degustatur, eo amplius a rebus visibilibus, et curarum tumultibus atque negotiis animus separatur. Spretis enim omnibus curis, calcatis omnibus vitiis, sola mens cum solo Deo esse desiderat. Libet ei audire præcepta cœlestia, lectioni et orationi frequenter incumbere, et quantum mortalis fragilitas permittit, cœtibus angelorum interesse ; et quia ab illorum consortio aliquantulum separatur, cum spi-

ritali gaudio amarissime deflet. Hanc gratiam inæstimabilem, hanc felicitatem incomprehensibilem Dominus significare voluit, cum dixit: « Porro unum est necessarium, Maria, » etc. Tantum autem ejus suavitas est necessaria, ut etiam ea quæ hic bona esse videntur, ad illius comparationem superflua judicentur. Ibi est enim quod « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II). » Quam suavitatem optabat ille habere, qui dicebat : « Unam petii a Domino (*Psal.* XXVI), » etc. Et activa quidem vita in via est, contemplativa in patria. Activa in necessitate, contemplativa in dilectione. Activa in labore, contemplativa in requie. Activa namque in præsenti vita incipit, et cum præsenti finitur, mercede restante. Quis enim in illa patria esurientem reficiet, ubi esurit nemo? Quis nudum vestiet, ubi vestis est immortalis ? Quis infirmum visitabit, ubi qui infirmetur est nullus ? Quis mortuum sepeliet, ubi perpetua vita est ? Contemplativa vero vita in præsenti incipit, sed in futuro perficietur. Unde bene de Maria dicitur :

« Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea. » Quia quod hic animus parumper degustare incipit, illic pleniter percipiet, ubi videbitur Deus deorum in Sion, Apostolo teste qui ait (*I Cor.* XIII) : « Quod nunc vidimus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. » Et iterum : « Nunc cognosco ex parte, » etc. Hoc ergo inter activam et contemplativam vitam distat, quia activa communis est et multorum. Contemplativa vero speculatio quanto sublimior tanto est rarior. Raro enim inveniuntur, qui in veritate dicere possint : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* III). » Et illud : « Sive mente excidimus Deo, sive sobrii sumus, vobis (*II Cor.* V). » Ordo autem harum virtutum exposcit, ut per activum laborem studeat quisque pervenire ad contemplativum dulcedinem. Plerisque enim, postquam in activæ vitæ labore bene desudaverint, contemplativæ vitæ suavitas in mercede datur. Unde in lege figuraliter præcipitur : « Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, et in septimo egredietur liber gratis (*Exod.* XXI). » Hebræus quippe *transiens* interpretatur. Et servus Hebræus spiritaliter emitur, quando mens de terrena conversatione ad cœleste desiderium transit Senarius enim numerus ad activæ vitæ laborem pertinet, quia sex sunt dies in quibus operari licet, septenarius autem propter sabbati requiem, dulcedinem contemplativæ vitæ exprimit. Servus Hebræus emptus sex annis servire præcipitur, et in septimo liber gratis egredi jubetur, quia sunt nonnulli qui post diuturnum activæ vitæ laborem ad requiem contemplationis transeunt. Quod quia non propria virtute, sed divino fit munere, recte dicitur, egredietur liber gratis. Quod proprie illorum est, qui post longa exercitia monasticæ vitæ, post diuturnam monasterialem probationem, secreta sibi loca eligunt, in quibus illud Apostolicum implere possint : « Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite (*I Thess.* III). » Liber egreditur gratis, quia hi, postquam omnia fecerint, dicunt se inutiles servos ejus. Procul dubio sicut ipsa activa fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplativa. Cum quali veste intraverit, cum tali respondeat, quia omnimo necesse est ut unusquisque nostrum in hoc quod incipit perseveret, atque usque ad finem operis in ea qua inchoavit intentione perduret. Ille quippe bene ad contemplativam vitam transiit, qui in hac vita intentionis suæ vestem non mutaverit. Sunt autem nonnulli, qui divino ferventes amore, in ipso exordio conversionis ad contemplativæ vitæ suavitatem incipiunt convolare, sed divina dispensatione prius in activa vita liberari permittuntur. In tanto securius, imo et felicius ad contemplativam vitam perveniunt, quanto perfectius in activa fuerunt vita comprobati. Quales significaverunt duæ uxores sancti Jacob patriarchæ, Liam scilicet et Rachel. Quarum una Lia lippis erat oculis, sed fecunda prole. Rachel autem pulchra facie, sed infecunda erat. Per Liam ergo quæ lippis erat oculis, sed fecunda prole, activa vita designatur. Quæ cum mundo cordis oculo Deum contemplari non possit, tamen per prædicationis bonæ exemplum, spiritales filios Deo generat. Unde bene Lia *laboriosa* interpretatur, quia activa vita in multis laboribus et sollicitudinibus est occupata. Per Rachel vero quæ pulchra erat facie, sed infecunda, contemplativæ vitæ dulcedo exprimitur. Quia mens, dum ad videndum Deum se undique colligit, minus per prædicationem filios parit. Unde bene Rachel, *ovis* vel *visus principium* interpretatur, quia mens contemplationi dedita, illum videre desiderat qui ait : « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII). » Jacob igitur Rachel concupivit, sed Liam nocte nesciens accepit : quia sunt nonnulli, ut supra diximus, qui ad contemplativam pervenire desiderant, sed prius divino judicio in nocte præsentis vitæ, pro multorum utilitate laborare permittuntur. Postquam autem Liam accepit, ad amplexus Rachel pervenit : quia qui bene in activa vita laboraverint, divino munere quandoque ad contemplativam vitam pervenient. In utraque firmi, et in utraque inveniuntur perfecti. Qualis erat Paulus apostolus, qui cum haberet sollicitudinem omnium Ecclesiarum, quod pertinet ad activam vitam, raptus est usque ad tertium cœlum, quod pertinet ad contemplativam. Has autem duas vitas significaverunt duæ devotæ sorores, quæ Dominum susceperunt in domum suam, Martha scilicet et Maria. Utrasque enim sanctas, utrasque bonas et justas esse credimus. Sed qualis sit melior, ipse declarare dignatus est, qui teste non eget, dicens : « Maria optimam partem sibi elegit, quæ non auferetur ab ea, » etc.

HOMILIA VII.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

(MATTH. XVIII.) « In illo tempore, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est

« in regno cœlorum ? » Et reliqua. Quoties legimus discipulos Domini de ordine prioratus inter se contendisse vel interrogasse, non livori et invidiæ deputare debemus, sed humanæ fragilitati ac infirmitati, quippe qui rudes erant ac novelli, quia enim audierant eum suam resurrectionem prædicantem, et nondum Spiritus sancti gratia illuminati, cœleste regnum perfecte amare didicerant, (quia, ut ait evangelista Joannes (*Joan.* VII), « nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus ») putabant quod ipse resurgens a mortuis, corporaliter regnum teneret, et ipsi honoribus sublimarentur. Unde passionis illius tempore facta est contentio inter eos, quis eorum major esset in regno cœlorum. Hoc suspicione seducta fuerat mater filiorum Zebedæi, quando accessit ad Dominum, dicens : « Domine, dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam in regno tuo (*Matth.* XX). » Hinc Cleophas et alius discipulus, quibus cum Dominus post resurrectionem in specie peregrini apparuisset, dicebant : « Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel (*Luc.* XXIV) » Et quidam discipulorum interrogantes eum, dicebant : « Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel ? » (*Act.*), Occasio autem interrogandi Dominum, quis illorum major esset in regno cœlorum, fortassis ex superioribus acciderat. Nam, ut supra evangelista retulit, accesserunt ad Petrum qui didrachma accipiebant, et dixerunt ei : « Magister vester non solvit didrachma ? Ait, Etiam. Et cum intrasset domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon ? Reges terræ a quibus suscipiunt tributum vel censum ? a filiis suis, an ab alienis ? Et ille dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii. Ne autem scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle : et aperto ejus ore, invenies staterem ; illum sumens, da eis pro me et te (*Matth.* XVII). » Quia ergo alii discipuli viderant Petrum in redditione census Domino coæquari, computantes eum illis omnibus esse prælatum, in illa hora accesserunt ad Jesum, dicentes : « Quis, putas, major est in regno cœlorum ? » Sed magister humilitatis, qui ait in Evangelio : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI), » ut ostenderet regnum cœlorum non per superbiam, sed per humilitatem esse quærendum, illumque fore majorem in eo, qui propter Deum se humiliat :

« Advocans parvulum, statuit eum in medio eorum « et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis « et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum « cœlorum. » Quod duobus modis potest intelligi. possumus enim hic parvulum Dominum Jesum Christum accipere, qui cum sit magnus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis (*Psal.* XLVII), ut nos excelsos faceret, parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis. Et est sensus : Nisi meo exemplo vos humiliaveritis, qui non veni ministrari, sed ministrare, et factus sum in medio vestrum sicut qui ministrat, sed non qui vel quasi recumbens, regnum cœlorum quod humilibus est præparatum, intrare non potestis. Si autem simpliciter quemlibet parvulum intelligamus, facile patet, quia non solum ad humilitatem, sed etiam ad simplicitatem servandam hoc exemplo nos hortatur. Ac si diceret : Sicut parvulus iste cujus vobis exemplum proposui, videns mulierem pulchram non concupiscit, non alienas divitias appetit, læsus non relædit, non aliud cogitat, aliud loquitur, et iratus non perpetuas tenet discordias, ita et vos nisi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, regnum cœlorum, quod humilibus et simplicibus est præparatum, intrare nequaquam potestis. Cujus viam nemo superbus graditur, nemo tumidus incedit, quia « ardua via est et angusta, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam (*Matth.* VII). » Cum ergo ait, « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum : »

« Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus « iste, hic est major in regno cœlorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, « me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum ex « pusillis istis, » etc. Tale est ac si dixisset : jam si vos delectat locus sublimis, prius exerceat humiliationem vitæ innocentis, non quod apostolos corpore vellet esse parvulos, sed ut innocentiam parvulorum in mente possiderent. Hujuscemodi parvulos, Dominus suos volebat esse discipulos, quibus dicebat : « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum (*Marc.* X). » Et Paulus apostolus talium innocentiam parvulorum suos volebat habere discipulos, quibus per Epistolam præcipiebat : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti sitis (*I Cor.* XIV). » Talem se noverat rex propheticus, qui in regali solio sublimis, sed mente humilis dicebat (*Psal.* CXIV) : « Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum et liberavit me. » Et iterum : « Ludam et vilior fiam plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis (*II Reg.* VI). » Parvulus est enim, qui sibi displicet ut Deo placeat, tantoque ante Deum erit pulchrior, quanto apud semetipsum erit humilior. Unde et subditur : « Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major erit in regno cœlorum. » Habeamus ergo virtutem humilitatis, si volumus habere in regno cœlorum locum celsitudinis, quoniam sicut Salvator ait in Evangelio : « Omnis qui se humiliat, exaltabitur ; et qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV). » Unde et nos alibi Scriptura admonet, dicens : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (*Eccli.* III). » Et iterum : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis (*I Petr.* V). » Et ne putares illum esse contemnendum, qui propter Deum hic se humiliat, congruam sententiam adjunxit, dicens : « Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. » Hoc est quod Dominus in futurum se pro-

misit dicturum : « Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis. » Et signanter ait : « Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit (*Matth.* XVIII). » Quamvis enim non sit eligendum cui juxta Scripturæ vocem benefacere debeamus, illis tamen qui propter Deum parvi et humiles esse eligunt, in cujus vitæ moribus Christum esse cognoscimus, specialem benevolentiam impendere debemus. Unde cum pius pater filium instrueret, ait (*Tob.* IV) : « Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue, et ne communicaveris ex eo cum peccatoribus. » Et iterum : « Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui tradas eam. » Hinc et Apostolus ait : « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (*Gal.* VI). » Qui enim bona temporalia illis impendit, in quorum vita et moribus Christum habitare cognoscit, profecto illi tribuit, pro cujus amore impendit. Unde bene dicitur, « in nomine meo. » Multi enim bona temporalia non in nomine Christi, sed ut laudem hominum captare possint tribuunt, de quibus scriptum est : « Quæsierunt gloriam hominum magis quam Dei (*Joan.* XII). » Et Dominus alibi : « Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus (*Matth.* XXIII). » Et iterum : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* VI). » Et ne ad suscipiendos hospites vel peregrinos pigri remaneremus, seipsum in his suscipi promisit cum ait : « Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. » Unde et ipse alibi dicit : « Qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, et qui suscipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet (*Matth.* X). » Et iterum : « Qui vos recipit, me recipit : et qui vos spernit, me spernit (*Luc.* X). » Sicut autem suscipientibus merces promittitur, ita duris et avaris pœna indicitur, cum subinfertur :

« Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis « qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola « asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum « maris. » Ubi considerandum est, quam grave peccatum sit scandalizare fratrem, quando etiam scandalizantibus talis vindicta comminatur. Quod autem ait : « Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et in profundo maris demergatur, » juxta morem provinciæ loquitur, ubi apud veteres Judæos capitalia crimina hoc supplicio puniebantur. Non ergo arbitretur leve peccatum esse scandalum fratris, cum scandalizantibus talis pœna prædicitur, quoniam sicut alibi in Evangelio ait : « Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis (*Matth.* VI). » Quod se cavere omnino Apostolus ostendit, cum ait : « Melius enim mihi est non manducare carnem, neque bibere vinum, neque aliquid in quo fratrem scandalizem (*Rom.* XIV). » A quo peccato etiam discipulos suos compescit, dicens : « Quare tu scandalizas fratrem tuum, aut quare spernis illum ? » (*Ibid.*) Igitur in quantum possumus, juxta Apostoli admonitionem, scandalum fratrum vitare debemus ; si autem pro veritate scandalum oriatur, magis veritas eligenda est quam scandalum vitandum. Vel certe per molam asinariam quæ pondus habet, sed nullum iter explicat volubilis amor sæculi exprimitur. Cum ergo ait: « Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris, » carnales quoque et mundi amatores a regimine ecclesiastico prohibet, quoniam melius est, quod mundi amator in sæculo vivens carnaliter, se solum perdat, quam in regimine ecclesiastico constitutus se et alios perverse vivendo ad interitum trahat : quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur, quoniam dum infirmi discipuli patroni sequuntur exemplum, et ipsi pereunt, et illorum perditio in ejus caput redundat, qui auctor est criminis. Sive certe per molam asinariam doctores intelliguntur, quia sicut mola granum tritici frangitur, ut medulla ejus : ad sustentationem vel refectionem humanæ naturæ ostendatur, ita quoque et doctores occultas sententias Sceipturæ sacræ aperientes, interiorem sensum eorum manifestant vel vitam sive refectionem animarum sanctarum.

« Væ mundo ab scandalis. » Mundus cui væ dicitur, non ille est quem venit Filius hominis quærere et salvare, sed ille qui in maligno positus est, id est mundi amatores, de quo Dominus alibi ait: « Pater juste, mundus te non cognovit (*Joan.* XVII). » Qui enim mente et desiderio sæculum incolunt, recte mundus appellantur, de quibus Joannes ait : « Mundus transibit et concupiscentia ejus (*I Joan.* II). » Mundi enim amatores dum propter cupiditates sæculi alios non metuunt scandalizare, tamen ipsi scandalum sustinent, aliquando autem corpore, semper autem mente. Et ideo væ illis, quia « ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (*Job.* XXI). » Quibus per Jacobum dicitur: « Qui voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur (*Jac.* IV), » ad quos pertinet quod adhuc subjungitur : « Necesse est enim ut veniant scan- « dala ; verumtamen væ homini per quem scandalum « venit. » Quod autem ait, « necesse est, » tale est ac si diceret : Non potest esse ut scandala non veniant. « Oportet enim et hæreses esse, » sicut ait Apostolus, « ut qui probati sunt, manifesti fiant (*I Cor.* XI). » Et alia Scriptura : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (*Eccli* XXVII). » Pacis autem tempore non facile ediscerni potest, quis bonus malusve sit. Sed cum scandalizatorum flaverit ventus, faciles et tenues projiciet quasi paleas ante faciem venti, grana vero congregabit in horrea Christi. Væ ergo homini illi qui talem se exhibet, ut malum quod venturum est per ejus ministerium impleatur, de quibus Dominus ait: « Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et tradent ea in caminum ignis ardentis (*Matth.* XIII). » Quod facilius intelligimus, si unum ad medium deducamus, Judam scilicet Domini proditorem, de quo ipse tempore passionis suæ ait : « Filius hominis vadit sicut scriptum est de illo,

væ homini illi per quem tradetur (*Matth.* XXVI). » Necesse enim erat, ut Filius Dei pro nobis passionem sustineret, sed væ Judæ, qui nostrum bonum, suum fecit malum. Et ne aliquis sub occasione proximorum vel amicorum a via Dei sibi recedendum putaret, omnem magister veritatis errorem tollit cum subjungitur : « Si autem manus tua, vel pes tuus « scandalizat te, abscinde eum et projice abs te. « Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel clau- « dum, quam duas manus vel duos pedes habentem « mitti in gehennam ignis. Et si oculus tuus scan- « dalizat te, erue illum et projice abs te. Bonum est « tibi cum uno oculo intrare ad vitam, quam duos « oculos habentem, mitti in gehennam ignis. » Juxta litteram quantum abhorreat hoc, facile patet. Sed cum a littera excludimur, spiritualis sensus est requirendus. Per hoc quod manus, pes, oculos, nostris necessitatibus necessariora sunt, propinquorum et charissimorum affectus in hoc loco designatur. Ac si diceret Dominus : Si quis tibi fuerit pretiosus ut oculus, propinquus ut pes, necessarius ut manus, et a via Dei te recedere persuaserit, hujus amorem abscinde et abs te projice. Melius est te solum intrare ad vitam, quam cum multa turba propinquorum mitti in ignem æternum. « Quid proficit homini si totum lucretur mundum, animæ autem suæ detrimentum patiatur? (*Matth.* XVI.) Verbi gratia : Blanditur uxor, minatur pater, persuadet mater, lacrymatur frater et soror, ut autem in via Domini sta firmus, ne illos inutiliter amando a Dei amore recedas, sed juxta illud quod alibi ait : « Sine mortuos, mortuos suos sepelire, tu autem sequere me (*Matth.* VIII). » Neque hoc diximus, quod parentibus et amicis ingrati et inobedientes esse debeamus, sed quando a via Dei removere voluerint, tunc eorum amorem abscindamus a nobis. Cæterum cum eos Deum amare cognoverimus, dupliciter a nobis honorandi sunt. Primum, quia justi sunt deinde, quia propinqui, Domino dicente in lege : « Honora patrem tuum et matrem, ut bene sit tibi, et longo vivas tempore (*Exod.* XX). Hinc Apostolus ait : « Si quis suorum curam non habet, et maxime fidelium, fidem negavit, et est infideli deterior (*I Tim.* V). » Quantam autem sollicitudinem et curam Dominus de his habeat, qui totam spem in eo ponunt, manifestat cum subjungit : « Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. » Qui enim pusilli et humiles in præsenti vita propter Deum sunt, nequaquam contemnendi sunt. Pusilli namque sunt, ut diximus, qui coram oculis suis humiles sunt et despecti, de quibus Salvator ait in Evangelio : « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum (*Luc.* XII). » Quisquis ergo tales scandalizare non metuit, offendit Deum qui habitat in illis, sicut ipse per prophetam dicit : « Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei (*Zach.* II). » Et iterum: « Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (*Psal.* CIV). » De quibus valde

A dulce est quod adhuc subinfertur, quare non sint contemnendi :

« Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis « semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. » In hoc loco discimus, quia unusquisque fidelium, angelum ob sui custodiam deputatum habet, qui et eum a tentationibus defendit, et in virtutibus juvat, sicut Apostolus in epistola ad Hebræos ait : « Angeli sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis (*Hebr.* I). » Et Psalmista de justo quolibet : « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum (*Psal.* XC). » Hinc de Petro in Actibus apostolorum legimus, quia cum ab an-
B gelo de carcere eductus januam pulsare cœpisset, fideles qui convenerant dicebant : « Non est Petrus, sed angelus ejus (*Act.* XII). » Angeli ergo parvulorum semper vident faciem Patris, quia si propter nos foras exeunt, ut ab ejus visione nunquam recedant, sicut ipse angelus Raphael ad Tobiam ait : « Ego sum unus de septem spiritibus, qui assistimus ante Deum (*Tob.* XII). » Et Daniel : « Millia millium ministrabant ei, et decies milies centena millia assistebant ei (*Dan.* VII). » Angeli enim qui custodes sunt vitæ nostræ, orationes et opera nostra Deo nuntiare creduntur, sicut angelus ait Tobiæ : « Cum orares, ego obtuli orationes tuas ante Deum (*Tob.* XII). » Et Daniel : « Ex die qua posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos
C (*Dan.* X). » Tu autem Domine, etc.

HOMILIA VIII.

DE MARTYRIBUS.

(LUC. VI). « In illo tempore : Descendens Jesus de « monte, stetit in loco campestri, et turba discipu- « lorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni « Judæa et Jerusalem. » Et reliqua. Non solum per mysterium incarnationis de cœlo in terram descendens Dominus Jesus Christus, humanæ infirmitati condescendere dignatus est, sed etiam in sanctis suis sermonibus ad humanam ignorantiam instruendam ita doctrinam suam temperavit, ut non solum perfecti, sed etiam minus perfecti cibum vitæ invenire possent. Denique ut supra evangelista retulit, cum ascendissent in montem, secuti sunt cum ejus disci-
D puli (*Matth.* V), ubi cum perfectiora mandata quasi capere valentibus dedisset, nolens propter eos simpliciores turbas relinquere, iterum descendens de monte, stetit in loco campestri. In quo suo facto ostendit, in prædicatione juxta capacitatem auditorum temperandum esse sermonem doctorum. Mons enim in hoc loco perfectiorem significat doctrinam, loca vero campestria, humiliorem prædicationem; atque communiorem. Qui enim tales sunt, ut cum apostolis audire possint : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei (*Marc.* IV), » sublimius instruendi sunt. Cui vero propter mentis infirmitatem, ad altiorem non possunt ascendere doctrinam, minimis

præceptis sunt erudiendi, ut qui idonei nequaquam existunt ad facienda bona, saltem non sint proclives ad perpetranda mala. Quod alibi Dominus suo exemplo ostendit, cum cuidam quærenti (*Matth.* XV), « Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo, » quasi in convallibus moranti respondit: « Mandata nosti? Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, honora patrem et matrem. » Sed illo respondente, « Hæc omnia custodivi a juventute mea, » ostendit ei montem perfectioris doctrinæ, dicens: « Adhuc unum tibi deest. Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me. » Sed quia hunc montem difficile qui sæculi divitiis onerati sunt ascendere possunt, subjunctum est illico: « Ille autem abiit tristis, quia multas habebat possessiones. » Hujus quoque exemplum Paulus apostolus secutus est, quando cum discipulis montem ascenderat, quibus dicebat: « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* II). » Quasi cum quibusdam in convallibus morabatur, quando dicebat: « Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III). » Non enim omnes omnia capiunt. neque enim omnes æqualiter instruuntur. Aliter quippe admonendi sunt superbi, aliter humiles, aliter casti, aliter adulteri, aliter ebriosi, aliter sobrii, aliter viri, aliter feminæ, aliter conjugati, aliter virgines, aliter pii, aliter impii, aliter contemptores mundi, aliter amatores, aliter pacifici, aliter discordes, aliter sua dantes, aliter aliena rapientes, ut et isti audiant de promissione æternæ vitæ quod ament, et illi de supplicio æterno quod timeant. Sæpe etenim quod uni morbo prodest, alteri nocet: et venenum cum sit mors hominis, vita est serpentis: et levis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Juxta hoc ergo exemplum doctores suam prædicationem debent temperare, ut et perfecti inveniant quod semper discant: infirmi talia audiant in quibus non refugiant. Quod suo nobis exemplo beatus patriarcha Jacob ostendit (*Gen.* XXX), qui cum oves avunculi sui Laban pasceret, et varia quæque pro mercede recepturus esset, tulit virgas populeas et amygdalinas, quas ex parte decorticavit, et ex parte cum corticibus reliquit, posuitque eas in canalibus tempore quo ducebantur ad aquandum oves, ut in earum aspectu conciperent varios fetus. Jacob enim pastor ovium, pastores significat animarum. Quorum primo dictum est: « Si diligis me, pasce oves meas (*Joan.* XXI). » Aqua autem Scripturam sanctam significat, juxta illud Salomonis: « Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ (*Prov.* XVII). » Virgæ autem variæ, sententiæ sunt Scripturum. Ducuntur ad aquandum oves cum ad audiendum verbum Dei conveniunt fideles. Cumque ex eloquiis divinis diversæ sententiæ ad medium proferuntur, quasi virgæ in canalibus ponuntur. Quæ ex parte decorticandæ sunt, et ex parte cum corticibus relinquendæ Quia, ut diximus, perfectiores allegorico sensu instruendi, simplices vero et minus intelligentes juxta veritatem historiæ sunt pascendi. Unde et Dominus cum discipulos in monte docuit, et turbas in convallibus curare voluit, ostendit ut illi qui ex doctrina verborum credere non poterant, saltem ex virtutibus miraculorum crederent. Quod, ut diximus, suo Dominus exemplo declaravit, quando, « descendens de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis, qui venerant ut audirent eum. » Maritima enim hic Magni maris loca intelligere debemus, maxime cum de Tyro et Sidone, quæ in corde maris sitæ sunt, affuisse memorantur. In quo loco cognoscimus, quia virtutes ejus non solum ad Judæorum regnum, sed etiam ad vicinas et exteras regiones pervenerant, quando omnes concurrebant, non solum ut audirent verbum Dei, sed ut sanarentur a languoribus suis; unde et subditur:

« Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. » Multi enim eum tangere cupiebant, a quo omnis virtus procedit, et qui est Dei virtus et Dei sapientia, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Et ideo, quia de illo omnis virtus exibat, omnes volebant eum tangere. Nam et supra tangendo leprosum curaverat, et nunc omnis turba quærebat eum tangere, ut intelligamus quia tactus sanitas est. Quod experta est illa mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, et cum tetigisset fimbriam vestimenti ejus statim, sanata est ab iufirmitate sua. Ad cujus tactum virtus de illo exibat in tantum ut quasi nescius Dominus quæreret, « Quis me tetigit? » Et discipuli ejus ad eum: « Rabbi, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis, Quis me tetigit? » Et ille: « Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exisse (*Luc.* VIII). » Spiritualiter vero Christum tangit, qui eum verum Deum credit, et recta fide confitetur. At vero pagani, Judæi et hæretici Christum minime tangunt, quia eum verum Deum credere contemnunt, et fide recta hunc confiteri nolunt. Unde et Mariæ quæ Dominum surrexisse non credebat, sed eum mortnum inter mortuos quærebat, volenti illum tangere dictum est: « Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum (*Joan.* XX). » Ac si diceretur: Qaia manu fidei me tangere noluisti, manu corporis me tangere noli. Curatio vero dæmonum non solum per ejus præsentiam fiebat, sed etiam invocatione ipsius nominis in sui absentia, sicut discipuli quoque Domino gaudentes dicunt: « Domine, in tuo nomine etiam dæmonia nobis subjiciuntur (*Luc.* X). » Sequitur:

« Et ipse elevatis oculis in discipulos dicebat: « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. » Etsi generaliter Dominus loquebatur, specialiter in discipulos oculos levavit, quos majori gratia digniores fecit. Elevatio quippe oculorum Jesu Christi, amplioris misericordiæ munera significat. Et in

discipulos oculos levavit, quos specialius virtutibus ditavit, juxta quod alibi legimus : Quia cum dixisset ei quidam : « Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes loqui tecum, » ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : « Ecce mater mea et fratres mei (*Matth.* XIII). » Quid autem elevatis oculis dicat, audiamus : « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. » Et quæ virtus talem inter reliquas beatitudines tenere debet principatum, nisi spontanea paupertas? Ex ipsa enim cæteræ virtutes exordium quoddam et originem sumunt. Sicut denique ex una radice arboris multi rami et folia prodeunt, sic ex spontanea paupertate multæ virtutes generantur. Qui enim spontaneam amat paupertatem, erit misericors per largitatem, et non tenax per avaritiam. Erit consequenter et mitis, quia divitias non quærit per jactantiam, qui paupertatem diligit cum humilitate. Erit et pacificus, quia non erit occasio rixandi, ubi non est voluntas acquirendi. Habebit etiam et cordis munditiam, quia sicut illi qui divitias diligunt, turbulenti sunt animo, ita qui spontaneam paupertatem amant, solliciti sunt quæ Dei sunt, quomodo placeant Deo. Sed illud diligenter considerandum, quia illa paupertas laudabilis est, quæ aut habere non cupit, aut si forte habet, propter Deum distribuenda relinquit. Unde Matthæus evangelista, ut hanc paupertatem ad beatitudinem pertinere ostenderet, cum additamento ait : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). Alii enim sunt pauperes spiritu et rebus, alii nec rebus nec spiritu, alii rebus et non spiritu, alii spiritu et non rebus. Rebus sunt pauperes et non spiritu, qui nihil habentes, multa habere concupiscunt. Spiritu sunt pauperes et non rebus, sicut illi qui secundum Apostolum, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes sunt, quales fuerunt Abraham, Jacob et David : qui regali solio sublimatus erat, pauperem se ostendit spiritu, dicens : « Ego autem mendicus sum et pauper (*Psal.* XXXIX). » Et iterum : « Egens sum, et in laboribus a juventute mea (*Psal.* LXXXVII). » Nec rebus nec spiritu sunt pauperes, divites superbi, qui facultatibus locupletati, nihilominus mente sunt turgidi. De quibus dicitur in Psalmo : « Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias (*Psal.* LXXII). » Rebus et spiritu sunt pauperes perfecti monachi, qui propter Deum omnia relinquentes, nec corporis proprii potestatem in suo arbitrio relinquunt, et ideo quanto hic propter Deum sunt pauperiores, tanto in futura gloria erunt ditiores, juxta promissionem Domini dicentis : « Omnis qui reliquerit domum, agros, patrem et matrem, fratres et sorores, uxorem et filios propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit (*Matth.* XIX). »

« Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. » Quid esurire vel sitire debeant qui ad beatitudinem pervenire desiderant, alius evangelista manifestius declarat, dicens : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V). » Justi- A tiam quippe esurire et sitire, est præcepta Dei libenter audire, et libentius opere implere. Tales enim saturabuntur, quando ad videndum Deum cujus hic mandata cum magna mentis esurie susceperunt, perducentur, dicentes cum Psalmista : « Ego autem in justitia apparebo, et in conspectu tuo satiabor dum manifestabitur gloria tua (*Psal.* XVI). » Unde et Salomon ait : « Diligite justitiam qui judicatis terram (*Sap.* I). »

« Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. » Beati dicuntur flentes, non illi qui flent propter temporalium damna commodorum, propter amissionem charorum, sed qui flent propter remissionem peccatorum, vel pro exspectatione regni cœlorum, qui veraciter cum Psalmista dicere possunt : « Deus, vitam meam annuntiavi tibi B posuisti lacrymas meas in conspectu tuo (*Psal.* LV). » Et iterum : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ? » (*Psal.* XLI.) Tales enim ridebunt, quando implebitur illud quod Dominus ait : « Nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). » Risum autem hic non pueriliter accipere debemus, sed mentis exsultationem et gaudium. Unde et Sara ex repromissione prolis lætabunda ait : « Risum mihi fecit Deus (*Gen.* XXI). » De quo per beatum Job dicitur : « Et os veracium implebitur risu (*Job.* VIII), » De quo etiam risu in laudibus Ecclesiæ dicitur : « Accinxit fortitudine lumbos suos, et ridebit in die novissimo (*Prov.* XXXI). » Quia vero per hu- C militatis meritum pervenitur ad martyrii præmia, recte post alias beatitudines subinfertur :

« Beati eritis cum vos oderint homines, et cum « separaverint vos et exprobraverint, et ejecerint « nomen vestrum tanquam malum propter Filium « hominis. » Ubi ostenditur quia persecutio pravorum non est timenda, sed potius cum adfuerit, toleranda, quia, sicut dixit Jacobus apostolus, « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se (*Jac.* I), » Verum subtilius discutiendum est, quia non nos ad nostram persecutionem pravos homines commovere debemus, sed potius cum justitia et rectitudine quantum possumus, cum fuerint commoti, mitigare. Quod si quiescere noluerint, D magis persecutionem tolerandam, quam justitiam relinquendam. Quod alius evangelista manifestius declarat, dicens : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* X). » Sustinent enim multas tribulationes homicidæ, adulteri, fures, alienarum rerum invasores. Nec tamen talis persecutio ad beatitudinem perducit, quæ propter justitiam sustinetur. Unde nos admonet beatus Petrus, dicens : « Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut adulter, aut rapax. Si autem ut Christianus, non erubescat, sed glorificet Deum in isto nomine (*I Petr.* IV). » Et quis est qui vobis noceat, si boni æmula

tores fueritis? Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Unde recte Salvator concludit, dicens :

« Gaudete in illa die et exsultate, ecce enim per« ces vestra multa est in cœlo. » Non enim dolendum est in persecutionibus, sed potius gaudendum, ut quanto hic quisque propter justitiam durius affligitur tanto dulcius in cœlo remunerabitur. Unde Jacobus admonet, dicens: « Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ multo pretiosior est auro, quod per ignem probatur (*Jac.* I). » Et alia scriptura: « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (*Eccli.* XXVII). » Hinc et Salvator cum discipulos ad persecutionem tolerandam hortaretur, sui exemplum posuit, dicens: « Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt (*Joan.* XV). » Et iterum : « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus (*Ibid.*). » Quapropter studeamus juxta Domini præceptum vel exemplum sæculi hujus cunctas adversitates æquanimiter ferre, scientes quia si electi sumus ab eo, non ad gaudium mundi, sed (sicut ipse missus est a Patre, quem pro humani generis redemptione incarnari constituit) ad passiones mittimur in mundum. Inter scandala igitur persecutorum tolerantia sit passionum, terrena desideria quæ separant a Deo fugientes, ut cœlestia mercamur consequi præmia. Amen.

HOMILIA IX.

DE CONFESSORIBUS.

(MATTH. XXV.) « In illo tempore, dixit Jesus disci« pulis suis parabolam hanc : Homo quidam peregre « proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis « bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii duo, « alii vero unum, unicuique secundum propriam vir« tutem, et profectus est. » Et reliqua. In similitudinibus, quas ad ignorantiam nostram instruendam Dominus proposuit, sollicite considerandum est, quia sic quædam ad nostram proponuntur admonitionem, ut specialiter ad ipsum Dei et hominum pertineant Mediatorem. Quod in hujus lectionis serie comprobatur, cum dicitur : « Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. » Homo enim iste per similitudinem Dominus Jesus Christus accipiendus est, qui cum sit Deus ante sæcula, factus est homo in fine sæculorum, de quo scriptum est : « Homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI). » Iste autem homo peregre profectus est, quando carnem suam quam ex hominibus assumpsit ascendendo in cœlum elevavit. Ex eo enim tempore quo primo homini dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III), » proprie locus carnis terra est. Sed iste homo peregre profectus est, quia caro quam assumpsit, non corruptionem vidit, sed post resurrectionem in cœlos ascendit. Hujus hominis servi homines sunt, quos

A sibi ad serviendum, seque laudandum rationabiles condidit. Huic autem homini servire summa libertas est : ab ejus servitute recedere turpissima servitus est. Hujus se servum gloriabatur Paulus, cum diceret (*Rom.* I). : « Paulus servus Christi Jesu. » Et iterum : « Gratias ago Deo meo, cui servio a progenitoribus meis. » Et Psalmista : « Ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ (*Psal.* CXV). » Et iterum : « Servus tuus sum ego (*Psal.* CXVIII). » Bona autem hujus hominis, spiritalia dona sunt, id est virtutes animæ, quæ de ejus bonitate sunt natæ, illius largitate nobis collatæ, qualis est charitas, pax, patientia, humilitas, castitas, sobrietas, et his similia. Ergo peregre profecturus vocatis servis tradidit bona sua, quia spiritalibus spiritalia dona concessit. Et quia

B eadem dona non omnes æqualiter accipiunt, sed secundum dantis distributionem, alius plus, alius minus proficit, recte dicitur :

« Et uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero « unum, unicuique secundum propriam virtutem, et « profectus est statim. » Sicut talentum apud antiquos variis modis librabatur, ita dona Spiritus sancti diversa sunt juxta accipientium merita, non in se, sed in aliis, qui ea accipiunt. Nam ab uno Domino diversa dona servis dantur, juxta illud quod ait Apostolus : « Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc

C autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » In quinque ergo talentis, quinque sensus corporis designantur, per quos exterior homo regitur, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus et tactus, in duobus autem intellectus et operatio designatur. Et unius talenti nomine intellectus solummodo exprimitur. Plus ergo accipit cui duo, quam cui quinque talenta commissa sunt : quia sunt nonnulli qui per exteriores sensus opera quæ possunt operantur, et tamen in intellectu spirituali minus proficiunt. Sunt vero et aliqui, qui extrinsecus magna agunt, et interius majora intelligunt. Sunt etiam aliqui qui unum tantum talentum accipiunt, quia bona quidem intelligunt, sed operari minime student. De quibus scriptum est : « Sapientes

D sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt (*Jer.* IV). » Quod autem studio in multiplicandis bonis operibus insistere debeamus, manifestatur cum subditur :

« Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et « operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. « Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo. » Jam superius per quinque talenta, quinque corporis sensus : et per duo, intellectum et operationem diximus designari. Quinque ergo talenta geminare, est per exteriores sensus devotissime Deo servire, tribuendo esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, in carcere positum requirendo, infirmum visi-

tando, mortuum speliendo, aliaque pietatis opera implendo. Quasi enim talenta multiplicando geminantur, quando uonnulli tardiores in sensu per consuetudinem boni operis, in intellectu spirituali proficiunt. Duo quoque tajenta gemlnant, qui benevivendo et docendo, Ecclesiom Dei multiplicare non negligunt, illud attendentes quod ad Timotheum scribitur : « Doctrinam quam accepisti a me, commenda fidelibus hominibus, qui idonei sunt et alios docere (*II Tim.* II). » Tallter accepta talenta servis spiritualibus geminare suadebat Apostolus, cum dicebat : « Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudiue, qui miseretur in hilaritate (*Rom.* XII). »

« Qui autem unum acceperat, abieus fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. « Quasi enim unum talentum in terra abscondit, qui ingenium, quod a Deo accepit, in terrenis actibus occupat, seseque totum in mundi amore obligat. Sed veniet tempus quando spiritales de acquisito lucro gaudeant, et mundi amatores pro suis cupiditatibus erubescant, unde et subditur :

« Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis » Post multum tempus Dominus redire dicitur, quia longum spatium est inter Domini ascensionem et secundum ejus adventum. Tunc enim ratio cum servis ponetur quando districte a nobis exiget dona, quæ misericorditer nobis tribuit, quando astabimus ante tribunal Christi, ut Apostolus ait, rationem pro his quæ gessimus reddituri (*II Cor.* V). Felix autem qui in illa hora discussionis talis iuventus fuerit, qualis iste memoratur, de quo subditur :

« Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. » Ex quinque enim talentis alia quinque lucratur, qui per quinque sensus corporeos, quos supra diximus, bona quæ potest operatur. Sunt euim nonnulli in Ecclesia, qui cum tardiores videantur ingenio, tamen cum per exterius ministerium fideliter serviunt, ejus munere ad spiritualem intellectum perducuntur, in tantum ut etiam aliquando in ecclesiasticum magisterium eligantur. Qualem autem mercedem sit racepturns, manifestatur cum subditur :

« Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium domini tui. » Pauca enim sunt omnia præsentis vitæ ad comparationem futurorum bonorum, quamvis magna esse videantur. Qui ergo super pauca fidelis fuit, super multa constituitur, quia is qui terrenam substantiam bene dispensavit, pro rebus transitoriis perpetuam accipiet mercedem, audiens ab ipso judice : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi (*Matth.* XXV). »

« Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait : Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. » Similiter alia duo lucratur talenta, qui a domino duo acceperat, quando is qui intellectum et operationem habet, non solum bene vivsndo, sed etiam bene docendo plurimos ad amorem Del vocat. Notandum autem, quod et is qui de quinque talentis decem, et is qui de duobus quatuor reportavit, æquali voce collaudantur, cum utrique a domino dicitur: « Euge, serve bone et fidelis, » quod est, bene gaude. Et qualiter servus cum domino gaudeat, declaratur cum subinfertur: « Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. » Cui recte dicitur : « Intra in gaudium domini tui. » Quia cum tantis et pro tantis mercedem accipiet, quantos bene vivendo, bene docendo lucratus est. In quibus verbis intelligimus, quia illi majorem mercedem sunt a Domino In æterna vita recepturi, qui bene vivendo, ut diximus, et bene docendo, ad aliorum eruditionem vel doctrinam spiritualiter invigilant. Quod alibi Dominus apertius declarat, cum dicentibus apostolis, « Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? respondit: « Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum (*Luc.* XII). » Qui enim super omnia bona constituitur, duplicem mercedem accipiet, non solum qui sancte vixit, sed etiam qui digne docuit. Unde Daniel cum de resurrectione mortuorum loqueretur, ut ostenderet magistros spirituales super omnia constituendos, ait: « Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan.* XII.) » Quam desiderabilem vocem et ineffabile gaudium audire desiderans beatissimus pater noster, cujus hodie festivitatem celebramus, talentum sibi creditum bene docendo et bene vivendo studuit erogare, ut geminatum illud Domino reportaret, non tantuu monendo pios, sed etiam comprimendo reprobos. Et ideo quia juxta Scripturæ vocem, gaudium patris est filius sapiens, tanta hujus excrescunt merita gaudiorum, quanta incrementa proficiunt spiritalium filiorum. Unde necesse est, ut unusquisque nostrum, fratres charissimi, hujus beatissimi patris nostri vestigia sequentes, talentum quod a Deo accepimus, non in terra abscondamus, sed cum magno desiderio erogare studeamus, ut gemiuatum Domino referamus. Et quia alius artem legendi, alius cantandi, alius prædicandi, alius pingendi, alius ea quæ ad ornamentum ecclesiæ pertinent fabricandi talentum accepit, alius hoc quod didicit studeat erogare. Nec solum in ecclesiasticis ministeriis, sed etiam sunt tales in hoc populo, qui diversas artes

habent quibus victitant, alii cæmentarii, alii lignarii, alii fabri, alii sectores, et unicuique ars qua pascitur, pro talenti commendatione reputabitur : et si in hoc quod scit alios instruit, mercedem in futuro recipiet. Qualiter autem hujusmodi talenta quod accepit, erogare debeat, Dominus ostendit cum ait : « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x). » Unde necesse est, fratres dilectissimi, unicuique nostrum, ut cum summa diligentia vigilanter cogitet, quatenus talentum quod accipit, duplicatum Domino repræsentet. Si autem suæ talentum utilitatis prodesse aliis non vult, timeat increpationem quam is qui talentum unum in terra abscondit, a Domino audivit : « Serve male et piger, quare non « dedisti pecuniam meam nummulariis, et ego ve« niens, recepissem utique quod meum est cum « usura? » Et implebitur quod sequitur :

« Tollite ab eo talentum, et date illi qui habet « decem talenta. » Quia quæcunque sine charitate operatus est, bona in conspectu Dei non sunt, quamvis bona coram hominibus videantur. Tanto enim quisque ampliorem gloriam cum Domino possidebit, quanto largius talentum acceptum pro ejus amore erogaverit, quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, etc.

HOMILIA X.

ITEM DE CONFESSORIBUS.

(Luc. xii.) « In illo tempore, dixit Jesus discipulis « suis : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ar« dentes in manibus vestris. » Et reliqua. Inter cæteras virtutes, quas Dominus noster Jesus Christus discipulis tradidit, et per discipulos nobis, maximam et præcipuam castitatem ostendit. Nam cum superius ad spontaneam paupertatem amandam nos incitasset, dicens : « Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, nec tinea corrumpit (*Luc.* xii), » continuo de servanda castitate adjecit, dicens : « Sint lumbi vestri præcincti. » Quod enim luxuria viris in lumbis sit, et feminis in umbilico, Dominus testatur, cum de diabolo loquitur ad beatum Job : « Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo illius in umbilico ventris ejus (*Job* xl). » Lumborum enim nomine hic luxuria designatur cum dicitur : « Sint lumbi vestri præcincti. » Lumbos enim præcingimus, cum ardorem libidinis amore castitatis refrenamus. Taliter lumbos præcinctos habebat Joannes Baptista, de quo scriptum est, quia erat vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus (*Marc.* i). Nec erat de immundis, qui propter fluxum seminis ejiciebantur extra castra, sed castitatem quam in mente habebat, in ipso habitu corporis demonstrabat. Sic et Elias zonam circa lumbos habebat. Qui enim non propter amorem filiorum junguntur, sed propter libidinem explendam, lumbos præcinctos non habent, sed potius de illis sunt, qui propter immunditiam extra castra

A ejiciuntur, comparati jumentis insipientibus. Qui vero tollens membra Christi, facit ea membra meretricis, nequaquam lumbos habet præcinctos, quoniam sicut vere ait apostolus Paulus : « Sine pace et castimonia nemo videbit Deum (*Hebr.* xii). » Quantum enim incorruptio carnis Deo placeat, ipse per prophetam testatur, dicens : « Hæc dicit Dominus eunuchis qui custodierint sabbata mea et elegerint quæ volui, tenuerintque fœdus meum : dabo eis in domo mea et in muris meis locum nominatum, et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum, quod non peribit (*Isa.* vi). » Et in Apocalypsi de talibus dicitur : « Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt (*Apoc.* xiv). » Quod cum omnibus fidelibus generaliter observandum sit,
B specialiter tamen ministris ecclesiastici ordinis custodiendum injungitur, quando in veteri lege carnes agni, qui in figura corporis et sanguinis Domini immolatus est, non prius credere permissi sunt, quam renes accinctos haberent, Domino dicente : « Sic ergo comedetis illum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus (*Exod.* xii). » Item : « Dixit Dominus ad Moysen : Loquere ad Aaron, et ad filios ejus : Homo de semine vestro, in quo fuerit macula, non accedat ad altare. Si gibbus fuerit, si lippus, si albuginem habens in oculo, si impetiginem in corpore, vel jugem scabiem ; si cæcus fuerit vel claudus, si fracto pede vel torto naso, si fuerit ponderosus vel herniosus (*Lev.* xxi). » Qui enim sacra mysteria manibus tractare et aliis ministrare debent, dignum est ut ab omni immunda pollutione
C sint alieni, ut scilicet et mente sint casti et corpore pudici. Quod in opere David discimus, qui cum venisset ad Achimelech sacerdotem, non prius panes sanctificatos accipere voluit, quam se suosque mundos a mulieribus testaretur, non utique solum ab alienis neque a concubinis, sed etiam a propriis uxoribus. Ait enim : « Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudius tertius quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum munda (*I Reg.* xxi). » Quapropter consideret unusquisque conscientiam suam, et si se incontinentem senserit in corpore, abstineat se a sacra communione, ne forte ad judicium accipiat, quod fidelibus datum est ad remedium, timens illud quod terribiliter clamat Apostolus dicens : « Quicunque man-
D ducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini (*I Cor.* xi). » Vel certe aliter lumbos præcingimus, cum omnia impedimenta mundi postponimus, ut in via mandatorum Dei gressum mentis firmiter figere valeamus. Qui enim discinctus est, ipsis suis vestimentis impeditur ne libere ambulet. Qui vero præcinctus est, quaquaversus liber discurrere potest. Præcingitur ad prælium miles, et circa renes gladium portat, quo adversarium suum percu-

tiat. Et tu ergo qui cupis esse miles Dei, præcinge lumbos tuos, id est omnia fluxa et impedimenta mundi postpone, ut pugnare valeas non « adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, » ut impleatur in te quod idem Apostolus subjungit : « State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis (*Eph.* VI). » Taliter miles castrorum lumbos præcinxerat, quando audivit : « Accinge sicut vir lumbos tuos (*Job* XXXVIII). » Unde et in laude Ecclesiæ dicitur : « Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum (*Job.* XL) » Quisquis autem talis est, aliis ad exemplum imitationis proponendus est, quia sicut ait Dominus : « Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt (*Luc.* XI). » Unde postquam dixit : « Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes, » quid per lucernas, nisi opera bona designantur? Lucernas ardentes habere, est bona opera aliis ad imitandum ostendere, juxta illud quod Dominus alibi ait : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V). » Considerandum autem illud est, quo duo sunt quæ præcipiuntur, lumbos scilicet præcingere, et lucernas ardentes habere, quia nec castitas prodest sine bono opere, nec bonum opus aliquid valet sine castitate. Primum enim præcipimur lumbos restringere, et post lucernas tenere : quia ille ad aliorum exempla promovendus est, in cujus pectore salutaria desideria vigent, et cujus mentem carnalis voluptas non occupat. Quod in lege præfiguratum est, cum per Moysen præcipitur, ut levitæ usque ad quinquagesimum annum ministrent, post annum vero quinquagesimum custodes vasorum fiant, legitimum tempus attendentes, sive ad regendum, sive ad officium prædicationis suscipiendum (*Num.* VIII). Sed quæritur quare præcipiat lucernas tenere, cum alibi dicat : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum (*Matth.* VI). » Ad quod dicendum, quia illis præcipitur bonum opus ad exemplum aliorum ostendere, qui tam perfecti sunt, ut ab hominibus laudati non extollantur. Illis autem qui imperfecti sunt, aut quos favor humanus extollit, præcipitur : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum. Et cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua (*Ibid.*). » Et quia juxta Joannis vocem : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus in die judicii (*I Joan.* III), » quicunque lumbos habent præcinctos et lucernas ardentes, adventum Domini non tam timere debent quam diligere. Unde et subditur :

« Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. » Ad nuptias quippe Dominus noster abiit, quando ascendens in cœlum, multitudinem angelorum novus homo sibi sociavit. Tunc autem revertetur ad servos suos, quando per judicium manifestari cœperit. Sive aliter : Certe Dominus nobis quotidie venit, cum conscientias nostras per suam gratiam visitat, et cor nostrum suo amore inflammat. Pulsat vero, quando per ægritudinis molestiam, vicinam mortem denuntiat. Cui ille statim aperit, qui lætus de corpore exit, et ejus speciem, quem semper desideravit, videre concupiscit. Pulsanti judici aperire timet, qui ejus præceptis se minime obtemperasse cognoscit : et videre eum exiens de corpore trepidat, quem contempsisse se meminit : et quasi judicem videre metuit, cujus jussis se obtemperasse non cognoscit. Sicut enim judicis adventum in civitate ejus justi diligunt, fures et latrones timent : ita et adventum Domini illi timent, qui ejus præceptis se minime obtemperasse sciunt. Soli autem illi diligunt, qui recte se vivere recolunt : quod illorum est facere, qui vitam suam quantum humana fragilitas patitur, inculpabilem custodiunt, et cor suum de terreno amore in cœlestis patriæ gaudio ponunt. Talis erat Paulus apostolus, qui de bonis actibus securus dicebat : « Ego autem jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ (*II Tim.* IV). » Et iterum : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo multo melius est (*Philip.* I). » Et rursus : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II). » Taliter pulsanti judici beatus Martinus aperire paratus erat, quando inter ægritudinis molestiam constitutus, discipulorum fletibus commotus, dicebat : Gravis est, Domine, pugna laboris, qua hucusque certavi, sed si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso propter eos laborem : fiat voluntas tua Talibus qualis remuneratio præparata sit, Dominus manifestat cum subdit :

« Beati servi illi, quos cum venerit dominus invenerit vigilantes. » Vigilare enim est, in bono opere unumquemque sollicitum esse. Ille vero bene vigilat, qui recte credit et recte vivit. Vigilat, qui ad aspectum veri luminis apertos tenet oculos mentis. Vel certe vigilat, qui torporem et negligentiam a se excutit, et divinis mandatis ardenti animo inhæret. Taliter Paulus apostolus vigilare monebat, quibus dicebat : « Evigilate, justi, et nolite peccare (*I Cor.* XV). » Et iterum : « Hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* XIII). » Et rursus : « Vigilate et orate, et state in fide (*I Cor.* XVI). » Adhuc etiam ipsius remunerationis qualitas insinuatur cum subditur : « Amen dico vobis quod præcinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. » Præcingi vero Dei, est ad retributionem se præparare. Nostrum autem discumbere, est in æterna beatitudine quiescere, juxta quod ipse alibi ait : « Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII). » Transire vero dicitur, cum post ju-

dicium ad regnum properat. Vel certe Dominus transiens nobis ministrabit, cum de forma humanitatis usque ad contemplandam charitatem Divinitatis nos perducet. Omnibus enim in judicio in forma humanitatis apparebit, justis scilicet et injustis, sicut scriptum est: « Et videbit omnis caro salutare Dei nostri (*Isa.* XL). » Sed reprobis justo judicio damnatis, juxta illud quod scriptum est: « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI), » solis electis transiet, quos de visione humanitatis usque ad contemplandam charitatem Divinitatis sublimabit, ut qui modo intuentur tantum hominem, tunc facie ad faciem mereantur videre Deum, qualiter Pater in Filio, et Filius manet in Patre. Sed quia omnibus præsentis vitæ terminus incertus est, recte subjungitur:

« Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia « vigilia venerit et ita invenerit, beati sunt servi « illi. » Antiqui enim noctem in quatuor vigilias dividebant, ita ut unaquæque vigilia trinas haberet horas. Varietates namque horarum, diversitatem significant humanæ vocationis. Prima enim vigilia, primævum est tempus nostræ ætatis, id est pueritia. Secunda vigilia, adolescentia vel juventus, quæ pene idem sunt, Salomone dicente: « Lætare, juvenis, in adolescentia tua (*Eccle.* XI). » Tertia vigilia senectus est. Cum vero Dominus nonnullos in pueritia bene operantes ab hac vita vocat, quasi ad servos vigilantes in prima vigilia venit. Cum vero alios in adolescentia vel juventute ab hac vita ducit, quasi in secunda vigilia venit. Si quis ergo in prima vigilia vigilare noluerit, saltem hic in secunda vigilet, id est, si quis in pueritia a bono opere torpuit, saltem in adolescentia vel juventute somnum torporis a se excutiat, et dum virtus corporis viget, in bono opere se exerceat. Si quis autem tam negligens et desidiosus fuerit inventus, ut nec in prima, nec in secunda vigilia vigilaverit, saltem in tertia, id est in senectute jam resipiscat, et tunc vigilare non timeat cum parum vigilaturus est. Neque enim sero conversos divina pietas despicit, qui per prophetam ait (*Ezech.* XVIII): « Vivo ego, dicit Dominus; nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. » Et iterum: « Peccator quacunque die conversus fuerit et ingemuerit, salvus erit. » Sed quia solet antiquus hostis in hac parte tepidos decipere Christianos, ut quibus suadet culpam, longam promittat vitam, adhuc Dominus admonendo similitudinem incerti finis subdit, dicens:

« Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfami« lias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non « sineret perfodi domum suam. » Juxta litteram ita est, quia paterfamilias thesaurum reconditum habens in domo, si furis adventum sciret, vigilias instrueret, custodias adhiberet, infirmiora loca muniret, et ne sua domus aliqua fraude perfodi posset, sollicitus præcaveret. Spiritualiter autem paterfamilias iste, noster est animus, qui tunc male securus dormit, quando diem mortis obliviscens, a bono opere torpet, et brevissimum tempus vitæ præsentis, quasi longum sibi promittit. Furis autem adventus mors est, quæ improvisa subito dum non speratur veniens, thesaurum animæ nostræ ad pœnas rapit. Hujus ergo furis adventum, ut præcavere possimus, necesse est ut diem mortis semper ante oculos habeamus. Multum enim nos adversus peccatum juvat, si finis vitæ a memoria non recedat, monente Scriptura: « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (*Eccli.* VII). » Unde et Dominus admonendo subjungit, dicens:

« Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, « Filius hominis veniet. » Si autem terminum vitæ nostræ sciremus, aliud tempus pœnitentiæ deputaremus. Cum vero omnibus incerta sit hora mortis, non debet esse conscientia secura a bono opere, quia Dominus omnipotens, qui neminem vult perire, sed omnes ad cognitionem veritatis venire, ideo voluit nos latere ultimum diem, ut dum ignoratur unus, observentur omnes. Quod autem ait, « quia qua hora non putatis Filius hominis veniet, » si ad diem judicii referamus, manifestum est, quia incertus est omnibus et incognitus, sicut ipse dicit in Evangelio: « De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius hominis, nisi Pater solus (*Marc.* XIII). » Et iterum: « Sicut fuit in diebus Noe, sic erit adventus Filii hominis (*Matth.* XXIV). » Et rursum: « Sicut fulgur egreditur ab oriente, et penetrat in occidentem, sic erit adventus Filii hominis (*Ibid.*) » Et post suam resurrectionem, quærentibus discipulis ait: « Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate (*Act.* I). » Hinc Petrus apostolus dicit: « Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet (*II Petr.* III). » Sed quod tunc generaliter futurum est omnibus in resurrectione animarum et corporum, quotidie fit singulis in animabus. Dum enim non putamus, Filius hominis venit, quando subita morte præventi, ipsum habemus terminum peccandi, quem et vivendi. Et dum mala non deserimus, sed a malis deserimur, seram agimus pœnitentiam, non attendentes illud quod scriptum est: « Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem, ne subito veniat ira ejus, et in tempore vindictæ disperdat te (*Eccli.* V). »

HOMILIA XI.

DE VIRGINIBUS.

(MATTH. XIII.) « In illo tempore, dixit Jesus discipulis « suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum « thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, « abscondit. » Et reliqua. Virtus et sapientia Dei Dominus Jesus Christus non solum ad suscipiendam humanam naturam hominibus compati dignatus est, sed etiam humanæ ignorantiæ condescendens, suis sanctis sermonibus rerum temporalium similitudines frequenter adhibuit, ut ex collatione rerum visibilium, ad invisibilium amorem animos audientium incitaret. Unde cum cœlestem gloriam studiose

amandam docet, illa rerum similitudinem adhibuit, quas homines plurimum diligere solent, dicens: « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit. » Ubi thesauri nomine spiritualiter cœlestis patriæ amorem intelligere debemus, ubi sunt divitiæ quæ non deficiunt, thesaurus qui nunquam marcescit, ubi nos Dominus thesaurizare admonet, juxta quod alibi loquitur, dicens: « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur; » et, « Ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum (*Matth.* VI). » Qui profecto thesaurus tanto magis cumulatur, quanto magis temporalis thesaurus atque facultas studiosius pro Deo expenditur. Unde de eo qui thesaurum invenit, dicitur: « Et præ gaudio illius « vadit, et vendit universa quæ habet et emit agrum « illum. » Ager in quo thesaurus absconditus invenitur nos sumus, si tamen in nobis manet cœleste desiderium. Quem ille venditis omnibus comparat, qui corpus suum per cœlestis patriæ disciplinam affligit in jejuniis, vigiliis et orationibus. Sed et ille agrum cum thesauro invento, datis omnibus emit, qui crucifigens membra sua cum vitiis et concupiscentiis, Christum sequitur, et quodammodo spirituali venundatione seipsum mutat declinando a malo et faciendo bonum. Hunc enim thesaurum absconditum in agro, cuidam Dominus emere persuadebat cum dicebat: « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me (*Matth.* XIX). » Illud autem notandum, quod thesaurus inventus custoditur ut servetur, quatenus intelligamus quam studiose in bono opere vanam gloriam cavere debeamus.. Sic est enim præsens vita quasi via, latrones autem juxta viam, immundi sunt spiritus, qui illis maxime invident, quos cum spirituali thesauro ad cœlestem patriam tendere cognoscunt, sicut per Prophetam de eorum capite dicitur: « Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem (*Psal.* X). » Illorum ergo divitias isti latrones rapiunt, qui per inanem jactantiam bona sua opera coram hominibus denudant. Unde necesse est, ut cum opus bonum exterius agimus, intentionem Deo placendi semper in occulto teneamus, juxta quod ipse nos admonet, dicens: « Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua (*Matth.* VI). » Et iterum: « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem tuum, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi (*Ibid.*). » Ad accendendum autem mentem in amorem cœlestis desiderii, alia similitudo datur cum subinfertur:

« Iterum simile est regnum cœlorum homini ne« gotiatori quærenti bonas margaritas: inventa « autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit « omnia quæ habuit et emit eam. » Ubi pretiosæ margaritæ nomine dulcedo vel claritas æternæ patriæ intelligitur, quæ pretiosior est cunctis pretiosis rebus,

A et suavior omnibus delectationibus. Negotiatores autem spiritualiter nos sumus, qui de terrenis facultatibus cœlestem gloriam mercari jubemur. Notandum autem quod ait, « vendidit omnia quæ habuit et emit eam, » quia ille pretiosam margaritam unam, id est cœlestem patriam, datis omnibus emit, qui non solum terrenis facultatibus, sed etiam propriis renuntiat facultatibus. Qui vero sua pauperibus tribuit, sed adhuc propriis voluntatibus servit, pretiosam margaritam nondum emit: quia quod carius Deo poterat offerre, retinuit. Non enim Deus nostra, sed nos quærit, qui terrenam substantiam non nisi propter lucrum animarum dare præcepit. Quia ergo negotiatori bonas margaritas quærenti, bonisque margaritis sumus comparati, servare debemus in

B opere quod accepimus in nomine. Et sicut terrenos negotiatores non maris pericula ab officio negotiandi prohibent, non latronum insidiæ terrent, non asperi casus itineris vetant, non hyemis frigus, non æstatis calor retinet, tantum ut terrenum lucrum acquirere possint: ita et nos, qui spirituales sumus negotiatores, ab amore cœlestis patriæ nulla mundi blandimenta retineant, nulla ejus adversitas terreat, nec aliqua tribulatio prohibeat, ut pretiosam margaritam amantes, cum Apostolo dicere valeamus: « Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum autem quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque pro-

C fundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro (*Rom.* VIII). » Imitemur et aliud negotiatorum opus. Habent enim hoc proprium hi, qui negotiandi operibus insistunt, ut si in uno negotio damna incurrerint, studiosius negotiandi operibus insistant, quoadusque quod in una re perdiderunt, in alia acquirant. Ita ergo et nos, si in aliquo casu damnum animæ inciderimus, studiosius incepto bono operi instamus, ut quod per negligentiam amisimus, per bonum opus recuperemus, quatenus ad prætiosæ margaritæ lucrum pervenire possimus, et vocem Domini audire mereamur, dicentis: « Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui (*Rom.* VIII). » Hæc autem

D margarita tam cara est, ut nullis terrenis divitiis possit comparari: tam vilis, ut sola bona voluntate possit acquiri. Hanc margaritam pretiosam multis facultatibus Zachæus comparare studuit, qui cum hujus margaritæ largitorem in domo sua suscepisset, præ nimio gaudio dixit: « Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si cui aliquid tuli, in quadruplum restituo (*Luc.* XIX). » Hanc quoque margaritam vidua illa duobus æris minutis, in gazophylacio jactatis comparavit. Cujus pretium ipse testis conscientiæ, Dominus scilicet, collaudavit, dicens: « Amen dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes

enim ex eo quod abundavit illis, miserunt: hæc vero de penuria sua quod habuit, misit totum victum suum (*Marc.* XII). Hujus margaritæ pulchritudinem beatissima N. cujus hodie festivam celebramus festivitatem, multis divitiis datis comparavit, quando pro ejus amore regni potentiam derelinquens, et thorum regalis matrimonii spernens, ad spontaneam paupertatem se contulit. Unde sine dubio, quia regis terreni conjugium contempsit, sponsa effecta est regis cœlestis: et quæ noluit cum terreno rege regnare in mundo, regnat cum Christo in cœlo. Et quia salutationes et officia refugit regalium ministrorum, ministrat nunc cum Christo, conjuncta cœtibus angelorum. Et ideo dignum est, ut qui temporalem reginam honore debito veneramur, hanc Deo acceptam reginam devotis precibus supplicemus: ut quia nos suo exemplo in nomine Christi congregavit, suis nos meritis et orationibus in præsenti vita jucundos efficiat, et in futuro acceptos reddat.

« Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari et ex omni genere piscium congreganti. » Pulchre sagenæ assimilatur Ecclesia, quia et piscatori est commissa, et intra rete fidei quotidie homines capit. Sicut enim piscatorum est, cum sagena de profundis gurgitibus pisces ad littus trahere, sic quotidie Ecclesia, per doctrinam prædicatorum, de turbulentis et amaris gurgitibus mundi, mentes hominum ad veram lucem trahere studet. Et quoniam quandiu in præsenti vita Ecclesia cum bonis colligit et malos, recte de eadem sagena subditur:

« Quam, cum impleta esset, educentes, et secus « littus sedentes elegerunt bonos in vasa sua, malos « autem foras miserunt. » Ubi cum boni et mali nominantur, præsentis temporis Ecclesia designatur. Boni enim soli nusquam sunt nisi in cœlo, mali autem nusquam soli sunt nisi in inferno. Hæc autem Ecclesia quæ in medio consistit, utriusque patriæ cives recipit, sicut per Psalmistam dicitur: « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX). » Ubi considerandum est quia super numerum electorum modo in Ecclesia multi reprobi intrare possunt, sed in regnum cœlorum non possunt. Unde et bene dicitur: « Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. « In quibus verbis manifeste discretio electorum et reproborum in fine sæculi futura esse ostenditur. Sicut enim mare sæculum, sic littus maris finem significat sæculi. In littore enim sedentes, « elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt, » quia in fine sæculi electi assumentur ad gloriam, et reprobi separabuntur ad pœnam, juxta quod alibi Dominus ait in Evangelio: « In illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, et unus relinquetur (*Luc.* XVII). » Unde et exponens Dominus similitudinem, adjunxit:

Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt an« geli et separabunt malos de medio justorum, et « mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et « stridor dentium. » Hoc est quod Dominus in alibi

A Evangelio dicit: « Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala (*Matth.* XIII). » Et item de zizaniis quæ inimicus homo superseminavit tritico, interrogatus ait: « Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum (*Ibid.*). » Idipsum est quod alibi dicitur a Domino: « Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis (*Matth.* XXV), » etc. In eo autem quod subditur: « Ibi erit fletus et stridor dentium, » manifeste qualitas pœnarum describitur. Oculi enim præ nimio fumo

B fluere lacrymas solent, dentes vehementi frigore stridescere. Cum vero ait, « Ibi erit fletus et stridor dentium, » ostendit quia reprobi in gehenna, et frigus intolerabile, et calorem inæstimabilem sustinebunt, juxta illud quod per beatum Job dicitur (*cap.* XXIV): « Ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius, obliviscatur ejus misericordia, dulcedo illius vermis. » Finita autem similitudine, de ejus intellectu Salvator discipulos requirit, ostendens piis magistris, ut alios possint erudire, aliquando interrogare debere. Ait enim:

« Intellexistis hæc omnia? » Illisque dicentibus, « Etiam, » de profectu illorum gloriabatur, dicens:

« Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, si-

C « milis est homini patrifamilias, qui profert de the« sauro suo nova et vetera. » Quod specialiter ad apostolos pertinere ex eo manifestum est quod homini patrifamilias comparantur, « proferenti de thesauro suo nova et vetera. » Si enim per nova et vetera Vetus et Novum Testamentum accipimus, Abraham et Moysen cæterosque Patres qui ante Domini adventum fuerunt, nova cum veteribus non protulisse cognoscimus: quia etsi nova narraverunt, Domini tamen incarnationem novam corporalibus oculis non viderunt, sicut ipse discipulis suis ait: « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* X). » Apostoli autem nova et vetera spiritualiter intellexerunt, et nova corporali-

D bus oculis viderunt. Quibus ipse ait: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem (*Joan.* XIII). » Sive aliter: Vetera ad pœnam, nova pertinent ad gloriam. Vetustum enim erat homini post peccatum ire ad pœnam, cui aliquid novum per Redemptoris adventum contigit, quando bene operantibus gloria est repromissa. Cum ergo Dominus discipulos collaudat, dicens: « Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. » Ostendit hunc ordinem doctoribus in prædicatione servandum, ut vetera proferant de terrore supplicii, et nova de promissione præmii. Quod et in hujus lectionis serie suo exem-

plo Dominus ostendit, cum in prioribus similitudinibus incitavit ad præmium, et in sequentibus comminatur supplicium, ostendens, ut dictum est, doctoribus quia sic bene operantibus debent promittere gloriam, ut non cessent peccantibus comminari pœnam. Quod etiam in lege figurate ostendit, quando per Moysen tale præceptum dedit, dicens: « Non accipies loco pignoris superiorem et inferiorem molam, quia apposuit tibi animam suam (*Deut.* XXIV).» Superior enim et inferior mola spes et timor accipitur. Quasi enim a debitoribus pignus accipimus, cum confessionem peccatoris accipimus. Cui si pœnitenti spem non repromittimus, veniam negamus, superiorem molam tollimus. Si autem peccatori securitatem damus inferiorem abstrahimus. Sed utrumque observandum est, ut sic pœnitentibus promittamus veniam, quatenus in peccato perseverantibus comminemur pœnam, ut quos non provocant ad bene agendum præmia promissa, saltem denuntiata terreant supplicia. Tu autem, Domine, miserere nostri.

HOMILIA XII.

SERMO DE CONFESSIONE JESU AD PATREM, ET DE JUGI EJUS SUAVITATE ET ONERIS LEVITATE.

(MATTH. XI). « In illo tempore, respondens Jesus « dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, « quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus.» Et reliqua. In fronte hujus lectionis evangelicæ quæstio suboritur, cum nec superius nec inferius describatur, quod aliquis eum interrogasset. Legimus enim in aliis locis, quod interrogatus est a discipulis, et respondit. Interrogaverunt eum Scribæ et Pharisæi, et respondit. Hic datur intelligi quia nihil tale reperitur, sed tantummodo absolute dicit, respondit Jesus. Concordia Lucæ evangelistæ facienda est, qui hoc aptius manifestat, cum dicit (*Luc.* X): « Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus, «et dedit eis» potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit,» et ut sanarent infirmos et cæteras virtutes facerent. Quod idem Lucas in sequentibus testatur, cum dicit: Qui euntes, fecerunt sicut constituit eis Jesus, et faciebant multa miracula, et inter cætera dæmonia ejiciebant. Unde reversi cum gaudio ad Dominum dixerunt: « Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. » Et ait illis Jesus: « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Verumtamen nolite in hoc gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Ibid.*). » Inde subinfert et dicit: « In ipsa hora exsultavit Jesus Spiritu sancto, et dicit (*Ibid.*): » — « Confiteor tibi, Domine. » Hoc est quod dicit Jesus: sciendum est enim quia in uno homine duo homines sunt, interior et exterior. Solet enim interior exteriori respondere, et exterior interiori, sicut legimus de Nabuchodonosor, qui dum deambularet dominus in aula regni sui in Babylonia tumens superbia, respondit: « Nonne hæc est Babylon illa, quam ego ædificavi in robore et in brachio fortitudinis meæ? » (*Dan.* IV.) Sed Dominus non taliter respondit sicut Nabuchodonosor: sed respondit humanitas Divinitati, imo Filius ad Patrem. Videbat enim simulacra dæmoniorum destrui, principem mundi ejici foras, et suum numerum crescere, et ideo exsultavit et dixit: « Confiteor. » Tribus enim modis confessio dicitur. Est confessio in fide, et confessio in peccatis, est et confessio in laude. In fide, sicut confitetur universalis Ecclesia cum dicit: « Credo in Deum. » Est confessio in peccatis, de qua apostolus dicit: « Confitemini alterutrum peccata vestra (*Jac.* V). » Est et in laude, de qua Propheta dicit: « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus (*Psal.* CV). » Sed Dominus nec in fide, nec in peccatis dicitur confiteri, sed tantummodo in laude. Vel certe dicitur confiteri, eo quod sanctis hoc faciat facere. « Confitetor tibi, Domine. » Ad hæc surgentes, hæretici dixerunt quod Dominus Jesus Christus non fuisset verus Filius Dei per proprietatem naturæ, dicentes quia si fuisset Filius Dei verus, nunquam eum Dominum appellasset, non considerantes illud, quoniam ipse per humanitatem minor est Patre, sicut ipse ait: « Pater major me est (*Joan.* XIV), » in divinitate namque æqualis est Patri, veluti ipse dicit: « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Secundum enim humanitatem Dominum appellat. Unde et Pater ad eum per prophetam dicit: Noli timere, serve meus. Et beata Maria se ancillam illius appellat et dicit: « Ecce ancilla Domini (*Luc.* I). » — « Pater cœli et terræ.» Et recte eum Patrem appellat, quia ipse ascendens in cœlum, dixit: « Ascendo ad Patrem meum (*Joan.* XX). » Quidam per hyperbaton hoc volunt intelligere, id est, per transcensionem verborum, dicentes: «Confiteor tibi, Pater. » Deinde subinferrent et dicerent: Domine cœli et terræ. Ut sit sensus: quod sit ipsius Pater, et Dominus cœli et terræ. Quanquam ita possit intelligi, tamen secundum præfatum sensum accipiendum est, quia ipse æqualis est Patri per divinitatem. Pater cœli, id est, angelorum: terræ vero, hominum. Aliter autem Pater cœli, id est, sacrarum animarum. Unde scriptum est: « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum (*Psal.* XVIII), » etc.; terræ vero hominum, qui adhuc in terrenis sunt implicati, necdum possunt contemplari cœlestia per oculum mentis, nec valent dicere cum Apostolo: « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Phil.* III). » Et recte Pater cœli et terræ appellatur, quia ipse cuncta creavit ex nihilo visibilia et invisibilia, sicut scriptum est: «In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I). » Et alibi: « Qui manet in æternum, creavit omnia simul (*Eccli.* XVIII). » Unde et nos quotidie in oratione dicimus: «Pater noster (*Luc.* XI). » Et ipse alibi ait: « Unus est enim Pater vester (*Matth.* XXIII).» — « Qui

« abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus. » A Ubi perquirere debemus, quid absconderit Dominus a sapientibus et prudentibus, nunquid abscondita est humanitas a Scribis et Pharisæis, cum Simeon dicat : « Quia viderunt oculi mei salutare tuum (*Luc.* II). » Et in alio loco scriptum sit : Et videbit eum omnis oculus. Non utique humanitatem, sed divinitatem eis abscondit : quia Scribæ et Pharisæi divinitatem in humanitate latitantem non cognoscebant Quia « si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Nam sapientes et prudentes sancti apostoli fuerunt, de quibus Dominus Judæis ait : « Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas (*Matth.* XXIII). » Et iterum apostolis : « Estote ergo prudentes sicut serpentes (*Ibid.*).x). » Et Petrus apostolus : « Estote prudentes B et vigilate in orationibus (*I Petr.* LV). » Sed nunquid istis Divinitas abscondita fuit ? Non. Sed illis de quibus per prophetam Dominus dicit : « Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (*Isa.* V). » Et iterum : « Sapientes sunt ut faciant mala (*Jer.* IV). » Et Apostolus : Quia non potuit mundus sapientiam credere Deum, placuit Deo per stultitiam salvos facere credentes. « Quoniam stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia (*I Cor.* I), » etc. « Et revelasti ea parvulis. » Qui sunt isti parvuli? nimirum sancti apostoli. Habes enim in Evangelio, quia convocans Jesus parvulum, statuit eum in medio, et dixit : « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli (*Matth.* XVIII), » etc. Et iterum : « Sinite parvulos venire ad me (*Ibid.* C XIX). » Parvulos autem non propter modicitatem corporis, vel propter insipientiam dicit, sed propter innocentiam. Unde Apostolus discipulis suis ait : « Nolite pueri effici sensibus (*I Cor.* XIV). » Revelavit Dominus Filium suum sanctis apostolis, sicut Thomæ, qui dixit : « Dominus meus et Deus meus (*Joan.* XX). » Et sicut Petro ait : « Caro et sanguis non revelavit tibi (*Matth.* XVI). » Regnum enim Dei possidebunt beati oculi justorum, quibus Dominus se et Patrem revelare dignatus est.

« Ita, Pater, sicut fuit placitum ante te. » Sic enim placitum fuit Deo, Patri, ut Filium suum unigenitum mitteret pro salute generis humani. Sive etiam ut sapientibus et prudentibus hujus sæculi absconderet Filium suum, et parvulis revelaret. Vel certe in præsentia Dei Patris fuit ante omnia sæcula, quos eligeret de mundo, mittens Filium suum in mundum. D Quia, sicut Apostolus dicit : « Quos præscivit, hos et prædestinavit, quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, illos et justificavit (*Rom.* VIII). »

« Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. » In Christo semper duas naturas et duas operationes intelligere debemus, divinam scilicet et humanam : secundum divinam æqualis est Patri, et omnia habet cum Patre, sicut ipse dicit ad Patrem : « Pater, omnia mea tua sunt (*Joan.* XVI). » Secundum vero humanam, qua minor est Patre, omnia ei subjecta sunt a Patre. Unde Pater ad eum ait : « Pete a me, et dabo tibi (*Marc.* VI). » Et in hoc loco : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. » Et in Psalmo : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* VIII). » Unde et ipse Dominus post resurrectionem suam gratulabundus ait discipulis : « Data est mihi omnis potestas (*Matth.* XXVIII), » etc. Habet enim Pater quod non habet Filius ; habet Filius quod non habet Pater, habet Spiritus sanctus quod habet Pater et Filius. Pater habet æternitatem sine nativitate. Filius habet æternitatem cum nativitate Spiritus vero sanctus a Patre Filioque procedit. Ergo Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus nec genitus, cave ne fallaris, sed nec ingenitus, sed a Patre et a Filio procedit.

« Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem « quis novit nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare. » Valde perquirere debemus cur dicit : « Nemo novit Filium, » et cætera, cum Apostolus dicat : « Cum autem placuerit ei qui me segregavit (*Gal.* I), » etc. Nam et Joannes vidisse eum testatur indutum podere ad mamillam ejus (*Apoc.* I). Et non solum in Novo Testamento, verum etiam et in Veteri inveniuntur sancti qui se Deum vidisse testati sunt, sicut Abraham qui tres vidit, et unum adoravit. Et sicut Jacob qui dixit : « Vidimus facie ad faciem (*Gen.* XXXII). » Nam et Moyses loquebatur cum illo facie ad faciem (*Exod.* XXXIII). Et Isaias (*cap.* VI) : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum ; » et Joannes apostolus dicit : « Quod vidimus, quod audivimus (*Joan.* III). » Et hic dicit : « Nemo vidit Filium nisi Pater (*Matth.* XI). » Si nemo novit Filium nisi Pater, ergo sancti frustra credunt illuc ascendere ubi Christus est. Sed ista quæstio facile solvitur, si hoc consideremus quod superius diximus, in Christo duas naturas inesse, divinam et humanam. Sciendum namque est, quia, sicut ille coæternus est et coæqualis Patri, nullus eum novit nec nosse potest, Joanne dicente : « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I). » Quomodo enim Deus lumen de lumine, omnipotens de omnipotente, nemo novit, neque scire potest, sicut propheta dicit : « Generationem illius quis enarrabit ? (*Isa.* LIII.) » Hoc est quod Apostolus considerans ait : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei (*Rom.* XI), » etc. Ad Moysen enim Dominus dicit : « Non enim videbit me homo, et vivet (*Exod.* XXXIII). » Vel etiam quomodo in utero beatæ Mariæ virginis, nullus novit. Angelus enim ad beatam Mariam ait : « Spiritus sanctus superveniet in te (*Luc.* I). » Unde Joannes dicit : « Post me venit vir (*Joan.* I), » et propheta : « Brachium Domini cui revelabo ? » (*Isa.* LIII.) Ergo Pater novit Filium, quem coæternum et consubstantialem sibi genuit. « Et cui voluerit Filius revelare. » Quia, quamvis modo non videant sancti corporaliter, tamen restat tempus quando videbunt. Unde Joannes dicit : « Filioli, nunc filii Dei sumus (*I Joan.* III). » Cui vult et quantum vult se et Patrem ostendit.

« Venite ad me omnes. » Quatuor vocationes in

sacro eloquio reperimus, duas in Veteri Testamento, duas et in Novo. Prima in Veteri Testamento: « Venite, filii, audite me (*Psal.* XII). » Secunda : « Venite, adoremus (*Psal.* XCIV). » Prima in Novo Testamento, ista quæ in præsenti recitatur, cum dicitur: « Venite ad me omnes (*Matth.* XI). » Secunda : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV), » et reliqua. Sicut enim synagoga admonebat filios suos, ut venirent atque timorem discerent, dicens : « Venite, filii, audite me, » et cætera. Postea vero hortabatur adorare, inquiens : « Venite, adoremus : » ita etiam sancta Ecclesia hortatur, cum ait : « Venite ad me omnes. » Quod enim synagoga dicebat : « Venite, filii, audite me, » hoc Ecclesia dicit : « Venite ad me omnes. » Et quod illi dicebant : « Venite, adoremus, » ita et Christus dicturus erat sanctis : « Venite, benedicti Patris mei. » Tres vocationes jam impletæ sunt, et adimplentur quotidie. Restat quarta, quæ in die judicii adimplebitur, quam qui audire meruerint sine fine gaudebunt. « Qui laboratis et « onerati estis. » Laborabat enim plebs gentilium in culturis dæmoniorum et in delubris idolorum, sive etiam in desideriis carnis, de quibus scriptum est (*Isa.* LIX) : « Telas araneæ texuerunt. » Et Apostolus dicit (*I Cor.* XII) : « Scitis, quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta, » et reliqua. « Et ego re- « ficiam vos. » Quid promisit: Refectionem non solum in cibo carnali, sed in spiritali. De qua refectione in Apocalypsi scriptum est (*cap.* XIX) : « Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. » Quam sancti accipientes, dicent : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine ! (*Psal.* XXX), » et cætera. De hac refectione Dominus mulieri Samaritanæ ait : « Qui biberit aquam quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). »

« Tollite jugum meum super vos. » Nunquam poterit homo sine jugo esse aut Christi, aut diaboli. Dudum autem Judaica plebs jugum legis sustinebat, de quo jugo Petrus apostolus ait : « Quid vultis imponere jugum super nos ? » (*Act.* XV.) et cætera. Quia ait Dominus postea : « Onera gravia et importabilia imponunt in humeros hominum (*Matth.* XXIII). » Plebs autem gentium jugum diaboli portabat, videlicet sarcinam peccatorum in dorso. De hoc namque superius dictum est : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis (*Matth.* XI). » Notandum autem, quia non onus diaboli suum jugum dixit. Jugum enim Christi ejus doctrinam intelligere possumus, quam omnes sancti, qui eum sequi voluerunt, portabunt, sicut ipse dicit : « Qui vult venire post me (*Matth.* XVI), » et cætera. Notandum autem quia homines qui alios ad se venire faciunt et eos erudire cupiunt, dicunt eis : Discite a nobis ; ita et Dominus suam doctrinam nos erudire cupit, cum dicit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. » Non dixit virtutes facere, infirmos sanare, mortuos suscitare, et cætera talia. Jam enim supra dederat illis potestatem ad hoc faciendum. Hic nihil tale reperitur, sed tantum dixit : « Discite a me. » Quid nisi

A humilitatem ? Et notandum est quia se mitem dixit esse. Jam enim mitibus terram promiserat, dicens: « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Et ne grave videretur quod Dominus percipiebat facere, ipse superius exemplis monstrabat, et recte dicitur « humilis corde, » quia semetipsum humiliavit, sicut ait Apostolus : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit (*Phil.* II), » etc. Multi videntur humiles exterius, sed interius tumidi, sunt. Bona conscientia, quæ talem fert fructum, quæ semper intus servat humilitatem. « Et invenie- « tis requiem animabus vestris. » Et alibi dicit : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X). » Sancti post

B tribulationem requiem percepturi sunt.

« Jugum enim meum suave est, et onus meum « leve. » Jugum ipsius suave est ; quare suave ? aut quare leve ? Quia quod docuit ipse, prius implevit, sicut Lucas dicit (*Act.* I) : Quia « cœpit Jesus facere et docere. » Præcepit nobis humiles esse, ipsius prius in semetipso humilitatem exhibuit, nullam rem jussit quam ipse non demonstraret. Solent etiam nonnulli magistri « gravia et importabilia » discipulis injungere, quod ipsi facere non valent. Loquuntur ore, et opere destruunt, ideo discipulis gravia videntur : sed Dominus talia non fecit. « Jugum ejus leve est. » Sancti namque quidquid in hoc sæculo patiuntur, leve sustinent, quod jugum perfidi Judæi portare noluerunt, dicentes : « Disrumpamus vincula eorum (*Psal.* II). » Ergo nec scientia Patris, nec Filii, nec

C Spiritus sancti portare voluerunt, dicentes : « Scientiam viarum tuarum nolumus (*Job.* XXI). »

HOMILIA XIII.

SERMO DE ORATIONE DOMINICA.

(LUC. XI.) « In illo tempore, dixit unus ex discipu- « lis Jesu ad eum : Domine, doce nos orare, sicut « docuit Joannes discipulos suos. » Et reliqua. Lucas evangelista refert quia cum Dominus ab oratione surrexisset, accessit ac eum unus ex discipulis ejus, dicens: « Domine, doce nos orare, sicut et Joannes « docuit discipulos suos. » Quibus cum dixisset : « Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt, qui putant in multiloquio se exaudiri (*Matth.* V), » brevem quidem verbis, sed plenam

D mysterii docuit orationem, dicens :

« Sic ergo orabitis, dicentes : Pater noster, qui es « in cœlis, » etc. In qua oratione septem specialiter petitiones commendantur, quarum tres priores ad futuram vitam pertinent, reliquæ quatuor ad præsentem pertinere videntur, propter futuram tamen accipiendam. Quod enim ait, « Sanctificetur nomen « tuum, fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra, » ad futuræ vitæ beatitudinem pertinet. Quod vero subjungitur :

« Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, » etiam usque in finem, ad præsentis vitæ necessaria pertinere videtur. Sed cuncta per ordinem videa-

mus. Ait enim : « Pater noster qui es in cœlis. » Ubi considerandum est, quia cum singulis hanc orationem dicendam docuit, non dicimus, Pater meus singulariter, sed « Pater noster » pluraliter, ut intelligamus hanc paternitatem non ad naturam pertinere, sed ad gratiam. Hoc enim dicit imperator, hoc etiam miles, hoc dominus, hoc servus, hoc dives, hoc pauper. Omnes æqualiter dicunt, Pater noster, « quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* x). » Ubi revera magna dignatio hominibus datur, ut Dominum et Creatorem suum patrem audeant appellare. Sive, certe eum communiter patrem invocandum esse docuit, spiritaliter nos fratres esse debere insinuat, juxta illud quod ipse alibi ait : « Omnes enim vos fratres estis (*Matth.* xxiii). » Qui enim unum invocant patrem, unanimem debent habere fraternitatem, secundum illud quod per Psalmistam dicitur : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* cxxxii). » Cum vero Deus ubique sit totus, ubique præsens, specialiter in cœlis esse dicitur, ubi angelorum agminibus vicinus apparet, et sublimius collaudatur : ubi nobis innuit, quia qui Patrem nos habere gloriamur in cœlis, juste debemus vivere in terris, ut quandoque terreno pulvere exuti, ascendere mereamur in cœlos, ubi Patrem quotidie invocamus. Quod vero subditur : « Sanctificetur nomen tuum, » cum nomen Dei in se semper sanctum sit, in nobis sanctificari petimus, ut scilicet nos in quibus nomen ejus invocatum est, sancte et juste vivamus. Unde diligentissime cavendum, ne ad nos illa sententia terribilis dirigatur, qua dicitur : « Vos polluistis nomen sanctum meum (*Ezech.* xxxvi), » sed potius tales simus, ut ad nos pertineat vel in nobis impleatur quod ipse alibi dicit: « Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester (*Levit.* xi). »

« Adveniat regnum tuum. » Regnum Dei illud hic commemorat specialiter, quod venturum est per universale judicium, ubi regnabunt sancti cum Domino in gloria, qui non permittunt modo regnare in suo mortali corpore peccata. Quales erant apostoli, quibus a Domino dictum est : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. ut sedeatis super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Luc.* xxii). » Hoc ergo regnum, velimus nolimus, venturum est : tamen si ad illud nos pertinere confidimus, totis viribus, ut veniat optare debemus. Cum vero subjungimus : « Fiat voluntas tua. » Cognoscimus quia non nostris voluptatibus obtemperare, sed voluntatem Dei in omnibus debemus quærere, ut juxta admonitionem Apostoli, probantes quæ sit voluntas Dei bona, et bene placens et perfecta, hoc impleamus in opere, quod illius voluntati placere fuerit comprobatum. Quod autem dicimus : « Sicut in cœlo et in terra, » cœli nomine angelicam creaturam possumus accipere : terræ, humanam, cui dictum est : « Terra es, et in terram

A ibis (*Gen.* iii). » Et hoc petimus, ut sicut angeli ejus voluntatem faciunt in cœlo, ita et nos faciamus in terris. Sive aliter cœli nomine, justos accipimus, de quibus scriptum est : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* xviii) : » terræ nomine, peccatores. Et cum dicimus : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, » hoc petimus, ut sicut justi ejus faciunt voluntatem, ita ad ejus voluntatem sequendam convertantur etiam peccatores. Vel certe, cœli nomine Ecclesiam, terræ vero incredulos et paganos possumus accipere. Et cum dicimus : « Fiat voluntas tua, » etc., hoc petimus, ut etiam increduli et pagani convertantur ad fidem.

« Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Panis quotidianus ad victum pertinet et vestitum, B quibus secundum Apostolum contenti esse debemus, in quibus verbis spontanea paupertas poscitur. Quoniam sicut Dominus ait : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v). » Qui enim panem quotidianum petit, superfluitatem divitiarum non quærit. « Hodie » vero cum dicitur, omne tempus vitæ præsentis significat. Qui ergo dicunt : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, » jubentur de crastino non cogitare : vel certe, quia juxta Domini vocem, « non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei (*Luc.* iv). » Cum enim dicimus, panem nostrum, hoc oramus, ut animæ cibum spiritalem tribuat, id est verbum Dei. Et sicut quotidie morituræ carni carnale tribuit alimentum, sic animæ sine fine victura tribuat esurire verbum Dei : quia « beati, » ut Do- C minus ait, « qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur (*Matth.* v). » Sive aliter : Cum dicimus « panem nostrum quotidianum da nobis hodie, » possumus de perceptione eucharistiæ accipere, de acceptione corporis et sanguinis Domini. Et hoc oramus, ut quia sine peccato esse non possumus, sic nobis vitam præsentem tribuat sine crimine transire, ut ab eucharistiæ perceptione non separemur.

« Et dimitte nobis debita nostra. » Quod debitum in Scripturis ad peccatum pertineat, illa parabola Evangelii indicat, ubi servus qui decem millia talenta debebat, ad unam petitionem impetravit absolutionem. Cum ergo dicimus : « Dimitte nobis debita nostra, » hoc precamur, ut dimittat nobis peccata D nostra; quod sine dubio non negabit, si nos fecerimus quod subditur : « Sicut et nos dimittimus de« bitoribus nostris. » Regulam enim dimittendi peccata nostra in nobisipsis habemus, ut sicut volumus nostra a Deo dimitti nobis peccata, sic dimittamus et proximis quæcunque in nobis peccaverint. Et sicut volumus post peccatum benignum invenire Deum, sic nos his qui in nobis peccaverint, clementes simus et benigni, propter illud quod Dominus ait : « Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra (*Marc.* xi). » Ubi et discretio necessaria est, ut discernamus quia

alia sunt peccata quæ in nobis fratres committuut, et alia quæ in Deum : ut scilicet cum in nobis peccaverint, facile dimittamus : cum vero in Deum, non sine castigatione vel correptione, vel si necessitas fuerit, districtiorem adhibeamus disciplinam. Perverso enim itinere graditur, qui in se peccantibus vindictam, et his qui in Deum peccant, exhibent patientiam. Notandum autem quia non solum per baptismum, sed etiam post baptismum aliis modis in Ecclesia remissio tribuitur peccatorum. Septem enim modis remissio peccatorum dari creditur. Primo per baptismum, sicut Dominus ait : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI). » Secundo per pœnitentiam, de qua Dominus alibi ait : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV), » etc. Tertio fit per eleemosynam, juxta quod Dominus alibi ait : « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (*Luc.* XI). » Quarto fit per indulgentiam proximorum, de qua Dominus dicit : « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis (*Marc.* XI), » etc. Quinto per correptionem veræ charitatis, de qua per Jacobum apostolum dicitur : « Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte (*Jac.* V), » etc. Sexto fit per assumptionem corporis et sanguinis Domini, sicut Dominus, cum ejusdem sacramentum discipulis traderet, ait : « Hic calix Novum Testamentum est in A meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc facite quotiescunque feceritis, in meam (*Luc.* XXII), » etc. Septimo vero fit per sanguinis effusionem in martyrio, sicut angeli voce in Apocalypsi dicitur : « Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni (*Apoc.* XXII). » In eo quod subditur: «Et ne nos inducas in tentationem,» hoc petimus, ne nos permittat incidere in tentationem. Quasi enim Deus nos in tentationem inducere dicitur, quando a tentatione non liberat, sicut de Pharaone dictum est : « Ego indurabo cor Pharaonis (*Exod.* IV), » cum nihil aliud sit Deo indurare, nisi a duritia non liberare. Quapropter considerantes fragilitatem nostram cordis vocibus supplicemus, ne B nos inducat in tentationem, sed, juxta Apostoli sententiam, faciat cum tentatione etiam proventum, ut possimus sustinere (*I Cor.* X). Quod vero subdimus, «Sed libera nos a malo,» vel generaliter ab omni quod malum est, nos liberari petimus, vel specialiter a diabolo, qui est inventor omnium malorum. De quo alibi Dominus ait :«Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus et rapit (*Matth.* XIII). » Ab hujus ergo malitia nequaquam possimus liberari, nisi per ejus adjutorium, qui ait : « Nemo bonus, nisi solus Deus (*Marc.* X), » qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIÆ IN ALIQUOT EPISTOLAS PAULI

HOMILIA PRIMA.

DOMINICA DECIMA NONA POST TRINITATIS.

(EPHES. IV.) « Fratres : Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. » Hæc verba Apostoli ex superioribus pendent. Sic namque loquitur Ephesiis :

« Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. » Ac deinde subdit : « Renovamini autem spiritu mentis vestræ. » Pristina conversatio, est peccatorem in peccatis manere, vetus autem homo, veteris conversatio hominis Adæ. Quicunque enim in peccato manet, conversationem veteris hominis habet, qui homo, id est conversatio illa, corrumpitur et depravatur secundum desideria errorum et vitiorum. « Renovamini, » inquit, « spiritu mentis vestræ. » Spiritum et mentem pro bono debemus accipere, secundum beatum Augustinum, Id est, pro rationabilitate mentis. Duæ autem sunt renovationes. Una est subitanea ac momentanea, quæ fit in baptismate, in qua renovamur ab omnibus peccatis originalibus et actualibus. Altera quæ fit per spatium temporis, et per assiduitatem lectio- C nis, et per operationem bonorum operum, de qua hic dicit. Dum enim ea animus quotidie per studium lectionis de Deo intelligit, quæ ante ignorabat, et dum proficit quotidie de virtute in virtutem, quotidie innovatur. Tale est ergo ac si diceret : Estis renovati in baptismate, quotidie renovamini per studium lectionis, ea de Deo intelligendo, quæ ante nos latebant, et crescendo de virtute in virtutem. » Et induite, » inquit, « novum hominem, » id est, novi hominis conversationem, vel ipsum Dominum Jesum. Videamus quomodo sit ipse novus homo, et quomodo secundum Deum creatus est. Conceptus est in utero virginali opere sancti Spiritus, ex semine mulieris sine semine viri ; hoc novum fuit. Fecit miracula quæ nemo alius fecit, conversatus est sine peccato in hoc D mundo verus Deus et verus homo, resurrexit a mortuis, et hæc nova omnia fuerunt et sunt. « Secundum Deum creatus est in justitia, » quia justus est, « in sanctitate et veritate, » quia sanctus et verus est. Et non solum sanctus, justus, et verus, sed insuper ipsa justitia, ipsa sanctitas et veritas. Quod ergo dicit : « Induite novum hominem, » tale est ac si diceret : Induite Dominum Jesum Christum, id est, conversationem novi hominis, et omnes virtutes quas intelligitis in Christo esse. Quicunque enim assu-

munt justitiam, sanctitatem, veritatem, sapientiam, charitatem, omnesque virtutes quas in Christo cognoscit esse, Christum utique induit.

« Propter quod deponentes mendacium, loquimini « veritatem unusquisque cum proximo suo. » Quia omne mendacium a diabolo est, qui est mendax et pater mendacii (*Joan.* VIII), Quicunque filii veritatis sunt, debent deponere et abjicere mendacium, dolositatem et duplicitatem, et loqui veritatem de animo puro, cum omni homine, non solum cum Christiano, verum etiam cum hæretico et pagano, quia omnes sunt nostri proximi (*Eph.* V). Et quare debemus loqui veritatem cum proximo? « Quoniam sumus invicem membra. » Est Christus caput, membra illius sunt electi. Et sicut membra nostri corporis sunt sibi invicem necessaria, et sibi ministrant invicem quæ necessaria sunt : verbi gratia (*I Cor.* XII; *Rom.* XII): Oculus est necessarius manui et pedi, et manus, pes, oculo, ideoque ministrat oculus manui et pedi lumen, manus autem abstergit illum et lavat a sordibus; sic in sancta Ecclesia prædicator quilibet qui est oculus, debet ministrare lumen scientiæ et prædicationis aliis qui sunt manus et pedes, id est, qui sunt eleemosynarii, et qui currunt ad sepeliendum mortuum, et qui activæ vitæ sunt dediti. Econtra illi debent de substantia sustentare oculum prædicatorem, præbendo ei cibum et potum, et ministrando cætera quæ necessaria sunt illi. Hæc faciendo, erunt sibi invicem membra. Sequitur :

« Irascimini, et nolite peccare (*Psal.* IV). » Dupliciter possumus hoc intelligere. Si quando peccatis et a via rectitudinis diabolo suadente recedit is, irascimini vobisipsis, et indignemini, ne amplius talia faciatis, castigando corpus vestrum vigiliis et jejuniis; aliter : Et si, inquit, irascimini, nolite iram perficere. Permittit quidem Apostolus irasci quod humanum est, sed prohibet vindictam expetere, quod jam non est humanum, quia ira viri justitiam Dei non operatur. « Sol non occidat super iracundiam vestram. » Similiter et duplici modo potest intelligi, dicamus simpliciter. Sol non occidat super iracundiam vestram, id est, si commoti fueritis ad tempus adversus proximum, ante solis occasum reconciliamini, et recedat ira a vobis ; aliter : Sol appellatur Christus in Scripturis sacris, ut ibi : « Vobis timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ (*Mal.* IV, (*Luc.* I). » Qui sol plerumque propter iram, quæ vindictam expetit, et propter discordiam, occidit vobis, id est, recedit a vobis, sicut occidit filiis prophetis, de quibus dicitnr : « Occidit eis sol, cum adhuc dies esset media (*Jer.* XV). » Sol non occidat super iracundiam vestram, id est, cavete ne propter iram vestram, et propter vestrum peccatum recedat sol justitiæ Christus a vobis.

« Et nolite locum dare diabolo, » id est, nolite vindictam expetere, neque ultra modum irasci (*Ephes.* VI), ne recedat sol a vobis Christus, et veniat diabolus princeps tenebrarum. Quandocunque enim peccamus, locum diabolo in nobis damus.

« Quis furabatur » bona aliorum, « jam non furetur. » Vel, qui furabatur verba et doctrinam Evangelii, per hereticam pravitatem, sicut prophetæ filii, de quibus dicitur : « Vident vana et divinant mendacium, dicentes : Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non miserit eos (*Ezech.* XIII ; *Jer.* III); » jam non furetur, sed recedat ab errore suo. » Magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum « est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. » Ille qui ante furabatur, non solum debet a furto cessare, sed debet operari manibus suis, ut habeat unde sustentet alios inopiam patientes.

HOMILIA II.

DOMINICA VIGESIMA POST TRINITATIS.

(EPHES. V.) « Fratres, videte quomodo caute am« buletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes.» Loquitur Apostolus Ephesiis, in illis omnes homines hortatur, ut caute et considerate vivant sicut sapientes, et non sicut insipientes. Fratres autem illos vocat in fide, in societate dilectionis, quia unum Patrem Deum omnipotentem omnes habemus, non per naturam, sed per adoptionem (*Matth.* XXIII).« Videte, fratres, » id est, considerate, « quomodo caute » et ordinate « ambuletis, » vivatis et conversemini in medio nationis pravæ et perversæ, et « non quasi insipientes, » id est infideles qui non habent sapientiam veram, id est Christum in se habitantem,« sed ut sapientes », id est fideles qui sapientiam substantialem in vobis habetis. Quanta enim distantia est inter tenebras et lumen, inter fidelem et infidelem, tanta distantia est inter insipientem et sapientem, quia lumen et sapientia non potest esse in eo, nisi fidem omnipotentis Dei habeat. « Redimentes tem« pus, quoniam dies mali sunt. » Quomodo est tempus malum, quod secundum dispositionem Dei semper volvitur, mensibus, diebus, et noctibus, horis, momentisque currentibus. Sicut ergo dicitur mala esse domus, quæ malos habitatores habet, ita dicuntur mali dies, in quibus mala fiunt a malis hominibus. Quod est quod dicit, « redimentes tempus ? » id est, vestrum illud facite. Verbi gratia : Alii vendunt, illud, mala operando ad malum suum : vos redimite illud, talia opera faciendo, pro quibus remunerationem capiatis. Quicumque enim hoc facit quod sibi est utile, tempus sibi redimit, et acquirit, quia suum illud facit, et ad suam salutem illud occupat.

« Propterea, » subaudis, quia dies mali, « tunc nolite « fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit volun« tas Dei. » Prudens homo dicitur quasi providens, quia longe considerat quem finem sua opera habitura sint, et qui scit quid debeat petere, et quid vitare, qui considerant etiam quæ placeant aut quæ displiceant Deo. Econtra ille qui considerate et improvide omnia agit, et qui non considerate ad quem finem opera sua deducat, et quod placeat voluntati Dei, appellatur imprudens et stultus. Unde dicit Apostolus : « Propterea, » inquiens, quia dies mali sunt, in quibus multa mala fiunt : « Nolite fieri im-

prudentes» sive inconsiderati, »sed « estote » intelligentes quæ sit voluntas Dei, »id est, quid placeat Deo et in quibus operibus voluntas Dei impleatur.

« Et nolite inebriari vino in quo est luxuria. » Per luxuriam debemus intelligere omnia vitia quæ per ebrietatem solent evenire, quia, ut quidam doctor dicit, ebrietas nullum vitium excusat. Sed hic notandum est, quia sicut illi qui replentur vino, replentur inverecundia, impatientia, luxuria, impudicitia, superbia, cæterisque vitiis : ita illi qui replentur Spiritu sancto, replentur castitate, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus.

« Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis « et canticis spiritualibus.» Nobismetipsis loquimur, quando alternatim canimus psalmos. Psalmi dicuntur a psallendo, quia in psalterio inveniuntur. Hymnus Græce, Latino eloquio sonat *laus Dei*. Hymnus autem si componitur et cantatur in laudem Dei, tunc est hymnus. Hymnos autem apud Latinos, præcipue Ambrosius et Hilarius, clarissimi viri composuerunt. Unde igitur cum dixit canticis, subjunxit spiritualibus, quia sunt cantica quæ non sunt spiritalia, neque in laudem Dei cantantur. Sicut sunt cantica sæcularium hominum. Cantica autem spiritalia sunt, quæ composuerunt prophetæ Spiritu sancto afflati et repleti, ut sunt cantica Moysi, canticum Annæ, canticum Deboræ, canticum Isaiæ, canticum Ezechiæ, cæterorumque prophetarum. Hoc vero distat inter canticum et psalmum, quia canticum ne solummodo profertur, sed et decantatur : psalmus autem addito quodam instrumento musicæ artis, id est psalterio. « Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. » Ideo dixit cantantes in cordibus vestris, quia multi sunt qui cantant solummodo ore, quorum mens non concordat voci, et qui magis attendunt ad sonoritatem vocis ut auditoribus placeant, quam considerent mente quid dicant. Illi vero cantant in corde, quorum mens concordat voci, juxta illud beati Benedicti : Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.

« Gratias agentes semper pro omnibus in nomine « Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri. » Pro omnibus beneficiis nobis a Deo gratis datis, vel pro omnibus prosperis et adversis debemus semper gratias referre Deo Patri, id est, Deo omnipotenti Patri, qui omnibus creaturis est Deus Pater, id est, creator et factor. Et quomodo? In nomine Domini nostri Jesu Christi, dicentes ei : Gratias tibi referimus, Domine sancte Pater, qui nos per Filium tuum fecisti et redemisti et viam patriæ cœlestis aperuisti. Et ideo in nomine Domini nostri Jesu Christi gratias referre debemus Deo Patri, quia per illum qui mediator noster est, preces et sacrificia nostra offerimus et transmittimus ad Deum Patrem, dicentes : Suspice, Domine, preces populi tui, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum, etc.

« Subjecti invicem in timore Christi. » Sicut auditores et subjecti suis prælatis subditi sunt causa obedientiæ et reverentiæ : sic debent etiam prælati

A humiliare se erga subjectos, in quantum vident illos æquales sibi in virtutibus et vitæ meritis, in quantum autem vident illos erigi in superbiam contra se et vitia sectari, debent officium suæ præposituræ ostendere et fortiter redarguere et increpare. Quod probari potest ex factis apostoli Petri, qui cum vidisset Cornelium centurionem cum omni domo sua humiliter velle se adorare, econtra ille humiliavit se illi, dicens : « Surge, nam et ego homo sum (*Act*. v.) » Ubi autem vidit Ananiam et Sapphiram a via veritatis recedere, et vitiis subjacere, potentiam sui officii et præposituræ ostendit solo verbo illos interficiens (*Act*. v). Sed ista omnia in timore Christi sunt agenda, id est, per amorem Dei, non causa adulationis neque patrocinationis, quod quidam faciunt, B ut possint invenire gratiam prælati, et liberius quod eos delectat operentur.

HOMILIA III.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST TRINITATIS.

(EPHES. VI.) « Fratres, confortamini in Domino, et « in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam « Dei. » Et reliqua. Post spiritalia præcepta, quibus admonuit Apostolus viros et mulieres, patres et filios, dominos et servos, subjunxit ista generalia, non solum ad Ephesios quibus mittebat hanc epistolam, sed ad omnem sexum, et ad omnem conditionem, et dixit : « De cætero, » id est, deinceps et præter illa quæ superius diximus, « Fratres » mei in fide et dilectione, et qui unum Deum Patrem omnipotentem habemus (*Matth*. xxv), « confortamini in Domino et C in potentia virtutis ejus. » Nolite confidere in vestra fortitudine, neque in meritis vestris, neque in potentia principum hujus sæculi, sed in Domino et potentia virtutis ejus confortamini. « Induite armaturam Dei. »

« Ut possitis stare adversus insidias diaboli. » In hoc nomine quod est armatura comprehenduntur omnia vasa bellica, ut lorica, galea, scutum, lancea, tela, cæteraque instrumenta armorum. Specialiter autem debemus intelligere per armaturam Dei, Dominum Jesum Christum, cujus protectione defenduntur omnes electi, et quem induunt, juxta quod idem Apostolus alias dicit : « Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Rom*. VI; *Galat*. III). » Tunc induunt electi Christum, quando virtu- D tes quæ in Christo sunt, per adjutorium illius assumunt. Quod ergo dicit : Induite armaturam Dei, tale est ac si diceret : Induite Dominum Jesum Christum, id est, omnes virtutes quas scitis in illo esse in vos assumite. Verbi gratia : Et ille justus, verus, patiens, castus, mansuetus. Appellatur agnus et leo et vitulus. Induite vos justitiam, veritatem, patientiam, charitatem, castitatem, mansuetudinem. Estote agnus, id est, mites; leo, fortes in fide, in bono opere contra diabolum. Estote et vitulus, mortificantes vosmetipsos cum vitiis et concupiscentiis, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Multis enim modis insidiatur nobis diabolus. Denique insidiatur nobis

per malas suggestiones. Insidiatur per vitia carnis nostræ, et incentiva malarum delectationum. Insidiatur per ministros suos ut per hæreticos et falsos fratres atque paganos. Sed contra hos omnes debemus nos viriliter pugnare, ut possimus superare. Poterat aliquis dicere : O Paule, quare præcipis omnem armaturam Dei inducre? Ad hæc ille subjungit :

« Quia non est nobis, » inquiens, « colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, » etc. Carnem et sanguinem appellat Apostolus isto loco omnes homines, qui constant ex carne et sanguine, a quibus plerumque, suadente diabolo, impugnamur : et dicit, quia non est nobis colluctatio, id est pugna, adversus illos solummodo, sed adversus dæmones, qui principantur malis hominibus. et potestatem exercendo super illos, regunt illos potius ad malum quam ad bonum. Ipsique appellantur spiritalia, subaudis dæmonia, nequitia, id est malitia, qui morantur in hoc aere (*Luc.* XII). Cœlum denique appellatur aer in Scripturis sacris. Unde et aves cœli dicuntur. Qui, ut philosophi dixerunt, et doctores nostri opinantur, ita plenus est dæmonibus et malignis spiritibus, sicuti radius solis minutissimis atomis. Contra hos ergo tam pugnandum est nobis, quam etiam contra homines constantes ex carne et sanguine, quia quidquid mali contra nos homines machinantur, ab illis suggeritur. Et si superaverimus illos qui sunt principes malitiæ, et quorum instinctu vitia carnis nostræ contra nos sæviunt, tunc facile superare poterimus omnes ministros illius; verbi gratia : Sicut, superato principe, exercitus facile fugatur. Quod probari potest ex libro Judith, quo narrante discimus, quia Holoferno principe militiæ interempto, multitudo exercituum in fugam versa, et a Judæis est facillime superata (*Judith.* XIII). Sed quærendum est quomodo pugnare possimus contra dæmones qui spiritus sunt? Nam omnibus patet, contra spiritum armis materialibus non posse pugnari (*II Cor.* x). Quapropter quia spiritus sunt et invisibiles, necesse est ut arma spiritualia assumantur, virtutes videlicet supra memoratæ, et detractemus eo modo, quomodo legimus Jacob luctatum esse cum angelo orando, jejunando, vigilando, cæterisque bonis operibus insistendo, ut sicut meruit ab angelo sancto benedici cum quo luctabatur orando (*Gen.* XXXII), ita et nos superando diabolum a Domino benedici mereamur. Cæterum quæri potest, ubi acceperit Apostolus ut dæmones et malignos spiritus, principes et potestates et rectores tenebrarum harum appellaret, id est hominum infidelium, Deum ignorantium et peccatorum, de quorum ministerio fuerant illi quondam, quibus dicebat : « Fuistis aliquando tenebræ (*Eph.* v), » id est, infideles Deum ignorantes et peccatores. Ad quod dicendum, quod ex libro Danielis illud accepit, ubi legitur : « Princeps Græcorum, et princeps Persarum (*Dan.* x). » Ex libro quoque Ezechielis, ubi dicitur ad principem Tyri : « Tu signaculum similitudinis in paradiso Dei fuisti (*Ezech.* XXVIII), » et cætera quæ ibi dicuntur de hoc et de principibus aliarum gentium Ægyptiorum, Assyriorum, Idumæorum Nam per principes illi dæmones intelliguntur illis gentibus præpositi. Sicut enim unusquisque fidelium habet bonum angelum delegatum ad custodiam sui, ita et pagani habent malos angelos, qui eis principantur permissione Dei. Et sicut Michael præpositus est genti Judæorum, de quo dicitur : « Et nemo est mihi adjutor, nisi Michael princeps noster (*Dan.* x), » ita habent et gentes in infidelitate manentes malos principes. Dicamus altius : Apostolus, repletus gratia Dei, cognovit per Spiritum sanctum, quia sicut boni reges Israelitarum significabant Dominum Jesum Christum, et principes qui sunt in Ecclesia, verbi gratia : qualis fuit David qui interpretatur *manu fortis*, sive *desiderabilis*, aliique quamplurimi; et sicut populus Israel significabat populum credentium qui sunt veri Israelitæ, sic mali reges et principes cum suis gentibus qui contra populum Dei pugnabant, et fuerunt reges Ismaelitarum et Idumæorum atque Philisthinorum significabant dæmones, qui principantur paganis et hæreticis, qui Ecclesiam Dei semper impugnant. « Propterea » subaudis, quia colluctatio est nobis adversus principes et potestates, ideo « accipite armaturam Dei, » de qua superius diximus, id est, omnes virtutes, « ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare, » id est, in omnibus prosperis et in adversis perseverare firmi in fide bonisque operibus. Diem malum appellat præsens tempus, non quod per se sit malum, sed quia multa mala in eo fiant. Vel etiam diem malum dicit diem judicii, in quo omnes mali damnabuntur.

« State ergo succincti lumbos vestros in veritate. » Lumbos succingimus, cum luxuriam refrenamus. State, inquit, in fide, id est in bono opere, restringentes lumbos a luxuria ubi maxime viget, et hoc in veritate facite, non in mendacio neque per hypocrisim, nec ut laudem humanam capiatis. Vel in veritate dicit, pro amore nominis Christi, qui est veritas (*Joan.* XIV). « Induite loricam justitiæ. » Recte justitia loricæ comparatur, quia sicut lorica multis circulis contexitur, ita justitia multis virtutibus constat. Aliter : Justitia enim bene loricæ potest comparari, quia sicut lorica pectus munit, ventrem stringit, femora protegit, ita justitia superfluas cogitationes, quæ in pectore versari solent, repellit, ingluviem ventris restringit, luxuriam quoque comprimit.

« Et calceati pedes, » subaudis sint vobis, « in præparatione Evangelii pacis. » Et est sensus : Sicut ille qui calceatos habet pedes, serpentes spernit, spinas, omnemque asperitatem viæ pro nihilo ducit: ita et vos diabolum serpentem antiquum, spinas quoque, id est passiones punctionum, omnem asperitatem hujus vitæ contemnite, et liberi ad prædicationem Evangelii incedite. Aliter : Per calceamenta, quæ ex mortuis animantibus fiunt, debemus intel-

ligere dicta et exempla præcedentium patrum. Calceatos ergo pedes habemus, cum dictis et exemplis præcedentium patrum muniti, securi ad prædicandum Evangelium pacis, quia ibi continetur pax quam Christus apostolis commendavit (*Joan.* XIV), et in apostolis omnibus fidelibus, vel etiam quia per observantiam Evangelii, meremur reconciliari Deo.

« In omnibus » præliis et certaminibus « sumentes « scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi « ignea exstinguere. » Quidquid missile est et jacitur, telum potest appellari, proprie tamen illud quod in longum protenditur, ut lancea. Nam telon dicunt Græci longum. Unde mustela dicitur mus longus. Sicut scutum se tenentem protegit, et tela repellit, ita fides hominem munit, et a diabolo jaculis et infestationibus defendit, illa tamen quæ fuerit bonis operibus adornata. Tela autem diaboli ignea appellat suggestionem pravam, qua nos incendunt ad mala opera agenda, quæ exstinguuntur, id est superantur, per virtutem fidei.

« Et galeam salutis assumite. » Galea in capite ponitur quæ omnes sensus corporis munit, id est protegit : visum videlicet in oculis, auditum in auribus, gustum in ore, olfactum in naribus, tactum in toto capite. Quid ergo debemus intelligere per galeam, quæ, ut diximus, omnes sensus corporis protegit? Dominum nostrum Jesum Christum et protectionem illius. Per caput vero mentem, quia sicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente disponuntur. Ponamus igitur in capite, id est mente, protectionem Christi, recordemur ipsius in secreto mentis nostræ, habentes in illo fiduciam non in nosipsos, et ipse tuebitur omnes sensus nostros, ne a diabolo hoste antiquo possint vulnerari. « Et gladium spiritus « quod est verbum Dei, » subaudis assumite. Gladius sancti Spiritus intelligitur verbum Dei, ut Apostolus ait (*Hebr.* IV), id est, doctrina et scientia divinarum Scripturarum quæ per Spiritum nobis tribuuntur. Idcirco autem gladius appellatur, quia sicut gladio fugantur hostes, ita per cogitationem divinarum Scripturarum, quæ per Spiritum sanctum nobis tribuitur, possumus fugare omnes insidias et omnia machinamenta diaboli, appetendo quæ Scriptura sacra docet, et vitando quæ prohibet. Et non solum dæmones per ejus cognitionem et adjutorium possumus superare, sed etiam auctoritate illius hæreticos convincere, et errorem illorum destruere.

« Gratia, » id est fides et remissio peccatorum, « sit in incorruptione, » id est integritate fidei, « cum omnibus qui diligunt Dominum Jesum Christum. » Vel aliter : Gratia, id est fides, remissio peccatorum, societas, æterna, sint cum omnibus sanctis in incorruptione, hoc est in resurrectione generali, ubi omnes accipient electi incorruptionem et immortalitatem in corpore, et incommutabilitatem in anima (*I Cor.* XV), fulgentes sicut sol in regno patris sui (*Matth.* XIII) : cum quo felices in sæcula sæculorum manebunt.

A

HOMILIA IV.

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST TRINITATIS.

(PHILIP. I.) « Fratres, confidimus in Domino Jesu, « quia qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet « usque in diem Jesu Christi. » Christus, qui dedit nobis initium fidei et bonæ conversationis, dabit et perseverantiam usque in diem mortis nostræ, vel usque ad diem judicii per successionem.

« Sicut justum est mihi hoc sentire pro omnibus « vobis, » id est, justum est mihi hoc intelligere de vobis, quia permanebitis in fide Christi, et ideo debeo gaudere. « Eo quod habeam vos in corde et in « vinculis meis, » id est vestri reminiscor, « et in « defensione et in confirmatione Evangelii, socios
B « gaudii mei, » id est promissionis æternæ vitæ. Multis modis autem defendebat et confirmabat Evangelium, videlicet recte medendo, juste vivendo, bene docendo. Defendebat quoque et confirmabat sanctam esse doctrinam Evangelii, dum dicebant ei : Nega Christum et abjice doctrinam istam, erisque florens magno honore in palatio meo, et ille magis eligebat ab illo flagellari, et in vinculis astringi, quam ei consentire, tunc defendebat Evangelium. Et videntes alii hoc, dicebant : Vere nisi esset doctrina ista vera, et nisi esset Christus Dei Filius verus, nequaquam Paulus talia pro ejus nomine sustineret. Omnes vos, subaudis volo esse, id est o-to, ut sicut estis socii in labore prædicationis, ita sitis et in remuneratione. Poterat enim aliquis dicere. Vere circuitor Paulus mundi, verbosus, neque diligit nos. Unde dicit
C ad hæc ille : « Testis enim mihi est Deus, quomodo « cupiam omnes vos in visceribus Christi Jesu. » Viscera dicuntur filii, et viscus dicitur, quanquam inter carnem est, ideo duobus modis intelligitur. Cupio, inquit, vos omnes filios esse Dei, vel cupio ut ipse sit templum vestrum, et vos communicantes corpori et sanguini illius, maneatis in illo.

« Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis « abundet. » Sicut fides habet initium, habet incrementum et perfectum : ita et charitas. Oro, inquit, ut non solum ad Deum et proximum, sed ad inimicos extendatur vestra charitas. « Justitia, » subaudis legis, « et omni sensu, » id est doctrina Evangelii.

« Ut probetis potiora, » id est intelligatis majora
D de « Deo, ut sitis sinceri, » id est perfecti in fide et in omni bonitate. Sinceris materia est integra, solida et firma, quæ nullius rei varietate maculatur, ita debet et fides esse solida « et sine offensa in die « Christi, » id est sine offensione in die mortis vestræ, vel die judicii.

Repleti fructu justitiæ, » id est, et sitis repleti omnibus virtutibus, de quibus dicit Apostolus : « Fructus autem spiritus est gaudium, pax (*Gal.* V). » « Per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei, » id est ut glorificetur Deus in nobis, et laudetur Dominus Jesus, per quem omnia bona habemus.

HOMILIA V.

IN DIE DEDICATIONIS TEMPLI.

(APOC. XXI) « Vidi civitatem sanctam Jerusalem « novam descendentem de cœlo, a Deo paratam « sicut sponsam, ornatam viro suo. » Hæc civitas sancta Ecclesia, quæ idcirco civitas appellatur, quoniam a multis inhabitatur, et in quatuor mundi partes distenditur, habens habitatorem Domini. Hinc Paulus dicit : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, VI). » Sancta dicitur, quia quotidie per baptismum sanctificatur. Vocatur quoque Jerusalem, quæ *visio pacis* interpretatur, quia ad hoc laborat, ut visionem Dei in cœlestibus percipiat. Nova dicitur, quia a vetustate peccati exuitur : peccati enim perpetratio ad veterem Adam pertinet. Et B ideo dum Ecclesia a peccato originali mundatur, et vetustate peccati, ad novitatem venit. Unde Apostolus : « Exspoliantes vos veterem hominem, induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei (*Col.* III, *Eph.* IV). » Idcirco autem civitas hæc a Deo descendere dicitur, quia ab exordio sui, jam cum capite suo descendit. Unde idem Dominus dicit : « Nemo ascendit in cœlum (*Joan.* III), » etc. Aliter : In hoc descendere de cœlo dicitur, quia cœlestis est gratia, quod Dominus fecit eam Ecclesiam. Juxta illud : « Ego Dominus faciens te (*Isa.* XLIII). » Quidquam enim habet in fide, spe et charitate, cæterisque virtutibus, et baptismo desuper datum est illi. Unde Jacobus : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a patre luminum (*Jac.* I). » — « Paratam, » id est fide cæterisque C virtutibus ornatam. Unde meretur dici sponsa. « Sicut sponsam ornatam viro suo. » Duo dicit, sponsam et virum, in quo subintelligitur uxor, quia consuetudo est sacræ Scripturæ, ut sponsos appellet viros, et sponsas uxores. Unde Joel : « Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo (*Joel.* II). » Et Sephora ad Moysen : « Sponsus sanguinum tu mihi es (*Exod.* IV). » In Evangelio ab angelo dicitur : « Joseph autem vir ejus (*Matth.* II). » Et in lege : « Si invenerit vir puellam desponsatam in agro, et dormierit cum ea, morte morietur, quia humiliavit uxorem proximi sui (*Deut.* XXII). » Sponsa itaque nunc est sancta Ecclesia per fidem, spem et charitatem, sed tunc erit uxor, quando ad amplexus viri, id est ad contemplationem Dei omnipotentis, perve- D nerit. Quod tota die quidem in singulis agitur electis, generaliter autem in fine complebitur : tunc omnes in commune audient : « Venite, benedicti Patris (*Matth.* XXV), » etc. « Ornatam » dicit, id est in omnibus virtutibus compositam. Juxta illud Psamlistæ : « Astitit regina a dextris tuis (*Psal.* XLIV), » etc.

« Et audivi vocem magnam de throno. » Thronus hic intelligitur homines et angeli sancti in quibus habitat Deus, ideoque hæc vox magna, vox intelligitur omnipotentis Dei. Quæ idcirco magna dicitur, quia de magnis loquitur Deus. « Ecce tabernaculum « Dei cum hominibus. » Magna est enim Dei gratia, A ut homines illius fiant tabernaculum, cujus magnitudinem non capit mundus. Tabernaculum Dei cum hominibus, id est, ipsi homines sunt tabernaculum Dei. Joannes in hoc loco typum tenet sanctæ Ecclesiæ, quæ audit vocem dicentem : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, » quando per internam inspirationem seipsam cognoscit esse Dei tabernaculum. « Et habitabit cum illis, » id est cum illis qui tabernaculum Dei esse meruerunt. Unde ipse Dominus dicit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus (*Matth.* XXVIII). » — « Et ipsi populus ejus erunt. » Juxta illud : « Hæreditas mea Israel (*Isa.* XIX), » — « Et « ipse cum eis erit eorum Deus. » Habitans in eorum fide et dilectione, sicut ipse dicit : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Unde et idem Joannes in epistola sua ait : « Qui manet in dilectione, in Deo manet et Deus in eo (*I Joan.* IV). » Et ipsorum Deus omnipotens est Deus cum quibus habitare dignatur. Unde Psalmista : « Dominus pars hæreditatis meæ (*Psal.* XV). » Et ipse in lege loquitur, dicens : « Filiis autem Levi non dabitis hæreditatem, ego enim hæreditas illorum (*Deut,* XVIII). » Quando enim homo peccando recedit a Deo, non est populus Dei, nec Deum possidet, sed dum pœnitendo revertitur ad Daum, populus Dei est, quia possidet Deum et possidetur a Deo.

« Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis « eorum. » Hæc verba non ad præsentem vitam luctu et lacrymis plenam pertinent, sed ad futuram, quando omnis luctus auferetur a fidelibus, et perpetuum gaudium possidebitur. Juxta illud : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). » Intuendum autem, quare omnem lacrymam ab oculis sanctorum dicat auferendam, cum sufficere potuisset dicere : Absterget lacrymam ab oculis eorum ? Sed sciendum quod diversæ snnt qualitates lacrymarum, quibus in hac vita affliguntur electi : Aliquando scilicet propter timorem tormentorum, ne ob demerita iniquitatis suæ pœnis tradantur ultricibus; aliquando propter amorem et consortium supernorum civium. Postquam enim veniam peccatorum consequuntur, iterum flere incipiunt, non jam quia timent damnari, sed quia differuntur a regno. Aliquando quoque deplorant aliorum peccata, sicut Samuel flebat Saul, eo quod pœnituisset Dominum, quod constituerat eum regem super Israel (*I Reg.* XV). Et sicut Paulus deflebat Corinthios, qui propter fornicationem et idololatriam non egerunt pœnitentiam (*II Cor.* XII.) Omnem ergo lacrymam ab oculis electorum Dominus absterget, quia neque timore arctabuntur pœnarum, neque jam differentur a regno quod præsentialiter possidebunt, neque etiam aliorum peccata defiebunt, quia justo Dei judicio damnatis reprobis, nullus deinceps peccare poterit. « Et « mors ultra non erit. » Postquam enim omnes a mortuis resurreximus, in electis jam ultra non erit mors neque corporis neque animæ. Primus namque

homo ea lege conditus est in paradiso, ut nisi peccasset immortalis mansisset. Et completo electorum numero. ab illo paradiso terreno absque mortis interventu transiret ad patriam cœlestem. Sic autem est conditus, ut si peccaret mori posset. Quæ mors, quia per peccatum eam incurrit, destructa est per Domini mortem. Ideoque locum in electis non habebunt. Postquam omnes ad vitam resurgemus. tales effecti ut deinceps neque mori neque peccare possimus, « neque luctus » erit in illa Ecclesia, qui, ut superius dictum est, multis modis fit in præsenti. « Neque clamor, neque dolor erit ultra. » Clamor in hoc loco intelligitur querela pravæ suggestionis. Prius enim quam peccaret homo, in magna quiete erat, omniaque membra sibi subjecta, et nullo modo in aliqua repugnantia possidebat. Sed postquam peccavit, statim clamorem pravæ suggestionis contra se exsurgentem sensit, vidensque mulierem concupivit, factumque est Dei judicio, ut qui noluit esse subjectus Deo, non posset habere membra sibi subjecta. Hunc clamorem deinceps sustinemus, quo et Paulus se fatigatum ostendit, dicens : « O infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Video enim aliam legem in membris meis (*Rom.* VII), » etc. Semper enim fit hic clamor, quia semper caro spiritui resistit. Sed cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, cessabit clamor tumultuari contra electos, qui eos in hac vita quiescere non sinebat. Ibi enim cessabit omnis prava suggestio, ubi nulla erit carnis delectatio. Sed et dolor post hæc non erit, quia videlicet caro electorum, ultra spinas et punctiones peccatorum pro quibus dolere debeant, non generabit. « Quæ prima abierunt, » quia in præsenti sæculo hæc omnia sustinent. Sed cum innovata cœlum et terra fuerint, tunc et ipsi electi innovabuntur, et nequaquam præteritas passiones sustinebunt.

« Et dixit qui sedebat in throno, » id est Deus omnipotens, qui præsidet Ecclesiæ suæ : « Ecce nova facio omnia, » ea scilicet quæ superius dicta sunt, inter quæ etiam cœlum et terra innovabuntur.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

OPERUM TERTIA PARS. -- MISCELLANEA

DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI [a].

(Apud Acherium, Spicileg.)

Sed quoniam hujus Epistolæ opportunitas affert, ut aliquid de tanto sacramento latius dicatur, proferatur in medium quod gratia illius contulit, qui hoc sacramentum corporis sui et sanguinis ad salutem fidelium animarum in terris relinquere voluit, ut fidei integritas propensius roboretur, et credentium merita cumulatius augeantur. Substantiam ergo panis et vini, quæ super altare ponuntur, fieri corpus Christi et sanguinem per mysterium sacerdotis et gratiarum actionem, Deo hoc operante divina gratia, secreta potestate, nefandissimæ dementiæ est fidelibus mentibus dubitare. Credimus itaque et fideliter confitemur et tenemus, quod substantia illa, panis scilicet et vini, per operationem divinæ virtutis, ut jam dictum est, id est, natura panis et vini substantialiter convertatur in aliam substantiam, id est in carnem et sanguinem. Non enim impossibile est apud omnipotentiam divinæ rationis in quidquid voluerit institutas mutare naturas, cum non fuit ei impossibile easdem naturas, cum non fuit, ex nihilo quando voluit instituere. Nam si de nihilo aliquid facere potest, tunc aliquid facere ex aliquo non impossibile est. Commutat ergo invisibilis sacerdos suas visibiles creaturas in substantiam suæ carnis et sanguinis secreta potestate. In quo quidem Christi corpore et sanguine propter sumentium horrorem sapor panis et vini remanet et figura, substantiarum natura in corpus Christi et sanguinem omnino conversa; sed aliud renuntiant sensus carnis, aliud renuntiat fides mentis. Sensus carnis nihil aliud renuntiare possunt quam sentiunt : intellectus autem mentis, et fides veram Christi carnem et sanguinem renuntiat et con-

(*a*) Tractatus Aimonis sive Haymonis, episcopi Halberstatensis, de Corpore et Sanguine Domini ejus sermonibus subjiciebatur in codice ms. Sancti Germani Parisiensis, ubi nomen *Aimonis* erat inscriptum. Quare fides non dubia est illud ipsi tribuendum esse, cum titulus id asserat.

fitetur : ut tanto magis coronam suæ fidei recipiat et meritum, quanto magis credit ex integro, quod omnino remotum est a sensibus carnis.

Et notandum quod panis ille sacratus et calix signa dicuntur. Non autem hoc quantum ad carnem Christi et sanguinem accipiendum est: quod tamen quidam errore sensibus carnis omnino dediti, mente cæcati stolidissime putant; jam enim corpus Christi et sanguis non essent. Nullum signum est illud cujus est signum, nec res aliqua sui ipsius dicitur signum, sed alterius. Et omnino omne signum, in quantum esse signum deprehenditur, diversum est ab eo quod significat. Corpus ergo Christi et sanguis sacramentum dicuntur, id est sacrum signum, non sui ipsius, ut præmissum est et probatum, sed ad similitudinem sumentium revera signa dicuntur: sicut enim panis, qui sacratus fit corpus Christi, ex multis granis fit unus panis, et potus ille qui sanctificatus efficitur sanguis Christi, ex multis acinis fit unus potus : sic omnes digne sumentes hoc sacramentum ex multis unum corpus in Christo efficiuntur. Possunt et aliter corpus Christi et sanguis signa nominari, quod manducamus et in corpus Christi nostrum trajicimus, quodam modo nobis incorporari videtur et uniri. Significat ergo hoc corporalis et temporalis carnis Christi et sanguinis comestio et incorporatio, illam æternæ societatis et refectionis visionem spiritalem et sempiternam, qua ei incorporabimur et uniemur in futuro, sic sine fine cum eo permansuri : ad quod nos perduci posse integra fide, alacri spe, flagranti charitate præsumendum est.

Hoc quoque fides sumentium hoc sacramentum firmiter tenere debet, quantulumcunque sumere videatur de hoc sacramento, corpus Christi, non per partes divisum et separatum, sed omnino inte-

A grum accipere; etenim granum tritici in terram projectum et mortuum, iterum resurgens in fructus multiplicationem, totum esse necesse est in singulis granis ab eo progenitis. Hoc nisi ratione teneamus, quid fieri posset tanta tamque multis diminutio partium, ut ex singulis partibus illius grani singula formarentur grana. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus*, id est, discuteremus et examinaremus vitam nostram, utrum digni esssemus necne ; et si nosmetipsos et errores nostros corrigeremus, *non utique dijudicaremur* ; id est non damnaremur a Christo neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Dum judicamur autem* in paucis, in illis videlicet qui infirmantur et febricitant in hoc præsenti tempore, et in illis etiam qui moriuntur, *a Domino corripimur*,
B et flagellamur corpore per illos, *ut* ipsi timore perterriti, *non damnemur* æternaliter *cum hoc mundo* (*I Cor.* XI, 31), id est cum infidelibus et amatoribus mundi : nihil enim distat ab infideli, qui irreverenter, cum sit omnibus peccatis criminalibus commaculatus, ad mensam Domini præsumit accedere: sed potius deterior est illo, et majori pœna dignus; quia *melius est viam veritatis non cognoscere, quam post cognitionem retrorsum abire* (*II Petr.* II, 21). *Itaque, fratres mei, convenientes ad manducandum* corpus et sanguinem Christi in ecclesia, *invicem exspectate*, ut multorum oblatio simul celebretur, et omnes communiter ex uno pane communicate; quia illa oblatio unus panis est, et communis debet esse omnibus. *Si quis esurit domi manducet*, id est qui impatiens est, nec vult jejunare cum cæteris, domi terreno pane
C vescatur. *Ut non in judicium conveniatis*, id est, ne corpus Christi reprehensibiliter percipiatis ad damnationem vestram. *Cætera autem*, subauditur quæ restant inordinata, *cum venero, disponam* (*I Cor.* XI, 33).

HAYMONIS
HALBERSTATENSIS EPISCOPI
HISTORIÆ SACRÆ EPITOME
SIVE
DE CHRISTIANARUM RERUM MEMORIA
LIBRI DECEM
(Ex editione data Coloniæ anno 1600 apud Ant. Hierat.)

HAYMONIS PRÆFATIO

Quantum eruditionis, quantum divinarum et humanarum rerum notitiæ pie legentibus ecclesiastica conferat historia, nostræ fuit experientiæ cognoscere, qui sæpe eam, ac studiose legendo, vobis ipsis feci-
D *mus fidem. Ut enim eam breviter commendemus, rerum ab initio gestarum edocet veritatem, pios primitivæ Ecclesiæ actus edisserit, virorum fortium gesta describit, martyrum sudat agones, confessorum me-*

vita attollit, doctorum, qui et Patres vocantur, dicta et scripta commemorat. Sed quoniam propter multiplicitatem, et immensitatem voluminis, fatigat intellectum, onerat audientiam, memoriam involvit, cogitavimus efficere, si Dominus voluerit, ut liber ille immensus ad libellum redigatur. Manuale hoc igitur fieri volumus, hac utilitate considerata, ut, cum Eusebium legeris, facundum quidem eloquio, fecundum eruditione, sed propter Græcæ linguæ copiositatem, de qua translatus est, sermone multiplicem, utque prolixum, ideoque a memoria facile recedentem, hunc te libeat videre, nostrumque de eo excerptum inspicere ad integritatem memoriæ reformandam.

A *Ignosce, beate Eusebi, ignosce : neque enim hoc ad tuam molior suggillationem. Parce, quæso, et attende, illum enim sermonem replico, amice, non facio tibi injuriam : sicut ante nos ecclesiastici viri fecerunt; de libris eruditorum flosculos colligendo obscura dilucidaverunt, prolixa breviaverunt. Itaque divino operi tuo meum non confero, sed teipsum refero, te inspiciens, te adorans, quem pene penitus e vestigio sequor, sed via breviore. Sit igitur liber ille tuus exemplar, hic exemplum. Sit ille forma expressior, hic repræsentatio et imago. Sit ille rerum notitia, iste memoria : nam quod ille ducit ad notitiam, iste reducit ad memoriam.*

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM

De tempore nativitatis Christi secundum carnem.

(*Euseb., lib.* I, *c.* 2, *Hist. eccles.; Niceph., lib.* I, *c.* 9, *Hist. eccles.*) Jesus Christus, Dominus ac Salvator noster, sexta mundi ætate, in Bethlehem, Judæ oppido, nascitur, imperante apud Romanos Augusto Cæsare, apud Judæos vero regnante Herode, alienigena et externi generis viro. Hic autem Herodes, sub quo natus est Dominus, ad differentiam minoris, sub quo passus est, major Herodes fuisse intelligitur, secundum Josephum ex parte patris Idumæus, secundum Africanum vero filius cujusdam Antipatri, quondam ab Idumæis latronibus capti, et eorum latronum vita et moribus instituti : de quo natus hic Herodes Judæorum regnum sic obtinuit.

CAPUT II.

Qualiter ad regnum venerit.

(*Idem in Chron.*) Cum oppugnasset Pompeius Hierosolymam, ac cepisset, et Aristobulum, regem et pontificem Judæorum, cum liberis vinctum Romam misisset, Hyrcano fratre ejus pontifice constituto, in quem ultimus Judæorum pontificatus devenit, mox, eodem Hyrcano a Parthis capto, per senatusconsultum præfatus Herodes Judææ regnum, Augusto imperante, adeptus est, faventibus forsitan aliquibus Judæis. Nam pater hujus Herodis præfato Hyrcano pontifici valde familiaris exstiterat.

CAPUT III.

De facinorosis actibus Herodis.

Itaque regnum adeptus Herodes, delere volens Judæorum generositatem, spreta nobili et legitima

B generis successione, ignobilibus quibusque sacerdotia promittens, omnem ordinem confudit, et, ad cumulum suæ nequitiæ, sacram vestem qua summus pontifex utebatur, sub signaculo clausam abscondit, nec unquam pontificibus in vita sua uti permisit. Hoc idem Archelaus filius ejus fecit. Hunc et Romani post ipsos morem pontificalis injuriæ tenuere.

CAPUT IV.

De crudelitate Herodis in infantes.

Christo igitur nato (*a*), et, secundum Matthæi evangelistæ testimonium (*Matth.* II), adventantibus tribus Magis (*b*) ad eum stella duce (*c*), conturbatur, incredibiliter veritus status sui et regni periculum, investigato a Magis (*d*), et manifestato ex Micheæ oraculis, loco nativitatis ejus, interimi jubet omnes pueros a

C bimatu et infra (*e*), secundum tempus a Magis exquisitum, ut cum illis Dominum posset exstinguere. Sed præmonitus ab angelo (*f*) Joseph, puerum transfert in Ægyptum.

CAPUT V.

Quomodo genealogiam Judæorum delevit.

(*Niceph., ibid.*) Per idem vero tempus summam Herodes tenens potestatem, cum ignobilis esset, invidens generositati Judæorum, libros generationis eorum, qui descripti habebantur, in archivis templi secretioribus, cum quibusdam genealogiis alienigenarum, ut Achior ex Ammonitis, et Ruth ex Moabitis, incendi jubet. Quos aliqui studiosi viri divino munere recolligentes, partim quia jam habebant domi descriptos, partim quia prosapiæ suæ ordinem memoriter tenebant, ad nos usque perduxerunt;

D inter quos fuerunt quidam heriles, vel Dominici apo-

(*a*) *Christo igitur nato.* Herodis anno regni 33, ut nos supra diximus, et Epiphanius contra Alogo.

(*b*) *Adventantibus Magis.* Ejusdem anno 35.

(*c*) *Stella duce.* De qua item Chalcidius Platonicus. Hæc stella duobus ante annis apparuit, quam Christus nasceretur. Niceph. Et alii historiæ ecclesiasticæ scriptores.

(*d*) *Magi.* De quibus David Psalmistes tot ante sæculorum conversionibus dixerat. (*Psal.* LXXII.)

(*e*) *Interimi jubet omnes pueros a bimatu et infra.* Cædis horum infantum meminisse videtur Josephus. Lib. XVII, cap. 3, Jud. Antiq.

(*f*) *Joseph puerum transfert in Ægyptum.* Quo in loco triennium, vel biennium mansit, ut placet Epiphanio : Herode autem mortuo, in patriam suam rediit, anno fere sexto ætatis Jesu Christi. Niceph.

stolati, propter propinquitatem generis Christi, qui et generationem ejus docuerunt, secundum quod Evangeliorum veritas habet.

CAPUT VI.

De vindicta Dei in eo.

(*Euseb.*, *lib.* I, *c.* 8, *Hist. eccles.*; *Niceph.*, *lib.* I, *c.* 11.) Igitur pro sacrilegio quod in Salvatorem ejusque coævos commiserat, Herodem ultio divina mox perurget (Josephus in 18, *Antiquitatum* lib.). Incipit torqueri mirabili et miserabili dolore, interius et exterius aduritur incendio, nimietate gulæ et aviditate cibi distenditur, pube tenus inflatus circa verenda scatet vermibus (*Idem in* II *lib.*). Visum est autem medicis ut oleo calido fomentaretur, cumque in ipso fomento depositus esset, ita resolutus est omnibus membris, ut oculi etiam ipsi e suis sedibus solverentur.

CAPUT VII.

De famosa nequitia, quam in morte sua perpetravit.

(*Joseph.*, *lib.* XVII, *c.* 3.) Ex hinc fertur jam desperans in facinus exsecrabile. Nam accersitos ad se ex omni Judæa nobiles, et in loco qui dicitur Hippodromus reclusos, in hora mortis suæ interfici jubet, in hoc ipsum militibus præparatis et pretio conductis, ut sic saltem lugubres haberet exsequias : sciebat enim Judæos de sua morte gavisuros.

CAPUT VIII.

Quod tres filios suos occidit.

(*Macrob.*, *lib.* II *Saturn.*, *c.* 4.) Qui, paulo antequam moreretur, post duos jam necatos filios, tertium filium jugulari præcepit Impius, parricida, cum jam exitum vitæ adesse sensisset, malo accepto, cultrum poposcit (solebat enim sic per semetipsum purgatum pomum, atque incisum edere). Tunc circumspectans ne quis esset qui eum prohiberet, elevavit dexteram, et in semetipsum vibravit ictum. Hic autem Herodis exstitit finis.

CAPUT IX.

De Archelao.

(*Euseb.*, *c.* 10 *ejusd. lib.*) Post hunc regnavit Archelaus, patre suo Herode, et Cæsare Augusto adjudicantibus, qui post decem annos propter insolentiam devolutus, regnum dividitur in tetrarchias, Herodi juniori fratri, cum Philippo, et cum Lysania.

CAPUT X.

De Herode, filio Herodis.

(*Idem*, *c.* 13 *ejusd. lib.*) (*a*) Hic autem Herodes minor, brevi interjecto tempore, Joannem Baptistam capite punit, virum valde bonum (*b*), qui præcipiebat Judæis virtuti opera dare, justitiam inter se custodire, et in Deum servare pietatem, per baptisma in unum convenire, tam ad abluenda peccata, quam ad castimoniam corporis et animæ servandam.

CAPUT XI.

Cur Joannem punierit.

Hunc, inquam, capite punit, pro eo quod objurgabatur ab eo de Herodiade, quam abstulerat fratri suo Philippo, legitima uxore depulsa ; et quia verebatur, propter doctrinam ejus, plurimos a suo regno discedere. Sola hac igitur suspicione Herodis, et objurgatione, vinctus in castellum Machæronta Joannes abducitur, ibique capite obtruncatur (*Matth.* XIV, *Luc.* III, *Marc.* VI.)

CAPUT XII.

De Domino Jesu Salvatore nostro.

Per idem tempus Evangelicam late seminat prædicationem Dominus Jesus, et duodecim ex omnibus elegit, quos præferens sectatoribus suis specialiter apostolos nominat. Post hos septuaginta duo elegit discipulos (*c*). Omne autem tempus prædicationis suæ peregit intra quadriennii temporis spatium, sub Anna et Caipha pontificibus, ita ut Annæ pontificatus tempore incipiente prædicare inceperit, et usque ad initium Caiphæ protenderit (Josephus). Nam ab Anna usque ad Caipham quatuor pontifices per ordinem fuerunt : post Annam sedit Ismael, post Ismaelem Eleazar, post Eleazar Simon, post Simonem Josephus, cui et Caiphas nomen fuit. Testatur autem Hebræorum scriptor de Domino Jesu Christo quis fuerit ; de quo his verbis scripsit ita :

CAPUT XIII.

(*d*) *Testimonium Josephi de Christo.*

(*Jos.*, *lib.* XVIII, *c.* 6, *Antiq.*) Fuit autem iisdem temporibus Jesus vir sapiens, si tamen eum virum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum ef-

Hic Herodes minor Joannem Baptistam capite punit. Hic minor Herodes Antipas dictus est, Herodis Ascalonitæ filius, e Maltache uxore susceptus. Nam alii multi Herodes fuerunt, de quibus Josephus lib. V Hist. Jud.

(*b*) *Joannem Baptistam virum bonum.* Tale etiam testimonium huic dat Josephus Hebræus, qui et hujus nefariæ cædis, et Baptismi meminit. Additque præterea ob eam ipsam causam multa Herodi gravissima incommoda evenisse ; illa duo præsertim : unum scilicet, quod ejus copiæ ab Areta Arabiæ Petreæ rege fusæ sunt ac victæ ; alterum, quod exsilio multatus est, lib. XIX, cap. 7. Exsulasse enim dicitur Viennæ in Gallia. Niceph.

(*c*) *Omne autem tempus prædicationis suæ peregit intra quadriennii* tempus. Hæc quadriennii observatio est item apud Eusebium, lib. I, cap. 1. Et apud Nicephorum, cap. 19, lib. I. Hique hujus temporis auctorem afferunt Josephum, lib. XVIII, cap. 7 Sed hac in re fides habenda Lucæ evangelistæ est, ex quo animadvertimus Jesu Christi prædicationis tempus triennium fuisse ; id quod et Nicephorus affirmat lib. I, cap. 10, et lib. II, cap. 4. Et Josephi verba, quæ illi afferunt, de alio tempore plane intelligenda sunt.

(*d*) *Testimonium Josephi de Jesu Christo.* Lib. XVIII, cap. 6, Antiq. Jud. in codice scilicet Græco et Latino. Nam in Hebræo non exstat, idque impia Hebræorum iniquitate. Non enim verisimile fit Josephum, virum plane bonum, Hebraice tacuisse quod Græce pluribus dixerat.

fector, doctorque hominum eorum qui libenter quæ vera sunt audiunt; et multos etiam ex gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum gentis nostræ virorum, cum Pilatus agendum in crucem decrevisset, non deseruerunt qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim tertia die vivus secundum quod divinitus inspirati prophetæ, vel hæc, vel alia invicem miracula esse prædixerant. Sed et in hodiernum diem Christianorum nomen perseverat et genus.

CAPUT XIV.

De discipulis.

(*Euseb.*, *lib.* I, *c.* 13, *Hist. eccles.*; *Epiph.*, *lib.* I, *t. I*, *c.* 20, *contr. hær.*) Apostolorum nomina ex Evangeliis manifesta sunt Septuaginta vero nusquam scripta esse reperimus; dicitur tamen ex ipsis unus fuisse

A Barnabas. Clemens vero, in quarto *Dispositionum* libro Cephæ mentionem facit, de quo Paulus dicit: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, ei restiti in faciem* (*Gal.* II, 11). Et dicit unum esse ex septuaginta, cognomine Petri apostoli. Sed et Matthiam unum ex his fuisse dicit, et qui cum ipso statutus est ad sortem : de his etiam fuisse Tatthæum. Sed alios fuisse complures discipulos invenies, si observes ea quæ Paulus indicat, dicens : Post resurrectionem quidem Dominum apparuisse Cephæ, postea aliis undecim, et post hos amplius quam quingentis fratribus simul (*I Cor.* XV, 5, 6).

(HAYMO.) Cum his itaque conversatur Dominus per omne tempus assumptæ mortalitatis, et instituit in fide, et instruit scientia, donec peracto susceptæ dispensationis officio, patitur et resurgit, et ascendit in cœlum, secundum Evangeliorum fidem.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De electione Matthiæ apostoli, et ordinatione septem diaconorum.

(*Euseb. t.* II, *c.* 1, *Hist eccl.*) Restat ut de iis quæ post ascensionem Domini proxime consecuta sunt, dicamus. Mittunt apostoli sortem, et pro Juda traditore eligunt Matthiam (*Act.* I). Ordinant etiam septem diaconos, ministerii viduarum gratia : e quibus unus statim post ordinationem suam lapidatur ; propter quod et nomine suo coronatur a Domino : Στέφανος enim interpretatur *corona*.

CAPUT II.

De Jacobo, primo Hierosolymitano episcopo.

(*Ibidem. Niceph. lib.* II, *c.* 3, *Hist. eccles.*) Tunc deinde Jacobus, frater Domini, primus Hierosolymitanæ Ecclesiæ suscepit sedem, cum esset virtutum merito et vitæ insignis privilegio.

(*Clemens in libro Dispositionum,* lib. VI et VII *Disput.*) Nam, licet Petrus, et Jacobus, et Joannes omnibus bene post ascensionem Domini fuerint prælati, tamen non sibi vindicant gloriam ; sed Jacobum, qui dicebatur Justus, episcopum statuunt. Huic quippe Jacobo, et Petro, et Joanni Dominus, post resurrectionem, omnem scientiam tradidit ; et ipsi cæteris apostolis : qui apostoli ipsis LXXII tradiderunt. Duos autem Jacobos fuisse constat, unum fratrem Joannis, alterum hunc Justum, fratrem Domini, (*a*) qui frater Domini dictus est, pro eo quod esset filius Joseph, qui Christi quasi pater habebatur.

CAPUT III.

Haymo de eadem materia secundum quod reperit in sententiis Patrum.

Sciunt etiam qui diligenter exploraverunt, quia

B frater Domini sit dictus, tanquam cognatus sit. Hic enim mos Hebræorum, cognatos vel propinquos fratres dicere vel appellare. Frater igitur Domini sic dictus est, quia de Maria sorore matris Domini, et patre Alpheo genitus est ; unde Jacobus Alphei appellatur. Sed, quoniam nunc se ingessit occasio, de duobus Jacobis omnem quæstionem rescindamus, et altius generis eorum repetamus originem. Maria mater Domini, et Maria mater Jacobi, fratris Domini, et Maria fratris Joannis evangelistæ, sorores fuerunt, de diversis patribus genitæ, sed de eadem matre, scilicet Anna. Quæ Anna primo nupsit Joachim, et de eo genuit Mariam matrem Domini. Mortuo Joachim, nupsit Cleophæ, et de eo habuit alteram Mariam, quæ dicitur in Evangeliis Maria Cleo-

C phæ. Porro Cleophas habebat fratrem Joseph, cui filiastram suam beatam Mariam desponsavit ; suam vero filiam dedit Alpheo, de qua natus est Jacobus minor, qui et Justus dicitur, frater Domini, et Joseph alius. Mortuo itaque Cleopha, Anna tertio marito nupsit, scilicet Salome, et habuit de eo tertiam Mariam, de qua, desponsata Zebedæo, nati sunt Jacobus major, et Joannes evangelista. Sed jam ad historicæ narrationis ordinem revertamur.

CAPUT IV.

De Tatthæo misso ad Edissam.

Sub hoc itaque tempore Tatthæus a Domino mittitur ad Augarum regem Edissenorum, qui eum ab ægritudine curat, civitatem absolvit ab errore.

(HAYMO.) Hujus rei prolixiorem in aliquo scripto reperi historiam (*Eusebius, lib.* I, *c.* 15), sed nescio

D si apocrypha est ; Deus scit. Quæ quia de fidei pietate descendit, necessarium duxi eam huic operi inserere. Dicitur enim de Salvatore nostro adhuc in

(*a*) *Frater Domini dictus est pro eo quod esset filius Joseph, qui Christi quasi pater habebatur.* Jacobus enim, Joseph filius, ex alia uxore susceptus, quoniam una cum Jesu Christo educatus, hac educationis societate habitus est frater Domini, non natura certe, ut rem totam explicat Epiph. lib. III Contra Hæreses, et nos supra.

carne degente, cum de miraculis ejus felix ubique fama loqueretur, quia misit ad eum Augarus, rex Edissenorum, epistolam, in qua magnis precibus rogabat eum ut veniret ad se, et curaret eum a lepra. Dicit etiam quod ex multis annis cupierit eum videre, et ideo monet ut veniat ad se, et se expediat de odio Judæorum, et habitet secum, quia habet civitatem qeæ sufficere potest utrisque: Dominus autem rescribit ad eum propria manu epistolam, in qua primum beatum illum asserit pro eo quod credit in eum, quem non videt. Secundo dicit, per semetipsum non modo posse venire, quia in loco Hierosolymorum præceptum Patris et obedientiam impleturus. Tertio, promittit ei salutem in hæc verba: Cum assumptus fuero, mittam tibi unum ex discipulis meis, qui te curabit ab infirmitate.

CAPUT V.

De facie Domini lineo panno impressa.

Dicitur enim quod, de desiderio præfati regis implendo, aliquatenus Dominus faciem suam lineo panno impressit, et misit ad eum; ut qui in propria forma videri non poterat, saltem per impressam imaginem videretur. Tunc ergo Tatthæus, ille discipulus qui missus est ad Edissam, prædictam ibi dominicam deportare meruit imaginem; quæ per longa ibi tempora perduravit, donec Constantinopolim cum cæteris reliquiis est asportata.

CAPUT VI.

Sequitur dispersio discipulorum Domini.

(*Euseb. lib.* II. *c.* 1. *Hist. eccles.*) Lapidato itaque Stephano protomartyre, discipuli omnes, exceptis duodecim, disperguntur per universam Judæam et Samariam; et aliqui eorum usque ad Phœnicem, et Cyprum, et Antiochiam devenerunt. Ibi paucis prædicant Judæis, non audentes se credere Judæis vel gentibus, Saulo tunc temporis vastante Ecclesiam (*Act.* VIII, 9).

CAPUT VII.

Actus Philippi diaconi.

(*Euseb. ibid.; Niceph. lib.* II, *cop.* 6 *Hist. eccles.*) Philippus unus ex septem diaconibus descendit Samariam, et habuit gratiam prædicandi, ita quod Simonem Magum, apud Samaritanos tam celebrem, sua prædicatione consternit: qui etiam ab eo suscepit baptisma, sed in dolo. Sed et præpositum Dandaces cujusdam, reginæ Æthiopiæ, convertit et baptizat.

CAPUT VIII.

Vocatio Pauli apostoli.

(*Euseb. ibid.*) Per idem tempus Paulus in apostolatum vocatur, cœlesti ad se voce delata (*Act.* VIII).

CAPUT IX.

Suggestio Pilati ad Tiberium.

(*Idem, c.* 2.) Interea cum de Domino Jesu Christo circumquaque fieret rumor, Pilatus de mirabilibus ejus et resurrectione Tiberio principi refert, et quod beatus a plurimis crederetur. Mos quippe erat apud
A Romanos ut si quid novi in provinciis accidisset, imperatori vel senatui nuntiaretur.

CAPUT X.

Quomodo Tiberius de Christo edoctus complacatur.

Tiberius ergo, monitus a Pilato, quæ compererat refert ad senatum.

(*Tertul. in Apolog. contra gentes.*) Datum enim erat decretum, ne quis Deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probaretur. Senatus autem sprevisse dicitur, quia sibi prius non fuerat delatum, sed auctoritatem suam vulgi prævenerat opinio. Tiberius autem manet in sententia, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Quo per divinam providentiam adversus nostros clementer agente, mox brevi tempore in omnem terram præ-
B dicatio diffunditur, convertuntur innumeræ multitudines, et per doctrinam Christi et virtutum miracula ad Ecclesias congregantur. (*Euseb. c.* 3 *ejusdem libri.*) Cornelius in Cæsaria primus, Petro ministrante, convertitur. In Antiochia quamplurimi de gentibus credunt; ubi florentissima congregatur Ecclesia per discipulos sub Stephano in prima persecutione dispersos, in qua etiam erant prophetici ordinis viri, cum quibus Paulus et Barnabas.

CAPUT XI.

Quomodo in Antiochia primo Christianum nomen ex impositione ordinatum est.

(*Idem ibid.; Niceph. lib.* II, *c.* 6, *Hist. eccles.*) Ibi primum discipuli, imposito in fonte baptismatis vocabulo, Christiani nuncupantur. Ibi et Agabus ex
C prophetis, unus eorum qui aderant, de fame futura sub Claudio prophetavit. Tiberius viginti et duobus annis sedit.

CAPUT XII.

Quomodo Judæis multa mala acciderunt.

(*Joseph., lib.* XVIII, *c.* 15*; de Bel. Jud.*) Interea Tiberius post viginti et duos annos principatus sui moritur. Caius succedit imperio, tradens Agrippæ regnum Judæorum, simul Philippo, et Lysaniæ, et Hersdi tetrarchias, præfato Herodi perpetua deportationis pœna imposita.

(Haymo.) Circa hoc tempus Judæis multa accidunt mala propter piaculum quod in Salvatorem commiserunt, Caio persequente. Ad quem Philo tunc, insignissimus scriptor (*Phil., lib.* V, *de Cala. Jud.*) apud
D Hebræos, pro contribulibus suis Judæis legationem suscipit. Exortam apud Alexandriam seditionem inter Græcos et Judæos, ipse Philo contra Appionem, qui erat ex parte Græcorum, potentissime purgat Judæorum objecta, sed spernitur a Caio, cum odisset Judæos Caius, pro eo quod ei neque aras, neque templa, neque imagines faciebant. Erat enim tantæ vesaniæ et præsumptionis, ut Deum se voluerit appellari. Qui etiam templum sanctæ civitatis replens imaginibus et statuis, quod solum intactum a profanæ religionis contagione fuerat, commutare in templum proprii nominis ausus est, ut, proh pudor! templum Domini, ædes nobilissimæ, Jovis et novi dei Caii vocaretur. Quæ

omnia in suis libris Philo plenius describit (*lib.* II, *de Virt.*), et alias innumeras clades ultra omnes tragicos luctus Judæis irrogatas esse dicit apud Alexandriam. A

CAPUT XIII.

Actum tempore Tiberii.

At Josephus (*lib.* II *Jud. Bel.*) mala enumerat quæ apud Hierosolymam eis acciderunt, et quo modo Pilatus in Hierosolymam intulit imagines Cæsaris.

CAPUT XIV.

Quod Pilatus se in mortem damnavit.

(*Euseb. lib.* II, *c.* 7, *Hist. eccles.; Niceph. lib.* II, *c.* 10, *Hist. eccl.*) Per idem tempus, cum sic ultio divina perurget Judæos, Pilatum quoque, qui in morte Christi iniqui judicicis officio functus est, non sinit esse impunitum. Hic ergo a Caio multis maiorum B cladibus excruciatus, tandem propria manu se transverberans damnat in mortem.

CAPUT XV.

Ex historiis Græcorum de fame dira prophetata.

(*Euseb. c.* 8, *ejusd. lib.; Niceph. c.* 11, *ejusd. lib.*) Interea Caius finem vivendi facit post quatuor annos, nec integros. Claudius succedit, sub quo dira fames fit quam prophetavit Agabus. Tunc fratres Antiochiæ, pro viribus suis, sanctis habitantibus in Hierusalem necessaria transmittunt per Paulum et Barnabam, in ministerium sanctorum destinatos.

CAPUT XVI.

De Herode minore, qui filius Aristobuli filii magni Herodis fuit.

Sub hoc tempore Agrippa cognomento Herodis, C totius Judææ regnum obtinet. Hunc Lucas in Actibus apostolorum (*Act.* XII) Herodem nominat, Josephus Agrippam (*Joseph., lib.* XVIII, *cap.* 12, *Ant. Jud.*). Hic, inquam, de crudelitate patrui plurimum retinens, persequitur apostolos, Petrum incarcerat, et occidit Jacobum, fratrem Joannis, gladio.

CAPUT XVII.

De morte Jacobi, fratris Joannis.

(*Clemen. Alex.. lib.* VII *Disput.*) De cujus passione ut aliquid revolvamus, dicitur quod, cum a quodam apparitorum oblatus esset Herodi ad martyrium, etiam ipse qui obtulerat, pœnitentia ductus, motus est et confessus est se esse Christianum. Tunc ambo pariter ducti sunt ad supplicium; et cum ducerentur, rogavit Jacobum in via dari sibi remissionem. D At ille parumper deliberans: Pax tibi, inquit, et osculatus est eum, et ita ambo capite plexi sunt. Sed adest continuo vindex Dei dextera in præfatum Herodem.

CAPUT XVIII.

De vindicta Dei in Herodem.

(*Joseph., lib.* XIII *Antiq. Jud.*) Nam cum postmodum apud Cæsaream in honorem Cæsaris spectacula faceret, arrogantissime indutus veste mirabiliter auro et argento contexta, a populis stupentibus ex metalli radiantis fulgore Deus subito appellatur, atque ut fiat propitius exoratur. Sed, quia appellationem et fastum non repressit, mox percussus ab angelo, et incredibili dolore ventris et inflatione correptus, respiciens ad amicos: En ego: inquit, deus vester; ecce percellor confestim, et detrahor e vita.

CAPUT XIX.

Lucas in Actibus apostolorum (*Act.* XII).

Deinde scatens vermibus exspiravit, agens septimum regni sui annum, quatuor sub Caligula, tres reliquos sub Claudio.

CAPUT XX.

De Simone Mago.

(*Aug., epist.* 86; *Epipha. lib.* I, *tom. I, contra Simon.*) Sub hoc tempore quidam Simon Samaritanus, caput totius pravitatis, et principium totius hæresis, sub Claudio Cæsare magicis artibus et ope dæmonum sublevatus, in urbe Roma deus decernitur, et simulacri potitur honore, collocati inter duos pontes fluminis Tiberis, habens etiam titulum Latinis verbis, *Simoni deo Sancto*. Sed non diu permanet, fraude divinitus detecta.

CAPUT XXI.

(*a*) *Adventus Petri in urbem Romam.*

(*Euseb. lib.* I, *c.* 14.) Continuo namque in ipsis Claudii temporibus, per divinam providentiam Petrus apostolus, fundata prius Antiochiæ Ecclesia, ad urbem Romam cum honore deducitur, afferens secum de Orientis partibus, ut cœlestis quidam negotiator, divini luminis mercimonia, si quis sit comparare paratus. Cujus magnifica auctoritate statim clarum Urbi Dei lumen oritur, et Simonis fraus cum suo auctore exstinguitur. (HAYMO,) Tantam igitur prædicandi habebat gratiam, ut universorum mentes placido illustrans sermone traxerit, Christi nomen in capite regnorum celebre fecerit in brevi. Et hoc quidem pulchre divina dispositione actum est, ut ibi tanto gloriosius titulus Salvatoris erigeretur, quanto contumeliosius in initio fidei spretus ibidem a Romanis fuerat ipse Salvator.

CAPUT XXII.

Commendatio Philonis et conversio.

(*Euseb., cap.* 17 *ejusd. lib.; Niceph., lib.* II, *c.* 11.) Eo tempore Philo, Hebræorum scriptor, de quo supra memoravimus, subtilissimus, in sensibus profundus, et affluentissimus eloquentia, copiose inveniens, et copiosius eloquens, Petro apostolo prædicanti adhæret: qui denique nobis in multis libris ingenii monumenta reliquit.

(*a*) *Adventus Petri ad Urbem.* Hoc omnium scriptorum litteris traditum est, neque solum Græce, sed Hebraice, Syriace, atque Arabice, omniumque pene gentium sermone significatum est, omniumque principum voluntatis optimæ erga sedem Romanam significatione declaratum, ut alias in volumine contra hæreticorum historiam ostendimus. Audent enim ipsi, quoniam ore impudentissimo sunt, id negare quod omnium nationum litteris et sermone pervulgatum est.

CAPUT XXIII.

De Evangelio secundum Marcum.

(*Euseb., cap.* 15 *ejus lib.*) Tunc Marcus scribit Evangelium hac occasione. Cum sola Petri auditio non sufficeret, magna eum audientibus aviditate, magnis precibus rogant Marcum discipulum ejus, ut prædicationem scripto commendaret memoriæ. Clemens in sexto Dispositionum libro : Petrus vero ut religioso se spoliatum comperit furto, delectatus est, factumque confirmavit in perpetuò, legendum Ecclesiis tradit. Postmodum vero Marcus hoc idem Evangelium apud Ægyptum missus a Petro prædicat, et primus apud Alexandriam levatur in episcopum, ubi multos lucratur populos, magnæ sobrietatis et continentiæ exemplo. Interea Paulo apostolo ab Hierusalem in circuitu, et usque ad Illyricum prædicante, Claudius imperator Judæos tumultuantes urbe depellit. Tunc Aquila et Priscilla cum cæteris expulsis veniunt in Asiam, ibique cohærent Apostolo Ecclesiæ fundamenta jacienti.

CAPUT XXIV.

Quæ Judæis acciderunt mala.

(*Joseph., lib.* XX *Ant. Jud.*) Tunc vero Agrippa apud Hierosolymam regnante, procuratore vero provinciæ Felice, Claudio adhuc in imperio perdurante, tanta Judæis accidunt mala, ut ipso die Paschæ seditione exorta, de his solis qui in foribus Ecclesiæ constipatione populi mortui sunt, triginta millia computentur ; ubi et Jonathas pontifex interficitur. Ea tempestate Ægyptius quidam magus, et arte magica simulans se esse prophetam, ex omni parte congregans Judæos, promittens eis libertatem antiquam et liberationem civitatis suæ, eorum auxilio fretus per desertum venit usque ad montem Oliveti : sed conatus ejus prævenit Felix, et, congressione facta cum armis, Ægygtium quidem fugat, alios vero vel perimit vel capit, usque ad triginta octo millia virorum.

CAPUT XXV.

Mors Claudii imperatoris.

Interea, Claudio tredecim annis et octo mensibus uncto imperio, Nero suscipit principatum. Hic festum mittit in Judæam, ut succedat Felici, apud quem Paulus causa dicta vinctus Romam mittitur, Aristarcho comitante, et biennium in libera manet custodia. Post hoc ad prædicandum dimittitur, nondum Nerone in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, sed adhuc, dispensatione divina, clementius agente ; ut interim compleretur prædicatio Pauli, et scriberentur ejus Epistolæ, vel ad personas, vel ad capita provinciarum, vel ad fidei soliditatem, vel ad decorem Evangelii, denique ad totius Ecclesiæ utilitatem.

CAPUT XXVI.

De martyrio Jacobi, fratris Domini.

(*Euseb., lib.* II, *cap.* 13, *Hist. eccles.*) Igitur post Paulum Romam transmissum, videntes Judæi frustratas esse insidias quas ei intenderant, ad Jacobum, fratrem Domini, et Hierosolymorum episcopum, convertuntur ad vindicandum. Tunc expetunt ab eo abnegationem Christi ; at ille libera voce coram omni populo Christum esse Filium Dei confitetur. Tunc de pinna templi dejectus ab impiis Judæis, orans super genua sua, etiam pro lapidantibus, tandem, fullonis vecte percussus, occubuit, tricesimo episcopatus sui anno. (*Clemens.*) Fuit autem ex utero matris suæ sanctus, vinum et siceram non bibit, animal non manducavit, ferrum caput ejus non ascendit, oleo non est peruncτus, balneo non est usus, nec laneo indumento indutus, sed tantum sindone. Huic soli licebat introire in sancta sanctorum, ubi, genua flectendo, incessanter orabat, adeo ut ad modum cameli callos faceret in genibus. Qui pro incredibili continentia vitæ et justitia summa appellatus est Oblias, id est munimentum populi et justitia. Nec multo post oppugnatio consecuta est Vespasiani, ita ut et Judæorum prudentes hanc esse causam crederent statim consecutæ oppugnationis Hierosolymorum, quod in Jacobum injecerint manus sceleratas, justissimum et omnium confessione piissimum virum, qui erat frater Domini, qui dicitur Christus. (HAYMO.) Ego vero magis opinor hoc eis contigisse, quia in Dominum Jesum commiserunt ut, quia clamaverunt : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, tam in se, quam in suis successoribus continua fere sanguinis effusione punirentur. Interea Festus moritur apud Judæam ; cui successit Albinus, Cæsare adjudicante ; Albino Florus, cujus avaritiam et luxuriam, cæteraqme flagitia non ferentes (nam et honorabiles quosque flagris verberaverat, et nonnullos in sancta civitate patibulo suspenderat) adversum Romanos rebellant. Cujus rei occasione, ad debellandos Judæos magister militiæ Vespasianus transmittitur.

CAPUT XXVII.

De crudelitate Neronis.

Nero, crudelissimus imperator, qui in tantum sceleris progressus est quod et in matrem, et in fratres, et uxores, et omnis sanguinis proximos parricida exstitit, et incestus fecit, Christianos maxime persequitur.

CAPUT XXVIII.

Petrus et Paulus simul coronantur.

(*Euseb., cap.* 25 *ejusd. lib.*) Et Petrum, et Paulum, apostolorum duces, et signiferos Judææ, populo Dei, in ipsa urbe Roma alterum quidem gladio, alterum crucis patibulo condemnat. Et Petrus quidem capite demerso crucifigitur, quod rogavit, ne Domino videretur adæquari.

Dionysius, Corinthiorum episcopus, qui non divisi, vel diversis temporibus, ut quidam volunt, simul in præfata urbe docentes, uno eodemque tempore ambo pariter martyrio coronantur. In quorum gloriosissimo fine, et nos hujus secundi voluminis finem faciamus.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De divisione apostolorum per provincias.

(*Euseb., lib.* III, *cap.* 1, *Hist. eccles.*: *Niceph. lib.* III, *cap.* 1). Tertius hic liber a divisione apostolorum sumit exordium. Cum ergo Judæi debitis cladibus urgerentur, apostoli Domini cum cæteris discipulis ad prædicandum per provincias diriguntur.

CAPUT II.

Quibus locis dispersi sunt apostoli post divisionem.

Origenes in explanatione Genesis (*lib.* III) : Thomas sortitur Parthos, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam citeriorem, Joannes Asiam, Andreas Scythiam, Petrus Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, Paulus ab Hierosolymis usque ad Illyricum Evangelio Christi cunctos replevit, alii vero vel per hæc, vel alia loca, secundum quod Spiritus sanctus voluit, dimittuntur, sicut propria eorum gesta habent. De quibus fortasse ideo tacuit Origenes, quia vita et actus eorum minus authentici sunt, vel ab hæreticis et impostoribus conscripti. Petrus itaque prædicationis suæ monumenta reliquit, duas scripsit epistolas; similiter et Jacobus, frater Domini, unam; Joannes vero tres; Judas, qui et Thatthæus, unam. Paulus quatuordecim scribit.[3] De illa tamen, quæ est ad Hebræos, quandoque apud Latinos dubitatum est.

CAPUT III.

De epistola pauti pd Hebræos.

(*Clem. Alex., in lib. Reform.*) Licet manifesta sint Pauli apostoli scripta, nonnulli tamen de Epistola ad Hebræos dubitant. Sed sciendum quod a Paulo scripta est in Hebræo sermone tanquam Hebræis, a Luca vero ejus discipulo interpretata in Græcum. Unde et stylus ejus magis videtur similis libello illi, quem idem Lucas de Actibus apostolorum scribit. Quod autem subscriptionem solitam non habet, ibi hoc rationis est quod præceptum erat Hebræis ne de Pauli nomine dicta susciperent; et idcirco prudenter nomen suum omisit, ne statim in principio Pauli nomine inspecto lectio ejus repudiaretur.

CAPUT IV.

De sancto Luca.

(*Euseb., c.* 3 *ejusd. lib.*) Lucas, ejusdem Pauli discipulus, Antiochenus genere, arte medicus, duos nobis libros conscribit, Actus apostolorum, quos ipse oculis inspexit et Evangelium, quod, ut dicitur, A ex ipsius Pauli ore describit : quod etiam Paulus suum nominat, cum dixit : *Secundum Evangelium meum* (*II Tim.* II). Sed jam ad historiæ ordinem revertamur.

CAPUT V.

De morte Neronis.

Igitur post tredecim imperii sui annos Nero moritur. Galba et Otho usurpant principatum. Quibus post annum et tres menses defunctis, Vespasianus tunc apud Judæam in exercitu existens revocatur, et donatur imperio, commendata Tito, filio suo, causa belli, et impugnatione Hierosolymæ ; sub quo præfata civitas capitur et subvertitur .

CAPUT VI.

Josephus. (b) Subversio Hierusalem a Tito Vespasiano.

B (*Euseb., lib.* III, *cap.* 5.) Ecclesia vero fidelium quæ ibidem fuerat congregata, divino accepto responso, prævenit subversionem, et oppidum Pellam nomine trans Jordanem emigrat (*Niceph., lib.* III, *c.* 3). Tunc incredibilis fit cædes Judæorum; et primo quidem diræ et inauditæ famis exitio plaga intolerabilis divinitus mittitur, in tantum ut bella et cædes inter parentes et liberos committerentur, dum non solum e manibus, sed ex ipsis faucibus invicem rapere cibum decertant (*Joseph., lib.* IV, *c.* 8, *de Bel. Jud.*). Ad ultimum quidem nec loris, vel cingulis, aut etiam ipsis calceamentis abstinent. Portarum quoque indumenta detrahentes, conficienda dentibus ingerunt; nonnulli et feni veteris edunt festucas. Porro geritur ibi facinus exsecrabile, neque adhuc apud Græ- C cos, neque apud barbaros auditum (*Egesip., lib.* IV, *cap.* 6)

CAPUT VII.

De Maria quæ filium suum comedit.

(*Joseph., lib.* VII, *c.* 8, *de Bel. Jud.*) Mulier quædam, Maria nomine, genere et facultatibus nobilis, quæ ad diem festum cum cæteris de transjordanis alveo confluxerat, cum famis ingravescente periculo, et hostis deprædatione, omnino jam fame deficeret, pessimis usa consultoribus, parvulum filium, qui ei erat sub uberibus, jugulat, igni suppositum torret: dimidium quidem consumit, dimidium vero reservat. Prædonibus quidem mox, odore carnium comperto, ingressis, partem offert : Meus, inquiens, hic partus est ; nolite effici aut matre religiosiores, aut fe- D mina molliores : edite, nam et prior comedi. Illico

(*a*) *De illa quæ est ad Hebræos, quandoque apud Latinos dubitatum.* Dubitationis vero causa vel levissima fuit. Quod autem Pauli omnino illa esset, multæ quidem et gravissimæ rationes sunt, quas afferunt ii qui hoc argumenti genus susceperunt. Cumque jam res in promptu sit, quæ disputatione non egeat, nolo rem certam et jam exploratam, quæ sua se veritate defendit, in dubitationem adducere. Nam quæ vera sunt, nihil est cur ad externa probationum præsidia deducantur.

(*b*) *Hierosolymæ subversio.* Nicephorus in Chronol. et lib. III, cap. 3 ; Joseshus et Hegesippus, aliique pene infiniti.

universa regio tam nefarii sceleris nuntio repletur. Nec multo post magnifica, et famosissima civitas Hierosolymorum capitur (*Niceph., lib.* III,*cap.* 7 ; *Euseb. lib.* III, *cap.* 6 ; *Joseph., lib.* VII, *cap.* 26) ; cujus quanta fuerit vastitas, quanta in ea diversarum mortium strages, vix scripto comprehenditur : ubi undecies centena millia fame et ferro peremptorum computantur, exceptis quibusque juvenibus electis, qui propter decorem corporis et proceritatem ad triumphum reservantur, cæterisque aliis, qui ad opera Ægypti, vel ad secanda marmora, vel ad extrahenda metalla destinantur, vel per provincias vincti in servitutem distrahuntur, quorum fit numerus usque ad nonaginta millia (*Joseph.*.*lib*, VII, *cap.* 27.) Sed ne quis de hac captorum vel occisorum ambigat multitudine, noverit tunc temporis ad diem festum Paschæ Hierosolymis convenisse ter decies centena millia Judæorum, ad justam Dei retributionem hoc tempore ultionis electo ; ut qui in diebus Paschæ Dominum salvatorem morte turpissima damnarunt, ipsi quoque turpissimis mortibus et cladibus inauditis eisdem diebus damnarentur. (HAYMO.) Et qui in ejus damnatione dies festos duxerunt solemnes, nunc ipsos suis damnationibus agerent luctuosos; qui etiam recte fame pereunt, ut, qui Domiuo esurienti salutem eorum, fel in escam dabant, omnimoda suavitate escarum privarentur.

CAPUT VIII.

De tempore subversionis Hierusalem.

Fit autem hæc Hierosolymæ subversio quadraginta annis a passione Domini dilata ultione, anno imperii Vespasiani secundo, ut interim potuissent Judæi, si vellent, locum pœnitentiæ invenisse, commoniti sæpe ab apostolis prædictam civitatis adesse eversionem; et a Jacobo, fratre Domini edocti, dum viveret, per signa et prodigia cœlitus ostensa, ante tempus excidii commonebantur (*Joseph., lib.* VII, *c.* 12, *de Bel Jud.*). Etenim stella præfulgens, gladio per omnia similis, imminere desuper civitati, et cometes præterea exitialibus flammis per totum ardere visus est annum.

CAPUT IX.

Novum portentum.

Vitula quoque, sacrificiis admota in die festo azymorum, inter manus ministrorum enixa est agnum. Porta vero in interioris ædis area, cum tanti ponderis, ut vix a viginti viris clauderetur, esset, vectibus et seris munita, nocte ultro patefacta est. Visi etiam currus et armatorum cohortes in aerem ferri, et alia multa quæ non faciunt ad hujus operis compendium, maxime cum res Christianas prosequi debeamus.

CAPUT X.

Hegesippus de Simone, Hierosolymorum episcopo post Jacobum.

(*Niceph., in Chronol.*) Igitur subversa Hierusalem. non multo post martyrium Jacobi, convenientibus apostolis in unum, et propinquis Domini secundum carnem, Simon, filius Joseph, communi consilio in episcopum subrogatur.

CAPUT XI.

Titus succedit Vespasiano patri.

Interea Vespasianus moritur. Titus, filius ejus, succedit imperio, princeps militaris, pius, sapiens, bellicosus ; qui in tantum facundus fuit, ut causas Latine ageret, poemata et tragœdias Græce componeret (BEDA.) Tantum autem bellicosus fuit, ut in expugnatione Hierosolymæ præcipue inter optimos exstiterit prædiator ; tantum autem imperio bonus ac clemens fuit, ut nullum omnino puniret, sed etiam cunctos adversum se conjurantes dimitteret, et in ea familiaritate quam prius habuerant retineret. Dicebat enim indecorum esse aliquem contristatum recedere a facie imperatoris; cujus inter omnia fuit illud celebre dictum, diem se perdidisse, qua nihil boni fecerat. Ita omnium virtutum genere mirabilis fuit, adeo ut *amor et deliciæ humani generis* diceretur. Hic non nocuit Christianis. Per idem tempus Linus obiit, Romanus pontifex, transactis in sacerdotio duodecim annis ; Cletus succedit.

CAPUT XII.

Domitianus.

Titus moritur post duos annos imperii sui, et duos menses. Domitianus vero, frater ejus minor, statuitur imperio, cujus quarto anno apud Alexandriam obiit Ammanus, post viginti et tres episcopatus annos. Abilius succedit. Cletus vero, Romanus pontifex, et ipse duodecim annis sedet, et transiens Clementi papatum reliquit. Aiunt autem qui de cathedra Romanæ Ecclesiæ perscrutati sunt, quod [a] Linus et Cletus non sederunt ut pontifices, sed ut summi pontificis coadjutores, quibus beatus Petrus tradidit ecclesiasticarum rerum dispositionem : ipse vero tantum orationi et prædicationi vacabat. Unde tanta auctoritate donati, meruerunt in catalogo pontificum reponi.

CAPUT XIII

Persecutio Domitiani.

(*Niceph., lib.* III, *c.* 10, *Hist. eccles.* ; *Eutrop., lib.* IX, *in fin.*) Interea Domitianus, portio Neronis, ejusque impietatis successor, Christianos valde persequitur, quosdam trucidat, quosdam bonorum direptione punit, quosdam tradit in exsilium : inter quos Flaviam Domitillam, egregiam virginem Christi, cujus gesta habentur, in insulam Pontiam deportari jubet, et beatum Joannem evangelistam relegat exsilio, ubi et Apocalypsim scripsit, missus prius in ferventis olei dolium, sed illæsus. Hic familiam David perquiri jubet, et propinquos Christi secundum carnem,

[a] *Linus et Cletuz non sederunt ut pontifices.* Cum Petrus scilicet in hac vita esset, sed post illius obitum unus et item post alter ad sedis Romanæ gubernacula sedit, itaque Linus secundus, et Cletus tertius in pontificibus Romanis numeratur : noloque de Clemente quidquam commemorare, nam multi illum secundum numerant, alii quartum scribunt; quæ opinio probabilior plerisque videtur.

ut interficiat, ne quis superesset Judæorum et semine A regali. Quibus oblatis, et de regno Christi respondentibus. Quia non est de hoc mundo, liberos abire jubet, sed contemnit.

CAPUT XIV.

Domitianus regnat quindecim annos.

Itaque Domitianus potitur imperio quindecim annis. Postea, ex senatusconsulto, omnes qui jussu ejus exulabant revocantur; cum quibus et beatum Joannes rediit.

CAPUT XV.

Nerva vix per annum regnat.

(*Euseb., lib.* III, *cap.* 21, 22, 23. *Histor. eccles.*, Nerva quoque anno plus minusve defuncto. Trajanus obtinet imperium, cujus primo principatus anno Abilius Alexandrinus post tredecim episcopatus annos B diem obiit. Cerdone succedente tertio in sacerdotium. Clemens tunc temporis post Petrum adhuc Romæ pontificatum tenebat; sed apud Antiochiam post Petrum Evodius fuerat, et secundus Ignatius. Hierosolymis post Jacobum, fratrem Domini, adhuc præerat Simeon, Domini consobrinus. (*Iren. lib.*, II, *Adv. hæres.*) Interea adhuc superstes beatus Joannes evangelista præest Ecclesiis Asiæ, residens apud Ephesum, et permanet vivens usque ad tempora Trajani, ædificans ibi Ecclesias quas Paulus primo ibi fundaverat. Hic Papiam et Polycarpum auditores et condiscipulos habet: qui etiam, libros faciens et epistolas, instituit erudivitque plurimos: qui bene in ultimis vitæ temporibus scribit Evangelium, compulsus ab Asiæ episcopis, propter hæreticos qui eo exsulante irruperant in Ecclesias, cum variis et per- C versis dogmatibus. Hæc ergo occasione de nativitate Christi conscribit, pauca de temporalibus ejus gestis edisserens, tantum a cæteris evangelistis persequens omissa. Nam alii quidem tres facta Domini persequuntur a carcere Joannis Baptistæ, hic vero maxime ea quæ primo Dominus per prædicationis tempus gessit ante Joannis incarcerationem. Multa vero de Trinitatis et unitatis mysterio profundissime insinuat, ut diximus, adversum hæreticos, quorum errores tunc pullulaverant.

CAPUT XVI.

De Menandro mago et hæretico.

(*Epiph., lib.* IV, *tom.* II, *c.* 22; *Euseb, lib.* III, *c.* 26; *Niceph., lib.* III, *c.* 12, *Hist. eccl.*) Sub eodem namque tempore Menander quidam, Simonis magi Sama- D ritani discipulus, et ipse Samarites et magus, blasphemo errore maculat Antiochiam, irridens immortalitatem animæ, et resurrectionem mortuorum; semetipsum salvatorem hominum esse asserens; nec aliter posse unumquemque angelos sæculi vincere, nisi prius a se magicæ artis susciperet disciplinam; et quod per baptisma a se datum quisque sic fieret immortalis, et æternus effectus, in hac vita fieret perpetuus.

CAPUT XVII.

De Ebionitis hæreticis.

(*Euseb. c.* 27 *ejusd. lib.*) Hujus quoque discipuli Ebionitæ, licet alterius sectæ, multos decipiunt, dicentes Christum purum hominem esse, et communi nativitate ex viro et femina procreatum, cæremonias adhuc legis custodientes. Ebionitæ *pauperes* interpretantur, et vere sensu pauperes.

CAPUT XVIII.

De hæreticis Cerinthianis.

(*Idem, c.* 28.) Sed et Cerinthus hæreticus nova introducit dogmata, scilicet terrenum fore regnum Christi in Hierusalem, et interim homines vitiis et concupiscentiis esse subjiciendos, et nuptiarum festivitates adfuturas, ad eos facile decipiendos qui sunt dediti libidini.

CAPUT XIX.

De hæresi Nicolaitarum.

(*Idem, c.* 29, *ejusd. lib.*) Surrexit præterea et alia hæresis, quæ appellatur Nicolaitarum, quæ a Nicolao, uno de septem diaconibus cum Stephano ordinatis, se jactavit.

CAPUT XX.

De Nicolaitis hæreticis, et Nicolao.

(*Clemens Alex., lib.* II, *Strom.*) Hic autem Nicolaus, pulchram habens uxorem, cum post ascensionem Domini ab apostolis increparetur de zelotypia, injuria lacessitus produxit illam in medium: si quis eam habere vellet, libere permisit; ex qua occasione isti consequens esse putaverunt, ut, secundum hoc factum vel dictum Nicolai, carne sua, in qua delectaretur, abuteretur unusquisque. Unde et nunc, qui sectam propriæ libidinis assumunt, sub illius nomine promiscuos et illicitos expetunt concubitus.

CAPUT XXI.

Adhuc de Nicolao; Clemens commendans Nicolaum.

Mihi autem compertum est Nicolaum nullam prorsus cognovisse uxorem præter eam quam matrimonio sibi conjunxerat: cujus certe liberi, feminæ quidem, usque ad ultimam senectutem caste perdurarunt; filius autem ipse sanctitatem incorrupti corporis custodivit. Unde constat quod ex contemptu libidinis vel vitii magis produxerit uxorem et liberam abire permiserit, quam aliis quibuscunque abutendam exposuerit. Sed, ut ad incœptum revertamur, sciendum prædictas hæreses cito consopitas fuisse, maxime per scripta et prædicationem beati Joannis. Qui, post longa magnæ continentiæ et sobrietatis tempora, post insignem Evangelii prædicationem, post incredibiles signorum virtutes, tandem effodi sibi jubet sepulcrum; qui etiam martyr et doctor apud Ephesum dormit, completa bona et venerabili senectute nonaginta annorum et octo; in cujus laudabili fine et nos tertium volumen finiamus.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Post obitum beati Joannis et decessum apostolorum, sive illius chori qui a Domino susceperat vivæ vocis auditum, statim, ut in vacuam domum, ingerunt se pestilentes hæretici in Ecclesiam.

CAPUT II

Persecutio Trajani imperatoris.

(*Euseb., lib.* III, *c.* 32, *Hist. eccl.; Epiph., de Sectis.; Niceph., lib.* III, *c.* 16, *Hist. eccl.; Tertul., in Apolog.*) Sed et Trajanus imperator adversum Christianos maximam movit persecutionem, sub quo Simeon, Hierosolymorum episcopus, accusantibus hæreticis, per dies aliquot afflictus suppliciis, ad ultimum crucifigitur, ipso admirante judice quod senex centum et viginti annorum crucis patibulum pertulisset. Tunc persecutionem pondere urgetur Ecclesia; tunc multa martyrum millia jugulantur : quibus Plinius secundus præses motus, scribens ad imperatorem, pro nostris deprecatur asserens nullum in eis crimen, nisi quod antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo.

CAPUT III

Hegesippus de martyrio Simeonis, Hierosolymitani episcopi.

(*Idem.*) Igitur, Simeone per martyrium resoluto, Justus quidam suscepit ejus episcopatum. Tunc urbis Romæ pontifex Clemens, novem annis sacerdotio functus, Evaristo reliquit papatus ministerium.

CAPUT IV.

De Ignatio, forti athleta.

(*Euseb., cap.* 36 *ejusd. lib. : Niceph., c.* 19 *ejusd. lib.*) Tunc etiam Ignatius, post Petrum secunda successione, Antiochenus episcopus, de Syriæ partibus ad urbem Romam transmittitur, et pro confessione Christi ejicitur ad bestias. Qui, athleta Christi fortissimus, in quadam epistola sua quam ad Romanos scribit, id etiam deprecatur ne velint eum spe martyrii privare; in qua his ipsis utitur verbis, uti vere Christianissimus et immobilis a fide : O salutares bestias, quæ præparantur mihi! quando venient? quando emittentur? quando licebit eis frui carnibus meis? Quas ego opto acriores parari, et invitabo ad devorationem mei, et deprecabor ne forte, ut in nonnullis fecerunt, timeant contingere corpus meum; quinimo, et si cunctabuntur, ego vim faciam, ego me ingeram. Date, quæso, veniam : ego quippe novi quid expediat mihi. (*Niceph., lib.* III, *c.* 19 *Hist. eccles.*) Nunc incipio esse Christi discipulus; ignes, A cruces, bestiæ, dispersiones ossium, discerptiones membrorum, totius corporis pœnæ, et omnia in me unum supplicia, diaboli arte quæsita, compleantur, dummodo Jesum Christum merear adipisci. Sed et multas alias scribit epistolas ; qui, a Syria Romam navigans, et per omnes quas ingrediebatur exhortans Ecclesias, et confortans in Domino, tandem, ut et ipse scribit, et connexus et colligatus decem leopardis, militibus datis ad custodiam, feliciter migravit ad Dominum.

CAPUT V.

(HAYMO.) Qui bene in canone missæ, post accelerationem sanctorum apostolorum cum egregiis martyribus ponitur. Nam qui valde Deum et Christum ejus, ob insignem fidei confessionem, ob clarissima B scripta et facta promeruit, valde potest pro nobis supplicare, ut vere dignissimus, et hæres Petri apostoli, tam morum quam cathedræ successione.

CAPUT VI.

De successore Ignatii.

(*Euseb., lib,* III, *cap.* 37, *Hist. eccles.*) Post Ignatium Heros successit in episcopatum, quo tempore floret vir æque insignis, Quadratus, celebris in prophetica gratia, cujus etiam opuscula habentur.

CAPUT VII.

De egregiis prædicatoribus et prælatis Ecclesiæ.

Longum est enumerare de singulis rectoribus, qui fuerunt in Ecclesiis post apostolos. Unde illos commemorabimus, quorum fides ad nos pervenit et C prædicatio, quorum exemplis erudita et solidata est Ecclesia, qui ardentiore philosophia verbo Dei se consecrarunt, et ad salutare præceptum primo indigentibus sua dividentes, ad prædicandum expediti evangelistarum functi sunt officio. Quos etiam, ut apostolos, in initio fidei comitata est Spiritus sancti gratia, et miraculorum præpotens secutus est effectus. De quorum numero Cerdon Alexandrinus episcopus, de quo supra dictum est, qui duodecimo anno Trajani principatus obiit (*Idem. cap.* 21 *ejusd. lib.*), succedit quidam Primus nomine, quartus ab apostolis.

CAPUT IX.

(*a*) Evaristus quoque, Romanus pontifex, post octo episcopatus annos obiit, Alexandro venerabili D et apostolico viro succedente.

CAPUT IX.

(*Dion., Oros., Euseb., lib.,* IV, *cap.* 1.) Interea cre-

(*a*) *Evaristus.* Judæo patre ortus, et tamen pontifex Romanus, ut Theodorus. Item de ejus pontificatus annis hoc non convenit inter omnes.

scente Ecclesia, Judæi seditionem moventes Alexandriæ et per Ægyptum et per diversas terras, digna et innumera cæde sternuntur sub Trajano.

CAPUT X.

Trajanus viginti annis, sex mensibus minus, regnat.

(*Idem, c.* 3 *ejusd. lib.*) Quo viginti annis, sex mensibus minus, principatu perfuncto, huic Adrianus in sceptra succedit.

CAPUT XI

Regnum Adriani.

(*Ibidem.*) Tunc Quadratus, discipulus apostolorum, de quo supra meminimus, et antistites Athenienses scribunt libros de Christiana religione ad Adrianum ; qui libri habentur insignes, ut apostolicæ doctrinæ et magnorum ingeniorum indicia.

CAPUT XII.

Alexander papa sedit decem annis.

Tunc alexander papa tertio Adriani anno martyrio coronatur, et septimo ab urbe milliario, ubi decollatus est, sepelitur, sicut ejus gesta narrant (*Euseb. lib.* IV, c. 4).

CAPUT XIII.

(HAYMO.) Invenimus autem in retractatione Chronicorum Ensebii, quam Beda breviandi gratia ordinat prudenter et succincte, quod præfatus pontifex non sub Adriano passus est, sed sub Trajano ; quod ex hoc facile potest probari, quod Adrianus, per Quadratum libris de nostra religione compositis instructus, præcepit per epistolam Christianos sine objectione criminum non puniri.

CAPUT XIV.

Ultimum excidium Judæorum.

(*Beda.*) Hic denique Adrianus Judæos secundo rebelles ultima cæde donat, etiam eis ablata licentia introeundi Hierosolymam, quam ipse in optimam murorum ceperat exstructionem, et Æliam vocari de suo nomine instituit. Hic Antinoo, amasio suo, annuos agones instituit, celebrari, et cœpit appellare Antinoios, et civitatem condidit ejus nominis Antinoon, et templum ei dicavit, sacerdotes et prophetas instituit. Interea, Alexandro finito per martyrium, Xistus subrogatur Romæ ; Alexandriæ vero Primo defuncto, Justus episcopus eligitur.

CAPUT XV.

Episcopi Hierosolymæ ex Judæis.

(*Idem, c.* 5 *ejusd. lib.*) Hierosolymæ vero primus ex gentibus creatur Marcus episcopus, cessantibus iis qui fuerant ex Judæis, qui sunt numero quindecim, id est, Jacobus frater Domini, Simon, Justus, Zachæus, Tobias, Benjamin, Joannes, Matthias, Philippus, item Justus, Levi, Effren, Josph. Judas.

CAPUT XVI.

De Basilide et Saturnino hæresiarchis.

Per idem tempus, humani generis hostis antiquus quasi bino ore sibilat, per Basilidem hæresiarcham, ortum Alexandriæ, et Saturninum genitum Antiochiæ, conturbans Ecclesias. (*Idem, c.* 6 *ejusd. lib.*)

A Hic Basilides comparat sibi discipulos, quos facit ad morem Pythagoricum quinquennio silere. Hoc docet immolata absque conscientiæ respectu degustare, et sine scrupulo et indifferenter debere in persecutionibus fidem negare.

CAPUT XVII.

Blasphemia Saturnini et Carpocratis.

Saturnimus autem eadem quæ Menander supradictus commentatur. Carpocrates autem quidam Simonis Magi, non ut ille clam, sed palam ac publice, præstigia depromit. Per hos imponuntur opprobria, incestus et stupra promiscue habita inter fratres, et sorores, et matres ; sed hos facile, per Domini gratiam, tunc in nostris probabilis vita et eruditio convincit et exsuperat : quos maxime Hegesippus, discipulus apostolorum Christi contemporaneus, cujus
B insignes libri habentur, disputationibus et scriptis confutat, adeo ut, cito evanescentibus prædictorum hæreticorum figmentis, felix efficiatur fama Christianorum ; ita ut omne genus hominum, patriis legibus et superstitionibus derelictis, et a diis ad Dominum Jesum concurreret, et discere ab eo, qui mitis est et humilis corde, festinaret.

CAPUT XVIII.

Adrianus regnat annis viginti uno. Telesphorus sedit annis undecim, Hyginus sedit quatuor annis. Pius sedit annis duodecim.

(*Idem, c.* 10 *ejusd. lib.*) Interea moritur Adrianus, et imperat Antoninus, cognomento, Pius. Telesphorus martyrio resolutus decedit. Hyginus succedit
C apostolatui, sub quo Valentinus Cerdo, et quidam Marcion figmenta hæretica dogmatizant. Hygino autem decedente, Romano Pius fungitur sacerdotio. Marcus substituitur Alexandriæ, Eumenide defuncto. Sed et Marco post decem annos mortuo, Celadion ejus gubernat Ecclesiam. Pius vero in urbe Roma, expleto sacerdotio, Aniceto sedem reliquit, sub quo Hegesippus Romam venit, ibidem permanens usque ad episcopatum Eleutherii, qui fuit post Anicetum. Tunc et Justinus philosophus, Christi et fidei nostræ contra Marcionem tam viva voce quam libris defensor, scribit ad Antoninum librum de Christiana Religione, et obtinet gratiam pro nostris.

CAPUT XIX.

De Polycarpo, insigni martyre.

D Eo tempore Polycarpus, ordinatus et eruditus ab apostolis, Smynæorum episcopus, longæva et innocenti vita venerabilis pergit Romam, et corruptus per Valentinianum et Cerdonem ab hæretica labe castigat. (*Niceph., lib.* III, *cap.* 14, *Hist. Eccl.*) Traditur hunc eleganter narrasse de Joanne apostolo, quod, cum apud Ephesum, lavandi gratia, balneum esset ingressus, et vidisset ibi Cerinthum, exivit continuo non lotus, dicens : Fugiamus hinc, ne et balneæ ipsæ corruant, in quibus lavatur Cerinthus, veritatis inimicus. Exstant hujus præclara quædam opuscula, et epistola hujus ad Philippenses prævalida, continens fidei monita et salutis. Hic autem post

Antoninum Pium, imperante M. Aurelio Vero, et A Antonino filio ejus, cum Lucio fratre vitam finivit martyrio.

CAPUT XX.

Antonius Pius sedit annis duodecim.

(HAYMO.) Dignus est autem hic perpetua Ecclesiæ commemoratione donari, celeberrima passione resolutus, quem huic nostro compendio, licet curtatis sermonibus, ob insigne ejus meritum, ob ipsius patrocinii suffragium, curavimus annotari. Hic ergo, ante triduum quam comprehenderetur, videt nocturna visione capitis sui cervical igne consumi, evigilansque fratribus sic interpretatus visionem, se pro Christo esse arsurum. Nec multo post insiliunt ejus comprehensores; ad quos placido vultu progrediens, apponi mensam hostibus, quasi hospitibus, jubet, et B large epulas ministrari, impetrata per horæ spatium oratione. Deinde asino sedens ducitur ad tribunal; cumque ingressus fuisset, audit vocem de cœlo : Fortis esto, Polycarpe. Commonitus ergo a proconsule multis sermonibus, ut, habens ætatis suæ reverentiam, juret per fortunam Cæsaris, et dicat in Christum convicia, eleganti voce, et vere digna discipulo Joannis respondit : Octoginta, inquit, et sex annis servio ei, et nunquam me læsit; quo modo possum maledicere et blasphemare regem meum, qui dedit mihi salutem? Non facio. Comminante judice bestiarum immissiones, constanter ait : Adhibeantur. Comminante quoque ignes : Secure, inquit, adhibe. Tunc, populis Smyrnæ civitatis, tam Judæorum quam gentilium, conclamantibus : Vivus C ardeat, destinatur ad ignem, quo exstructo, depositis senior indumentis, ac zona resoluta, calceamenta quoque pedibus tentat educere, quæ nunquam nisi a religiosis, a quibus (a) semetipsum prævenientibus, resolvi consueverant (sic namque ab omnibus venerabiliter colebatur). Exinde, remissis manibus post tergum, traditur igni. Sed cum, facto divinitus miraculo, non posset igne consumi, tandem a lictoribus mucrone transfoditur : oblatus est Deo, tam victima quam holocaustum in odorem suavitatis.

CAPUT XXI.

De Justino, doctore et martyre.

(*Euseb. lib.* III, *c.* 3, 12 et 16; *lib.* IV, *Hist. Eccles.*) Per idem tempus supradictus philosophus Christi Justinus secundum jam librum, pro nostræ religionis defensione conscriptum, offert judicibus. D Remunerationem linguæ fidelis et eruditæ martyrii recepit munus, accusante eum quodam philosopho, Crescente nomine, doloso proditore, et tendente ei insidias, pro eo maxime quod sæpe eum præfatus Justinus suis disputationibus publice confudisset. Hic, antequam proprium funderet agonem, etiam eorum qui ante eum martyres exstiterant, certamina describit. Exstant et alia ejus opuscula præclara, et magnæ eruditionis indicia, quæ enumerare longum est.

CAPUT XXII.

Anicetus papa Romanus sedit annis undecim.

(*Euseb. lib.* IV, *cap.* 19, *Hist. Eccles.*) Interea Aniceto obeunti Soter succedit, et Celadion Alexandrino. Aggripinus tunc episcopus supra commemoratus, et Dionysius, Corinthiorum episcopus, et Irenæus insignes habentur (*Idem, c.* 21, 23, 24 *ejusd. lib.*) Hi scribunt libros et epistolas, erudiunt Ecclesiam et confirmant. Quorum ingenii exstant adhuc monumenta. Exstat hujus præfati Dionysi epistola ad Athenienses perlucida, invitans ad martyrium, prolapsos arguens; in qua et illud designat, quomodo Dionysius Areopagites a Paulo instructus, primus Athenis episcopus fuerit ordinatus (*Niceph. lib.* IV, *c.* 8, 9, 10, *Hist. Eccles.*). Sed et Theophilus, quem supra diximus, Antiochiæ commentarios scribit, et hæreticos qui tunc surrexerant, disputationibus præclaris confutat, et præcipue Marcionem, cum quo Irenæus et Modestus magnifice laborant. Sed et Melito Sardicensis antistes, et Apollinaris Hieropolitanus, celeberrimi habentur, et scribunt libros pro nostra intercessione Antonino imperatori romano. Exstant autem Melitonis multa et præclara opuscula, in quibus Ecclesiæ fidei regulam mira depingit ratione. Hic, in libello quem de explatione Scripturarum scribit, quasi in prætatione, enumerat quæ sint Veteris Testamenti volumina, quæ in canone debeant observari.

CAPUT XXIII.

Irenæus de hæresi Encratitarum.

Euseb. lib. IV, *c.* 28, 29, *Iren. lib.* I, *cap.* 30, *Hist. Eccles.; Epiph. lib.* III, *Tob.* I, *Encrat.*) Tunc surgit hæresis Encratitarum, a Saturnino et Marcione descendens, damnantium cibos animalium, quos Deus cum gratiarum actione humanis usibus percipiendos instituit, nuptias qnoque et fornicationem et corruptionem pari lege judicantium. Quorum auctorem quemdam fuisse aiunt Vatianum, qui primo auditor fuit Justini, et in vita ejus nihil tale quidem prodidit, sed postquam ille martyrio resolutus est, abscidit se ab Ecclesiis, doctoris arrogantia tumidus; et ut major cæteris æstimaretur, proprium docendi instituit stylum. (*Niceph. lib.* IV, *c.* 11, *Hist. Eccles.*) Verum hic Vatianus, collationem faciens quamdam evangeliorum, nescio quomodo componit unum ex quatuor, quod diatessaron nominant : nam etiam nunc habetur a multis. Exstat unus hujus ex multis libellus, quem adversus gentes scribit, qui ex omnibus scriptis ejus præcipuus et valde utilis comprobatur. Per idem tempus pullulant innumeræ hæreses et præcipue apud Mesopotamiam, quibus fortiter obstat, dissertissimis disputationibus suis Bardesanes quidam, potens in verbo et doctrina, et vehemens dialecticus : et libros scribit maxime adversus Marcionem, quos propria lingua, hoc est Syra, compositos, discipuli ejus in Græcum vertere sermo-

(*a*) Delendum videtur *a quibus*.

nem. Soter sedit annis septem; quo tempore etiam romanæ Ecclesiæ Soter episcopus pius et clemens circa fratres, et sanctus, indigentibus quæ corpo-
A ralis usus expetebat large impartiens, vivendi finem facit. Et nos hic quarti voluminis finem faciamus.

LIBER QUINTUS

CAPUT PRIMUM.

(Eus. lib. V, *in princ.)* Igitur Soteri episc. duodecimus ab apostolis, succedit Eleutherius, vigesimo secundo anno imperii M. Antonini Veri. Quo tempore per multas romani orbis provincias, ex acclamatione vulgi et seditione adversum nostros, durissimæ persecutiones concitantur, ita ut martyrum multa millia per singula loca fiant.

CAPUT II.

De Epistola Lugdunensis Ecclesiæ.

(*Idem. ca.* 3 *ejusd. lib. Nicc.* 1, 16, 17, 18. *lib.* IV, *Hist. Eccles.*) Tunc servi Christi habitantes Lugdunum, Viennam, nobilissimas Galliæ urbes, gravissimis tribulationibus affliguntur; quibus, ut breviter et raptim per omnia persecutionum genera concludamus, totis viribus congressus est inimicus. Et primo quidem, domorum eis prohibetur habitatio; tum deinde usus balnearum, post etiam processus ad publicum; ad ultimum vero tam publicus quam privatus locus. Sic denique injuria affecti clauduntur, verberantur, lapidantur, et excruciantur, adeo ut singulas cruciatus species nemo possit exponere. Sed sustinent æquanimiter sancti, uti stabiles Christi columnæ, nec solum jam ferunt impetus, sed ultro etiam expetunt. Quidam autem infirmiores, subeundis invalidi, peccatis suis forsan exigentibus, labuntur, ferme decem; qui lapsu suo luctum ingentem relinquunt Ecclesiæ, quæ de lapsibus nostrorum magis quam de tormentis tristatur. Tunc adversus nostros, diabolo instigante, nova et capitalia mendacia plebs infidelium commentatur, et, comprehensis quibusdam servis paganis Christianorum, extorquet ab eis, tormentorum metu, quod et Christiani filios suos comedant, et matribus et sororibus abutantur. Hinc apud omnes Christiani exsecrationi habentur, præsertim apud eos qui clementius adversus eos agebant. Inter quos sanctus quidam diaconus, nomine Viennensis, et Blandina, nobilis femina, et Photinus, venerabilis Lugdunensis episcopus, cum jam nonagenaria esset ætate, et præ languore et senio, magis deferretur ad tribunalia quam duceretur, solvuntur martyrio, sicut gesta eorum habent. Patitur et cum eis Attalus quidam, cujus inter tormenta nobilis vox illa fuit, cum assarentur carnes ejus, et nidor adustæ carnis persentiretur. Hoc est, inquit, homines comedere, quod vos facitis; nam nos homines non comedimus, neque aliud quid mali agimus. Interrogatus quod nomen habet Deus eleganter respondit: Qui plures sunt, nominibus distinguuntur; qui unus est, non indiget.

CAPUT III.

Item ex epistola Lugdunensi.

Tanta autem beatorum martyrum humanitas erat
B et humilitas, ut frequenter martyres facti, post bestias, post ignes et laminas, nullatenus paterentur se a martyrio appellari, vel in sermone vel in epistola fratrum; et si quis hæc fecisset, durius increpabant, dicentes quod hæc appellatio soli Christo debeatur, vel certe his qui post bonam confessionem discedere de hac vita et pergere ad Deum meruerunt: nos autem humiles, et egeni, aiebant, optamus ut ipsa saltem in nobis confessio tuta permaneat. Tanta ergo erat in eis humilitas, ut, cum rebus ipsis martyres essent, nominis tamen jactantiam fugerent, inter fratres humiles, inter persecutores elati. Accusabant neminem, solvebant cunctos, litigabant erga nullum, orabant pro persecutoribus suis, utentes verbis S. Stephani martyris,
C dicentis: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et per nimiam charitatem quam habebant in Christo Jesu, et iis qui lapsi fuerant totis miserationum visceribus inhærebant, omnipotenti Deo effundentes pro eis flumina lacrymarum; nec sibi gratum iter dicebant eundi ad Dominum, si pars membrorum suorum de Ecclesiis rapta a diabolo diriperetur. Hæc ergo, quæ ex tantorum auctoritate virorum descendunt, dicta sunt propter eos et contra eos qui tumidi et elati adversum fratres feruntur; etsi qui forte titubaverint, viscera miserationum Christi putant ab eis penitus excludenda.

CAPUT IV.

De Irenæo, viro illustri.

(*Euseb. lib.* V, *c.* 20.) Igitur Photino, Lugdunensi episcopo, cum cæteris martyribus coronato, Irenæus,
D Polycarpi auditor in pueritia, sacerdotio ejus succedit. Hic multos scribit libros, et præclara ingenii sui monumenta reliquit. Inter multa et innumera sua opuscula quoddam de septuaginta interpretibus elegans miraculum narrat.

CAPUT V.

De septuaginta interpretibus.

(*Idem, c.* 8, *ejusd. lib.*) Ptolemæus, inquit, Lagi filius volens bibliothecæ suæ, quam apud Alexandriam ex omnium Græcorum voluminibus construebat, majorem gloriam quærere, petit etiam ab Hierosolymis ut eorum Hebræas scripturas, in Græcam linguam interpretatas, acciperet. At illi, quippe subjecti erant

Macedonibus, electos, et in Scripturis sanctis in utraque lingua peritissimos viros septuaginta presbyteros miserunt ad Ptolemæum. In quo tamen voluntas Dei et consilium gerebatur. Tunc ille singulorum volens accipere documenta, et verens ne forte per interpretationem occultarent insertam divinis voluminibus veritatem, singulos a se invicem separat, et eadem seorsum positos interpretari jubet, eumdemque interpretandi ordinem in singulis voluminibus observare. Quos in unum cursum coram se revocare, et conferre ad invicem quæ singuli interpretati fuerunt, jubet. Et nunc vere Deus glorificatur, et Scriptura sancta quod vere divina sit agnoscitur. Omnes enim de eadem iisdem verbis, iisdemque nominibus interpretati sunt, ab initio usque ad finem, ita ut et ipsi qui aderant, gentiles agnoscerent quod Dei nutu tunc Scripturæ interpretatæ sunt. Nec mirum, cum Hesdram sacerdotem inspiraverit Deus ad reparationem Hebræorum voluminum, sub captivitate Nabuchodonosor regis corruptorum.

CAPUT VI.

(*a*) (HAYMO.) Hoc Irenæi testimonium ac reverentiam divinarum Scripturarum posuimus, licet quibusdam ecclesiasticis viris videatur apocryphum, pro eo maxime quod Josephus, scriptor Hebræorum, nihil tale affirmat, sed in una eademque basilica scribit eos pariter contulisse; quod et B. Hieronymus in præfatione Pentateuchi contestatur. Sed jam ad narrationis ordinem revertamur.

CAPUT VII.

De miraculo facto a Christianis in exercitu Christianorum.

(*Nice. lib.* IV, *cap.* 12; *Eutropius. Oros. lib. c.* XV; *Jul. Capitol. in Macrophil.*) Igitur Antonini temporibus, quibus tot mala illata esse referuntur, M. Aurelius, frater ejus, bella infert Sarmatis ac Germanis; cujus exercitus dum siti periclitatur, quidam milites Christiani qui aderant, supplicant: quorum supplicationibus et pluvia large de cœlo perfusa reficit exercitum, et fulmina crebro coruscantia fugant eminus hostes. Narrant et hoc gentilium historiæ; sed, quod hoc a nostris impetratum est, subticendo dissimulant.

CAPUT VIII.

Antoninus regnavit novemdecim annis.

Euseb. lib. V, *cap.* 10.) Interea moritur Antoninus; Commodus succedit imperio. Tunc Julianus apud Alexandriam suscepit sacerdotium. Tunc Pantænus stoicus, ibidem ecclesiasticæ scholæ rector, in disputatione dogmatis nostri disertissimus habetur; qui fidei calore succensus, usque ad Indiam citeriorem prædicat verbum Dei; in cujus divinæ eruditionis schola Clemens Alexandrinus maxime effloruit. Tunc Narcissus præsidens Ecclesiæ Hierosolymorum celebris habetur, præclarus fide et opere signorum. De quo fertur, inter universa ejus miracula, quod miro et inaudito genere virtutis aquam in oleum convertit, quando forte in solemni die vigiliarum Paschæ oleum deesset luminaribus. (*Idem. c.* 16 *ejusd. lib.*) Per idem tempus hostis generis humani, nihil unquam otii gerens, diversas et varias hæreses per singula quæque loca suscitat; in quibus maximum sui generis serpentem apud Asiam Phrygiamque producit, Montanum, qui se Paracletum nominat, et mulieres quasdam secum Maximillam scilicet et Priscam, prophetissas esse velut ex sua inspiratione confingit. Hic impie docet nuptias solvi, et jejuniorum leges primus imponit. Hic Pepusam et Thymium, oppida Phrygiæ, Hierusalem appellat, atque in hæc omnes congregandos decernit. Hic exactores pecuniæ statuit, et, sub nomine oblationum, munera artificiosus accipit. Hic salaria præstat prædicantibus verbum suum, ut, per hoc vincti, enixius ejus doctrinæ præbeant operam. Sed traditur quod tandem ipse et mulieres suæ, ipso dæmone, quo inspirabantur, agente, diversis temporibus laqueo vitam finierunt, exemplo Judæ proditoris. Sub hoc tempore etiam in urbe Roma regula ecclesiasticæ traditionis vexatur per Bastum et Florinum schismaticos. Sed fuere tunc per Dei gratiam viri fidei et virtutis, qui tam prædictas hæreses quam schismaticos destruxere, scribentes adversus hæc libros vel epistolas, ut Irenæus, Melitides, Serapio, Apollonius, et Apollinaris, et multi alii.

CAPUT IX.

(*b*) *Quæstio oborta de paschali tempore.*

Interea, præsidentibus Ecclesiæ egregiis sacerdotibus, sub principe Commodo, Victore apud Romam, Demetrio apud Alexandriam, Serapione apud Antiochiam, apud Cæsaream Palestinæ Theophilo, et Narcisso Hierosolymis, apud Ephesum vero Polycrate, quæstio non minima exoritur in provinciis Asiæ, veluti ex antiqua eorum observatione descendens, quod quartadecima luna putarent omni tempore Pascha

(*a*) *Hoc Irenæi testimonium.* De septuaginta Interpretibus historia, ac testimonia multa sunt quæ partim cum Irenæo conveniunt, partim vero non omnino. Sed Justinus plane cum eo assentitur, cellulasque illorum distinctas narrat, seque oculis vidisse testatur. Sed Aristæus, qui ab Ptolemæo ad Eleazarum Hebræorum pontificem eo nomine missus est, historiamque totam complexus est, nihil tale commemorat, neque Josephus, neque Philo item, quorum auctoritate Justinus utitur. De cellulis igitur eorum res controversa, in Latinis etiam Hieronymo et Augustino. Sed totam de hac ipsa narrationem recte explicat Epiphanius in libello quem de mensuris scripsit.

(*b*) *Quæstio oborta de paschali tempore.* Explicata postea ac definita Ecclesiæ Romanæ synodo scilicet Romæ a Victore pontifice habita, cujus sententiam reliquiæ synodi secutæ sunt. Nam Hierosolymis a Narcisso, Cæsareæ in Palæstina a Theophilo, in Gallia Lugdunensi ab Irenæo, Corinthi a Bacchilide, in Asia a Plasma, item Edessæ ab octo et decem episcopis, in Mesopotamia ab aliis, Commodo imperante, synodus habita est; idque contra Polycratis synodum, quam Ephesi habuit. Nicææ denique frequenti Patrum consensu canon editus est, Epiphanius tamen Theodoritus, quem etsi Socrates negat, Ambrosius et Gregorius Cappadox meminerunt.

observandum, quando scilicet Judæis præcipitur A agnus immolari, velut necessarium confirmantes, in quacunque die septimanæ quartadecima luna venisset, solvi debere jejunium, cum talis consuetudo in aliis provinciis nunquam observata fuisset, vel Ecclesiis. Ob quam causam conventus episcoporum et concilia convocantur, tam apud Cæsaream Palestinæ quam apud Romam, altercantibus Victore, romano pontifice cæterisque occidentalibus episcopis contra Asianos; et dicentibus quod non liceat aliquando, nisi in die Dominica, in qua Dominus surrexit, Dominicum Paschæ celebrare mysterium, et in hac sola solvendum esse jejunium.

CAPUT X.

Ratio Polycratis, cur velit Pascha quartadecima luna observari.

Affirmantibus econtra Asianis, et maxime Polycrate, Ephesiorum episcopo, qui inter eos primatum agere videbatur, quod ab illo intemerato die Paschæ, in quo, secundum Evangelium, etiam ipse Dominus suum Pascha celebravit, nihil licet addere vel subtrahere ut ultra quartumdecimum diem vel infra celebraretur; prætendentibus etiam antiquum morem et majorum traditionem, et dicentibus quia Philippus evangelista, qui cum suis filiabus dormit in Asia, et Joannes Apostolus, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, necnon et Polycarpus, discipulus ejus, observaverunt; tandem autem, inspiratione divina plurimis in unum concordantibus et sanioris fidei et scientiæ episcopis; promulgatum est solemne decretum a Victore, romano pontifice, de Paschæ concor- C dia, et (a) subscribentibus venerabilibus episcopis, Narcisso Hierosolymitano, Theophilo Cæsariensi, Irenæo Lugdunensi, cum cæteris episcopis Galliarum, et confirmantibus quod in Dominica die resurrectionis Christi mysterium Paschæ debeat omnimode celebrari.

CAPUT XI.

(HAYMO.) Mihi autem videtur Romanam Ecclesiam prudenti consilio et saniore sententia hoc potius elegisse, ne judaizare videremur, et Mosaicum adhuc vel figurativum Pascha observare, si super quartadecima luna solemnitatem Paschæ celebremus. Unde quia, finito veteri et typico, novum Pascha Christus B instituit, et pro esu agni typici tradidit immaculati sui corporis et sanguinis mysterium, recte, sicut agnum typicum non sumimus, sic jam figuram negligimus, cum rem tenemus. Itaque et illam quartidecimi diei observantiam cum Judæis non facimus, sed die resurrectionis Domini novum potius nostrum Pascha celebramus; quia, cum Pascha transitus interpretetur, et nostrum transitum, vel de vitiis ad virtutem vel de morte ad vitam, significet, recte et vere transitus noster, qui a passione Domini incipit, cum Dominus resurgit perficitur, et ideo tunc potius Pascha celebramus. Nihil enim nobis Christum mori profuit, nisi et resurgere profuisset. Sunt et aliæ forsan Patrum rationes, quas diligens et studiosus lector alicubi poterit reperire. Sed jam ad narrationis ordinem revertentes, pensemus hic aliquantulum, ut postmodum recreati sextum volumen expediamus.

(a) Delendum videtur *et*.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

(*Euseb. lib.* V, *cap.* 27, 28, *Hist. Eccl.*) Igitur, Commodo imperatore tredecim annis functo imperio, et Ælio Pertinace post eum solis sex mensibus, Severus suscepit principatum. Sed et Victore Papa decem annis episcopatu functo, Zephyrinus suscepit sacer- D dotium. Exstant eo tempore plurimi ecclesiastici viri, et (a) stylo illustres: Heraclitus, qui in Apostolum commentatus est; et Maximus, qui de famosissima omnium hæreticorum quæstione disseruit; sed et Candidus in Hexameron; idem de principio Genesis scripsit; Appius quoque. Hi cum quibusdam aliis hæreses ortas suis temporibus confutant, et maxime hæresim Pauli Samosateni, habentis auctoritatem a quodam Artemone, dicentis; purum hominem et absque Deo fuisse salvatorem, et mentientis id ipsum ab apostolis antiquitus fuisse traditum. Interea, Severo quoque adversus Ecclesiam sæviente, martyres multi efficiuntur, præcipue tamen apud Alexandriam, quo ex omni Ægypto ac Thebaide, velut in quoddam stadium pietatis, athletæ ducebantur. In quibus et Leonides, pater Origenis, pro fide Christi capite plexus est; qui teneræ adhuc ætatis supradictum puerum dereliquit.

CAPUT II.

(HAYMO.) Hujus scilicet Origenis vitam, et actus, et dogmata si quis vult plenius nosse, legat Eusebium (*Lib.* VI, *cap.* 13), de quo hæc transferimus; qui de eo tanta et talia scribit, quanta et qualia non est dignum huic compendio inserere: maxime cum noverimus prædictum Eusebium a quibusdam ecclesiasticis viris aliquantulum notatum fuisse, quod nimius fuerit in laude Origenis. Illud vero de eo breviter enarramus quod etiam orthodoxi quoque et religiosi viri diffiteri non possunt.

(a) Delendum videtur *et*.

CAPUT III.

De Origene.

(*Euseb. lib.* VI, *cap.* 23, 4, 5, 6, *Hist. Eccl. Niceph. lib.* V, *cap.* 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 29, 32, 33, *Hist. Eccl.*) Origenes, Leonidis martyris filius, et ipse fere a pueritia voluntate martyr, et forsitan actu, nisi quia a matre surripiente nocte vestes ejus, pia fraude præpeditus est, magnam a Deo et manifestam gratiam scientiæ consequitur, potens in grammateia et cæteris communibus litteris, et in omni philosophica eruditione apprime institutus, maxime autem in lectione et doctrina divinorum voluminum potentissimus illius temporis et famosissimus indagator. Hic ergo, pro magna et incredibili scientiæ prærogativa, doctor ecclesiæ apud Alexandriam a Demetrio, ipsius loci episcopo, constituitur, cathedramque doctoris obtinet tertius post Pantænum et Clementem; cujus scilicet Clementis et ipse exstitit auditor. Ubi dum, verbum Dei palam tam viros quam feminas instituens decet, et occasionem omnis turpis maledicti vult infidelibus excludere, quædam minus perfecti sensus exercet in proprio corpore, sed ferventis fidei et nimiæ castitatis opus. Nam, cum ante, omnia præcepta evangelica et voces Salvatoris observaret et observari præciperet, illud Evangelicum attendens: Hi sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Dei, Dominicam vocem re atque opere mox in semetipsum aggreditur adimplere. Tunc igitur maxime dat operam doctrinæ et prædicationi, quando adversariis nulla derelicta est obtrectandi suspicio; tunc, ut Apostolus dicit, verbum Dei opportune prædicat et importune (*II Tim.* IV), per diem et per noctem, publice et privatim, in abstinentia plurima, in jejuniis indeficientibus, vigiliis pene jugibus: ita ut, si quando parum aliquid somni naturalis necessitas exigeret, hunc ille non super stratum, quo omnino nullo utebatur, sed super nudi soli deprehenderet superficiem. Fertur autem quod ex ejus auditorio plurimi de utroque sexu martyres effecti sunt. Exstant ejus ingenii libri multi, inter quos in sacras Scripturas commentarios edidit sane doctissimos. Item triginta libros in partem quamdam Isaiæ prophetæ commentatur; in Ezechielem quoque viginti et quinque libros; totidemque in Cantica canticorum. Librum etiam de martyribus ad Ambrosium scripsit, tanta et tam districta spiritus virtute, ut ejus sententiis tanquam validissimis muris multos ad martyrium stabiliret. Sunt et alia opuscula pene innumerabilia, quæ omnia in hoc compendio enumerare non est opus. Sed illud præclarum fertur de eo, quod nunquam permisit ea quæ in Ecclesiis disserebat, a notariis excipi, nisi quando, jam sexagesimum ætatis, agens annum, multo usu et labore plurimum fiduciæ in verbo Dei acceperat, jam scilicet quando in eo erat vitæ gravitas, et maturitas ætatis, et multæ experientiæ auctoritas. Inter quoque eruditionum suarum studia, ne illud quidem omisit Origenes, perscrutari et addiscere Hebrææ linguæ virtutem, ut cognosceret vel ea quæ a Judæis leguntur, qualia sint, vel cæterorum interpretum, qui præter septuaginta interpretati sunt, quanta esset eruditionis diversitas; ita ut præter istas, quæ in usu sunt, Aquilæ, vel Symmachi, vel Theodotionis, invenerit etiam alias interpretationes in absconditis et secretis latentes, in quibus nec nomina quædam interpretum reperit scripta. Dicit autem quod aliam reperit in Actiaco littore apud Nicopolim: aliam in Hierico, atque alias in aliis reperit locis. Sed et adversum hæreticos confutandos, tam viva voce quam librorum disertis disputationibus elaborat. Nam et Berillum, Bostræ urbis Arabiæ episcopum, qui dicebat Salvatorem nostrum neque exstitisse ante carnis nativitatem, neque propriam habere divinitatis existentiam, sed hoc solum quod interna deitas in eo habitaret, disputando confutavit, et Celsum quemdam, Epicureum philosophum, qui contrarios libros fidei scripserat. HAYMO. Unde plurimum admirari non sufficio, quod vir tam illustris, tam aperte rebellans et obvians hæreticis, devolutus sit in notissimam hæresim et errorem, scilicet quod Seraphim in Asia Spiritum sanctum exposuerit, et in alio loco de pœnitentia diaboli scripserit, et de absolutione reproborum post mille annos, et multa alia quæ orthodoxæ fidei adversantur; maxime cum abstinentissimæ et castissimæ vitæ fuisse referatur, et tam præclaræ doctrinæ tamque puri et lucidi sermonis. HAYMO. Ego sane de eo salva fide patrum dixerim, vel quod hæc omnino non scripserit, sed ab hæreticis, ob præclarum nomen ejus obfuscandum, maligne conficta sint et conscripta, et nomine suo prætitulata: vel, si scripsit, non statuit ex sententia, sed disseruit ex opinione. Nam, ut ipse dicit, philosophorum et hæreticorum dogma didicerat, ne ad eos convincendos imparatior esset, si ignoraret quæ apud ipsos erant; et fortasse, cum in aliquibus locis scribendo attingit eorum errores, calumniatus est hoc a semetipso dixisse. Quod si etiam prædictas hæreses, ut placet quibusdam, ex sententia scripsit, valde compatiendum est tam eruditi pectoris viro, qui tantam nobis eruditionis copiam ministravit; cujus vitia, si qua sunt in scriptis, potest eorum quæ fideliter scripsit luminosus quidam ac cœlestis splendor exsuperare; de quo et a Patribus dictum est: Quia, ubi bene scripsit, nemo melius. Quod autem erratum est ab Origene, et contra orthodoxam fidem aliquid descriptum, opinor hoc ei accidisse, quia nimio lectionis studio philosophos est amplexus. Attigerat enim et omnino assecutus fuerat secreta Platonis, et Pythagoræ, Zenonisque stoici, et Cerinthi volumina, cæterorumque philosophorum; et fortasse quia nimis est immoratus, et diutius ebibit de calice Babylonis inaurato, quodammodo coactus est de ejus fæce in sacram Scripturam aliquid effundere. Ex quo valde et vigilanter cavendum est ecclesiasticis viris, ne nimis philosophicis institutis dent operam, ne forte, cum inebriati fuerint inanibus poculis, et tumidis assertionibus inflati, difficilius, retracto pede, ad hu-

militatem Christi revocentur, et tardius fidei nostræ acquiescant, quandoquidem edocti sunt contraria. Nec hoc dicendo artium lectores damnamus vel artes; nam et ipsæ non utiliter leguntur, ad profundas quæstiones enodandas, et pertractandas rationes: quippe ista est domina artium, et ei cæteræ, ut pedisequæ, famulantur. Verum quosdam scholasticos non mediocriter reprehendimus: qui libris gentilium tam familiariter adhærent, et totos se immergunt, ut totum pene in eis vitæ suæ et eruditionis cursum consumant. Quam honestius erat ecclesiasticæ intendere disciplinæ! quam rectius et facilius! sacræ Scripturæ libros addiscere quibus legendis si darent operam, paucioribus certe temporis spatiis totam in se bibliothecam transfunderent, quam omnes illas frivolas et pene inutiles scientiolas quibus occupantur. Sed ecce, dum nimis Origeni intendimus, et ejus occasione hunc facimus excursum, contra legem compendii, pene cæterorum qui per idem tempus fuerunt, et verbo et exemplo juverunt Ecclesiam, obliti sumus: unde nunc ad narrationis ordinem revertamur.

CAPUT IV.

Severus regnat annis XVIII.

(*Euseb. lib.* VI, *cap.* 7, *Hist. Eccl.*) Itaque Severo imperatore octodecim annis functo imperio, et tunc tradito filio ejus, Alexander quidem, de quo ante memoravimus, confessionis titulo satis clarus, Hierosolymorum Ecclesiæ subrogatur episcopus, cum forte ex gente Cappadocum ubi erat præclaræ urbis episcopus, Hierosolymam orandi gratia venisset, et omnibus divino oraculo innotuisset, tali voce cœlitus emissa: Suscipe episcopum qui vobis a Deo destinatus est. Captus ergo non sinitur ad proprium episcopatum reverti, sed ibidem residere cogitur, cum tamen adhuc superesset prædictus ejusdem loci episcopus Narcissus, sed fessus senio, pontificali ministerio sufficere non potens. Interea Serapion quoque, Antiochiæ episcopus, vir magnæ eruditionis, cujus multa habentur opuscula, defungitur; cui succedit Asclepiades, et ipse unus ex præclaro numero confessorum.

CAPUT V.

Antoninus regnat septem annis et sex mensibus.

Sed et Antoninus imperator diem obiit; cui succedit Macrinus. Quo in brevi consummato, id est post annum, successit imperator Antoninus; cujus primo imperii anno Zephyrinus romanus pontifex diem obiit, Calisto succedente. Zephyrinus Papa sedit annis octo; quo etiam finem faciente, præsidet Urbanus, qui et ipse post octo annos sedem reliquit Pontiano (*Euseb. lib.* VI, *cap.* 16, *Hist. Eccl.*). Sed et Antonino, quatuor annis functo imperio, succedit Alexander.

CAPUT VI.

(HAYMO). Per idem tempus florent in Ecclesia disertissimi viri; quorum epistolas, quas ad se invicem dabant, tam facundas quam fecundas, Alexander, venerabilis Hierosolymorum episcopus, in bibliotheca Hierosolymorum, quam et ipse multo labore et sumptibus ad posteriorum utilitatem construxerat, facit diligenter reponi. Agimus gratias tantæ Patrum diligentiæ, quorum circa sacras Scripturas tam ferventissima occupatio et tam jugis sollicitudo fuit, ut non solum scriberent libros vel explanarent, sed etiam scripta quorumlibet virorum illustrium divinitus inspirata, multis laboribus, multis quoque expensis in opus notariorum sibi coacervarent, ad profectum universalis Ecclesiæ. Hæc ergo mercimonia pretiosa, hic vivus exstitit thesaurus, comparare sibi scripta majorum et condere bibliothecam, aggregare libros in archivis templorum, magis quam nummos in arca. Audiant hujus temporis ecclesiasticæ personæ, et rubore confundantur, qui a vestigiis patrum tam impudenter et imprudenter recesserunt, quod servi facti sunt ancillarum, ambitionis et pecuniæ; et, qui potuerunt sublimes scripturas indagare fortassis facilius, quam majores nostri (cum, illorum, diligentia, exemplaribus copiosius abundent), proh pudor! nunc ad infima rerum et contemptibilia, ad civiles causas, et loculos convertuntur. Sed hæc hactenus. In illis diebus Hippolytus episcopus, multorum conditor opusculorum, inter cætera sua libellum de Pascha edidit, in quo etiam temporum canonem et descriptionem quamdam pulchra ratione depingit. (*Beda*:) Hic, decennovenalem circulum Paschæ reperiens, primus dedit occasionem Eusebio, qui de eodem decennovenali circulo tractatum composuit.

CAPUT VII.

Alexander regnat XIX.

Interea, Alexandro imperatore defuncto, Maximinus Cæsar succedit. Iste primus ex militari corpore, absque decreto senatus, imperator efficitur. (*Idem, ibid.*) Qui dum odio adversus prædecessoris sui Alexandri domum, et matrem ejus, Mammæam, pro eo maxime quod Christiana erat, et Origenem presbyterum, quem, Romæ accitum, et honorifice habitum, ipse audierat, qui tunc non solum Alexandriæ, sed toto orbe clarus habebatur, infestat; hac, inquam, occasione persecutionem commovet per Ecclesias, maxime adversus doctores ecclesiarum.

CAPUT VIII.

Maximinus regnat tribus annis.

Sed per Dei providentiam in brevi consummatus, simul finem vitæ et persecutionis facit.

CAPUT IX.

Post quem imperat Gordianus.

Pontiano vero, Romano Pontifice, tunc finem faciente, succedit Antherus; qui cum non amplius quam mense uno ministrasset, sacerdotium reliquit Fabiano.

CAPUT X.

(*Beda*). Hic, testimonio Spiritus sancti in specie columbæ super caput ejus descendente, episcopus

ordinatur; quod alii de eo, alii de Zephirino episcopo factum fuisse trodunt (*Euseb. lib.* VI, *c.* 21; *Niceph. lib.* V, *c.* 26, *Hist. Eccl.*). Per idem tempus Africanus inter scriptores ecclesiasticos nobilis habetur. Hic multos scribit libros et epistolas, inter quos Matthei et Lucæ in generatione Christi evidentissime ostendit consonantiam; et Chronicam ipse componit.

CAPUT XI.

Gordianus imperat sex annis.

Interea, Gordiano imperatore finem faciente, Philippus cum Philippo filio suo succedit; hic primus omnium imperatorum Christianus fuit (*Euseb. c.* 25, *ejus. lib.*). Cui volenti interesse vigiliis Paschæ, et communicare mysteriis, restitit Fabianus Papa, nec permisit, donec confiteretur peccata sua, et staret inter pœnitentes. Hic post tertium sui imperii annum, cum millesimus a conditione Romæ annus esset expletus, magnificis ludis celebrat Urbis natalem.

CAPUT XII.

Philippus regnat annis septem.

(*Idem*, 29.) Post hunc Decius succedit. Hic cum Philippum patrem, et filium interfecisset, et ob odium eorum infestus esset Christianis, persecutionem movet Ecclesiis: in qua Fabianus in urbe Roma martyrio coronatur; Cornelio succedente, qui et ipse resolvitur martyrio. In Hierosolymis quoque Alexander, vir eruditissimus, episcopus præclarus, e numero confessorum, post longævæ vitæ venerandam canitiem, post multos cruciatus et vincula, inter ipsa vicissim sibi succedentia tormenta deficit. (*Beda.*): Tunc sanctus Antonius monachus Ægypto dicitur exortus. Interea sub Decio persecutio Christianis illata vehementer exarsit, et innumerabiles sancti de utroque sexu, maxime apud Alexandriam, agones desudant; ita ut crederes prima persecutionum tempora renovari, de quibus Dionysius, Alexandrinus episcopus, in epistolis suis ad Fabianum episcopum plenissime, refert; qui et ipse Dionysius postmodum capitis plectitur sententia.

Sed quia in area Domini etiam paleæ erant cum tritico, aliquanti tunc ad primam judicis faciem Christum negant, ad aras prosiliunt, timentes magis bonorum temporalium direptionem, quam summum bonum amantes. De quibus prædixerat Dominus: quoniam qui pecuniam amant, haud difficile labuntur. Quo tempore Novatus, Cypriani episcopi presbyter, exsurgit. (*Cornel in epist. ad Fabianum Antiochiæ episcopum.*) Hic, a juventute spiritu immundo vexatus, cum tempus a Domino apud exorcistas consumpsisset, ægritudinem incurrit gravem, ita ut desperaret: unde et jacens in lecto pro necessitate aqua perfusus est, nec reliqua in eo, quæ baptizati consequi solent, solemniter adimpleta sunt, unde et Spiritum sanctum nunquam potuit promereri. Hic Romam veniens elatione tumidus, spem salutis penitus, etiam si digne pœnituissent, novo dogmate conatur lapsis adimere, ex quo et princeps efficitur hæreticorum Novatianorum; qui, ab Ecclesia separati, novo nomine catharos, id est mundos, se appellaverunt; ob quam rem concilium sacerdotale celeberrimum in urbe Roma congregatur, cujus acta concilii sequens libellus explicabit.

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

(*Euseb. lib.* VI, *c.* 33, *Hist. Eccl.*) Sedente itaque Cornelio Pontifice cum episcopis sexaginta numero, totidemque presbyteris et plurimis diaconibus, contra Novatianorum hæresim disseritur vigilanter, statuiturque, suffragantibus utriusque paginæ testimoniis, eos qui lapsi fuerant curandos esse et fomentis pœnitentiæ medicandos, et Novatum, nihil habentem Charitatis fraternæ, cum reliquis sequacibus ejus ab ecclesia sequestrari. Exstat de his epistola Cornelii ad Fabianum Antiochenum episcopum, et libellus Cypriani magnificentissime editus, quo et lapsos confirtat, et contradicentes anathematizat.

CAPUT II.

Decius regnat annis duobus et tribus mensibus.

(*Idem, lib.* VII, *c.* 1, 2, 3.) Interea Decius, duobus nec integris annis functus imperio, cum filiis pariter occiditur; quo tempore fertur etiam obiisse Originem, cum plenus esset dierum, et pene septuagenarius. Tunc Gallus cum Volusiano filio suo obtinet imperium; cujus cum regnum floreret in initio, et cuncta ei ex sententia cederent, ad exemplum Decii sanctos viros, qui pro parte regni ejus Deo supplicabant, persecutus est, cum quibus et prosperitatem suam, et pacem fugavit. Per idem tempus quæstio oritur in Africæ partibus, de hæreticis rebaptizandis vel non; sed Cornelio cæterisque occidentalibus episcopis manet potius hæc sententia: post abjectionem dogmatis, sola eos manus impositione purgandos.

CAPUT III.

Cornelius sedit annis circiter tribus.

Igitur, Cornelio per martyrium consummato, Lucius succedit; quo solis mensibus octo functo apostolatu, Stephanus levatur in antistitem, qui de non rebaptizandis hæreticis similem Cornelio fert sententiam.

CAPUT IV.

De Dionysio, Alexandriæ episcopo.

Eo tempore Dionysius, Alexandriæ antistes, famosus habetur; qui multa et varia scribens, instructionum nobis et doctrinæ copiosam materiam reliquit. Exstat hujus ad Stephanum Papam epistola, de multis ecclesiasticis disserens causis. Exstant et ejus litteræ quas contra Sabellianam hæresim prosecutus est, quæ suo tempore exorta est, plena blasphemiis in Deum Patrem, et Dominum nostrum Jesum Christum negans esse verum Filium, nec primogenitum omnis creaturæ, simul et Spiritus sancti auferens intellectum.

CAPUT V.

Gallus Imperator regnat duobus annis, nec integris.

(*Idem, c.* 9, *ejusd. lib.*) Interea Gallus imperator moritur, Valeriano succedente cum filio Galieno. Stephanus diem obiit.

CAPUT VI.

Xystus episcopus eligitur.

Valerianus maxime persequitur Christianos, cum tamen primum benignus fuerit et humanus, postmodum vero seductus per quemdam magicæ artis magistrum, et principem magorum Ægyptiorum. De hujus persecutione Dionysius scribit in diversis operibus suis (*in epistol. ad Hermammonem*), in quibus narrat præclara gesta martyrum, et suam ipsius persecutionem meminit, et cujusdam Asterii inter sanctos martyres clarissimi viri, et urbis Romæ senatoris. Accidit hunc aliquando apud Cæsaream Philippi famosissimo huic spectaculo adesse, quo ibi certa et solemni die immolabatur victima ad radicem montis, et, arte quadam dæmonis nusquam comparens, tolli in cælum a gentibus credebatur. Tunc Asterio humanos miserante errores, et pro his ad Deum valde supplicante, subito victima conspectibus omninm redditur, nec ultra in locis illis hic exstitit error. (*Euseb. lib.* VII, *c.* 13, 14, *Hist. Eccl.*) Hujus urbis civem fuisse aiunt mulierem illam quæ a Salvatore nostro a profluvio sanguinis sanata est, domusque ejus nunc in ea ostenditur. Pro foribus ejus domus basis quædam in loco editiore monstratur, in qua mulieris illius velut genibus Salvatoris provolutæ, palmasque suppliciter tendentis, imago ære videtur expressa. Astat vero alia ære nihilominus fusa statua, in habitu viri stola capite circumdati, et dexteram mulieri porrigentis. Cujus ad pedem statuæ et basis herba quædam specie nova nascitur; quæ cum exorta fuerit, excrescere solet usque ad fimbriam stolæ illius ærei indumenti: quam cum maxime summo vertice herba crescens contigerit, vires inde ad depellendos omnes languores morbosque conquirit, ita ut quæcunque fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti graminis depellatur, nihil omnino virium gerens, si antequam fimbriæ summitatem contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem Jesu vultus formatam tradebant; quæ permansit usque ad tempora nostra, quam oculis nostris inspeximus. (*Beda.*) Hunc ergo Valerianum Dei vindicta statim consequitur; nam a Sapore, rege Persarum, capitur, ibique, luminibus orbatus, senectute miserabili consenescit. Galienus, ejus filius, postquam summam rerum solus obtinuit, tam claro Dei judicio territus, moderatius agens persecutionem in nostros cessare facit. Ob meritum tamen vel paternæ theomachiæ, innumera Barbaris assurgentibus regni detrimenta sustinuit. Tunc temporis Cyprianus, Carthaginensis episcopus, cujus doctissima exstant opuscula, martyrio coronatur; Stephanus quoque et Xystus, Romæ episcopi, decedunt martyrio.

CAPUT VII.

De Paulo Samosateno, hæretico.

(*Idem, c.* 24, 25, *ejusd. lib.*) Itaque post Xystum, Romanum Pontificem, Dionysius subrogatur; Paulus de Samosata suscepit sacerdotium, hic in hæresim devolvitur, dicens Christum communis naturæ tantummodo hominem fuisse. Tunc celebratur concilium, rogaturque Dionysius adesse; qui senectutis causa prohibetur, sed adest per epistolam. Statuitur Paulus in medio, et frequenti tractatu et disputationibus arguitur, considentibus venerabilibus episcopis, et blasphemiam ejus publicantibus, Firmiliano scilicet a Cæsarea Cappadociæ, Heleno, Sardensi, Nicoma [*f.* Nichomacho] ab Iconico, et Hymenæo Hierosolymorum præcipuo sacerdote, et vicinæ huic urbi Cæsareæ Theotecno, Athenodoro et Gregorio Ponti provinciæ sacerdotibus. Hic autem Gregorius cunctorum sermone celeberrimus habetur, et potens in operatione signorum. Hic forte duobus fratribus habentibus possessionem stagni, et de captura piscium sæpe litigantibus usque ad humani sanguinis effusionem, medius intervenit; et, facta oratione cruentam deinceps inhibens fratrum contentionem, aquas abire jubet, et recedunt, fitque solum frugum, quod antea fuerat navium, ferax. Sed et in quodam loco cum ad construendam ecclesiam rupes obesset, pernoctans in oratione traustulit rupem. Item cum per Alpes transiret aliquando, necessitate nivium coactus, ad fanum divertit Apollinis, ibique pernoctat. Quo mane recedente, recedit dæmon; poscitur dare responsa ut prius, obmutescit, consulitur a sacerdote, opponit titulum adventum Gregorii. Mox sacerdos occupat viam perveniensque ad Gregorium, querelam expulsi numinis exponit, quæstumque deplorat amissum. At ille scribit epistolam in hæc verba: Gregorius Appollini: Permitto tibi redire ad locum tuum et agere quæ consuevisti. Hanc sacerdos ad fanum fert epistolam, ponitque juxta simulacrum; adest iterum dæmon, iterum dat responsa. Tunc sacerdos, in semetipsum conversus, ait: Quomodo non multo melior est Gregorius isto Apolline, cujus obtemperat jussis? et descendens eadem hora ad Gregorium, referensque epistolam, rem ordine pandit, utque se offerat Deo, rogat. Tunc, relicta gentilitate, factus est ab eo catechumenus, et cum se castissimæ vitæ et abstinentissimæ manci-

passet, etiam baptisma consequitur, et in tantum A fide et virtute proficit, quod B. Gregorii successor in episcopatu efficitur. Sed et inde Gregorius ingenii sui nobis in parvo maxima monumenta dereliquit.

CAPUT VIII.

Nota metaphrasim Gregorii (a) martyris, et Episcopi Neocæsariæ.

In Ecclesiasten namque metaphrasim scribit magnificentissime, et catholicæ fidei expositionem breviter ita continentem : Unus Deus Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, et virtutis suæ et figuræ, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti, unus Deus, solus ex solo Deo, figura et imago deitatis, verbum penetrans, sapientia comprehendens omnia, et virtus qua tota creatura fieri potuit. Filius verus B veri, et invisibilis ex invisibili, et incorruptibilis ex incorruptibili, et immortalis ex immortali, et sempiternus ex sempiterno. Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit, imago filii perfecti perfecta, viventibus causa sanctitatis, sanctificationis præstatrix, per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur, et Filius per quem omnia. (*Euseb. lib.* VII, *c*, 25.) Et Trinitas ista perfecta majestate, et sempiternitate, et regno minime dividitur, neque abalienatur. Igitur neque factum quid aut serviens in Trinitate, neque superinductum, tanquam antehac quidem non subsistens, postea vero superingressum. Neque ita defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus sanctus, sed inconvertibilis, incommutabilis eadem Trinitas semper. Hactenus de Gregorio.

CAPUT IX.

Galienus imperator regnat annis quindecim.

Interea Dionysius apud Alexandriam in pace ecclesiastica diem obiit, decem et octo annis functus sacerdotio. Maximus succedit.

CAPUT X.

Claudius regnat annis duobus.

(*Niceph. lib.* VI, *c.* 28, 29.) Galienus quoque moriens Claudium habet successorem, qui in brevi moritur, Aureliano succedente. Cujus temporibus congregato apud Antiochiam concilio, Paulus Samosatenus ultima animadversione damnatur, disputante cum eo Malchione quodam, perfectæ eruditionis D viro, excipientibusque notariis. Quæ disputatio ita magnifice ab eo et accurate habita est, ut nunc quoque legentibus sit in admiratione. Itaque secundo jam manifeste Paulus hæreticus confutatur, datis epistolis Dionysio, Romano pontifici, Maximo Alexandrino (*Euseb. lib.* VII, *c.* 30); cujus hæresis et damnatio innotescit, et mores : qualiter Filium Dei negaret descendisse de cœlo, sed a Maria cœpisse assereret, et initium habuisse de terra : qualiter etiam psalmos, qui in Dominum nostrum Jesum Christum dicebantur, cessare fecisset, velut neotericos, et nuper inventos : per semetipsum vero compositos, diebus Paschæ in medio Ecclesiæ canere fecisset mulieres, quas ipse (horrendum auditu) de se instituerat : qualiter etiam, incedens per plateam, tali quadam ambitione uteretur ut publice epistolas relegeret, atque in auditu omnium et oculis dictaret, assistentibus sibi in platea notariis, quanquam superbe etiam tribunal in ecclesia sibi multo altius quam fuerat, collocasset, et verbum faciens jactaret super modum dexteram, ac palmam femori illideret, pede quoque subsultaret, et scabellum feriret, et more theatrali ab auditoribus voces clamosas et plausum expeteret : maxime impudenter etiam mulieres secum habitare permisisset, et presbyteris et diaconis, qui ejus morem gerebant, similem dedisset licentiam.

(a) De hoc Gregorio est liber Gregorii Nysseni.

CAPUT XI.

(*Euseb. lib.* VII, *c.* 26. *Hist. Eccl.; Niceph. lib.* VI, *c.* 19.) Igitur, damnato et expulso ab Ecclesia, cum exire nollet, publica manu, ex mandato Aureliani imperatoris Domnus nomine in Ecclesia Antiochena succedit episcopus. Interea malis consiliis depravatus Aurelianus, persecutionem meditatur in nostros, eousque ut, scriptis litteris volenti subscribere, dextera Dei intervenerit, et subscriptionem deturbaverit, fulmen quoque ante eum magno pavore circumstantium ruerit : ac non multo post morte subita condemnatur.

CAPUT XII.

Aurelianus regnat annis sex.

C Cui Probus succedit; cui et totidem annis consummato, Carus cum filiis Numeriano et Carino succedit. Quibus in brevi consummatis, regnat Diocletianus : sed paulo ante imperium ejus Dionysius romanus pontifex obiit.

CAPUT XIII.

Dionysius Papa sedit annis novem. Carus cum filiis regnat duobus annis, nec integris.

Beatus quoque qui tunc meruit rapi de mundo, ne videret mala quæ iste Diocletianus mox intulit Ecclesiis ultra quam credi potest. Tunc apostolatui succedit Felix, quo tempore Manes magus quidam, secundum nomen suum insaniens, Perses genere, a quo et Manichæorum hæresis, novam sectam facit, et dogmata quædam profert, a diversis mutuata hæreticis, et nunc Christum se simulat, nunc Paracletum se nominat, et elegit duodecim ad similitudinem Christi discipulos.

CAPUT XIV.

Felix Papa sedit annis sex.

Igitur, Felice Papa consummato, Eutychianus succedit : quo in brevi consummato, Gaius episcopus eligitur. Hic jam tempore Eusebii quindecim annis sacerdotio perfunctus, Marcellum relinquit successorem, quem jam tempus persecutionis invenit.

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

Eutychianus sedit annis quinque.

Interea nonus decimus annus erat imperii Diocletiani, et incipit fieri persecutio in Christianos ab eo permaxima, justo siquidem Dei judicio et necessaria correctione, cum jam multa libertate, multa indulgentia vitiati sunt mores nostrorum, et disciplina Ecclesiarum corrupta (*Euseb. lib.* VIII, *c.* 1, 2, 3, 4, *cum seq.*(, dum fides nostra per diversa dogmata scinditur, et ob id vilescit; dum prælati et rectores et duces populi, humilitatis Christianæ et sinceritatis obliti, adversum se odiis et contentionibus inflammantur. Tunc ergo nefanda edicta principis proponuntur, ut cunctæ Ecclesiæ usque ad solum destruantur, sacræ Scripturæ comburantur igne: et, si quis nostrorum stat in honore, privatus eo maneat infamis. Denique qui præsunt jubentur simulacris immolare, alioquin conjici in vincula, ac torqueri. Igitur in Nicomedia, et Thebaide, et Phœnice, et Alexandria, denique per totam Ægyptum, et Phrygiam, et Syriam, et Cappadociam, et cætera undique loca turbo persecutionis tam immensus et intolerabilis fuit, ut ex ipsa nimietate et atrocitate gestis martyrum deroget fidem. (*Niceph. lib.* VII *.c.* 17. *Hist Eccl.*) Alii flagris discerpuntur, alii fodiuntur ungulis, alii flammis ignitis uruntur, alii gladio obtruncautur, alii patibulis affiguntur, alii præcipitantur in mare, alii post tergum vinctis manibus appenduntur, et trochleis distenti membratim divelluntur, alii testis fictilium vasculorum lacerantur, donec tota eorum eradatur cutis, alii dantur ad bestias, leones, ursos, pardos, tauros, apros, et ad omnes ferarum genus. Ipsi sacerdotes ecclesiarum nudantur inverecunde, huc atque illuc ab impiis trahuntur. Pro nefas! quæ homicidis, adulteris, venenariis, ac sepulcrorum violatoribus fuerant fabricata, nunc episcoporum, presbyterorum, diaconorum, cæterorumque religiosorum, colla constringunt; ita ut criminosis nec vincula superessent, nec locus ergastuli. Tanta ergo scelerati principis satellitibus inerat libido torquendi ut vacarent per otium ad excogitandos novos cruciatus. Quibusdam sub unguibus acutas infigunt arundines: quibusdam plumbum igne liquefactum dorso diffundunt, usque ad loca pudenda quibus egestio naturalis procreari solet; feminisque candentis ferri et exusti plumbi massæ, absque ullo humanitatis respectu, per pudenda visceribus merguntur. Et si tortores alicubi duas vicinas arbores sibi inveniebant, ramos ad se inflectebant, eisque singulis singulos martyrum pedes ligabant; qui rami cum ad situm suum naturali impetu referrentur, discerptis divulsisque visceribus, avulsa secum membra rapie-

A bant. Tunc apud Antiochiam, inter cæteros agones, quoddam nobile factum est quod silere non debeo. Duo juvenes comprehensi immolare coguntur. Aiunt: Ducite nos ad aras. Qui cum abducti fuissent, manus suas supponentes igni: Si subtraxerimus, inquiunt, sacrificasse nos credite. Et quoadusque caro omnis in ignem deflueret, immobiliter perdurant. Itaque, cum jam crudelitate satiatus imperator aliquantulum resipisceret proponit edictum ut jam Christiani morti non tradantur, sed, dextris oculis ferro effossis, et sinistræ pollice sauciato, sic permaneant. Sed cum statum Ecclesiæ crudeli animadversione vastari, illum æternum ac pervigilem non lateret oculum, castigata in paucis familia sua, adest continuo ultrix Dei dextera in imperatores Diocletianum et Maximinum, quorum alter in Occidente, alter in Oriente B vastaverat Ecclesiam, ita ut, nutu divino subito permutati, deposita purpura cæterisque imperialibus ornamentis, plebeii fiant ac privati post imperium. Tunc ergo jam per vim et contentionem Romano imperio in duas procurationes diviso, Maximinus in Orientis partibus regnat, vi rapiens nomen Augusti, Constantius in Occidente. Hic Constantius erga nostros clementer agit. Sed et Maxentius, Maximini Herculei filius, collegæ Diocletiani, in urbe Roma dominium occupat, et exercet tyrannidem. Hic magicam secutus artem, totam Romam scelerum flagitiis et fæce impuritatis replet, gloriam nobilium obscurat, senatores proscribit, matronis nobilibus abutitur.

CAPUT III.

C *Regnum Constantii et Maximini.*

In Orienti vero atque Ægypti partibus similis est ei per omnia Maximinus, exutus principem, rabidum induit tyrannum, simulacra colit, auguria sectatur, impurus conviva et ebriosus, omnique genere dissolutionum fluctuans, hostis maxime Christianorum, et persecutor; quibus ignes, laminas, cruces, et singulis membris specialia infert supplicia. Igitur decem annis hujus persecutionis devolutis, adest iterum divina providentia nostris, et quos per ignem probaverat, educit ad refrigerium. Nam divina correptus ultione idem Maximinus, subito inflatus, visceribus, distenditur, putrefactisque postmodum vulneribus, vermes ebullit, fetoremque intolerabilem exhalat.

D CAPUT II.

(Haymo.) Redivivum quodam modo per similem morbum habemus nunc Herodem. Ille, quia Christum persequitur, pube tenus inflatus scatet vermibus: et iste probroso eodem laborat exitu, quia persequitur Christianos. Actum siquidem pulchro divinæ

considerationis intuitu, ut daretur intelligi quanta sit capitis et membrorum connexio, quanta et quam indivisa sit Christi charitas, zelus ad Ecclesiam, dum eamdem infert vindictam persecutoribus suorum, quam sui ipsius persecutori. (*Euseb. lib.* IX, *c.* 9, *Hist. Eccl.*) Itaque, cum jam desperaretur a medicis, sera ductus pœnitentia, Maximinus legem scribit ut cesset persecutio Christianorum, et reædificentur ecclesiæ. Tunc, velut sole terris reddito, relaxantur omnes vincti : et qui damnati erant per metalla, revehuntur, instaurantur ecclesiæ, sacerdotia reparantur, stupentibus gentilibus turmis de tanta et tam subita rerum mutatione. Sed hanc pacem redditam nostris Severus Maximinus, præfati Maximini collega, in Orientis partibus atque Ægypto tyrannidem exercens, statim post sex menses perturbat. Rursum adversus nostros persecutio instauratur, concitantur simulacrorum pontifices in odia et necem Christianorum. Quod ut aliqua justa ratione videatur fieri, confinguntur acta quædam velut apud Pilatum de Salvatore nostro habita, in quibus adversus Christum omnis blasphemia conscribitur. (*Idem, c.* 6, 7, 8, *ejusd. lib.*) Tunc rursum apud Tyrum et Phœnicen multi martyres agonizant, et per multa alia loca. Addit quoque præfatus Severus Maximinus impietati suæ, quod adversum nostras leges æreis tabulis scribit, tanquam in æternum mansuras, in quibus impie et superbe commemorat quod ex Christianorum persecutione esset temperies et terræ fecunditas abundantior. (*Niceph. lib.* VII, *c.* 21, 22, 23, *cum seq.*) Sed his superbis legibus statim contradicitur a Deo, et res vertuntur in contrarium, et pro ipsa nostrorum persecutione mox restricto imbribus cœlo, et facta intolerabili ariditate, fames ibi dira grassatur ; aeris quoque temperies in tantam vertitur corruptionem, ut humana corpora pessimis ulceribus intumescant ; quæ ignis sacer appellantur. Igitur duæ validissimæ pestes et lues populum devastant, cum tamen, quod mirabiles, nec fames in aliquo, nec lues nostris dominaretur. Unde postmodum ab omnibus Christiana religio vera et perfecta esse inclamatur, petiturque a nostris subsidium alimoniæ et orationis. Addit quoque Deus Maximino hanc justa retributione confusionem : rebellant Armenii prius amici Romanorum, propter nefaria ejus edicta ; quorum in bello et ipse turpiter fugatur, et exercitus interiit ense (*Idem, c.* 31, 39, *ejusd. lib.*) Tunc sacerdotes deorum suorum, et divinos, quorum responsis bella moverat, interfici jubet tanquam fallaces. Qui et demum vehementi ægritudine, et doloribus internorum viscerum correptus, amissis quoque morbo luminibus, et tunc magis quid adversus Christum commiserit videns, vivendi finem facit, lata prius lege pro liberatione Christianorum.

CAPUT IV.

De Constantino imperatore.

Per idem tempus exoritur Constantinus religiosissimus imperator, Constantii æque moderatissimi principis, de quo paulo ante memoravimus, filius et hæres, Romanum obtinet imperium. Hic in observantia religionis omnes ante se imperatores exsuperat. Hic, ultimis persecutionum temporibus fere, cum vellet Deus repropitiari sanctis suis, et Ecclesiam suam tranquilla pacis soliditate stabilire, Christianus effectus, licentiam dat Christianis concilia libere congregare, et ædificare ecclesias, quas et ipse plurimas constituerat, et plurima largitur, divino commonitus Spiritu, et hoc cœlesti miraculo. Cum esset pugnaturus contra Maxentium urbis Romæ tyrannum, et inde divinum auxilium deprecaretur, vidit nocte per soporem signum igneum in cœlo, et astare angelum dicentem : Constantine, *in hoc signo vinces.* Itaque cum hoc signo in militaria vexilla transformato procedit ad bellum, idemque signum ex auro fabrefactum dextera manu sua gestans, et deprecans Deum, ut si fieri posset, illam dexteram suam non sineret Romano sanguine maculari ; præstatque ei Deus, Maxentiumque tyrannum, congredi parantem, cum universis navibus quibus fluvium straverat, demergit in profundum. Tunc senatus populusque Romanus, tyrannica peste liberati, Constantinum ut suæ libertatis restitutorem excipiunt, faciuntque ei imaginem ob honorem triumphi. In cujus dextra idem imperator signum crucis depingi jubet, et subter ascribi hujus virtute Urbem restitutam esse libertati. Tunc legem scribit, conspirante etiam secum in hoc Licinio, sororis suæ Constantiæ viro, et consorte regni, ut ab universis colatur Deus Christianorum, qui sibi victoriam dedit et Urbi libertatem ; quam legem et usque ad Orientis partes emittit, ubi adhuc ferbuerat persecutio. Tunc apertius indulgentia legitimi principis manifeste status Ecclesiarum reperari incipit, verbum et doctrina Christi libere propagatur, celebrantur festivitates, conveniunt episcopi, ecclesiæ dedicantur, persecutores quoque, per quos Maximinus impietatis fomenta conceperat, jubente principe, suppliciis excruciantur ; ipsius vero tyranni imagines sculptæ vel pictæ præcipitari jubentur, vel atro fuscari, aut coloribus oblitterari. Dum ergo sic proficit Ecclesia apud Deum et homines, et quasi quædam imago cœlestium habetur in terris, præfatus Licinius, Augusto invidens Constantino, quod ob maximam religionem in veneratione esset omnibus, et maxime Christianis, occultas insidias molitur. Sed, carens effectu, mox apertum bellum indicit, Christianos versa vice persequitur, et, nova et inaudita crudelitate, missis in carcerem cibum et potum interdicit : nolentesque sacrificare novis ac monstruosis excrucians suppliciis, tradit lanionibus, ut porcorum more suspensos, et caudicibus superpositos, cædant in frustra, et in mare ad pabulum piscibus projiciant. Missos vero in exsilium legitimis uxoribus spoliat, ac suis (a) satellitibus jungit. Jam vero ecclesias fidelium, quas prius exstrui

(a) *Subaudi* eas.

præceperat, subvertit. Denique, tanta ejus tyrannide motus, Constantinus ire obviam parat, nec difficultas fit victoriæ, ubi et causa justior, et virtus eminentior exstat. Dejectoque tyranno Licinio, soliditatem Romani imperii solus obtinet cum Filiis, Ecclesiarum statu incredibili diligentia restituto : quas deinceps sumptibus, privilegiis, honoribus ampliare et sublimare procurant. Hucusque Eusebius Cæsariensis. Reliqua Rufinus persequitur.

LIBER NONUS.

CAPUT PRIMUM.

Sed his temporibus, commoda pace et quiete Ecclesiis reddita, alius persecutionis turbo invehitur. Etenim Arius quidam, Alexandriæ presbyter, prava quædam dogmatizat, et ab illa æterna et ineffabili Dei Patris substantia vel natura Filium conatur abscindere, dicens : Non semper Deus Pater fuit, non semper fuit Dei Verbum : sed fuit, quando Deus Pater non fuit, Dei autem Verbum ex non existentibus factum est. (*Socrat. lib.* I, *cap.* 14. *Trip. Hist.*) Existens enim existentem ex non existente fecit, quapropter fuit aliquando, quando non fuit. Creatura tantum et factura est Filius, neque similis est Patri secundum substantiam ; neque verus est, neque vera sapientia ejus est, neque verum naturaliter ejus Verbum est, sed unus quidem creaturarum et facturarum est; abusive autem dicitur Verbum et sapientia, factus et ipse existens in proprio Dei verbo, et in Dei sapientia, in qua omnia et ipsum fecit Deus. Unde convertibilis est, et mutabilis per naturam, sicut et universa rationalia. Peregrimum enim, et extraneum, et remotum est verbum a paterna substantia, et invisibilis Filio Pater. Non enim perfecte et integre novit Filius Patrem : neque enim perfecte videre potest ; nam nec suam substantiam novit Filius sicut est. Propter nos enim factus est, ut nos per eum, tanquam per mysterium, crearet Deus, et nequaquam substitisset, nisi nos Deus facere voluisset. Non ergo naturaliter est Dei Filius, nec aliquam habet ad Deum proprietatem, quando non ipsum naturæ mutabilis existentem propter moderationem diligens est, et virtutem non mutatam ad deterius elegit ; cum, etsi Paulus et Petrus ad hoc pervenissent, nihil possent ab eorum filiatione differre. Hic ergo Arii blasphemus error Ecclesiam conturbat, quæstio latius innotescit; quem Alexander Alexandrinus episcopus persequens, Arium zelo fidei innotescere facit. Sermo pervenit usque ad principem Constantinum. Tunc illi ex sententia sacerdotum apud urbem Nicæam convocat episcopale concilium : ibique trecentis decem et octo episcopis residentibus, cæterisque honorabilibus personis, philosophis, ac dialecticis, et opinatissimis quibuscunque scholasticis, Arium adesse jubet, ac de ejus propositionibus et quæstionibus judicari.

CAPUT II.

Ex utraque historia permutatum.

Tunc de fide ibidem subtiliter disseritur ; errorque Arii condemnatur manifestis Scripturarum dictionibus : quia et Deo Filius naturaliter unigenitus est, Verbum, virtus, sapientia solius Patris, et Deus verus, sicut Joannes ait, splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris. Verum, post diuturnum multumque tractatum, placet omnibus ὁμοούσιον scribi debere, id est ejusdem cum Patre substantiæ Filium confiteri. Defertur ad Constantinum sacerdotalis concilii sententia ; quam ille, ut a Deo prolatam, veneratur, et contradicentibus comminatur exsilium. Exemplum autem sententiæ, vel Nicænæ fidei est hujusmodi :

CAPUT III.

(*Rufin. lib.* x, *cap.* 6, *Hist. Eccles.: Socrat. lib.* II, *cap.* 9. *Hist. Trip.*). Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium, et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, ὁμοούσιον, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt quæ in cœlo et quæ in terris, qui propter nos homines, et propter nostram salutem de cœlis descendit, et incarnatus est, hoc est factus. Passus est, et resurrexit tertia die, et ascendit in cœlos, inde venturus judicare vivos et mortuos. Dicentes autem : Erat aliquando, non erat antequam nasceretur, vel non erat antequam fieret, aut : Quia ex non exstantibus factus est, aut ex alia substantia, vel ex subsistentia : dicentes etiam aut convertibilem aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat catholica Ecclesia apostolica. (*Theod. lib.* II, *cap.* I; *lib.* v, *cap.* 45. *Hist. Trip.*) Hanc venerabiliter fidem trecenti decem et octo episcopi amplexi sunt, inter quos major adhuc erat numerus confessorum Christi, et martyrum. Nam et Jacobus quidam Antiochiæ Mygdoniæ, qui mortuos resuscitavit, vivos curavit, et alia multa operatus est miracula, Paulus quoque Neocæsariæ, castri positi juxta Euphratem, qui ambas manus habuerat ligatas, ignitoque ferro combustas rabie Licinii, Paphnucius quoque Ægyptius, ex eorum numero quos Maximianus, dextris oculis effossis et sinistro pollice succiso, per metalla damnaverat, aderant ibi. Sed et Spiridion, Cyrius episcopus, ex eorum numero dicitur fuisse, vir unus ex ordine prophetarum, qui pastor ovium in episcopatu permansit ; cujus hoc fertur factum insigne, et omnibus sæculis admirandum : Filiam habuit, quæ cum ei bene administrasset, virgo defuncta est ; post

obitum ejus venit quidam dicens, se ei depositum commendàsse ; rem gestam ignoraverat pater : perquisitnm in tota domo quod poscebatur, nusquam inventum est. Persistebat ille qui commendaverat, et fletu et lacrymis perurgebat, comminans etiam sibi mortem, nisi depositum reciperet. Permotus lacrymis ejus senex, ad sepulcrum filiæ properat, atque illam nomine clamitat suo. Tunc illa de sepulcro : Quid vis ? ait, pater, Commendatum, inquit, illius ubi posuisti ? At illa, locum designans : illic invenies defossum. Regressus domum suam, depositum, ubi filia de sepulcro responderat, repertum, tradit reposcenti. Sed et multa ejus referuntur alia gesta. Hi, et hujusmodi reverendissimi viri sederunt apud Nicæam. (HAYMO.) Unde Indubitanter credimus, prædictam ibidem synodum a Spiritu sancto quadam divinitus consideratione congregatam fuisse, ut scilicet nobis posterioribus, ac diurnis, vel modernis, daretur intelligi firmum esse ac catholicum quidquid ibi de mysterio fidei promulgatum est. Quod quidèm tam divini, tamque spirituales viri locuti sunt, qui non erant similès nobis indignis et peccatoribus, qui propter injustitiam nostram in Scripturis sanctis fallere possumus, et falli. Neque enim potuit Spiritus sanctus fallaciam proferre, per quos tanta et talia operabatur miracula. Igitur, Domino cooperante, et sermonem confirmante eorum sequentibus signis, quidam episcopi, etiàm in ipsa synodo, et circa synodùm, virtutes aliquas, et signa fecerunt. (*Rufin. lib.* x, *cap.* 3, *Hist. Eccles.*) Nam cum ibi philosophus quidàm, in arte dialectica insignis, objectis quæstionibus fidei nostræ occurreret, nec ab aliquo posset concludi, quidam ex confessoribus, simplicissimæ naturæ vir, et nihil aliud sciens nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum, paucis philosopho insultanti congreditur, expositaque simplicitate fidei quadam, eum ineffabili pietate mox permutat, et efficit Christianum. Et tunc ostensum est philosopho quia regnum Dei non in sermone, sed in virtute consistit.

CAPUT IV.

Ex Tripartita historia, actum Constantinopoli.

(*Sozom. lib.* I, *cap.* 4, *Trip. Histor.*) Sed et Alexander Constantinopolitanus, vir admirandæ conversationis, cum quidam philosophi causarentur adversus imperatorem, quod novam in republica introduceret culturam, et ipsi Alexandro opponere vellent de dogmate, in nomine Christi operatur virtutem, imperatque maximo eorum philosopho, tanta spiritus virtute, ne loquatur, ut una cum ejus sermone os illis penitus obstructum sit. Sed jam ad historiam revertamur. Dictata Nicæna fide; et tam ab ipso imperatore, quam ab episcopis communicata, Eusebius, Nicomediæ præsul, cum reliquis quatuor episcopis, magis faventes Ario, nolunt subscribere verbum consubstantialitatis, reprehendentes, dicentesque consubstantiale esse, quod ex aliquo est, aut ex partitione, aut decisione, aut plantatione : ex plantatione quidem, sicut ex radice germen : ex decisione vero, ut ex patre filius : ex partitione autem, sicut ex massa aurea annuli aurei duo vel tres ; sed secundum nullum horum, inquiunt, est Filius Dei consubstantialis Patri, propterea ergo in fide consubstantialitatis consentiendum non est. Hos igitur damnat universalis synodus cum imperatore, et relegat exsilio cum Ario, et sectatoribus ejus. (*Rufin. c.* 7, 8, *ejusd. lib.*) Per idem tempus crux Domini ab Helena Constantini matre, religiosa femina, reperitur, ubi quondam antiqui persecutores in loco sepulcri simulacrum Veneris collocaverant ; ut si quis ibi Christum vellet adorare, Venerem potius adorare videretur. Invenitur et illo titulus a Pilato conscriptus, sed et aliæ duæ cruces. Tribus igitur crucibus repertis, Macarius ejusdem loci episcopus, defixis in terra genibus, cum regina Deum suppliciter deprecatur, ut, quæ illarum crux ad Dominicam gloriam fuerit innotescat. Tunc, adhibitis duabus semineci cujusdam matronæ corpori, nihil operatur, adhibet tertiam, et mox exsurgens mulier, magnificat Deum. Percepto itaque evidenti indicio, regina templum mirificum in eo loco ubi crucem repererat, statuit. Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium. Ex quibus ille frenos et galeam aptat ad usum belli, adimplens Zachariæ prophetiam, dicentis : Et erit quod in freno est sanctum Domino omnipotenti. Ligni vero salutaris partem defert filio, partem sibi reponit.

CAPUT V.

(*Sozom. lib.* II, *cap.* 18, *Trip. Histor.*) De hoc ligno Sibylla dixit apud paganos : O ter beatum lignum, in quo Deus affixus est ! Præterea prædicti imperatoris mater octogesimo ætatis suæ anno decedit, multa filio pietatis mandata derelinquens. Quæ mox ille postponens, seductus a sorore Constantia, et multis precibus ab ea interpellatus, Arium de exsilio revocari jubet, et mitti ad episcopos, qui tunc forte Hierosolymis ad dedicationem ecclesiæ convenerant, fidemque ejus probari. Tunc ille fidem scripsit, quæ quidem sensum nostrum, et verba nostra, professionemque nostram continere videretur.

CAPUT VI.

(*Soc. lib.* III, *c.* 10, *Trip. Hist.*) Imperator autem, adhuc de Ario experiri volens, eum revocat ad palatium ; qui, percunctatus de fide Nicæna, ficte subscribit, et præstat juramentum, quodam modo jusjurandum arte deludens. Ferturque scriptam sectam suam habuisse in charta quam sub ala ferebat. Unde vere jurare se credidit, dicens se sic sapere sicut scripsisset. Credens ergo imperator, suscipi eum ab Alexandro, Constantinopolitano episcopo, in communionem jubet. Quo renuente adhuc propter infamiam, et suspicionem hæresis devitante, jubet Constantinopolim synodum congregari. Ante vero unum concilii diem constitutum, prosternens se Alexander sub altare, tota nocte clamat ad Dominum, dicens : Judica, Domine, inter Eusebii minas

et Arii juramentum. Quo valde supplicante, præsumptionem Arii et juramentum mendax mox vindicta Dei persequitur. Etenim, cum in crastinum matutinum ad ecclesiam properaret, episcoporum et populorum frequentia constipatus, humanæ necessitatis causa ad secessum declinat ; ibique cum sederet, intestina ejus atque omnia viscera in secessum cuniculorum defluxere. Tunc Eusebius Nicomediæ cum cæteris Arianis confunditur, nec propter causam Arianum dogma confunditur, sed ad tempus occultatur.

CAPUT VII.

(*a*) Interea Constantinus imperator, cum in Nicomedia degeret, languore gravatus, in extremis baptizatus ; distulerat enim usque ad illud tempus, in Jordane hoc promereri desiderans. Qui, condito testamento, et tribus filiis hæredibus constitutis, primo, scilicet Constantino, in Hesperia ; secundo vero, scilicet Constantio, in Oriente ; juniore, scilicet Constante, Cæsare ordinato ; et in partibus Occidentis post quinquagesimum quintum ætatis suæ annum, vivendi finem facit, revocato prius Magno Athanasio in Alexandriam, propter persecutionem Arianorum exsulante. Igitur Christianissimo imperatore defuncto, Arianum iterum dogma repullulat. Constantius imperator, seductus ab hæreticis, in eumdem errorem devolvitur, et Magnum Athanasium veritatem edocentem condemnat. In cujus persecutione postmodum graviter conspirantibus hæreticis, et multa crimina intendentibus, universus orbis conjuravit, et commoti sunt principes terræ, gentes, regna, exercitus, coierunt adversus eum. In cujus damnatione cum apud Mediolanum congregati subscribere cogerentur episcopi, quibusdam eorum deceptis, Pictaviensis minime consentit Hilarius. Unde et cum quibusdam aliis episcopis traditur exsilio. Inde apud Ariminum synodus ab hæreticis congregatur. Ibi ὁμοούσιον, quasi ignotum sermonem, et a Scripturis alienum, a fidei expositione decernunt, firmantes sibi sermonem nequam, et dicentes soli Christo oportere credi, et non ὁμοούσιον confirmare.

CAPUT VIII.

(*Rufin. lib.* x, *cap.* 22, *Hist. Eccles.*) Interea liberius Papa traditur in exsilium, et Felix, diaconus ejus, in locum ejus subrogatur ab hæreticis. Hierosolymis Cyrillus Maximo in episcopatu succedit, aliquando in fide varians, aliquando in communione.

(*Socr. lib.* VI, *cap.* 1, 2, *Hist. Trip.*) Per idem tempus Constantinus imperator vivendi finem facit, Julianus vero succedit in regnum, bono usus princi- **A** pio et malo fine. Nam primo clericus et philosophus insignis, postmodum ad idola convertitur. Et primo quidem pacificus relaxat episcopos de exsiliis, et benigne agit adversus nostros; deinde persequitur, et infert supplicia. Hic, in odium Christi, Judæis permittit reparare templum Hierosolymis ; qui ex omnibus provinciis collecti, nova templi fundamenta jaciunt, quæ subito terræ motu corruunt divinitus, saxis ingentibus longe lateque dispersis. Et ne hoc casu crederetur factum, sequenti nocte in vestimentis cunctorum crucis apparuit signum. Quo attoniti miraculo, plurimi Christo crediderunt. Hic etiam Julianus ad cumulum nequitiæ summæ contra Deum, insigne Christi simulacrum, quod apud Cæsaream mulier a sanguinis liberata profluvio collocaverat, **B** satis impudenter deponit, suamque eodem loco collocat imaginem, quæ igne de cœlo cadente postmodum fulminata est ; caput cum cervice una in terram est dejectum, reliqua pars hactenus ad judicium fulminis reservatur. Tunc vero Pagani imaginem Christi confregerunt, quam postmodum Christiani recolligentes recondiderunt in ecclesiam.

CAPUT IX.

Ex concilio apud Alexandriam.

(*Sozom. c.* 19, *Socr. c.* 20, *Trip. Hist.*) Interea, congregatis apud Alexandriam paucis numero confessoribus, licet fidei merito multis, ad sedandas hæreticorum procellas tractatur, quibusdam eorum, ad rigorem Ecclesiæ, dicentibus non debere eos recipi in sacerdotium qui se utcunque contagione hæ- **C** retica maculaverunt, aliis vero, ad compassionem, promulgantibus non debere negari aditum abjurato errore perfidiæ redeuntibus. Additur quoque in illo concilii decreto plenior de Spiritu sancto disputatio, ut ejusdem substantiæ ac deitatis cujus Pater et Filius crederetur ; nec quidquam prorsus in Trinitate aut creatum aut inferius posteriusque diceretur; sed de differentia substantiarum et subsistentiarum sermo eis per Scripturas motus est, quas Græci οὐσίας et ὑποστάσεις vocant. Quidam dicebant substantiam, et subsistentiam unum videri, quia tres substantias non dicimus in Deo, nec tres subsistentias dicere debeamus. Alii vero, quibus longe aliud substantia quam subsistentia videbatur, dicebant quia substantia ipsa rei alicujus naturam rationemque qua constat, designet : subsistentia autem uniuscujusque personæ **D** hoc ipsum quod exstat et subsistit, ostendat.

CAPUT X.

Hæresis Sabellii breviter adnotata.

Ideoque propter Sabellii hæresim, confundentis

(*a*) *Interea Constantinus imperator.* Eusebius, Socrates, Sozomenes, qui hæresis nomine suspecti sunt, ut sacrosancti concilii Nicæni auctoritatem convellerent, ea de baptismo Constantini commemorarunt, quæ illorum certe hæresim arguunt. Nam qui in extremo vitæ spatio in Jordane fluvio baptizatus est ab Ariano, Constantinus filius est, non Constantinus pater, quem Romæ baptizatum a Sylvestro esse, Damasi, Adriani, Gelasii et aliorum veterum pontificum Romanorum litteræ declarant, Græcorumque scriptorum omnium, qui bene sentiunt, scripta plane testantur, et monumenta illius rei nomine relicta omnino indicant. Quæ res, etsi perspicua est, alias tamen dabimus operam ut ordine rem ipsam demonstremus, ut qui obstinato animo sunt, etsi cedere veritati noluerint, perspicue tamen falli cognoscantur.

personas, et dicentis quia idem Deus,quando vult, Pater est, quando vult,Filius est,quando vult, Spiritus sanctus, tres subsistentias esse confitendas, quod quasi tres subsistentes personas signare videretur,ne suspicionem daremus,tanquam illius fidei sectatores, qui Trinitatem in nominibus tantum,et non rebus ac subsistentiis confitentur.Sed de incarnatione Domini comprehensum est quia corpus quod susceperat Dominus,non sine sensu neque sine anima suscepisset. Quibus caute moderateque compositis, soluto concilio, Eusebius vir illustris, potens in verbo doctrinæ, Orientem circuit atque Italiam; et illius circumferens decreta,singulas quasque Ecclesias ad sanitatem rectæ fidei revocat.Idem moliente Pictaviensi episcopo Hilario,viro naturaliter erudito, et commodissimo ad persuadendum, cujus multa exstant opuscula, et libri de fide nobiliter editi contra versutias hæreticorum.Interea Julianus imperator contra Persas pugnaturus litat Apollini, posceus responsa, nec suscipit. Percunctati dæmones de causa silentii, aiunt sepulcrum Babylæ martyris prope positum impedire. Tunc ille venire Galilæos, hoc enim nomine nostros solitus erat appellare, et auferre sepulcrum martyris jubet. Conveniuntque nostri psallentes cum exultatione illud Psalmistæ in auribus profani principis :Confundantur omnes qui adorant sculptilia,et qui confidunt in simulacris suis.Unde ille ad iracundiam provocatus Christianos incarcerat et infert martyria,comminatus majora tormenta post belli victoriam. Hoc eo cogitante,res vertitur in contrarium Nam profectus quidem est, sed reditus nullus fuit; ibique incerto suorum aut hostium jaculo confoditur. Fertur autem quia,dum fuisset vulneratus, mox sanguine suo compleverit manum,et in aerem projecerit,dicens : Galilæe, vicisti; et in eo ipso confessus est cum blasphemia victoriam.

LIBER DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

(*Theod. l.* I. *c. 1*, 3, *Trip. Histor.*) Post Julianum Jovinianus ab exercitu trahitur ad imperii insignia; qui excusat se sacrilegis non posse imperare, quia Christianus esset, nec acquiescit, donec acclamat exercitus :Et nos Christiani sumus.Hic persequitur hæreticos,et honorat Ecclesiam,Athanasium requirit,et ab ipso suscipit formam fidei,et Ecclesiarum disponendarum modum.Sed hæc tam læta principia orta mors immatura mox corripit.Post hunc Valentinianus cum fratre Valente suscipit imperium, expulsus quondam militia a Juliano pro fide nostra; et sibi quidem tunc Occidentales delegit partes, fratri autem Orientales reliquit.Valentinianus ergo in fide et religione Romanam rempublicam administrat; sed Valens,favendo hæreticis,abiit in viam patrum suorum. Orthodoxos quosque persequitur, tormentis excruciat, damnat exsilio; sed hoc post Athanasii obitum ;nam, illo superstite, velut divina quadam virtute prohibetur.

CAPUT II.

Athanasius, Alexandrinus episcopus, quadragesimo et sexto sacerdotii sui anno moritur.

(*Rufin. lib.* x. *cap.* 3, *Hist. Eccl.*) Igitur, functo in pace Athanasio post multos agones, et Petro in locum ejus substituto, quem et ipse sciscitatus de successore elegerat,favore principis concitati adversum nostros Ariani insurgunt vehementius. Tunc Lucius,Arianæ pestis episcopus,fugato Petro,supra persecutiones gentilium vastat Ecclesiam,vastat et eremum,et bellum quiescentibus indicit.Itaque tria millia et eo amplius viros, per totam eremum solitaria habitatione dispersos,armata manu oppugnare aggreditur, Patresque monachorum Ægypti, Macarium,Isidorum,aliumque Macarium,Heraclidem, et Paulum,discipulos Antonii,tradidit exsilio,qui vitæ merito insignes et virtutibus admirabiles habebantur. Pro brevitate proposita cætera omittens, unum Macarii insigne refero miraculum Cæcus quidam ad cellam Macarii, cum non reperisset eum domi, mœstus primo, sed mox fidei ardore calescens : Applicate me,inquit, ad illam partem parietis,ubi cubare solet senior, et admotus, parumque luti aridi quo paries oblitus erat, palmæ suæ superponens, et de aqua putei ex quo ipse bibat, resolvens oculos suos, perunxit, et mox visum recepit.(*Rufin. lib.* x, *cap.* 4, *Hist. Eccles.*) Sed et idem Macarius catulos leænæ cæcos,a matre sibi objectos,cum pro eisdem bestia supplicare videretur,liberat a cæcitate,donaturque a bestia plurimis pellibus laniatis pro munere,ore suo enectis, et ante cellam ejus depositis. Sed his tantis virtute mirabilibus non defert Lucius Arianus; quinimo jubet ipsos prædictos patres clam raptos, in ignitam Ægypti insulam deportari, ubi et multa operantur miracula,et convertunt incredulos. Quod expavescens Lucius, veritus populum propter justos tumultuantem,revocat eos,et ad eremum remittit. Verum dum hoc Lucius agit in Ægypto,Valens Arianorum imperator per alia loca non minus adversus nostros insanivit, maxime apud Edissam, Mesopotamiæ urbem, Thomæ Apostoli reliquiis decoratam : ubi de Ecclesia catholicis electis, nec in campo permittit habere conventum.Tunc velut aurum in fornace probatum, in persecutione fulget Ecclesia: unde non in verbis tantum, sed in carceribus et exsiliis vinculisque fides approbatur.Interea cum apud Alexandriam nebulosus quidam doctor Lucius obtenebraret populos,velut lampadem quam-

dam divinæ lucis; Dydimum Dominus accendit. A (*Idem, cap.* 1, *ejusd. lib.*) Hic a pueritia luminibus orbatus, nec ideo minus litteris se applicans, mirum dictu, in tantam Scripturarum eruditionem divino pervenit miraculo, ut scholæ ecclesiasticæ illius temporis maximus doctor existeret. Hunc beatus Antonius, cum fidei Athanasii testimonium laturus adversum Arianos de Thebaide descendisset, magnificis consolatus est verbis: Nihil te, inquit, offendat, Didyme, quod carnalibus oculis videris orbatus. Desunt tibi oculi quos mures, muscæ, et lacertæ habent; sed lætare, quia habes oculos quos angeli habent, quibus Deus videtur, per quos tibi magnum scientiæ lumen accenditur.

CAPUT III.

De illustribus viris, Basilio et Gregorio.

(*Idem, c.* 7. *ejusdem lib.*) Ea tempestate Basilius et Gregorius, Cappadociæ, instar duorum cœli luminarium refulgent, ambo nobiles, ambo Athenis sufficientissime eruditi; qui, remotis denique sæcularium Græcorum libris, monasterium expetunt, soli divinæ Scripturæ attendentes. Basilius contemplationi monasticæ inhæret, contemptu sæculi humilior; Gregorius ecclesiasticæ actioni, in prædicatione liberior. Basilius itaque Cæsariæ Cappadociæ fit episcopus. Qui cum a Valente in exsilium cogeretur, et staret ad tribunal, præfecto minitanti fertur eleganter respondisse: Utinam, inquit, dignum haberem aliquod munus, quod ei offerrem, qui Basilium maturius de nodo hujus follis absolveret! Cumque daretur ei spatium deliberandi: Ego, ait, in crastino C tempore ero, qui hodie: tu te utinam non mutes! Et illa quidem nocte cum uxor imperatoris vehementer cruciaretur, et filius ejus unicus divina exstingueretur ultione, rogatur Basilius, et detinetur ad intercessionem, qui paulo ante expellebatur ad pœnam. Itaque, omnibus catholicis expulsis a Valente, solus usque ad vitæ exitum intemerato communionis sacramento in Ecclesia perdurat.

CAPUT IV.

Gregorius Nazianzenus Constantinopolim translatus est.

Gregorius apud Nazianzi oppidum in locum patris episcopi subrogatur, famosissimus in doctrina, et hæreticorum validissimus oppugnator. Unde et Constantinopolim ad docendum Ecclesiam transfertur D (*Rufin. lib.* XI, *cap.* 10. *Hist. Eccles. Idem, c.* 11 *ejusd. lib.*) Per idem tempus functo Liberio Romano pontifice, Damasus succedit in apostolatum, contra quem Ursinus schismaticus præsumit apostolicam sedem, defendentibus alterutris et bella moventibus, adeo ut humano sanguine implerentur orationum loca. Sed adest assertor innocentiæ Deus Damaso, prudenti et innocenti viro. Sed apud Mediolanum defuncto Auxentio, episcopo hæreticorum, Ambrosius, vir primo consularis, subito populi clamore episcopus eligitur, adhuc tamen catechumenus, sed mox ante ordinationem suam baptizatur.

CAPUT V.

Valentiniadus regnat decem annis.

(*Idem, c.* 12.) Interea Valentinianus imperator diem obiit, filiis suis Gratiano et Valentiniano relinquens imperium. Sed et frater ejus, Gothis insurgentibus, fugiens e bello flammis exustus est.

CAPUT VI.

De Gratiano illustri imperatore.

Igitur Gratianus cum fratre admodum parvulo post Valentem quoque Orientis suscipit imperium. Hic pius fuit ac religiosus, armis strenuus, velox in corpore, ingenio bonus, et plus verecundus quam reipublicæ interesat. Unde et ad curam et administrationem rerum Theodosium accivit, virum utilem et armis maturum, Orientis ei procuratione per- B missa. Qui Gratianus postquam multa religiose et fortiter gessit, et a Maximo Britannorum tyranno peremptus est, post se in Occiduis partibus relinquit Valentinianum, cujus interim mater Justina Ariana persequitur Ecclesiam, comminans sacerdotibus exsilia, nisi Arianensia suscipiant decreta. Sed et Ambrosium, turrim adversus hæreticos validissimam, multa oppugnatione fatigat; quem et, persuaso filio, parat exsilio condemnare, sed a populis, incredibiliter amantibus Ambrosium, impeditur. Qui Ambrosius adversus reginam non se manu defensat ac telis, sed jejuniis et obsecrationibus indesinenter insistit, donec vindice Deo, tyranno Maximo perurgente, versa in fugam, cum filio exsilium sortitur.

CAPUR VII.

De Theodosio pio ac religioso imperatore.

Interea Theodosius, beneficiorum Gratiani memor, ad vindictam ejus totis viribus Orientis insurgens, sanguinem justum ulciscitur, regnum recuperat, fidem catholicam restituit, quam Justina violaverat, et inde ad Orientem regressus, sicut ab exordio regni præcipitatis penitus idolis, pulsis hæreticis, congregatis catholicis, in fide et religione et munificentia perseverat. Hic piam constituit legem, ut sententiæ principum super animadversione prolatæ, in diem tricesimum ab exsecutoribus differrentur, quo locus misericordiæ, vel, si res tulisset, pœnitentiæ non periret.

CAPUT VIII.

Variarum rerum insignis historia.

Sub eodem tempore apud Laodiceam Apollinaris episcopus, vir sane in cæteris instructus, hæresim generat, ex contentione asserens solum corpus, non etiam animam, a Domino in dispensatione susceptum, et pro supplemento illius rationabilis partis, ipsum Dei Verbum fuisse perhibebat. Hinc descendunt Apollinaristæ hæretici, proprias habentes sectas et dogmata. Tunc concilium Romæ congregatur a Damaso, et Petro Alexandrino, et damnantur Apollinaristæ, data hac decretali sententia, ut, si quis Filium dei humanitatis vel deitatis diceret minus aliquid habuisse, ab Ecclesia fieret alienus. Sed et Constantinopoli sub trecentis quinquaginta Patribus synodus

celebratur, in qua omnes hæretici condemnantur. A Tunc Martinus, Turonicorum, Galliæ civitatis, episcopus, multis miraculorum signis effulget. Tunc Hieronymus presbyter in Bethlehem, imo toto orbe clarus habetur; de quo non sine magna admiratione suspicio, quare in hac historica narratione a Rufino prætermissus est insigniri, maxime cum cæteros illustres viros, et contemporaneos suos nobilitaverit eloquio, qui vel impares ei fuerunt scientia, vel, si pares aut superiores, certe omnimodo minus utiles Ecclesiis. Fortassis egit hoc Rufinus industria, ne videretur injuriam illi libello facere, quem idem beatus Hieronymus scribit de viris illustribus, ubi et de seipso facit in ultimis mentionem. Dicitur etiam quod inimicitias inter se aliquando habuerunt, et (si fas est dici de tam sanctis et prudentibus viris) obliquis se respexere vultibus, et sermonibus notavere; unde forsitan a beato Hieronymo hunc sermonem historicum obliquavit. Sive autem propter hoc, sive propter illud omiserit, nescio, Deus scit: unum scio, quia prætermittendus non erat. Unde nunc idoneum duxi vicem supplere Rufini, et tantum hunc virum inserere narrationi, ut, quasi quodam cornu aureo mutilata historia, hujus insertione reformetur. Itaque ea quæ sparsim de eo dictata reperi, suffragantibus ejus meritis in unum colligere breviter dispono. Sed jam ad historiam revertamur. Interea Theodosius pius imperator communem se præbens sacerdotibus Dei, exstinctis jam hæreticis, in pace et quiete magna regit Ecclesias. (*Idem*, 33, 34 *ejusd. lib.*) Tunc idola penitus destruuntur, templa gentilium subvertuntur. Tunc apud Alexandriam ingens templum Serapis dejicitur, in quo tam vastum erat ipsius Serapis simulacrum, ut dextera unum parietem, alterum læva perstringeret; quod monstrum ex omni genere metallorum, signorumque compositum ferebatur. Hoc idolum dicebant statutis diebus salutari a sole, quoniam arte erat compositum, ut per fenestram exiguam radius solis directus, os et labia ejus populo inspectante illustraret. Sed et in eodem templo signum solis ex subtilissimo ferro fabricatum, magnete lapide desuper laquearibus infixo, ipsumque trahentibus movebatur deorsum, et tanquam ad salutandum Serapim altius elevabatur. Sed cum ad subvertendum hoc simulacrum nostri insurgerent, paululum territi retardantur, gentilibus pro certo asserentibus, quod si humana manus illud tetigisset, terra dehiscens illico solveretur in chaos, cœlumque rueret in præceps. Tum ecce unus ex militibus, fide concalescens, correptam bipennem maxillæ veteratoris illidit: nec cœlum tamen ruit, nec terra distenditur. Exinde, aliis adjuvantibus ad cædendum, senex veternosus distrahitur, et in conspectu clericorum Alexandriæ exuritur. Hic Serapis finis fuit, quem alii Jovem putant, alii virtutem Nili fluminis, alii regem Ægypti Apim, alii in honorem nostri Joseph formatum asserunt esse simulacrum, ob divisionem frumenti qua subvenit Ægypto. Sed et in templo Saturni cum simulacrum dejicitur, tyranni ejusdem fani sacerdotis fraus comperta est: qui tanquam ex responso numinis, suæ libidini placentes feminas dignas esse Saturno Deo et ejus vocatione, faciensque in templo pernoctare, clausis januis, et traditis clavibus, cum videretur discedere, per subterraneos aditus simulacrum ingrediebatur a tergo exesum, et parieti diligenter annexum, et mox supplicantem et intentam mulierem, quasi voce Saturni advocabat. Sed et aliæ multæ paganorum fraudes tunc deteguntur. Itaque dejecto apud Alexandriam ipso capite idololatriæ, reliqua idola conculcantur, et veri Dei construuntur ecclesiæ. Interea Valentinianus in occiduis partibus, laqueo vitam finivit, dolo, ut dicitur, ducis sui Arbogasti. Post quem Eugenius tyrannus Italiam occupat. Theodosius inflammatur ad ultionem, et, consulto Joanne Anachoreta monacho, qui prophetico spiritu pollebat, Eugenium exsuperat tyrannum, tam armis confisus quam jejuniis et orationibus. Tunc de inimicis ad orientem revertitur, ibique Arcadium filium augustum creat, Honorium quoque factum imperatorem occiduis partibus delegat; ipse vero jam subjugatis hostibus, jam eliminatis idolis, jam sedata Ecclesia, post decem et septem annos Romani imperii migrat ad Dominum, cum piissimis principibus percepturus præmia meritorum. Hic Rufinus ecclesiasticæ historiæ finem facit. Et nos quoque, finitis persecutionibus, hæresibus consopitis, fundata et exstructa Ecclesia, quia post enumerationem tantorum martyrum, confessorum, doctorum, sive Patrum, nihil dignius restat vel illustrius, hic cum eo suscepti operis compendium terminemus.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

DE VARIETATE LIBRORUM

SIVE

DE AMORE CŒLESTIS PATRIÆ

LIBRI TRES

Nunc primum, ex editione Coloniensi anni 1531, *ad prelum revocati.*

PROLOGUS HAYMONIS

Cum sis unicum et sanctissimum veræ humilitatis et compunctionis exemplar, et huic mundo crucifixus, tibique mundus sit crucifixus, petiisti crebro, mi domine reverendissime Pater Guilhelme, ut prata sacrarum Scripturarum omni cum velocitate percurrerem, et ex tibi his flosculos perpetuos ad animæ tuæ salutem proficuos, tam de amore cœlestis patriæ, et quibus ad eam bonorum operum passibus perveniatur, quam etiam de timore et qualitate supplicii perquirerem : quatenus mortificationem carnalium desideriorum fontesque lacrymarum, compunctionemque continuam, largiente bonorum omnium largitore, divinis excitatus admonitusque sententiis habere possis assidue. Scimus enim omnes qui crucifixam vitam tuam non incognitam habemus, quia postquam a mundanis et palatinis vinculis absolutus es, et terrena et peritura reliquisti, et ad paupertatem feliciter advolasti, omnem vitam tuam huic mundo esse mortificatam, et a cunctis exterius interiusque vitiis expurgatam, necnon et ab omnibus sæcularibus curis desideriisque carnalibus divino ab igne pleniter excoctam, et sine aliqua intermissione cum continuis gemitibus et lacrymis te ad patriam cursu velocissimo festinare perpetuam. Igitur, beatissime sancte, jussioni tuæ inobediens non ausus fui existere : nec volui omnino nec debui, licet elinguis omnique ex parte vita et sermone ineruditus, tamen luculentissimæ Sanctitati Tuæ, prout auctor et fons luminis donare dignatus est, parere non distuli, sed in tres libros nonnullas sententias ex sanctorum Patrum opusculis excerptas distinxi. Primus namque continet libellus de Qualitate cœlestis patriæ; secundus vero, quibus sanctis hæc vita beata acquiratur Operibus; tertius, de Qualitate supplicii pœnisque perpetuis.

LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

De qualitate futuræ ac perpetuæ vitæ.

De futura enim vita plus credendum est quam scribitur. Quia nec potest tantum inde proferri sermone, quantum potest mente complecti. (*Prosp.*) Et minus concipit mentis quamlibet profunda complexio, quam se habet rei ipsius magnitudo. Ergo futura vita creditur beate sempiterna, et sempiterne beata, ubi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas; ibi amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui, ac de sua cum illo permansione securus. Ubi ipsa civitas, quæ est angelorum, sanctorum et hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat æterna salus exuberat, veritas regnat. Ubi nec fallit quisquam nec fallitur : unde nullus beatus ejicitur, quoniam nullus miser admittitur. Ad quam qui bonorum operum consummatione pervenerint beatis angelis

similes erunt, et simul cum Deo suo sine fine regnabunt. Quod hic crediderunt, ibi videbunt, sui Creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes, æterna exsultatione gaudebunt. Dilectione divina ac mutua delectatione possessi Deo suo in æternum, et invicem sibi feliciter adhærebunt, et in illa æterna vita omnes sancti Deum videbunt, ubi sine fine gaudebunt. Ibi gaudebunt, ubi præmium reportabunt : ibi recepturi sunt præmium, ubi non solum devictis, sed etiam finitis hostibus triumphabunt : ibi triumphabunt ubi ulterius adversarium non timebunt. Ibi humanorum peccatorum tanta et tam perfecta erit munditia, ut habeant unde mundatori suo Deo gratias agant, non unde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant. (*Greg.*) Quia ibi nec ulla peccata, nec peccatores erunt, et qui ibi fuerint jam peccare non poterunt. Ibi enim gaudent, et sine fine gaudebunt. Ibi hymnidici angelorum chori, ibi et societas supernorum civium, ibi dulcis solemnitas a peregrinationis hujus tristi labore redeuntium. Ibi providi prophetarum chori, ibi judex apostolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, tanto illic lætior, quanto hic durius afflictus. Ibi confessorum constantia præmii sui perceptione consolata. Ibi fideles viri quos a viriditatis suo robore voluptas sæculi emollire non potuit. Ibi sanctæ mulieres quæ cum sæculo sexum vicerunt. (*Prosp.*) Ibi pueri, qui hic annos suos moribus transcenderunt. Ibi senes, quos hic ætas debiles reddidit, et virtus operis non reliquit. Ibi quicunque erunt, etsi differentibus meritis ab invicem distabant, omnes tamen una perfectione beati erunt. Quia singulis præmia sua sufficentia erunt, et capere amplius præmiis suis jam perfecti non poterunt : et in illa tanta beatitudinis regione nec majora merita sibi aliquis arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit : nec superiori inferior invidebit, quia invidia ibi esse non poterit Et ideo si ibi erit distantia mansionum, summa in illis erit unius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cœlestis una felicitas. Denarius quidem ille æqualis est illis omnibus quem paterfamilias eis qui operati sunt in vinea jubet donari omnibus, non ideo discernens qui minus et qui amplius laboraverunt (*Matth.* xx). [*Aug.*] Quo utique denario vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est distantia, nec in æternitate mansura, sed multæ mansiones diversas meritorum in unitate æterna significat dignitates. *Alia* enim *gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum : stella enim a stella differt in gloria ; sic et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* xv). Tanquam stellæ sancti diversas mansiones diversæ claritatis, tanquam in cœlo sortiuntur in regno, sed propter unum denarium nullus separatur a regno : atque ita erit Deus omnia in omnibus : ut quoniam Deus charitas est, per charitatem facit, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. Non erit itaque invidia imparis claritatis, cum regnaverit in omnibus unitas charitatis. (*Greg.*) Quamvis in illa retributione perpetua ea dignitas omnibus non sit, una tamen erit omnibus vita beatitudinis. Unde et per semetipsum Dominus dicit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* xiv), sed tamen qui in eam conducti sunt, quamvis diversis horis venerint, unum tamen denarium perceperunt. Qua itaque ratione conveniant mansiones multæ cum uno denario ? nisi quia diversæ quidem beatorum civium dignitates erunt, sed tamen una requies æternæ retributionis. Nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum. Quia etsi alter minus, atque alius amplius exaltatur, omnes tamen unum gaudium de Conditoris sui visione lætificat : et semel illius beatæ vitæ facti participes, inexplebiliter auctorem beatitudinis suæ conspiciunt. Et merito suæ stabilitatis in æternum felices effecti, de sua permansione securi sunt, qui summum solidumque gaudium, quo inexplebiliter perfruuntur, de divina contemplatione percipiunt, ac Deo suo infatigabiliter et amanter inserviunt. Ita perfecte beati, ut nec cupiant beatiores fieri ultra nec valeant. Erit enim illis in illa beata patria, intellectus sine terrore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo. Ibi nec fletus ullus potest esse, nec gemitus. Habebunt ibi omnes sancti amorem perfectum, timorem nullum, gaudium sempiternum. Ibi erit voluntas recta, cupiditas nulla. Quoniam fruendo cœlestibus donis, ad quæ pervenire cupiebant, nihil eis deerit quod ulterius concupiscant, et illi perpetua regione securitatis ac pacis perfecte beati, nec timoris stimulos passuri sunt, nec doloris. Ibi erit omnium fidelium catholicorum salus plena, corruptibilitas nulla, et immortalitas beata. Ibi erit prudentiæ ac sapientiæ perfectio vera, rerum omnium cognitio tota. Ibi quicunque salvus fuerit, perire ultra, non poterit, sed animus Deo subjectus, cum carne sibi subjecta regnabit in pace sempiterna. Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, (*Greg.*) cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris sui assistere, præsentem vultum Dei cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari ? Nemo namque mortalium dicere aut cogitare potest, quanta in illa perpetua regione sint gaudia justorum, dicente Scriptura : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* ii). Diligamus ergo Deum, fratres charissimi, ejus videlicet mandata custodiendo.

Diligere enim Deum, mandata ejus custodire est. Ipse enim ait : *Si quis diligit me, sermones meos servabit* (*Joan.* xiv). Et Joannes in Epistola sua ait : *Qui dicit : Quia diligit Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* ii). Curemus per omnia

mandata Dei, in quantum ipse dederit custodire, eleemosynas faciendo, orationibus, lacrymis, vigiliis jejuniisque insistendo. Bona quibuscunque possimus operando, ea quæ mala sunt declinando, et quæ sancta et Deo placita sunt, ipso adjuvante totis viribus operando, ut pervenire mereamur ad sanctam societatem angelorum civium, æternam Hierusalem : in qua est electorum omnium societas sancta, solemnitas certa, requies secura, pax vera, vita perpetua. Ad quam illorum omnium qui in ea sunt meritis et precibus adjuti mereamur ascendere, eo donante qui per infinita vivit sæcula. Amen.

CAPUT II.

Quanta electorum sit gloria, videre Deum.

(*Beda.*) Nullus sermo explicare, nullus valet sensus comprehendere, quanta sint gaudia justorum cum accesserint ad Sion montem, et civitatem Dei viventis Hierusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, ipsumque civitatis ejusdem artificem et conditorem Deum, non per speculum et in ænigmate, sicut nunc, sed facie ad faciem conspexerint. De qua visione dicit beatus Petrus loquens de Domino fidelibus : *In quem nunc quoque non videntes creditis : quem cum videritis exaltabitis lætitia inenarrabili et glorificata* (*I Petr.* I). (*Joan. Chrys.*) Explicari non potest illius lætitiæ magnitudo, ubi anima ad propriam generositatem regressa, cum fiducia cœperit jam videre Deum suum, cui congregatio sancta ex angelis atque archangelis, thronis et dominationibus, principatibus ac potestatibus assistet : qualis gloria æternum regem videre placatum nulla vox dicere sufficit, nulla cogitatio comprehendere potest. Effugit enim omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa majestas. O quam ineffabiliter felix nimiumque beatus, qui Deum in illa perpetua regione videre meruerit, ubi sine fine cum angelis et archangelis feliciter gaudebit.

CAPUT III.

Quod antequam sancti ad futuram perveniant beatitudinem, perfecte Deum videre non possint.

(*Prosp.*) In illa beata vita quæ futura est, Deum sicuti est perfecte videbunt sancti, ubi et ipsi erunt vitæ æternæ ac regni cœlestis consecutione perfecti. Cæterum si hic perfecte potuisset substantiam Dei humana fragilitas contemplari, nunquam sanctus evangelista dixisset : *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* VI) ; non dixit : Nemo videbit. Denique ut evidenter ostenderet visionem Dei non negatam sanctis hominibus, sed dilatam, quod in præsenti tempore negavit, in futuro promisit, dicens : *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Nec hic dixit, Quoniam ipsi Deum vident. Igitur Deus, qui in hac vita sine alicujus alimenti assumptione nec potuit videri nec potest, in futura vita videndus est. Ibi est contemplationis divinæ speranda perfectio, ubi erit bonorum omnium plenitudo. Et ideo

A contemplativa vita, in qua Creatorem suum creatura intellectualis ab omni peccato purgata, atque ex omni parte sanata visura est, a contemplando, id est videndo nomen accepit. Quod si ita est illa vita, ubi Deus videri potest, ipsa contemplativa vita credenda est. In præsenti autem vita miseriis erroribusque plenissima, Deum videri sicuti est non posse, dubium non est. Nec moveat quod hic quoque a justis antiquis visum legimus Deum, quia non est in hac humiliatione nostra sic visus, sicut in illa claritate videndus est. Quandoquidem in forma visibilis creaturæ in qua pro dispensatione temporum, ubi voluit, et quibus voluit, justis apparuit, nec potuit nec potest videri, sed poterit cum ad supernam patriam peregrinatio nostra pervenerit, et mortale nostrum immortalitas beata vestierit, atque ad contemplationem divinam vel perceptionem cœlestium præmiorum, omnes vere fideles, fides ipsa, quæ hic futura credebantur, impleta perduxerit.

B

CAPUT IV.

Quod hic per fidem potest, in futuro autem poterit Deus videri per speciem.

(*Prosper.*) Ait enim sanctus Apostolus : *Per fidem ambulamus, non per speciem* (*II Cor.* V). Fides ergo est per quam ambulatur, et species quæ videtur. Quia in hac vita ubi per fidem bene vivendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus ; in futuro autem pervenientes ad speciem jam non erit quo velut proficiendo ulterius ambulemus, sed ipsam speciem, ad quam per fidem spiritalem ambulamus, pervenimus, insatiabili delectatione videbimus. In quantum autem valet humana mens, quam suus Creator ad suam fecit imaginem, studeat etiam hic intelligibiliter Deum videre per fidem, ut eum plenius videat cum pervenerit munere ipsius Conditoris sui ad speciem.

C

CAPUT V.

In quanta claritate ab electis suis videbitur Deus in regno suo.

(*Beda.*) In ea claritate qua discipuli viderunt Dominum fulgentem in monte (*Matth.* XVII), in ea peracto judicio ab omnibus sanctis in regno suo videbitur. Sed quod mortales adhuc, corruptibiles discipulorum oculi sufferre nequiverunt, tunc per resurrectionem jam facta incorruptibilis, potenter intueri sufficit omnis Ecclesia sanctorum, de qua scriptum est : *Regem in decore suo videbunt oculi ejus* (*Isa.* XXXIII). Decorem illum, gloriam illam, pulchritudinem illam, magnificentiam illam, virtutem illam, claritatem illam, majestatem illam, qualis per omnia sit, nulla vox hominum dicere potuit aut potest. (*Joan. Chrys.*) Conferamus oculos ad illum montem in quo transformatus est Christus, et videamus splendorem ejus, illum quo tunc transformatione resplenduit, nec sic quidem inveniemus cunctam nobis illius claritatem futurique sæculi gloriam patefactam. Illa enim transformatio facta est non in quantum bonorum futurorum veritas habet, sed

D

quantum ferre oculi poterant intuitum. Si enim in Evangelio dicit, quia *resplenduit sicut sol* (*Matth.* XVII). Incorruptorum autem gloria corporum, non hoc tantum splendoris emittit, quantum ex ista corruptibili luce procedit, nec talem lucem, qualem nunc mortales oculi capere possunt, sed tantus erit futuræ lucis splendor, quantum corporeus ferre non possit aspectus, cum tamen illum tulerit qui in montis transformatione resplenduit. Unde ostenditur, quia tantum revelatum sit, quantum ferre mortalium oculi potuerunt. Nec tamen tulerunt ex integro, sed ceciderunt, inquit, in faciem suam super terram.

CAPUT VI.

De resurrectione et vita sanctorum.

Resurgent igitur sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas quanta felicitas erit. Receptis cum incorruptione atque immortalitate corporibus, municipatum patriæ cœlestis accipient, atque ejus in æternum cives effecti, promissa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cœlestium gratia gaudiorum, ut remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, et nullum fastidium ex ipsa affluentia bonorum perceptione sustineant. Ibi non latebit perfecte beatos aliquid secretorum, qui quod est longe præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum. Quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, ut in melius aut deterius ultra mutari non possit. Quidquid hic humanis corporibus vitiandis, aut ferarum morsus ademerit, aut improviso casus abstulerit, aut malarum valetudinum genera diversa decerpserint, aut humana crudelitas amputaverit, aut si ignis vel quælibet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut ipsa senectus etiam sanis onerosa negaverit, hæc atque his similia corporum damna, una ibi resurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus instaurata incorruptibilis sanitas obtinebit. Statum etiam illius sanctæ resurrectionis ac perpetuæ vitæ consideremus, in quantum nobis considerare possibile est, et ut etiam vere est, comprehendere nullus sermo sufficiet, sed quantum possimus ex his quæ legimus, et per ænigmata accipimus tenuem quamdam opinionem de ea capiamus. Dicitur de ea quodam loco : quod aufugiet ibi dolor, et tristitia, et gemitus. Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis lædit injuria? (*Aug.*) Nemo irascitur, nemo invidet, nulla cupiditas exardescit, nullum ibi desiderium, nulla honoris pulsat ex potestate ambitio, sed omnis vitiorum labes sopita et penitus exstincta est, pax cuncta continet et lætitia. Tranquilla sunt omnia et quieta, jugis splendor et lux ; non ista quæ nunc est, sed tanto splendidior, tanto clarior, quanto splendidior nunc sol est lucerna. Nulla ibi nox, nullæ tenebræ, concursus nullus nubium, nulla frigoris, nulla ardoris asperitas. Non est ibi senectus nec senectutis miseria, sed omne quidquid corruptionis est exsulat, et gloria incorruptionis cuncta circumdat. Unde per Paulum dicitur : *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII.) (*Greg.*) Electos enim nunc pœna corruptionis aggravat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat et quantum ad præsentis necessitatis pondera nunc in Dei filiis de libertate nihil ostendit. Quantum vero ad subsequentis libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de servitute nihil apparebit. Creatura ergo servitute corruptionis exuta et dignitate libertatis accepta, in filiorum Dei gloriam vertitur, quia unita Deo per spiritum, quasi hoc ipsum quod creatura est, transisse ac subegisse declaratur.

CAPUT VII.

Quod detrimenta angelicæ ruinæ ex sanctis reparantur hominibus.

(*Aug.*) Ex redemptione hominum ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur. Et utique noverunt angeli sancti docti de Deo, cujus veritatis æternæ contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis exspectet. Propter hoc ait Apostolus : *Instaurari omnia in Christo quæ in cœlis sunt et quæ in terris* (*Ephes.* I). In ipso instaurantur quippe quæ in cœlis sunt, cum id quod in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt in æternam vitam, a corruptionis vetustate innovantur. Illa enim superna civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contingit electos angelos remansisse, sicut scriptum est : Statuit terminos gentium secundum in numerum angelorum Dei.

CAPUT VIII.

Quod electi in æterna patria cunctos recognoscunt bonos.

(*Greg.*) Electi autem in æterna patria non solum eos agnoscunt bonos, quos in hoc mundo noverunt, sed velut viros visos ac cognitos recognoscunt bonos, quos nunquam viderunt. Nam cum antiquos patres in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per visionem non erunt, quos in opere semper noverunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt? Nam quidam noster religiosus vir, et vitæ valde laudabilis, cum ante hoc triennium moreretur (sicut religiosi alii, qui præsentes fuere testati sunt) in hora sui exitus Jonam prophetam, Ezechielem quoque et Danielem cœpit aspicere quos dum ad se venisse diceret, et depressis luminibus eis reverentiæ obsequium præberet, ex carne ductus est. Qua in re aperte datur intelligi, quæ erit in illa incoruptibili vita notitia, si vir iste adhuc in carne corruptibili positus, prophetas sauctos, quos nimirum nunquam viderat, agnovit.

CAPUT IX.

Quod beatorum animæ mox ut corpore exeunt ad Christum pergunt.

(*Greg.*) Quod nunc ante restitutionem corporum in cœlo recipi valeant animæ justorum, neque de omnibus justis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorumdam justorum animæ quæ in cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur, in quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quod de perfecta justitia aliquid minus habuerunt. Et tamen luce clarius constat, quia perfectorum justorum animæ, mox cum hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. Quod et ipsam per se Veritas attestatur: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV). Quia ubi ipse Redemptor noster est corpore, illuc procul dubio colliguntur et animæ justorum. Et Paulus dissolvi desiderat et esse cum Christo (*Philip.* I). Qui ergo Christum esse in cœlo non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat. Qui etiam dissolutionem sui corporis atque habitationem patriæ cœlestis, dicit: *Scimus quoniam terrestris domus hujus habitationibus dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, sed æternam in cœlis* (*II Cor.* V).

CAPUT X.

Quod nunc animarum sola beatitudine perfruuntur electi, post resurrectionem vero animarum simul et corporum.

(*Greg.*) Electi autem nunc animarum sola, postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruuntur, ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino cruciatusque pertulerunt. Pro qua quippe geminata eorum gloria scriptum est: *In terra tua duplicia possidebunt* (*Isai.* LXI). Hinc etiam ante resurrectionis diem de sanctorum animabus scriptum est: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ et dictum illis ut requiescerent ad modicum tempus* (*Apoc.* VI), donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum. Qui itaque nunc singulas acceperunt, binas in judicio stolas habituri sunt. Quia modo animarum tantummodo, tunc autem binæ stolæ albæ, animarum simul et corporum glorla lætabuntnr.

CAPUT XI.

Quod per quinquagenarium perpetuitas futuræ quietis nostræ mystice ostendatur.

(*Beda.*) Non sine magno mysterio quinquagenarius numerus in datione vel gratiæ vel legis observatus est. Nam quinquagesima die paschæ, et lex in monte populo data est, et gratia Spiritus discipulis in cœnaculo missa est. Sed hoc nimirum numero perpetuitas futuræ quietis ostenditur, in quo recte vel legis decalogus mandatur, vel Spiritus sancti gratia datur hominibus: ut aperte monstretur quia quicunque divinæ legis jussa juvante Spiritus gratia perficiunt, ad veram profecto requiem tendunt. Ideo enim numerus quinquagenarius significationi internæ quietis aptatur, quia ex septem septimanis et mo-

A nade perficitur. Sex quippe diebus in lege populus operari, septima quiescere: sex annis arare et metere, septimo jussus est cessare, quia et Dominus sex diebus mundi ornatum perfecerit, septimo ab opere suo cessaverit. Quibus omnibus mystice admonemur, quod hi qui in hoc sæculo (quod sex ætatibus constat) bonis operibus pro Domino instant, in sabbatum in futuro, id est, in requiem a Domino includuntur æternam. Quod autem septem dies dicuntur, multiplicem ejusdem requiei abundantiam designat, in qua præmium illud sublime datur electis de quo Apostolus ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II.) Porro ipse dies quinquagesimus, qui septem septimanis
B superest, et majori præ cæteris erat solemnitate venerabilis, tempus futuræ resurrectionis indicat, in quo illa requies, qua nunc animæ fruuntur electorum, corporum quoque receptorum gloria cumulabitur. Quinquagesimus etenim annus in lege (*Lev.* XXV) Jubilæus, id est *dimittens* sive *mutatus*, appellari jussus est, in quo populus ab omni operatione quiesceret, omnium debita laxarentur, servi liberi redirent. Annus ipse majoribus solemniis, ac laudibus divinis eminentior ac cæteris existeret. Merito per hunc numerum illa summæ pacis tranquillitas indicatur, quando (sicut Apostolus ait) canente novissima tuba mortui resurgent, et nos immutabimur in gloria. Ubi cessantibus hujus sæculi laboribus et ærumnis, dimissis omnium culparum debitis, in sola divinæ visionis contemplatione cunctus electorum
C populus in æternum gaudebit, impleto illo desiderabili Domini ac Salvatoris nostri mandato: *Vacate et videte quoniam ego sum Deus.*

CAPUT XII.

Quod per sextam feriam præsens vita, per sabbatum requies animarum, per Dominicam diem gloria resurrectionis ostenditur.

Septem etenim diebus universum tempus evolvitur. Æterna etenim dies, quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur, scilicet octava est hujus octonarii numeri, causa est quod post sabbatum Dominus voluit a morte resurgere. Dies quippe Dominicus, qui tertius est a morte Dominica, a conditione dierum numeratur octavus, quia sabbatum sequitur. Unde et ipsa Redemptoris nostri passio, et vera re-
D surrectio, figuravit aliquid de suo corpore in diebus passionis suæ. Sexta enim feria passus est, sabbato requievit in sepulcro, Dominico autem die resurrexit a mortuis. Præsens etenim vita nobis adhuc sexta est feria, quia in doloribus ducitur, et in angustiis cruciatur, sed sabbato quasi in sepulcro quiescimus, quia requiem animæ post corpus invenimus. Dominico vero die, videlicet a passione tertio, a conditione ut diximus octavo, jam corpore a morte resurgimus, et in gloria animæ etiam cum carne gaudemus. Quod ergo mire Salvator noster fecit in se, hoc veraciter signavit in nobis, ut nos et dolor in sexta, et requies in septima, et gloria excipiat in octava.

CAPUT XIII.

Quæ et quanta sit differentia inter duas vitas sanctæ Dei Ecclesiæ.

(*Aug.*) Duas itaque vitas sibi divinitus prædicatas commendatas novit Ecclesia : quarum una est in fide, altera in specie. Una in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis ; una in labore, altera in requie ; una in via, altera in patria ; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis ; una declinat a malo et facit bonum, altera nullum habet a quo declinet malum, et magnum habet quo fruatur bonum. Una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat ; una fortis est in adversis, altera nihil sentit adversi ; una carnales libidines frenat, altera spiritualibus delectationibus vacat ; una est vincendi cura sollicita, altera victoriæ pace secura ; una in tentationibus adjuvatur, altera sine ulla tentatione in ipso adjutore lætatur ; una subvenit indigenti, altera ibi est ubi nullum invenit indigentem ; una aliena peccata, ut sua sibi ignoscantur, ignoscit ; altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci. Una flagellatur malis ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, ut sine ulla tentatione superbiæ clareat summo bono. Una bona et mala discernit, altera sola quæ bona sunt cernit. Ergo una bona est, sed adhuc misera, altera melior et beata.

CAPUT XIV.

Quod per quadragesimalem afflictionem vita præsens, per quinquagesimam æterna lætitia ostendatur.

(*Beda.*) Sancta Dei Ecclesia in quibusdam suis membris adhuc pro æterna requie laborat in terris, in quibusdam vero omni finito labore cum Christo jam regnat in cœlis. In memoriam utriusque vitæ constituere patres nostri gemina hæc congrua religionis solemnia, quadragesimam videlicet afflictionis et jejuniorum, instante jam Dominicæ resurrectionis tempore, gaudiisque paschalibus, ut per eam nobis sæpius ad memoriam revocarent, quia per labores et continentiam, per vigilias et orationes, per cætera quæ Apostolus commemorat (*Rom.* VI) arma justitiæ, ad vitæ immortalis præmia debemus attingere. Porro quinquagesimam ab ipso Dominicæ resurrectionis die inchoare, et gaudiis potius laudibusque divinis, quam jejuniis voluerunt esse celebrem, quatenus annuis ejus festis dulcius admoneremur desiderium nostrum ad obtinenda festa, quæ non sunt annua sed continua, non terrena sed cælestia semper accedere fixumque tenere. Quia non in tempore mortalitatis hujus, sed in æternitate futuræ incorruptionis vera nobis quærenda felicitas, vera est invenienda solemnitas, ubi cessantibus cunctis angoribus tota in Dei visione ac laude vita geritur. Juxta hoc quod Propheta, corde pariter et carne in Deum vivum exsultans, aiebat : *Beati qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII).

CAPUT XV.

Nemo perfecte beatus esse potest, antequam ad futuram perveniat beatitudinem.

(*Prosp.* In præsenti autem vita quantalibet quis excellentia sanctitatis emineat, quantalibet quis eminentia perfectionis excellat, potest quidem fieri pro modulo hujus vitæ perfectus, sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat de casu esse sollicitus : et utique ubi est sollicitudo non est absoluta beatitudo, quæ nequaquam perfecta credenda est, si secura non fuerit, nec secura erit nisi omnem sollicitudinem securitas æterna consumpserit. Quapropter qui dicuntur in hac vita beati, spe beatitudinis futuri beati sunt ; ipsa autem re non hic, sed in illa vita beati futuri, quia ibi omnium beatorum beatitudo perfecta erit, ubi humana natura sui gloriam Conditoris et suam perfecte beatificata visura est, atque ei sine ullo defectu suæ beatitudinis adhærebit.

CAPUT XVI.

Tunc omnium electorum perfecte erit cor et anima una, quando Deus erit omnia in omnibus.

(*Beda.*) Sicut in primordio nascentis Ecclesiæ in Hierosolymis quondam *multitudinis credentium erat cor et anima una, et erant illis omnia communia* (*Act.* IV), ita in illa summæ pacis visione multitudini credentium Deum erit cor et anima una, diligendi ac laudandi eum, cujus se gratia viderint esse salvatos : et ibi veraciter erunt omnibus omnia communia, quia, sicut Apostolus ait, *erit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). [*Prosp.*] Ibi omnes quicunque fuerint unum corpus erunt, et singuli de sua et de singulorum felicitate gaudebunt. Hæc est vera et beata unanimitas sanctorum angelorum et hominum beatorum in illa perpetua regione, quibus est una voluntas gloriam regni Dei dicere, et potentiam virtutis ejus eloqui.

CAPUT XVII.

Quod sancta Hierusalem cœlestis ex parte æterna, et ex parte captiva sit.

(*Aug.*) Sancta Hierusalem cœlestis ex parte æterna ; et ex parte captiva est. In angelis æterna, in hominibus captiva. Non enim omnes illius civitatis cives captivi sunt, sed qui inde peregrinantur ipsi captivi sunt. Homo cujus est Hierusalem, sed venditus sub peccato, factus peregrinus. Sicut enim populus ille de terra Hierusalem in captivitate ductus est in Babylonia, et post septuaginta annos rediit ad civitatem suam : septuaginta anni significant omne tempus quod septem diebus evolvitur ; ita cum transierit omne tempus tunc redimus et nos ad patriam nostram, æternam Hierusalem, ubi sunt cives nostri angeli, ab ipsis nostris peregrinamur in terra. In peregrinatione suspiramus, in civitate gaudebimus.

CAPUT XVIII.

Quam ardenter desiderare debet regionem suam cœlestis patriæ peregrini.

(*Aug.*) Cœlestem ad patriam peregrinus ille ar-

denter redire desiderabat, qui dolens gemensque dicebat : *Heu mihi! quia incolatus meus longinquus factus est* (*Psal.* CXIX). Ac si diceret : Domine, multum a te recessi, peregrinatio mea facta est longinqua. Nondum veni in patriam illam ubi cum nullo malo victurus sum. Nondum veni ad illam societatem angelorum ubi scandala non timebo. Quare autem nondum sum ibi? quia incolatus meus longinquus factus est. Incolatus peregrinatio est. Incola dicitur qui habitat in terra aliena, non in civitate sua. Longinquus factus est incolatus meus. Et ubi longinquus? Aliquando, fratres mei, cum peregrinatur homo inter meliores vivitque, in patria sua forte viveret, sed non sic est quando de Hierusalem illa cœlesti peregrinamur. Mutat enim homo patriam, et aliquando illi in peregrinatione bene est. Invenit amicos fideles peregrinando quos in patria invenire non potuit; inimicos habuit ut de patria pelleretur et peregrinaretur, invenit quod non habebat in patria. Non sic est patria illa Hierusalem ubi omnes boni, quicunque inde peregrinatur inter malos est. Nec recedere a malis potest nisi cum redierit ad societatem angelorum, ut ibi sit inde peregrinatur, ubi omnes justi et sancti qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine litteris. Quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illi cernunt. Qualis patria? Magna patria, et miseri, peregrini ab illa patria. Sed quid ait iste? Longinqua facta est peregrinatio mea. Iste jam volens redire cognoscit infelicitatem peregrinationis suæ, quia cognovit illam; redit, et ad beatam desiderat ascendere patriam.

CAPUT XIX.

Qualiter plangere debent captivi patriam suam æternam Hierusalem.

(*Aug.*) Gemamus omnes, gemamus singuli in hac captivitate, in hac mortalitate, suspiremus, desideremus patriam nostram Hierusalem cœlestem. Tendamus ad Conditorem nostrum, ejusdem civitatis fabricatorem, petamus ei bonorum operum sumptus, ut mereamur pervenire ad eum, et in domo ejus habitare omnibus diebus vitæ nostræ, hoc est pe-

A renni vita. Hanc domum æternam, quam ex Deo habemus in cœlis, diligebat ille qui dicebat : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* (*Psal.* LXXXIII). Et iterum : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Quia melior dies una in atriis tuis super millia* (*Ibid.*) Nam et ipse ad Dominum sitienter pervenire desiderabat, cum dicebat : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* (*Psal.* XLI.) In hac enim positi peregrinatione ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipse Dominus Deus noster. (*Aug.*) In hac ærumnosa retenti mortalitate cum omni contritione cordis et corporis redire desideremus ad illam supernam Hierusalem, B quæ est mater omnium nostrum. Ab illa peregrinamur in hac miseranda vita, ad ejus reditum suspiremus. Tandiu miseri et laborantes sumus, donec ad illam redeamus, ubi videre possimus Deum deorum in sancto monte Sion.

CAPUT XX.

Quod nemo mortalium dicere potest quanta justorum sint gaudia in cœlo.

(*Aug.*) Humanus sermo nec explicare potest nec cogitare quæ et quanta sint gaudia in cœlo, testante Paulo apostolo : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II). Diligamus igitur ex toto corde omnibusque viribus Deum, ipsam quam electis suis promisit beatitudinem desiderantes. Terrena omnia et transitoria nobis pro amore cœlestis pa-C triæ vilescant, totis animæ viribus tendamus illuc, internis cordis affectibus suspiremus illuc. Petamus omnes cum lacrymis, petamus singuli Deum, ut inhabitemus in domo ejus omnibus diebus vitæ nostræ, et mereamur videre bona ejus in terra viventium. Hæc de qualitate futuræ beatitudinis, ex divinis sanctorum Patrum libris pauca excerpta sufficiant. Nunc igitur quibus ad eam bonorum operum passibus currendum sit, adjuvante Domino carpendo flores ex catholicorum Patrum edictis demonstremus.

LIBER SECUNDUS

CAPUT PRIMUM.

De laude charitatis, et quod ipsa sit mater omnium virtutum.

(*Aug.*) Charitas est mater, fons et origo omnium sanctarum virtutum, et omnis præcepti finis. De qua dicit Apostolus : *Finis autem præcepti est charitas de puro corde et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I). Ad charitatem autem refertur omne præceptum. Unde Dominus ait : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII). [*Greg.*] Omne enim mandatum de sola dilectione est, et omnia unum præceptum sunt. Quia quidquid præcipitur in

D sola charitate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Præcepta ergo Dominica et multa sunt, et unum. (*Aug.*) Multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Charitas quippe Dei est, et proximi. Et utique in his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ. Adde Evangelium, adde apostolos; non enim abunde vox ista : *Finis præcepti est charitas* (*I Tim.* I). Et : *Deus charitas est, et qui manet in charitate* (dicente apostolo Joanne) *in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). [*Prosp.*] Est autem charitas recta

voluntas ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus aversa, juncta Deo inseparabiliter, et unita igni quodam sancti Spiritus a quo est, et ad quem refertur, incensa. Inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, nullo vitio mutabilitatis obnoxia, supra omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima, divinæ contemplationis avida, in omnibus semper invicta. summa actionum bonarum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma justorum, anima sanctarum mentium, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum. In peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instaurat, spem desperatis inspirat; pacificas mentes inhabitat, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus. Quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium servit. Ex qua quidquid est boni operis vivit, sub qua obedientia crescit, per quam patientia vincit, propter quam carnalia blandimenta devotio religiosa contemnit, sine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare nec poterit. Hæc est charitas vera, germana, perfecta, quam excellentiorem viam nominat sanctus Apostolus (*I Cor.* XII). Et vere ipsa est via quæ ducit per se ambulantes ad patriam. Quia sicut sine via nullus pervenit quo tendit, ita sine charitate, quæ dicta est via, non ambulare possunt homines sed errare.

CAPUT II.

Quod charitas ad innumera bona multiformiter extendatur.

Plenitudo legis, ut Paulus ait apostolus, *dilectio est* (*Rom.* XIII). De hac iterum dicit: *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI). Lex etenim Christi quid congruentius intelligi potest, quam charitas? quam tunc vere perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus. Unde et per beatum Job dicitur, quod *multiplex sit lex ejus* (*Job.* XI). Quid etenim hoc loco Dei lex accipi, nisi charitas debet? per quam semper in mente leguntur præcepta vitæ qualiter in actione teneantur. Sed hæc eadem lex multiplex dicitur, quia studiose per sollicitudinem charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur quæ a duobus quidem præceptis incipit, sed se ad innumera extendit. Hujus namque legis initium dilectio Dei est, ac dilectio proximi. Sed Dei dilectio per tria distinguitur, quia ex toto corde, tota anima, et ex tota fortitudine diligi Conditor jubetur (*Exod.* XX). Qua in re notandum est, quod divinus sermo cum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat ex quanto, cum subjungit, ex toto: ut videlicet qui perfecte Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta derivatur, cum et per quemdam justum dicitur: Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per semetipsam Veritas dicit: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis* (*Matth.* VII). Quibus duobus, scilicet utriusque Testamenti mandatis per unum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur; ut malum quod pati non vult quisque, non faciens cesset a nocendi opere. Ut rursus bonum quod sibi fieri appetit impendens, erga utilitatem se proximi exerceat ex benignitate. Sed hæ nimirum duo dum sollicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur; ne vel ad inferenda quæ non debet, desideriis inquieta mens ferveat, vel erga exhibenda quæ debet otio resoluta torpescat. Nam cum cavet alteri facere quod nequaquam vult ab altero tolerare, sollicita se intentione circumspicit, ne superbia elevet, et usque ad despectum proximi animum dejiciens exaltet, ne ambitio cogitationem laniet, cumque hanc ad appetenda aliena dilatat, angustet; ne cor luxuria polluat, et subjectum desideriis per illicita corrumpat; ne ira exasperet, et usque ad proferendam contumeliam inflammet; ne invidia mordeat, et alienis felicitatibus æmula suavitatis pertrahat, eamque usque ad lasciviam obtrectationis extendat; ne odium malitia excitet, et usque ad jaculum maledictionis irritet. Rursum cum cogitat ut ea alteri faciat, quæ ipsa sibi fieri ab altero exspectat, pensat nimirum ut malis bona, ut bonis meliora respondeant: ut erga procaces mansuetudinis longanimitatem exhibeat; ut malitiæ peste languentibus gratiam benignitatis impendat; ut discordes ad pacem veniant; ut concordes ad concupiscentiam veræ pacis accingat; ut indigentibus necessaria tribuat; ut errantibus viam rectitudinis ostendat; ut afflictos verbo et compassione mulceat; ut accensos in hujus mundi desideriis, increpatione restringat; ut minas potentium ratiocinatione mitiget; ut oppressorum angustias quanta prævalet ope, levet; ut foris resistentibus opponat patientiam, ut intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam; ut erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a justitiæ studio non enervet. Sic adulationum zelus ferveat, ne tamen pietatis limitem fervendo transcendat. Ut ingratos beneficiis ad amorem provocet, ut gratis quoque ministeriis in amore servet; ut proximorum mala cum corrigere non valet, taceat; ut quæ, cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat; ut sic ea quæ tacet toleret, ne tamen in anima virus doloris occultet; ut sic malevolis minus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam a jure rectitudinis excedat; ut cuncta proximis quæ prævalet impendat, sed hæc impendendo non tumeat; ut sic in bonis quæ exhibet tumoris præcipitium paveat, ne tamen a bono exercitio torpescat; ut sic quæ possidet tribuat, quatenus quanta sit largitas remunerantis attendat, ne cum terrena largitur, suam plus quam necesse est inopiam, et in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret. Bene ergo voce beati Job, lex Dei multiplex dicitur (*Job.* XI). Quia nimirum cum una

eademque sit charitas, si mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit.

CAPUT III.

Quæ et quanta bona operata sit charitas in sanctis Patribus.

(*Orig.*) Charitas namque per Abel, et electa Deo munera obtulit, et fratris gladios non reluctando toleravit. Charitas Enoch et inter homines vivere spiritualiter docuit, et ad sublimem vitam ab hominibus etiam corpora abstraxit. Charitas Noe, despectis omnibus solum Deum placabilem ostendit, ut quæ arcæ fabricam studio longi laboris exercuit, et mundo superstitem pio opere exercendo superavit. Charitas per semet Japhet humiliter verenda patris erubuit, et superjecto dorsis pallio, quæ non videbat abscondit. Charitas Abrahæ dextram, quia ad mortem filio obediendo extulit, hunc prolis innumeræ gentium patrem fecit. Charitas Isaac mentem, quam semper ad munditiam tenuit, caligantibus ætate oculis, ad videnda longe post ventura dilatavit. Charitas Jacob compulit, et amissum bonum filium medullitus gemere, et pravorum filiorum præsentiam sub æquanimitate tolerare. Charitas Joseph docuit a fratribus venundatum, et libertate animi infracta, servitium perpeti, et eisdem post fratribus mente non elata principari. Charitas Moysen delinquente populo et usque ad petitionem mortis in precibus stravit, et usque ad interfectionem populi per zeli studium erexit, ut et pro pereunte plebe sese morti objiceret, et contra peccantem protinus vice Domini irascentis sæviret. Charitas Phinees brachium in ultione peccantinm erexit, ut arrepto gladio coeuntes transfigeret, et iram Domini iratus placaret. Charitas Jesu exploratorem docuit, ut et prius contra falsiloquos cives veritatem verbo defenderet, et hanc postmodum gladio contra hostes alligaret. Charitas Samuel et in principatu humilem præbuit, et integrum in dejectione servavit, qui cum persequentem se plebem diligeret, ipse sibi testimonio exstitit, quia culmen ex quo dejectus est non amavit. Charitas David ante iniquum regem, et humilitate commovit ad fugam, et humilitate replevit ad veniam, quia persecutorem suum et timendo fugit ut Dominum, et tamen cum potestatem feriendi reperit, non agnovit inimicum. Charitas Nathan et contra peccantem regem in auctoritatem liberæ increpationis sustulit, et cum regis culpa deesset, in petitione humiliter stravit. Charitas per Isaiam nuditatem carnis in prædicatione non erubuit, et subducto carnali velamine mysteria superna penetravit. Charitas Heliam, quia fervoris zelo vivere spiritaliter docuit, ad vitam quoque et corporaliter abstraxit. Charitas Eliseum, quia magistrum diligere simpliciter instituit, magistri spiritu dupliciter implevit. Per charitatem Jeremias ne in Ægyptum populus descenderet, restitit; sed tamen et inobedientes diligens, quo descendere prohibuit, et ipse descendit. Charitas Ezechielem, quia prius a terrenis desideriis se sustulit, post per cincinnum capitis aere libravit. Charitas in Danielem, qui a regis dapibus gulam compescuit, ei et esurientium ora leonum clausit. Charitas tribus pueris, quia in tranquillitate positis incendia vitiorum subdit, tribulationis tempore et flammas fornacis temperavit. Charitas in Petro et minis terrentium principum fortiter restitit, et in circumcisione submovenda minoris verba humiliter audivit. Charitas in Paulo, et manus persequentium humiliter pertulit, et tamen in circumcisionis negotio, longe se impares et priores sensu audenter increpavit.

CAPUT IV.

Quibus modis charitas consistat.

(*Pelag.*) Charitas quatuor modis consistit, hoc est: in dilectione quæ prima est; secunda ut nosmetipsos secundum Deum amemus; tertia proximos; quarta etiam inimicos. Deum ergo plus quam nos diligere, proximum sicut nos, inimicum sicut proximum.

CAPUT V.

Quod sine charitate nulla bona prosunt.

(*Prosp.*) Paulus inquit apostolus: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* XIII). Hominum vel angelorum linguas inanem facundiam quorumdam significatam debemus accipere, qui docendi officium vanitate placendi magis quam consulendi charitate suscipiunt, et dicta sua magis cupiunt laudari quam fieri; nec de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati venustate solliciti sunt. Merito hi tales æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur, qui in modum tinnientis æramenti vel cymbali præclara quæque magis appetunt sonare quam facere. *Et si habuero*, inquit Apostolus, *prophetiam, et noverim omnia mysteria et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum* (*Ibid.*). Non ad hoc ista dicit, quasi aliqua bona sine charitate habere aliqui possint, sed quia nihil prosint habentibus ea, si a charitate defecerint. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*Ibid.*). Charitas ergo habenda est ipsa et sectanda, sine qua nec eleemosynæ, nec occisio corporis, nec illa omnia superius dicta, vel alia quælibet bona perducunt aliquos ad salutem. Quia quælibet bona actio vel passio, nisi ex fide, quæ per dilectionem operatur, exstiterint, nobis prodesse non poterunt. Quapropter nihil eis peccati damnabilis remanere poterit, nec deerit aliquid boni, quibus charitas, omnis inquinamenti mundatio, et bonorum omnium mater, adfuerit.

CAPUT VI.

Qualiter verba beati Pauli apostoli de charitate intelligenda sint.

(Greg.) *Charitas patiens est, benigna est : non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati* (*I Cor.* XIII). *Patiens* quippe *est* charitas, quia illata mala æquanimiter tolerat. *Benigna* vero *est*, quia pro malis bona largiter ministrat. *Non æmulatur* : quia per hoc, quod in præsenti mundo nihil appetit, invidere terrenis successibus nescit. *Non inflatur*, quia cum præmium internæ retributionis anxie desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat. *Non agit perperam*, quia quo se in solum Dei et proximi amorem dilatat, quidquid a rectitudine discrepat, ignorat. Quid sit autem, perperam agere, sanctus Basilius inter cætera ita definiens ait : Quidquid non propter usus necessarios, sed vel ornatus causæ, vel decoris alicujus fit, hoc est perperam agere. (Greg.) *Non est ambitiosa* charitas : quia quo ardenter intus ad sua satagit, foras nullatenus aliena concupiscit. *Non querit quæ sua sunt*, quia cuncta quæ hic transitoria possidet, velut aliena negligit, cum nihil sibi esse proprium, nisi quod secum permaneat agnoscit. *Non irritatur*, quia et injuriis lacessita ad nullos ultionis suæ motus excitat, dum magnis laboribus majora post præmia exspectat. *Non cogitat malum*, quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinat nescit. *Non gaudet super iniquitate*, quia quo sola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adversantium exsultat. *Congaudet autem veritati*, quia ut cæteros diligens, per hoc, quod rectum in aliis conspicit, quasi de augmento proprii provectus hilarescit. (Prosp.) *Omnia suffert*, quia omnes inquietos vel inquietudines fundata animi tranquillitate suffert. *Omnia credit*, quia post hanc vitam, pœnas divinitus comminatas credit non metuendo. *Omnia sperat*, quia præmia præmissa sperat gaudendo. *Omnia sustinet*, quia revelationem filiorum Dei desiderat fortiter sustinendo. (Pelag.) *Charitas nunquam excidit* : non excidit dicit, id est elapsa non est, vel non excessit. Ipsa enim sola permanet in futurum, vel recte, quia vera est, non mutabitur.

CAPUT VII.

Qualiter charitas erga Deum, et qualiter erga proximum sit exhibenda.

Ergo si charitatem Deo exhibeamus et proximo de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, facile peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, sæculi blandimenta comtemnimus, et omnia quæ difficilia sunt humanæ fragilitatis vel aspera etiam, cum dilectione perficimus, si tamen Deum charitate quæ nobis ab illo, ex toto corde, ex tota anima et totis viribus diligamus. Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum. Quem si ex toto corde di- A ligamus, nihil erit in nobis unde peccati desideriis serviamus. Et quid est diligere Deum, nisi illo occupari animo, concipere fruendæ visionis ejus effectui peccati odium, mundi fastidium, diligere etiam proximum quem in se censuit diligendum. Illi vero ex toto et plus quam se diligunt Deum, qui pro ejus amore, suæ ad tempus saluti non parcunt, seipsos tribulationi ac periculis tradunt. Nudari facultatibus propriis, patriæ suæ extorres fieri, parentibus et uxoribus et filiis renuntiare parati sunt, et ut in totum dicam, ipsam corporis mortem non solum non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt, ambientes a corporis sui vita magis quam a Deo vita vitæ suæ discedere. Proximos nostros sicut nos diligere debemus : non illi tantum proximi nostri credendi sunt quos nobis gradus sanguinis jungit, sed proximi no- B stri credendi sunt omnes homines naturæ nostræ participes. Secundum nos proximos omnes diligimus cum ad mores bonos et ad æternam vitam consequendam sicut nobis eorum saluti consulimus, cum nos in eorum peccatis ac periculis cogitamus, et, sicut nobis subveniri optaremus, ita eis pro viribus subvenimus, aut si facultas defuerit, voluntatem subveniendi tenemus. Quapropter hæc est proximi tota dilectio, ut bonum quod tibi conferri vis, velis et proximo. Etenim profectus tuos esse credas, et de peccatis aliorum tanquam de propriis misericorditer lugeas. (*Basil.*) Hæc est enim charitas quam habere debemus invicem, sicut Dominus ostendit et docuit, dicens : *Diligite invicem sicut et ego dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam* C *suam quis ponat pro amicis suis* (*Joan.* XIII). Si autem et animam poni oportet, quanto magis in aliis votum et studium debet intelligi, sine dubio non secundum humanas voluntates, sed secundum illum prospectum in quo est commune omnium propositum placandi Dominum.

CAPUT VIII.

Quod ne tantæ virtutis sit charitas, ut omnem legem et universa mandata Dei in ea possimus complere.

Quantæ autem virtutis sit charitas in consequentibus ponit Apostolus cum ait (*Rom* XIII) : *Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur : diliges* D *proximum tuum tanquam te ipsum*. Et ad ultimum rationem tanti hujus boni breviter colligens, ait : *Dilectio proximi malum non operatur : plenitudo legis est dilectio* (*Ibid.*). Supra dixerat, quia *qui diligit proximum, legem implevit*. Et quia difficile videbatur, quomodo quis posset omnem legem in uno sermone complere, plenissimam reddit rationem, dicens : *Dilectio proximi malum non operatur*. Et ideo *plenitudo legis est dilectio*. Pone ergo per singula mandata legis dilectionem, et vide quam facile cuncta complentur. Nunquid qui diligit proximum, occidere eum potest ? Certum est quod nemo quem diligit interficit. Est ergo dilectio per quam impletur mandatum quo

præcipitur, *Non occides*. Similiter et qui proximum suum diligit, in uxorem ejus adulterium non committit. Et qui diligit, proximum suum, quæ ejus sunt non furatur. Et qui diligit proximum suum, adversus eum non dicit falsum testimonium. Similiter et cætera mandata legis, si sit erga proximum dilectio, absque aliquo labore servantur. Potest et ita intelligi, quod proximus noster sit Christus secundum Evangelii sententiam; qui venit et jacentes nos vulneratos a latronibus et nudatos a dæmonibus, jumento corporis sui superposuit, et ad stabulum Ecclesiæ detulit, et cætera. Hunc ergo proximum, si diligamus omnem legem et universa mandata, in ipsius amore complemus.

CAPUT IX.

Qualiter per charitatem in Deo diligitur amicus et propter Deum diligitur inimicus.

(*Greg.*) Si quis quemlibet amat sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se putat. Charitas autem vera est cum et in Deo diligitur amicus, et propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos quos diligit, qui etiam eos diligere a quibus non diligitur, scit. Probari autem charitas per solam odii adversitatem solet. Unde et per semetipsum Dominus dicit : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt* (*Matth.* v). Ille ergo securus amat, qui propter Deum et illum amat, a quo se intelligit non amari ; difficile quippe est omnem vim charitatis exprimere, cum omnia Dei præcepta sola possideat charitas, dicente beato Augustino: Totam magnitudinem et altitudinem divinorum eloquiorum secura possidet charitas, qua Deum proximumque diligimus. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalite largissima, inter veros fratres latissima, inter falsos patientissima. Sufficiant autem hæc quæ de charitate scripta sunt; nunc autem de cæteris virtutibus, prout auctor lucis dare dignabitur. insistendum est.

CAPUT V.

De spe.

(*Cassiod.*) Spes est bonorum spectatio futurorum quæ exqrimit humilitatis affectum et sedulæ servitutis obsequium. Spes autem vocata quod sit pes progrediendi quasi est pes. Unde econtrario dicitur desperatio, cui nulla est progredi facultas. Quia dum quisquis peccatum amat, futuram gloriam non sperat. Ille enim fiducialiter exspectat, qui ejus mandata fideliter servat.

CAPUT XI.

Quod illis tantummodo proficit spes qui ab actione prava quiescunt.

(*Isid.*) Qui male agere non desistunt vana spe indulgentiam de Dei pietate requirunt, quam recte quærerent si ab actione prava cessarent. Metuendum valde est ut neque per spem veniæ quam promittit

A Deus perseveranter peccemus, neque qui juste peccata distringit, veniam desperemus, sed utrumque periculum evitemus, et a malo declinemus, et de pietate Dei veniam speremus. Omnis quippe justus spe et formidine nitet, quia nunc illum ad gaudium spes erigit, nunc formidinem terror gehennæ addicit.

CAPUT XII.

De spe non ponenda in homine.

(Aug.) *Spe enim*, ut ait Apostolus, *salvi facti sumus* (*Rom.* VIII). Non enim est spes ponenda in homine, quia *maledictus omnis*, sicut divina testantur eloquia, *qui spem suam ponit in homine* (*Jer.* XVII). Ac per hoc, et in seipso qui spem suam ponit, hujus maledictionis vinculo innectitur. Ideo non nisi a Domino Deo petere debemus, quidquid speramus

B vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos. Ponamus igitur spem in Domino, instruente David dicente : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* (*Psal.* LXXII). Et iterum : *Spes mea in Deo est* (*Psal.* LXI.)

CAPUT XIII.

Qualiter spes crescit inter adversa.

(*Greg.*) Tanto namque spes in Deum solidior surgit, quanto pro illa quisque graviora pertulerit. Quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. Hinc enim per Psalmistam dicitur : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient in exsultatione portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXXV).

C

CAPUT XIV.

De fide.

(*Prosp.*) Fides enim est justitiæ fundamentum, quam nulla opera bona præcedunt, et ex qua omnia bona procedunt. Ipsa nos a peccatis omnibus purgat, mentes nostras illuminat, Deo reconciliat, cunctis participibus naturæ nostræ consociat, spem nobis futuræ remunerationis inspirat, auget in nobis virtutes sanctas, ac nos in earum possessione confirmat.

CAPUT XV.

Quod nisi per fidem, quæ per dilectionem operatur, nemo potest venire ad requiem.

Nemo potest ad veram pervenire beatitudinem, nisi per fidem. *Sine fide enim*, ut ait Scriptura, *impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Fidem scilicet

D illam quæ per dilectionem operatur, quia ut Jacobus ait apostolus: *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Et iterum : *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* (*Ibid.*) Fides sine operibus otiosa est. Beatus autem est qui et recte credendo bene vivit, et bene vivendo fidem rectam custodit. Frustra sibi de sola fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur. Multi fide tantum Christiani sunt, opere vero a Christiana doctrina dissentiunt. Est autem fides virtus præclara, per quam sancti Patres

uniti sunt Deo: lege ad Hebræos Epistolam (*Hebr.* II) Pauli apostoli, et invenies.

CAPUT XVI.

Quæ sit differentia inter fidem et spem.

(*Aug.*) Est itaque fides bonarum rerum et malarum, quia et bona creduntur et mala et hoc fide bona non mala. Est etiam fides et præteritarum rerum et præsentium et futurarum. Credimus enim Christum mortuum, quod jam præteriit; credimus sedere ad dextram Patris, quod nunc est; credimus venturum ad judicandum, quod futurum est. Item fides et suarum rerum est, et alienarum. Nam et se quisque credit aliquando esse cœpisse, nec fuisse utique sempiternum. Et alios atque alia nec solum de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verum etiam de angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Quæ cum ita sint propter has causas, distinguenda erit fides a spe, sicut vocabulo, ita rationabili differentia. Nam quod attinet ad non videre, sive quæ creduntur, sive quæ sperantur, fidei speique commune est. In Epistola quippe ad Hebræos (*Hebr.* II) qua teste usi sunt illustres catholicæ regulæ defensores, fides esse dicta est cognitio rerum quæ non videntur. Quamvis quandoque se quisque non verbis, non testibus, non denique ullis argumentis, sed præsentium rerum evidentiæ dicit credidisse, hoc est fidem accommodasse. Non ita videtur absurdius ut recte reprehendatur in verbo, eique dicatur: vidisti? ergo non credidisti; unde putari potest, non esse consequens ut non videatur res quæcunque creditur, Sed melius hunc appellamus fidem quam divina eloquia docuerunt: earum scilicet rerum quæ non videntur. De spe quoque Apostolus ait: *Spes quæ videtur, non est spes. Quod enim videt, quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus. per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII). Cum ergo nobis bona futura esse creduntur, nihil aliud quam sperantur. Jam de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes vero esse sine amore non potest. Denique, ut ait apostolus Jacobus: *Et dæmones credunt et contremiscunt* (*Jac.* II): nec tamen sperant vel amant, sed potius quod speramus et amamus, credendo venturum esse formidant. Propter quod et apostolus Paulus, *fidem quæ per dilectionem operatur*, approbat atque commendat (*Gal.* V), quæ utique sine spe non potest esse. Proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide.

CAPUT XVII.

Quod inter se differant spes, fides et charitas.

Nunc autem manet, ait apostolus Paulus, *spes, fides, charitas, Tria hæc. major autem horum est charitas* (*I Cor.* XIII). Fides in spem proficit, spes vero ad charitatem. In præsenti vero sunt tria, in futuro sola charitas sanctorum et angelorum et Dei (*Prosp.*), Quidquid fides et spes promiserat consummabit. Majus ergo est quod semper erit, quam quod aliquando cessabit. Cæterum prophetæ et mysteriorum omnium notitia vel scientia, nec non ipsa fides vel cætera talia, quæ non perfectionem fidelium, sed fragilitate necessaria indicantur, in illa perfectione justorum, quo in charitate radicati contendunt, pervenientibus necessaria esse non poterunt, sed sola charitas ibi perfecta erit, cum perfectos Deo, a quo donata est, conjunxerit.

CAPUT XVIII.

De oratione.

(*Cypr.*) Dominus enim noster Jesus Christus non tantum verbis, sed et factis orare nos docuit. Ipse orans frequenter et deprecans, et quid nos facere oporteret exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est: Ipse autem fuit secedens in solitudines et adorans. Et iterum: *Exivit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei* (*Matth.* XIV; *Luc.* VI). Quod si ille orabat qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare. Et si ille per totam noctem jugiter vigilans et continuis precibus orabat, quanto magis nos in frequentanda oratione debemus nocte vigilare. De hoc et beatissimus Ambrosius episcopus ait: Quod autem Dominus Jesus pernoctans fuit in oratione Dei, forma tibi præscribitur quam debeas æmulari. (*Ambr.*) Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Cgristus in oratione pernoctet? Quid te facere convenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, cum Christus missurus apostolos, prius orare curavit.

CAPUT XIX.

De laude et utilitate orationis.

(*Joan.*) Quam autem laudabilis et utilis valdeque necessaria sit oratio, sanctus Joannes Constantinopolitanus antistes inter cætera dicit: Oratio ecclesiastica solvit vincula Petri. Oratio Pauli dilatavit prædicationis fiduciam. Oratio caminum ignis exstinxit. Oratio conclusit ora leonum. Oratio seditionem compescuit. Oratio paradisum aperuit. Oratio cœli cardines reseravit. Oratio sterilem fecundavit. Oratio Cornelii cœlos penetravit. (*Isid.*) Oratio publicanum justificavit. Oratio frequens diaboli jacula submovet. Oratio frequens et continua diaboli tela exsuperat. Oratio frequens flammas vitiorum exstinguit. Oratio grandis est animæ munitio. (*Basil.*) Per orationes purissimas omnia nobis utilia tribuuntur a Domino, et cuncta noxia procul dubio effugantur.

CAPUT XX.

De reverentia et devotione orationis.

(*Cypr.*) Quando autem stamus ad orationem, ut sanctissimus martyr Cyprianus ait, invigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat mentes fratrum dicendo: Sursum corda; ut dum respondeat plebs: habemus ad Dominum, admoneamur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire

patiatur. Obrepit enim frequenter et penetrat, et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, et aliud in mente, quando intentione sincera Deum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari et capi ineptis cogitationibus et profan s, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loquaris? (*Bened.*) Nam et cum quali devotione et reverentia sit orandum beatissimus et sanctissimus pater Benedictus demonstrat dicens: Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est. Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus.

CAPUT XXI.

Quod ipsa est acceptabilis Deo oratio quæ sine odio fraterno funditur.

(Greg.) *Cum stabitis ad orationem*, inquit Dominus, *dimittite si quid habetis adversus alterum* (*Marc.* XI). Hinc iterum dicit : *Nisi remiseritis hominibus peccata, nec Pater vester qui in cœlis est remittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI). Hinc rursum ait : *Date et dabitur vobis ; dimitte et dimittetur vobis* (*Luc* VI). Hinc constitutione postulationis conditionem posuit pietatis dicens : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Ille recte sui delicti veniam postulat, cum hoc quod prius in ipso delinquitur relaxat. Dimittamus enim quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur a nobis. *Relinque proximo tuo*, ait Salomon, *nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur* (*Eccli.* XXVIII). Ait enim apostolus Paulus : *Volo itaque viros orare in omni loco, levantes sanctas manus sine ira et disceptatione* (*I Tim.* II). (*Ambros.*) Pacificum animum in oratione esse debere, ut ad effectum deducatur oratio. Sanctæ enim manus sunt quando cor mundum est.

CAPUT XXII.

Qualiter semper sine aliqua intermissione orare possumus.

(*Beda.*) Ait enim Dominus : *Oportet semper orare et non deficere* (*Luc.* XVIII). Et apostolus Paulus dicit : *Semper gaudete et sine intermissione orate* (*I Thess.* II). Quis autem potest ita semper orare, et sine defectu vel intermissione precibus insistere, ut nec alimentum sumendi, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est eum semper orare et non deficere, qui canonicis horis quotidie justa ritum ecclesiasticæ traditionis psalmodiis, precibusque consuetis Deum laudare et rogare non desistit; et hoc esse quod Psalmista dicebat : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII). Aut certe omnia, quæ justus secundum Deum gerit et dicit, adorationem esse reputanda. Quia enim justus sine intermissione quæ justa sunt agit, ac per hoc sine intermissione justus orabit, nec unquam ab oratione cessabit, nisi justus esse desistat. Sive enim manducet et bibat, aut dormiat justus, aut operetur, aut loquatur, aut aliud quid faciat, si ad gloriam et laudem Dei, et secundum ejus voluntatem facit, oratio est.

CAPUT XXIII.

Quod cum oratione omnia sunt agenda.

(*Ambros.*) Servus enim Dei assiduus esse debet in oratione, et, ut ait apostolus Paulus, sine intermissione orare (*I Thess.* II). Quia sedulæ preces provocant animam judicis ad dandam misericordiam. Nam et idem Apostolus admonet dicens: *Instate orationi, vigilantes in ea* (*Col.* IV) ; (*Cypr.*) docens scilicet et ostendens, eos impetrare quod postulant de Deo posse quod videat Deus in oratione vigilare. (*Aug.*) Neque die vaces neque nocte, sed cum somnus de oculis tuis ecciderit, tunc sensus tuus in oratione vigilet. (*Hieron.*) Sicut enim militi sine armis ad bellum exire non convenit, ita homini Christiano procedere quolibet sine oratione non expedit. Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat. Quidquid Christianus inchoat antea orationem ad Deum dirigat. Quidquid perficit, et hoc cum oratione perficiat. Et semper sensu, mente, voce, et opere omnipotentem Deum oret, ut ea quæ recta et ei placita sunt, faciat, sibi cogitare, velle, dicere pariter et facere, et usque ad boni operis perseverantiam, vitamque perpetuam feliciter pervenire concedat. Frequenter namque orationi insistat, et mala sua præterita cum lacryminis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteatur, et caveat ne ad hoc rursus proruat quod se fletibus planxisse cognoscit. Meminisci enim debet quod dicitur : *Ne iteres verbum in oratione tua* (*Eccli.* VII). Quo videlicet dicto vir sapiens nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Ac si aperte dicat: Cum mala gesta defleveris, nequaquam rursum facies quod in precibus iterum plangas.

CAPUT XXIV.

Quod oratio tunc pretiosior fit cum eleemosyna conjuncta fuerit.

(*Cypr.*) Orantes autem non infructuosis nec rudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum bonum excidatur et in ignem mittatur, utique et sermo non habens fructum promereri Deum non potest, qui nulla operatione fecundus est. Et ideo divina Scriptura instruit, dicens: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna* (*Tob.* XII). Nam qui in die judicii præmium pro operibus et eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operationem venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius centurio, cum oraret, meruit audiri : fuit faciens multas eleemosynas in plebe, et semper orans Deum. Huic circa nonam horam astitit angelus testimonium reddens sui operis et dicens : *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memorium coram Deo* (*Act.* X). [*Greg.*] Cito

orationes ad Deum ascendunt, quæ ad eum merita nostri operis imponunt. Unde et per Jeremiam prophetam dicitur: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum* (*Jer.* III). Ad Deum quippe corda cum manibus levare, est orationis nostræ studium cum merito boni operis imponere. De hoc et sanctus Leo papa. (*Leo.*) Oratione enim et propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiscentia carnis exstinguitur, eleemosynis peccata rediruuntur. In orationibus fides permanet recta, in jejuniis innocens vita, in eleemosynis mens benigna.

CAPUV XXV.

De jejunio exterioris interiorisque hominis.

(*Aug.*) Jejunium universam esse dicimus corporis castigationem. Non est tantummodo jejunandum a concupiscentia ciborum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum. Qui igitur corpori suo jejunia devotus injicit, principaliter renuntiet vitiis. Cupiditatum fomites comprimat, frangat impetus mentis, libidines vincat, faces avaritiæ ardentis exstinguat, latiusque factis vim dilectionis extendat, atque in alimenta pauperum abrupti apparatus impendia largiatur. Omnia ergo corporis nefanda peccata animi virtute calcentur, ut et anima sanctitate corporis adjuvetur. (*Isid.*) Hoc est enim perfectum et rationabile jejunium, quando noster exterior homo jejunat, interior orat. Facilius per jejunium oratio penetrat cœlum: jejunia fortia tela sunt adversus tentamenta dæmoniorum. Cito enim per abstinentiam devincuntur. Jejunia cum bonis operibus Deo acceptabilia sunt. Qui autem cibis abstinent et prave agunt dæmones imitantur, quibus esca non est, et nequitia semper est. Ille enim bene abstinet cibis qui et a malitiæ actibus, et a mundi jejunat ambitionihus. (*Cass.*) Unde et Cassianus ita inter cætera definiens: Nec solum nobis istud jejunium visibilium ciborum ad perfectionem cordis, et corporis puritatem sufficere posse credamus, nisi fuerit huic animæ quoque jejunium copulatum. Habet namque et illa suos noxios cibos quibus impugnata etiam sine escarum abundantia ad luxuriæ prærupta devolvitur. Detractio, cibus est ejus et quidem persuavis. Ira etiam cibus est ejus, licet minime lenis, ad horam tamen infelici esu pascens ac pariter lethali sapore prosternens. Invidia cibus est mentis, et vana gloria cibus est ejus. Omnisque concupiscentia et pervagatio cordis instabilis, pastus quidam est animæ noxiis escis eam nutriens. Si enim corporaliter jejunantes perniciosissimis animæ vitiis implicemur, nihil nobis proderit carnalis afflictio pretiosiore parte pollutis. Oportet ergo exteriorem hominem jejunantem, interiorem quoque similiter cibis noxiis temperare.

CAPUT XXVI.

Quod illud est perfectum jejunium, quod cum oratione et misericordia commendatur.

(*Aug.*) Necessaria animæ nostræ sunt jejunia, sicut vulneribus medicina. Medelam enim conferunt vitæ perpetuæ, ita tamen ut duarum rerum testimonio commendentur, id est oratione et misericordia. Quod per solum jejunium prodesse non posse facundissimus doctor Cassianus in vicesima prima collatione propheticis demonstrat testimoniis, ita quorumdam, inquit, per prophetam Dominus jejunium detestatur, ex quorum persona cum sibi objiciens ante dixisset: *Quare jejunavimus et non aspexisti? humiliavimus animas nostras et nescisti?* Confestim subjiciens prodidit causas cur non mererentur audiri: *Ecce* inquit, *in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque in hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum et saccum et cinerem sternere? Nunquid istud vocabis jejunium et diem acceptabilem Domino (Isa.* LVIII)? Deinde infert, dicens quomodo acceptabilis fiat continentia jejunantis, atque evidenter enuntiat per se solum jejunium prodesse non posse, nisi has quæ subjiciuntur causas habuerit consequentes. *Nonne hoc est*, inquit, *jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet, clamabis, et dicet: Ecce adsum* (*Ibid.*). Videtis ergo jejunium nequaquam principale bonum a Domino judicari, eo quod non peripsum, sed per alia opera bonum ac Deo beneplacitum fiat Et rursum ex accedentibus causis non solum vanum, verum etiam odibile censetur, dicente Domino: *Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum* (*Jer.* XIV). [*Greg.*], Illud ergo jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos, manus eleemosynarum levat. Quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur, hoc ergo quod tibi subtrahis alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Hinc etenim per prophetam Dominus dicit: *Cum jejunaretis et plangeretis, nunquid jejunium jejunatis mihi? Et cum comeditis et bibitis, nunquid non vobis comeditis et vobismetipsis bibitis* (*Zach.* VII)? Sibi enim comedit et bibit, qni alimenta corporis, quæ sunt communia bona Conditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quisque jejunat, si ea quæ ad tempus subtrahit non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Hinc per prophetam Joel dicitur: *Sanctificate jejunium* (*Joel.* I). Jejunium quippe sanctificare est adjunctis bonis aliis, dignam Deo abstinentiam carnis ostendere.

CAPUT XXVII

De eleemosyna.

(*Aug.*) Qui enim vult ordinate dare eleemosynam

a seipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Propter hoc renascimur ut Deo placeamus, cui merito displicet, quod noscendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna quam nobis debemus.

CAPUT XXVIII.

Quod multiplex sit eleemosynarum virtus.

(Aug.) *Date eleemosynam,* ait Dominus *et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Non solum ergo qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, et quod cuique necessarium indigenti, verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat. Et qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus quod ab illo læsus vel offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur; non solum in eo qnod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, et aliqua emendatiora pœna plectit, eleemosynam dat, qui misericordiom præstat. (*Cypr.*) Raphael quoque angelus ut eleemosyna libenter ac largiter fiat hortatur, dicens: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna* (*Tob.* XII). Quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata. Ostendit orationes nostras ac jejunia minus posse, nisi eleemosynis adjuventur. Deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum et operum accessione socientur. Revelat angelus et manifestat et firmat eleemosynis petitiones nostras efficaciores fieri, eleemosynis vitam e periculis redimi, eleemosynis animas a morte liberari. (*Isid.*) Duæ namque sunt eleemosynæ: Una corporalis, egenti dare quidquid potueris; altera spiritalis, dimittere a quo læsus fueris.

CAPUT XXIX.

De laude et utilitate eleemosynarum.

Vendite, inquit Dominus, quæ possidetis, et date eleemosynam (*Luc.* XI). Et iterum: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XII). Et Salomon ait: *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ Qui autem miseretur pauperi, beatus erit* (*Prov.* XIII). Et iterum Scriptura: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis et hæc pro te exorabit ab omni malo* (*Eccli.* XXIX). Ignem ardentem exstinguit aqua, ita et eleemosyna peccatum. Et iterum: *Qui obturat aures suas ne audiat pauperem, et ipse invocabit Dominum, et non erit qui exaudiat eum* (*Prov.* XXI). (*Cyprian.*) Neque enim misericordiam Dei mereri poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod iterum in psalmis Spiritus sanctus declarat et probat dicens: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus* (*Psal.* XL). Nam et Daniel regi Nabuchodonosor legitur tale dedisse consilium: *Propterea, rex, placeat tibi consilium meum, et peccata tua eleemosynis redime, et injustitias tuas miserationibus pauperum, et erit Deus parcens peccatis tuis* (*Dan.* IV). Quod si peccata sua redimere voluisset, potuisset utique evadere mala quæ perpessus est. Deus enim eleemosynas pauperum fæneratur, et cum datur minimis Christo datur. Ipse enim judicio suo dicturus est: *Esurivi et dedistis mihi manducare; sitivi et dedisti mihi potum; nudus fui, et vestistis me; hospes, et collegistis me; infirmus et in carcere, et visitastis me, et* cætera. Et*: Quod fecistis uni de minimis meis, mihi fecistis.* Et tunc audient vocem illam beatam: *Venite, benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum ab origine mundi* (*Matth.* XXV).

CAPUT XXX.

Quod per eleemosyngm omnium peccatorum tribuatur remissio.

Beatus namque Tobias filium monens ut eleemosynam faceret, ait inter alia: *Ex substantia tua fili mi, fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat et non patietur animam ire in tenebras* (*Tob.* IV).

CAPUT XXXI.

Quam pie ac salubriter ad eleemosynæ studium divina nos instruat Scriptura.

Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam (*Tob.* IV). Hinc et per quemdam sapientem dicitur: *Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes et oculos tuos ne transvertas a paupere. Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti* (*Eccli.* X). Igitur quicunque de virtute eleemosynæ plura noscere cupit, legat librum sanctissimi martyris Cypriani, quem de Eleemosyna scripsit; et beati Maximini, Taurinensis episcopi, librum quem et ipse de Eleemosyna scripsit, et sufficienter inveniet.

CAPUT XXXII.

De humilitate.

(*Basil,*) Hvmilitas quidem hæc est, ut omnes homines æstimemus superiores nobis, et omnibus nos inferiores et viliores non solum humili pronuntiemus sermone, sed etiam intimo credamus cordis affectu.

CAPUT XXXIII.

De laude humilitatis.

Dominus ac Redemptor noster ut ad humilitatem nos provocaret, per Evangelium suum formam nobis humilitatis ostendit, dicens: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Ipse etenim per prophetam dicit:

Ad quem autem respiciam, nisi ad humilem et quietum et trementem sermones meos? (*Isa.* LXVI) Hinc beatus Petrus apostolus ait : *Omnes autem invicem humilitatem insinuate. Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* V). Esto in humilitate fundatus, esto omnium novissimus. Humilia te ut exalteris. Minimum te fac omnibus, nulli te præponas, nulli te superiorem deputes. Æstima omnes superiores esse tibi, quamvis summus sis. Humilitatem tene, quia si humilitatem tenueris, gloriosus eris. Quantum enim humilior fueris, tantum te sequitur altitudo gloriæ. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltatus humilieris. Humilitas autem casum nescit, humilitas lapsum non novit. Qui enim sibi vilis est ante Deum magnus est. Et qui sibi displicet Deo placet. Esto igitur parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Tantum enim eris ante Deum pretiosior, quantum fueris ante oculos tuos despectior. Porta quoque semper verecundiam in vultu de recordatione peccati. Pulvis es, in pulvere sede. Cinis es, in cinere vive. In summo honore summa tibi sit humilitas, non te extollat honor. Tanto majori humilitate perspicuus esto, quanto magis fueris dignitate prælatus. (*Greg.*) Occasio igitur perditionis nostræ facta est superbia diaboli, et argumentem redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis enim noster inter omnia conditus videri super omnia voluit elatus, Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Ergo dicatur humilibus, quia dum se dejiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt. Dicatur elatis, quia dum se erigunt, in apostatæ angeli imitationem cadunt.

CAPUT XXXIV.

Quod per auctoritatem humilitatis sancti viri culpas delinquentium feriunt.

Sancti enim viri per auctoritatem humilatis nullis potestatibus contra veritatem agentibus parcunt. Sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt. Hinc est enim quod a deserto Moyses veniens Ægypti, regem ex auctoritate aggreditur dicens: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Usquequo non vis subjici mihi? Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Cui dum plagis oppressus Pharao diceret : Ite, sacrificate Deo vestro in terra : aucta protinus auctoritate respondit: Non potest ita fieri, abominationem enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro (*Exod.* V). Hinc enim est quod peccantem regem Nathan aagreditur, cui prius similitudinem perpetratæ prævaricationis objiciens eumque reum per proprii judicii vocem tenens, protinus subjunxit, dicens : *Tu es ille vir qui fecisti hanc rem* (*II Reg.* XII). Hinc est quod vir Dei ad destruendam idololatriam Samariam missus, Jeroboam regem super altare thura jacientem, non regem veritus, non formidine mortis pressus, contra altare intrepidus auctoritatem liberæ vocis exercuit, dicens : *Altare, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum* (*III Reg.* XIII). Hinc est quod Achab superbus, idolorum servitio subactus, cum increpare Eliam præsumeret, dicens : *Tu es ille qui conturbas Israel?* Elias protinus superbi regis stultitiam objurgatione liberæ auctoritatis percussit, dicens : *Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui, qui derelipuistis mandata Domini, et secuti estis Baalim* (*III Reg.* XVIII). Hinc est quod Eliseus veram magistri celsitudinem sequens, eumdem Achab ad se cum Josaphat rege venientem ex reatu perfidiæ confudit, dicens : *Quid tibi et mihi? Vade ad prophetas patris tui et matris tuæ.* Et : *Vivit Dominus exercituum in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, nec attendissem quidem te, nec respexissem* (*IV Reg.* III). Hinc est quod idem vir Naaman ad se cum equis et cunibus venientem ante ostium fixit, et talentorum copia ac vestium fulto non occurrit, non januam domus aperuit, sed ut lavare septies in Jordane debuisset per nuntium jussit. Unde et idem Naaman iratus recedebat dicens : *Putabam quod egrederetur ad me* (*IV Reg.* V). Hinc est quod Petrus cum eum sacedotes et principes, etiam per flagella sævientes, in Jesu nomine loqui prohiberent, cum magna protinus auctoritate respondit dicens : *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui* (*Act.* IV). Hinc est quod Paulus cum resistentem contra veritatem sacerdotum principem cerneret, eumque minister illius alapa percussisset, non maledictum perturbatus intulit, sed repletus Spiritu, libera voce prophetavit, dicens : *Percutiet te Deus, paries dealbate : et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti?* (*Act.* XXIII.) Hinc est quod Stephanus contra vim persequentium auctoritatem vocis exercere nec moriturus expavit, dicens : *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis sicut et patres vestri* (*Act.* VII). Sed quia sancti viri ad verba tantæ altitudinis, zelo veritatis, non autem vitio elationis exsiliunt, ipsi patenter indicant qui factis dictisque aliis, et quanta humilitate polleant, et erga eos quos redarguunt quanta charitate ferveant, manifestant. Superbia quippe odium generat, humilitas amorem. Verba itaque quæ amor exasperat, profecto ex fonte humilitatis manant. Quomodo ergo Stephanus proferre increpationem per elationem potuit, qui pro eisdem, quos increpaverat, ad deteriora crescentibus, seque lapidantibus flexis genibus oravit, dicens : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum?* (*Act.* VII.) Quomodo Paulus contra gentis suæ sacerdotem ac principem asperitatis verba superbiens, intulit, qui humilitate se etiam discipulorum servitio substernit, dicens : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum. Nos autem servi vestri per Christum?* (*I Cor.* I.) Quomodo Petrus per elationem principibus restitit, quorum errorem compa-

tiens, velut reatum excusat, dicens: *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Deus, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit sic* (*Act.* III). Quos ad vitam misericordia trahit, dicens: *Pœnitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra* (*Ibid.*). Quomodo Eliseus videre Naaman ex elatione noluit, qui non solum se conspici, sed teneri se etiam a muliere permisit? De qua scriptum est: *Cumque venisset ad virum Dei in monte, apprehendit pedes ejus, et accessit Giezi ut amoveret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine est* (*IV Reg.* IV). Quomodo Elias superbo regi increpationis verba propter tumorem intulit, qui ante illius currum humiliter cucurrit, sicut scriptum est: *Accintusque lumbis currebat ante Achab?* (*III Reg.* XIII). Quomodo Jeroboam præsentiam ex elatione despexit, qui arentem dextram ejus saluti pristinæ protinus ex pietate reparavit, sicut scriptum est: *Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem clamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum, et exaruit manus ejus?* (*Ibid.*) Et paulo post: *Oravit vir Dei faciem Domini, et reversa est manus ejus ad eum, et facta est sicut prius fuerat* (*Ibid.*). Quia superbia gignere virtutes nescit, quanta ex humilitate prodiit vox increpationis ostenditur, quam signa comitantur. Quomodo Nathan contra David regem per verba increpationis tumuit, qui cum increpanda culpa in terram ejus conspectui pronus stravit, sicut scriptum est: Nuntiaverunt regi dicentes: Adest Nathan propheta; cumque introisset ante conspectum regis, adoravit illum pronus in terra? Quomodo Moyses regi Ægyptio libere resistens eum despicere potuit, qui Deo familiariter colloquens, sequentem se Jethro cognatum humilis adoravit, cujus etiam consilio tantam obedientiam præbuit, ut post secreta Dei colloquia magnum lucrum doceret, quod foris ab ore hominis audiret? Ex aliis ergo sanctorum factis discimus quid de aliis pensare debeamus. Sancti etenim viri nec ex elatione sunt liberi, nec ex timore submissi, sed cum eos rectitudo ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propriæ in humilitate custodit. Culpas quippe delinquentium, et si ex alto increpantes feriunt semetipsos tamen apud se subtilius judicantes, quasi in abjectos ponunt. Et quo prava in aliis insequuntur, in eo ad reprimendos se atrociores reddunt. Rursumque quo sibimet meliora agentibus nequaquam parcunt, eo vigilantius aliena reprehendunt. Quid enim de humana potentia mirari poterunt qui semetipsos quoque despiciunt, etiam cum intime per eam arcem sublimitatis apprehendunt? Idcirco igitur bene foris dijudicant altitudinem terrenæ celsitudinis, quia intus oculum non gravat pondus tumoris.

CAPUT XXXV.

De patientia.

(*Cypr.*) Patientia vera est aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat nullo dolore morderi. Nam qui sic proximi mala portat, ut tamen tacitus doleat, et tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit. Scriptum quippe est: *Charitas patiens est, benigna est* (*I Cor.* XIII). Patiens namque est, ut aliena mala toleret. Benigna vero est, ut ipsos etiam quos portat amet.

CAPUT XXXVI.

De laude patientiæ.

(*Cypr.*) Patientia autem, fratres dilectissimi, non tantum bona custodit, sed et repellit adversa, Spiritum sanctum fovens, et cœlestibus ac divinis cohærens contra facta carnis et corporis (quibus anima expugnatur et capitur) virtutum suarum propugnaculo reluctatur. Late patet patientiæ virtus, et ubertas ejus et largitas de unius quidem nominis fonte proficiscitur, sed ex undantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur. Nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam gloriam, nisi inde consummationis accipiat firmitatem. Patientia est quæ iram temperat, quæ linguam frenat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumorem violentia comprimit, incendium simultatis exstinguit. Coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet. Tuetur in virginibus beatam integritatem. in viduis laboriosam castitatem, in conjugatis et maritatis individuam castitatem. Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias et contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere, si ipse delinquas, diu et multum rogare. Tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ firmamenta firmiter munit. Ipsa est quæ incrementa spei sublimitate perhibet. Ipsa dirigit ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam ingredimur. Ipsa efficit ut perseveremus filii Dei, dum patientiam patris imitamur. Hæc enim Christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui erge fuerit patientior ad injuriam potentior constituetur in regno.

CAPUT XXXVII.

Exempla sanctorum Patrum de patientia.

(*Cypr.*) Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in Epistola sua ponit et dicit: *Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui cum malediceretur non remaledicebat, cum pateretur non comminabatur. Tradebat autem se judicanti injuste* (*I Petr.* II). Invenimus denique et patriarchas et prophetas, et justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum, quam quod patientiam forti et stabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel originem martyrii et passionem justi hominis initians

primus et dedicans, adversus fratrem fratricidam non A resistit nec reluctatur, sed humilis et mitis patienter occidit. (*Bern.*) Noe per centum annos in ædificationem arcæ longos sustinuit labores, sed hos patienter et sine murmuratione pertulit. (*Cypr.*) Sic Abraham Deo credens et radicem ac fundamentum fidei primus instituens, tentatus in filio non dubitat nec cunctatur, sed præceptis Dei tota patientia devotionis obsequitur. Et Isaac ad hostiæ Dominicæ similitudinem præfiguratus, quando a patre immolandus offertur, patiens invenitur. Et Jacob fugatus a fratre de domo sua patienter excedit, et majore patientia postmodum supplex adhuc magis impium et persecutorem muneribus pacificis ad concordiam revocat. Joseph venundatus a fatribus et relegatus, non tantum patienter ignoscit, sed et B gratuita frumenta venientibus largiter et clementer impertit.

(*Greg.*) Moyses ab ingrato et perfido populo contemnitur frequenter et pene lapidatur, et tamen lenis et patiens pro eisdem Dominum deprecatur. Samuel vero ab scelerato populo de principatu ejicitur, et tamen pre eisdem lacrymosis precibus patiens Dominum supplicat. (*Cypr.*) In David vero, ex quo secundum carnem Christi nativitas oritur, quam magna et mira et Christiana patientia, habuisse in manu sæpe ut Saul regem persequentem se et interficere concupiscentem, potuisse occidere, et tamen subditum sibi et traditum maluisse servare, nec rependisse inimico vicem, sed occisum adhuc insuper et vindicasse. (*Joan. Chrys.*) Isaias propheta patiens a perfidis sectus esse perhibetur. Jeremias propheta nervo religatus, sed cuncta pro Do- C mino patienter pertulisse legitur. Ezechiel in captivitate positus patiens per omnia fuisse cognoscitur. Daniel in lacum leonum mittitur, et patiens in omnibus tribulationibus pro Dei amore fuisse reperitur. Tres pueri in camino ignis missi pro Dei amore patienter sustinuerunt, unde et in sancta Ecclesia celebre nomen promeruerunt. Job orbitate filiorum percussus, substantiaque innumera privatus, tormentis gravioribus corporis sui afflictus, ab uxore multis opprobriis vexatus, ab amicis irrisus, nunquam ex ore suo indignum protulit sermonem, sed omnia patienter pertulit. Tobias cœcitate percussus, ab uxore improperatus, nunquam ex ejus ore sermo murmurationis exivit, sed patiens in omnibus D semper fuisse cognoscitur. Machabæi martyres innumera pro lege Dei sui patienter sustinuerunt tormenta. Joannes Baptista ab impiissimo Herode rege in carcerem truditur, ibique patienter pro veritatis assertione capite plectitur. Petrus apostolorum princeps (sicut in Actis apostolorum legitur) cum cæteris suis coapostolis sæpe flagellatur pro Divinitatis cultu, patiens et gaudens semper fuisse reperitur. Unde dicit Scriptura : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quod digni habiti sunt prq nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* IV). Paulus apostolus multa pro Christi amore passus est, quæ etiam enumerari difficile est : carceres, vincula, verbera, flagella, supplicia. A Judæis lapidatur, virgis cæditur, præcipitatur, latrones incurrit, ab inimicis fratribus insidias perfert ; intus timor est, foris pugna. Patitur famem, nuditatem, calumnias, insidias, tribulationes. Bestias tolerat, et quid opus est multa dicere? quotidie moritur, et tamen in his omnibus gaudet et gloriatur, atque patiens et exsultans dicit : *Gaudeo autem in passionibus meis* (*Col.* I). Et iterum *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus* (*Rom.* V). Si ergo tanta patiens gaudebat et gloriabatur, quæ erit venia, quæ excusatio his qui pro parvis injuriis ac verberibus, aut qualibuscunque tribulationibus, quæ utique illis inferiores sunt, impatientes existunt? Joannes apostolus et evangelista in dolio ferventi missus, et in insula Pathmos exsilio relegatus, cuncta adversa sibi illata patienter propter amorem Christi tolerat. Stephanus ab apostolis diaconus ordinatus, inter manus lapidantium corde pacifico pro suis ipsis inimicis, fixis in terra genibus, deprecatur. Ecce enim cognoscimus, divina nos instruente Scriptura, quia sancti patres nostri qui nos præcesserunt, per virtutem patientiæ cœlestes coronas promeruerunt. (*Greg.*) Servate ergo fratres, in mente patientiam, eamque, cum res exigit, exercete in operatione, nulla vestrarum rerum vos damna perturbent. Si enim fixa mente mansura damna pertimescitis, damna rerum transeuntium gravia non putatis. Si æternæ retributionis gloriam conspicitis, de temporali injuria non doletis. Tolerate ergo adversarios vestros, sed ut fratres diligite quos toleratis.

CAPUT XXXVIII.

Testimonia sacrarum Scripturarum de patientia.

Dominus ac redemptor noster, qui *princeps pacis* a propheta appellatur (*Isa.* IX), in cujus secundum carnem nativitate angelorum cecinit exercitus: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Qui antequam ad cœlestia carne ascenderet ait : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XVI). Sic et apostolus Paulus ait : *Patientia vobis necessaria est ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem* (*Hebr.* X). Item : *Pacem sequamini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit.* (*Hebr.* XIII). Hinc Jacobus ait: *Patientia autem opus perfectum habeat, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* I). Hinc Salomon ait : *Melior est patiens viro forti ; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov.* XVI). Pacem igitur, charissimi, habeamus, quia pacificos et concordes Deus in domo sua habitare præcepit, ut qui filii Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus, et quibus spiritus unus est, unus sit et animus et sensus (*Cypr.*) Beatissimus namque martyr Cyprianus elegantissimus de Bono patientiæ scripsit librum, quem qui legere voluerit, ple-

niter in eo, quale sit bonum patientiæ, invenire poterit.

CAPUT XXXIX.

De tolerantia.

(*Greg.*) Si filii electorum sumus, restat necesse est ut per eorum exempla gradiamur. Bonus enim non fuit qui malos tolerare recusavit. Hinc namque est quod de semetipso beatus Job asserit dicens : *Frater fui draconum et socius struthionum* (*Job.* XXX). Hinc per Salomon Sponsi voce sanctæ Ecclesiæ dicitur : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.*. II). Hinc ad Ezechielem Dominus dicit *cap.* II) : *Fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas; quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas* Hinc Petrus beati Lot vitam glorificat dicens : *Et* B *justum Lot oppressum a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit. Aspectu enim et auditu justus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant* (*I Petr.* II). Hinc Paulus discipulornm vitam et laudat et roborat dicens : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in meridie, verbum vitæ, continentes* (*Philip.* II). Hinc Joannes Pergami Ecclesiæ attestatur dicens : *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ : et tenens nomen meum, non negasti fidem meam* (*Apoc.* II). Ecce, fratres charissimi, pene omnia percurrendo cognoscimus, quia bonus non fuit, quem malorum pravitas non probavit, ut enim ita loquar, ferrum nostræ animæ nequaquam producitur ad subtilitatem acuminis, si C hoc non eraserit alienæ lima pravitatis. Toleremus igitur, adversarios nostros, sed sine cessatione amemus quos toleramus, eisque quæcunque possumus bona hilari animo tribuamus. Quia hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Hinc Dominus in Evangelio ait : *Diligite inimicos vestros*; *bene precemini, his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut scitis filii Patris vestri, qui in cœlis est* (*Matth.* V).

CAPUT XL.

Qualis debeat esse tolerantia servorum Dei tempore tribulationis.

Oportet te, o Christiane, inter odia cordium, inter probra linguarum, inter ipsas persequentium ma- D nus æquali, imo lætiori, semper corde versari. Et si tibi ablatæ fuerint facultates tuæ, dic : *Nudus exivi de utero matris meæ, nudus et hinc abscedam* (*Job* I). Adde et illud apostolicum : *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus* (*I Tim.* VI). Audis te maledici et infamari apud homines et contumeliis onerari, recordare et ante oculos pone verbum Domini, quibus ait : *Væ vobis, cum benedixerint vobis omnes homines* (*Luc.* VI). Et iterum : *Gaudete et exsultate, cum ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis* (*Ibid.*). Expulsus es patria et domo recordare quia non ha- A bemus hic permanentem, sed futuram inquirimus. Quid te ergo patriam putas perdidisse qui in tota terra peregrinus es? Sed et si ægritudinem incurristi gravissimam, utere apostolico illo sermone, quo ait : Nam etsi *is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV). In carcerem inclusus es et mors crudelis imminet et intentatur, adhuc ante oculos Joannem in carcere cervice cæsum, et tamen prophetæ caput saltatrici puellæ in mercedem libidinis datum. Hæc ergo singula cum inferuntur injuria, sed eorum quæ pro his retribuuntur gloria, non solum a peccatis absolvitur qui hoc patitur, sed et justitias acquirit, tantum est ut fides eum constantiaque non deserat.

CAPUT XLI.

De indulgentia.

Ait Dominus : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester, qui in cœlis est, peccata vestra. Sin autem non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI). Hinc Petrus ait : *Non reddentes malum pro malo, nec maledictnm pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditatis possideatis* (*I Petr.* III). Hinc Paulus ait : *Cum patientia supportantes invicem* (*Ephes.* IV), et donantes vobismetipsis. Si quis adversus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donavit vobis, ita et vos facite, nulli malum pro malo reddentes. Hinc divina Scriptura dicit : *Ne quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum* (*Levit.* XIX). Hinc Salomon ait : *Ne dicas : Reddam malum*, pro malo ; *exspecta Dominum et liberabit te* (*Prov.* XX). Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Igitur quicunque remissionem suorum vult accipere peccatorum, dimittat omnibus in se peccantibus ; quia talem unusquisque indulgentiam accepturus est a Domino, qualem et ipse dederit proximo suo.

CAPUT XLII.

De misericordia.

Misericordia, compatiendo alienæ miseriæ, vocabulum sortita est. Omnia peccata misericordiæ opibus expurgantur, sed jam caveat peccare qui misericordiam impertitur. Cæterum nulla est delicti venia, cum sic præcedit misericordia, ut eam sequantur peccata. Nullus autem in alieno misericors esse potest, qui prave vivendo in se misericors non est. Qui enim sibi nequam est, cui bonus? Nulla scelera misericordiis redimi possunt, si in peccatis quisque permanserit. Tunc autem fructum misericordiarum consequitur indulgentia, cum ab scelerum opere desinitur. Misericordes igitur simus ad omnes, ut et ipsi misericordiam consequamur a Domino, ipso dicente : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* VI). Et iterum : *Estote igitur misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (*Luc.* VI). Hinc Paulus ait : *Estote autem invicem benigni, misericordes : induite vos sicut electi Dei viscera*

misericordiarum (*Ephes.* IV). Hinc Salomon ait: *Facere misericordiam et judicium magis placet Domino quam victimæ* (*Prov.* XXI). Hinc per quemdam sapientem dicitur: *Qui facit misericordiam, offert sacrificium* (*Eccli.* XXXV).

CAPUT XLIII,

De compassione.

Per Evangelium namque suum admonet nos Dominus dicens: *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis: hæc est enim lex et prophetæ* (*Matth.* VII). Quod tibi accidere non vis, nec proximo tuo cupias evenire. Condole in alienis calamitatibus, satiare fletibus, in alienis laboribus, in tribulatione alterius, et tu esto tristis. Talis esto aliis quales optas esse circa te alios. Quod non vis pati non facias, nec inferas alio mala, ne patiaris similia. Ita clemens esto in alienis delictis sicut in tuis, ut nec aliter te, nec aliter alios penses. Et sic alios judica ut judicari cupis. In tribulatione positis subvenire non cesses, dolentem consolari, ne dimittas.

CAPUT XLIV.

De castitate.

Castitas enim fructus suavis est, pulchritudo inviolata sanctorum castitas, securitas mentis, sanitas corporis. Nisi enim unusquisque castus perseveraverit, ad perpetuam requiem pervenire, et Deum videre non poterit testante Paulo apostolo: *Pacem sectamini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII). Hic quoque evidenter sine sanctimonia (qua solet integritatem mentis vel puritatem corporis appellare) pronuntiavit Deum penitus videri non posse. (*Cassiod.*) Hinc per eumdem apostolum dicitur: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore et sanctificatione, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum*)*I Thess*, IV). Amemus igitur castitatem, quia castas mentes castaque corpora Deus inhabitat, luxuriosas autem et immundas condemnat. Quanta enim bona quis fecerit, licet oret, licet noctes in orationibus et vigiliis pervigiles ducat, licet omnem substantiam suam pauperibus tribuat, licet inedia et per jejunia longa corpus suum atterat, licet cætera divina præcepta adimpleat, si castitatem non habuerit, nihil ei proderit. Unde et Dominus in Evangelio præcepit dicens: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII). Duo autem sunt quæ jubentur, et lumbos restringere, et lucernas tenere, ut et munditia sit castitatis in corpore, et lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest, si autem is qui bona agit adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit, aut is qui castitate præeminet necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquid sine castitate.

CAPUT XLV.

De obedientia.

Obedientia est via sancta quæ sectatores suos ad cœlestem perducit patriam; per hanc viam Dominus noster Jesus Christus propter nos et propter nostram salutem ambulare dignatus est, de quo Paulus dicit Apostolus: *Factus est Christus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II). Per hanc Abraham patriarcha cucurrit, cum ad imperium Domini dilectum filium tad immolandum duxit. Per hanc apostoli sancti Petrus et Andreas ad vocationem Domini, relictis retibus, secuti sunt eum. Per hanc viam Matthæus secutus est Dominum, relicto telonaico lucro. Per hanc viam sanctam omnes patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres, cæterique electi meruerunt pervenire ad Deum. Licet arcta sit et angusta via, tamen viatores suos ad perpetuam perduxit vitam, dicente Domino: *Arcta et angusta est via quæ ducit ad vitam* (*Marc.* VII). Non enim durum tibi et asperum videatur, cum audis arctam et angustam viam esse obedientiam, sed magis gaude propter hoc quod subsequitur: quæ ducit ad vitam. Si enim homines propter regis jussionem aut alicujus potentis hominis, in exteras regiones, et etiam in transmarina et peregrina, et omnino incognita, et valde periculosa loca, propter aliquod temporale lucrum (quod cum habuerint statim illis abstrahi potest), in tantum obedientes existunt ut etiam per innumeras regiones et patrias, per difficultates terrarum, per aspera et dura itinera, per periculosa naufragia fluminum, per terribiles undas fluctusque marinos, inter hostiles gladios, inter latronum insidias, inter inimicorum incursus, voluntarie et alacriter discurrunt, et hæc omnia sustinent, dimissa propria regione, dimissis parentibus, patre, matre, fratribus, sororibus, propinquis, uxoribus, filiis, domibus, mancipiis, cunctaque substantia, quos licet plangant amici, lugeant parentes, plorent filii, contristentur mancipia, nescientes utrum eos amplius jam visuri sint, an non illos nihil horum a jussione illius qui jussit potest retrahere, sed tota intentione potentis hominis, qui hodie est et forsitan crastina non erit, obedientiam exhibent? Sicut enim jam diximus, ideo hæc omnia tolerant, ut pro his commodum aliquod lucri terreni accipiant, si illi hoc faciunt propter hominem potentem post pauca moriturum, et propter lucra illa periturum, quid nos miseri in die judicii Deo nostro in excusatione nostra dicturi sumus, qui ejus sanctis ac salubribus jussionibus inobedientes existimus, et monitis salubribus patrum nostrorum non obtemperamus? Quod enim homines sæculi faciunt propter rem perituram, faciant milites Christi propter gloriam sine fine mansuram. Quod enim illi obedientes existunt propter inanem extollentiam, fiant servi Christi obedientes. propter indeficientem excellentiam. Quod enim illi obedientes fiunt propter perituram gloriam perituri hominis, fiant famuli Christi obedientes, propter perpetuam gloriam perpetui Redemptoris. Nulla igitur segnitia, nulla inso-

lentia, nulla tarditas, nulla pigritia, a bono obedientiæ opere nos retrahat, quia etsi aspera est via qua itur, tamen beata est patria ad quam pervenitur. Obedientes igitur simus patribus et senioribus nostris in quantum secundum Deum exhibent jussionem; si autem contra Deum est quod imperant, dicamus eis humiliter et reverenter: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* v).

CAPUT XLVI.

Qualiter subditi obedientes sint præpositis suis.

Existimamus igitur, fratres charissimi, hilari animo, mente promptissima obedientes prælatis et patribus nostris, quia divina vox imperat nobis per Paulum apostolum dicens: *Obedite præpositis vestris in Domino et subjacete eis* (*Hebr.* XIII). Quanto enim humiliores et obedientiores fuerimus, tanto levius super nos ac dulcius jugum Domini sentiemus. Quanto obedientiores fuerimus præpositis et patribus nostris, in tantum obediet Deus orationibus nostris. Citius enim exauditur una obedientis oratio quam decem millia contemptoris. Sancta enim intentione et cum omni velocitate jussis seniorum nostrorum obtemperemus, et mox ut aliquid nobis imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciamus in faciendo, quia obedientia quæ majoribus perhibetur, Deo exhibetur Ipse enim dixit: *Qui vos audit, me audit* (*Luc.* x). Pro Dei autem amore omni obedientia nos subdamus majoribus nostris, ut imitatores valeamus esse Domini nostri, de quo dicit Apostolus: *Factus est Christus obediens usque ad mortem*)*Phil.* II).

CAPUT XLVII.

Quomodo invicem obedire debemus.

Invicem obedire debemus, sicut servi Domini secundum quod præcepit Dominus, quia qui vult in vobis esse magnus, fiat omnium novissimus, et omnium servus (*Matth.* xx). Quibus addidit, ut magis nos inclinet ad humilitatem: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Ibid.*). Sed et illud quod ab Apostolo dictum est: *Per charitatem spiritui servite invicem* (*Gal.* v).

CAPUT XLVIII.

Qui vere Deum diligunt ultra vires suas obedire desiderant.

Qui fideliter et pure Deum diligit, et certus est de retributione Domini, nec sufficere sibi putat ea quæ injunguntur, sed semper augmenta operis quærit, et majora quæ injunguntur desiderat et exoptat, etiamsi supra vires esse videatur quod facit, nec aliquando securus est tanquam opere expleto, sed e contrario sollicitus est et anxius tanquam qui nihil dignum præceptis Evangelicis egerit, memor illius Dominici sermonis dicentis: *Cum autem feceritis omnia quæcunque præcepi vobis, tunc dicetis: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus* (*Luc.* XVII).

CAPUT XLIX.

De laude et qualitate obedientiæ.

Sola namque virtus est obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertas custodit. Unde et primus homo præceptum quod servaret, accepit, cui se si vellet obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perveniret. Hinc Samuel ait: *Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum* (*I Reg.* xv). Obedientia quippe victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placeat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat. Sed quia nonnunquam nobis hujus mundi prospera, nonnunquam vero jubentur adversa. sciendum summopere est, quod obedientia aliquando. si de suo habeat aliquid, nulla est; aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cum hujus mundi successus præcipitur, et cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda hujus vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis servit. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci et contumeliæ jubentur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ meritum sibi minuit, quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit.

Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra hujus sæculi nequaquam ex parte aliqua, etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia et in adversis ex suo aliquid habere, et rursum in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere, quatenus et in adversis tanto sit gloriosor, quanto divino ordine etiam ex desiderio jungitur. Et in prosperis tanto sit verior quanto a præsenti ipsa, quam divinitus percipit, gloria funditus ex mente separatur. Sed hoc virtutis pondus melius ostendimus, si cœlestis patriæ duorum heroum memoramus, Moyses namque cum in deserto oves pasceret a Domino per angelum in igne loquente vocatus est, ut eripiendæ omni Israelitarum multitudini præesset. Sed quia apud se mente humilis exstitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens: *Obsecro, Domine, non sum eloquens; ab heri enim et nudius tertius, ex quo cœpisti loqui ad servum tuum, tardioris et impeditioris linguæ factus sum* (*Exod.* IV); et se potposito alium deposcit, dicens: *Mitte quem missurus es* (*Ibid.*). Ecce cum auctoritate linguæ loquitur et ne tanti regiminis potestatem suscipiat, elinguem se esse causatur. Paulus quoque divinitus fuerat admonitus, quando Hierosolymam ascendere deberet, sicut ipse Galatis dicit: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam, assumpto Barnaba et Tito. Ascendi autem secundum revelationem* (*Gal.* II). Isque in itinere cum prophetam Agabum reperisset, quanta se adversitas in Hierosolymis maneret, audivit.

Scriptum quippe est: *Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt in Jerusalem Judæi* (*Act.* XXI). A Paulo autem protinus respondetur: *Ego non solum alligari.*

sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu (*Ibid.*); neque enim prætiosiorem facio animam meam. Perceptione igitur revelationis Hierosolymam pergens, adversa cognoscit, et tum libenter appetit, audit quæ timeat, sed ad hæc ardentior anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia precibus remittitur ne Israeliticæ plebi præferatur. Paulus adversa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritus etiam ad acriora fervescit. Ille præsentis principalitatis gloriam, Deo jubente, voluit declinare. Iste, Deo aspera et dura spondente, se studuit ad graviora præparare. Praeeunte ergo utrorumque ducum infracta virtute, instituimus ut si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione militemus. Sciendum vero est nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur intermitti. Neque enim mala in paradiso arbor exstitit, quam Deus homini, ne contingeret, interdixit. Sed ut per melius obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat ut hunc etiam a bono prohiberet, quatenus tanto verius hoc quod ageret virtus esset, quanto et a bono cessans auctori suo se subditum humilius exhiberet.

CAPUT L.

De opere manuum.

Oportet enim militem Christi operari manibus suis, ita ut quibuslibet variis officiorum artibus, laboribusque studium suum impendat, sequens loquentem Apostolum qui dicit : *Neque panem gratis manducavimus, sed in labore et fatigatione nocte et die laborantes* (*I Thess.* III). Et iterum : *Qui non vult operari non manducet* (*Ibid.*). Per otium enim libidines et noxiarum cogitationum nutrimenta concrescunt. Per laboris vero exercitium vitia nihilominus clabuntur. Patriarchæ namque greges paverunt, et gentiles philosophi sutores et sartores fuerunt. Et Joseph justus, cui virgo Maria desponsata exstitit, faber ferrareus fuit. Si quidem et Petrus apostolorum princeps piscatoris gessit officium, et omnes apostoli corporale opus faciebant, unde vitam corporis sustentabant. Si igitur tantæ auctoritatis homines, laboribus et operibus etiam rusticanis inservierunt, quanto magis nos, quos oportet non solum vitæ nostræ necessaria propriis manibus exhibere, sed etiam indigentiam aliorum laboribus nostris reficere, secundum Apostolum dicentem : *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patientibus* (*Ephes.* IV). Nam et idem beatus apostolus Paulus ob hoc manibus suis operatus est, ut nobis operandi præberet exemplum. Ait enim inter cætera : *Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos* (*II Thess.* III). Pandit causam cur tantum laboris sibi indixerat : *Ideo*, inquit, *ut formam daremus vobis ad imitandum nos*. In Actibus apostolorum legitur quod cum venisset Paulus Corinthum non patiatur se permanere nisi apud Aquilam et Priscillam, eo quod ejusdem artis essent opifices quam et ipse solitus erat exercere. Ita enim habet : *Post hæc Paulus egressus ab Athenis, venit Corinthum : et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, et Priscillam uxorem ejus, accessit ad eos, eo quod ejusdem essent artis, et manebat cum eis, et operabatur : erant enim scenofactoriæ artis* (*Act.* XVIII). Et non tantum operatus est quantum soli sibi, sed etiam his qui cum eo erant, possit sufficere. Scriptum est enim in Actibus apostolorum quod, procedens Mileto et exinde mittens Ephesum, convocansque ad se presbyteros Ecclesiæ Ephesiorum, et dans præcepta quemadmodum regere Ecclesiam Dei, se absente, deberent, ait enim : *Argentum et aurum nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quia sic laborantes oportet suscipere infirmos* (*Act.* XX). Nam et multa vitia amputat operatio manuum. Scriptum est enim : *In desideriis est omnis otiosus.* Et iterum : Otiositas inimica est animæ, et fomes Sodomitica ex otiositate crevisse cognoscitur, ut propheta loquitur, dicens : Hæc fuit iniquitas Sodomæ quod panem suum in saturitate et otio comedebant (*Ezech.* XVI). Pertimescamus igitur otiositatis malum, insistamus bonis manuum nostrarum opibus, Psalmographi adimplentes sententiam : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit* (*Psal.* CXXVII). Sicut enim nullum ferme a Dei servis otii tempus excipere convenit, ita meditationi quidem spiritali finem imponere. Nam pariter exercere necesse est corporis animæque virtutes : exterioris scilicet hominis stipendia, interioris vero spiritalia alimenta. De hoc beatus Augustinus eximius doctor inter cætera ait : Cantica vero divina cantare etiam manibus operantes facile possunt, et ipsum laborem tanquam divino celeumate consolari. An ignoramus omnes opifices in quibus vanitatibus, et plerumque etiam turpitudinibus textricarum fabularum donent corda et linguas suas cum manus ab opere non recedant ? Quid ergo impedit servum Dei manibus operantem, in lege Domini meditari, et psallere nomini Domini altissimi ?

CAPUT LI.

Quod nihil eis prosit qui facultates suas abjiciunt, si voluntates proprias non relinquunt.

Nihil illis prodest qui facultates adjiciunt, si voluntates proprias non relinquunt, cum sit longe præstantius voluntatibus propriis renuntiareque rebus. Res suas etiam mundi hujus philosophi abjicere potuerunt, et nunc quilibet hæretici possunt. Sed nec illi, cum suæ voluntati fierent amatores secundum voluntatem Dei vixerunt, et isti Dominicæ voluntati suæ voluntatis studio contradicunt. Non ergo ea res nos Deo commendat, quam et inimici Dei fa-

ciunt, sed illud quod non nisi vere Christiani et per hoc amatores Dei proficiunt. Ili sunt qui voluntatibus suis rebusque projectis se suo creatori ex toto corde subjiciunt, ac suum velle ex ejus voluntate suspendunt, et ideo quidquid eis sensus carnis sequendum faciendumque suggesserit, justitiæ capti delectatione contemnunt.

CAPUT LII.

Qualiter vivere debeant qui Christum imitari desiderant.

Et ideo si in illo esse volumus quod esse debemus, sicut Joannes apostolus dicit : *Quomodo ille ambulavit et nos spiritaliter ambulemus* (*I Joan.* II). Quid est ambulare sicut ille ambulavit, nisi contemnere omnia prospera quæ contempsit, non timere adversa quæ pertulit, libenter facere quæ fecit fieri, docereque mandavit, sperare quæ promisit, sequi quo ipse præcessit, præstare beneficia etiam ingratis? Non retribuere secundum merita sua malevolis, et orare pro inimicis, amare bonos, misereri perversis, invitare adversos, suscipere in charitate conversos, et æquanimiter pati subdolos ac superbos.

Ad hoc etiam pertinet quod ait apostolus Paulus : *Si consurrexistis cum Christo, ea quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens* (*Col.* III). Illi resurgunt cum Christo, qui moriuntur, sicut ille, peccato, et tamen distinctione servata, quod ille mortuus est peccato, non suo, sed nostro. Unusquisque autem nostrum non omnium moritur peccato, sed suo. Quid est peccato mori, nisi damnandis operibus omnino non vivere? nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire, ut sic mortuus carne nulli jam detrahit, nullum aversatur aut despicit, nullius pudicitiam callida circumventione corrumpit, nemini violentus existit, neminem calumniatur aut opprimit; non invidet bonis, aut insultat afflictis. Non luxuriæ carnis inservit, non vinolentiæ deditus in se bibendi sitim bibendo magis ac magis accendit; non odiorum fascibus inardescit, non compendia injusta sectatur, non potentibus ac divitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non domesticæ sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum injuriis fatigatur; non eum superbia inflat, non ambitio ventosa præcipitat, non vana gloria turpiter jactat, non desiderium gloriosæ opinionis inflammat, non distinctio alieni actus illaqueat, non ad societatem turpitudinis amor invitat, non rabies immanis furoris exagitat, non sumptuosarum deliciarum studium mactat, non ardor animosæ contentionis exanimat. Non facit impudentem audacia, iniquum injustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum vesania, deliciosum gula, rebellem inobedientia, vanum jactantia, infidelem perfidia, lenem felicitas, sævum crudelitas, manduconem turpem edacitas, impatientem mobilitas, mobilem instabilitas, vagum spiritalis infirmitas, iracundum animositas, suspiciosum perversitas, verbosum vanitas, irrisorem malignitas. Qui remotus

A est a sæcularibus prorsus illecebris, remotus ab inimicitiis, remotus ab insidiis alienis, remotus a rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus a malitiis sive perjuriis, postremo remotus ab omni genere flagitiorum sive facinorum quibus carnaliter viventes Deum offendunt, et mortui peccato non serviunt; sicut, inquam, carne mortuus nec facere potest ista quæ dixi, nec pati, ita his et talibus vitiis omnino non vivunt, qui ut vivant Deo, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt.

CAPUT LIII.

De activa vita.

Activa vita est studiosum Christi famulum justis insistere laboribus, et prius quidem seipsum ab hoc sæculo immaculatum custodire, mentem, linguam, B manum, ac membra corporis cætera ab omni inquinamento culpæ tentantis continere, ac divinis perpetuo subjugare servitus. Deinde etiam proximi necessitatibus juxta vires succurrere, esurienti cibum, potum sitienti, algenti vestitum. Ministrando egenis, vagosque in domum recipiendo, infirmum visitando, mortuum sepeliendo, eripiendo inopem de manu fortioris ejus. Egenum et pauperem a rapientibus eum eruendo, erranti viam veritatis ostendendo, ac cæteris se mancipando fraternæ dilectionis obsequiis, insuper et usque ad mortem pro justitia certando.

CAPUT LIV.

De contemplativa vita.

Contemplativa vita est charitatem quidem et proximi tota mente retinere, sed ab exteriori actione C quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere, ut nihil agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat, ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.

CAPUT LV.

Quæ et quanta sit in hac carne vitæ contemplativæ perfectio, vel qualiter ei perfruendi mundi contemptores inhæreant.

Proinde vitæ contemplativæ sectator ad Conditorem suum corde illuminandus accedat, ipsi contemplando atque insatiabiliter perfruendo vigilanter in- D serviat. Ipsum jugiter concupiscat, pro amore ejus omnia quibus inde averti potest fugiat, omnes cogitationes suas ac totam spem ex illius delectatione suspendat, litterarum divinarum sacris meditationibus vacet, in eis se divinitus illuminatus oblectet, ibi se totum velut in speculo quodam refulgente consideret, quod in se pravum deprehenderit corrigat, quod rectum teneat, quod deforme componat, quod pulchrum servet, quod sanum excolat, quod infirmum assidua lectione corroboret. Domini sui præcepta infatigabiliter legat, inexplebiliter diligat, efficaciter impleat, et quid sibi cavendum, quidve sectandum sit ab eis sufficienter instructus agnoscat.

Mysteriis earumdem divinarum Scripturarum perscrutandis insistat, Christum ibi promissum legat, repræsentatum videat, prophetam perditionem populi contumacis intelligat, impleri lugeat, de salute gentium gaudeat. Ex præteritis quæ prædicta et impleta teneat, futuris promissionibus credat. Ab strepitu negotiorum sæcularium remotissimus ea ferventer excogitat quibus animum suum in desiderium futuræ remunerationis inflammet, studiis spiritalibus, quibus in dies singulos melior ac melior fiat, invigilet. Amet otium sactum, in quo exerceat animæ suæ negotium, mortuum sibi deputet mundum, ac se mundi blandientis illecebris exhibeat crucifixum. Delectatione spectaculorum præsentium incomparabiliter anteponat sui Creatoris intuitum, semper proficientem, successum in fastigium divinæ contemplationis attollat. Nunquam ad momentum quidem a promissionibus futnris considerandis aversus ad terrena respiciat. Eo aciem mentis indesinenter intendat, quo pervenire desiderat. Beatitudinem vitæ futuræ ante oculos animi sui proponat et diligat. Nec metuat aliquid temporale nec cupiat, ne aut metus amittendæ rei temporalis, aut cupiditas acquirendæ rei intentionem mentis ejus emolliat. Non eum blanda corrumpant, nec adversa concutiant, non inflet opinio secunda, nec sinistra dejiciat, nec falsa vituperatio sive laudatio, aut augeat gaudia ejus, aut minuat. Non gaudeat de temporalidus omnino nec lugeat, inter læta ac tristia invictus unam faciem animi constantissime obtineat, nec pectori ejus stabilem firmitatem quidquid promittit mundus aut minatur excutiat, sed idem semper ac sibi similis perseverans, mundi hujus damna simul ac lucra non sentiat. Et cum hæc atque his similia contemplativæ vitæ desiderio affectus impleverit, nec se hic jam ex omni parte perfectum, sed perficiendum in illa beata vita quæ futura est immobiliter credat, atque ad se, ubi Dei substantiam revelata facie videre possit, extendat.

CAPUT LVI

Quid inter se differant activa et contemplativa vita.

Activa vita autem cum corpore deficit; quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat, ubi nemo esurit? Quis potum tribuat sitienti, ubi nemo sitit? Quis mortuum sepeliat, ubi nemo moritur? Cum præsenti ergo vita aufertur activa, contemplativa autem hic incipit ut in cœlesti patria perficiatur. Quia amoris ignis qui hic ardere incipit, cum ipsum quem amat viderit, in amore amplius ignescit. Contemplativa ergo vita minime aufertur, quia subtracta præsentis sæculi luce perficitur. Activa vita laboriosa desudat in certamine, contemplativa vero, pacatis vitiorum tumultibus, optata in Christo quiete perfruitur. Ad activam vitam pertinet inter humana proficere, et rebelles corporis motus rationis imperio temperare. Ad contemplativam supra humano desiderio perfectionis ascendere, et indesinenter augendis virtutibus incubare. Habet activa perfectum, contemplativa fastigium; hæc facit hominem sanctum, illa perfectum. Hujus vitæ est nulli prorsus injurias irrogare; illi erogatas æquanimiter sustinere. Imo, ut proprius dicam, exsecutor activæ studet in se peccantem dimittere, contemplativæ vero sectator offensis quibus pulsatur nec omnino concutitur, ignorare magis paratus quam donare. Iste iram patientiæ virtute compescit, immoderatis cupiditatibus parcimoniæ frenum imponit. Tangitur desideriis carnalibus nec consentit, pulsatur hujus mundi curiositate nec rapitur, quatitur diabolica impugnatione nec vincitur, et Deo suo devota mente subjectus, non atteritur diversis tentationibus, sed probatur. Ille omnes afflictiones quibus vita mortalium variatur, sanctis virtutibus vincit. Cupiditatum ac perturbationem omnium liber beata quiete perfruitur, et illecebris ac voluptatibus factus expedita mente superior, ineffabili gaudio divinæ contemplationis efficitur. Iste suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subjectum, redimendo captivum, tuendo violenter oppressum, jugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, et vitam suam bonorum operum fructibus ditat. Ille facultatibus suis in usus pauperum distributis semel exspoliavit se mundo et admovit se totis viribus cœlo. Res mundi mundo projecit, et seipsum Christo devota mente restituit, a quo immortales divitias sibi donari orat ut pauper, protegi se quotidie postulat ut infirmus, immortalitatis indumento vestiri cupit ut nudus. Defendi se ab impugnatione invisibilium hostium supplicat ut fragilitate carnis oppressus, et cœlestem sibi donari patriam desiderat ut peregrinus. Activa vita habet sollicitum cursum, contemplativa gaudium sempiternum. In hac acquiritur regimen, in illa percipitur. Hæc facit pulsare bonorum operum, velut quibusdam manibus, januam; illa vocat consummatos in patriam. In hac contemnitur mundus, in illa videbitur Deus. Et, ut multa prætercam quæ commemorare non valeo, in hac vita qui immundis spiritibus extiterint fortiores, in illa contemplativa vita quæ summe beata est, remunerante Domino, fiunt angelis sanctis æquales atque in æternum cum illis regnabunt in illa superna civitate felices.

CAPUT LVII.

De compunctione cordis.

Compunctio cordis est humilitas mentis cum lacrymis exoriens de recordatione peccati et timore judicii. Illa est conversis perfectior compunctionis affectio quæ a se desideriorum affectus repellit et intentionem suam toto mentis studio in Dei contemplationem defigit. Hæc est enim homini baptizato vera compunctio cordis, magna agere et humilia loqui, juste agere et super peccatores timere ac tremere. Sicut enim ignis omne animæ vitium perurit et adimit, ita compunctio cordis quantacunque repererit mala, absterret universa et penitus delet. Concupiscentiarum flammas si invenerit, ut fluvius mundans exstinguit et enecat. Curarum multitudines et perturbationes si videat, ut flagello quodam exturbat et

effugat, et procul esse a domiciliis animæ jubet, ac sicut pulvis non potest stare ante faciem venti, ita nihil malarum cogitationum in anima residere potest, ubi cordis compunctio affuerit.

CAPUT LVIII.

Quod duo sunt genera compunctionis.

Duo namque genera compunctionis quibus semetipsos fideles in ara cordis immolant. Quia nimirum Domini sitiens anima prius timore compungitur, post amore. Prius enim se in lacrymis afficit, quia dum malorum suorum recolit, pro his pati supplicia æterna pertimescit. At dum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, et in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit quia differtur a regno. Contemplatur etenim mens qui sint illi angelorum chori, quæ societas beatorum spirituum, quæ majestas æternæ visionis Dei, et amplius plangit quia a bonis perennibus deest, quam flebat prius, cum mala æterna metuebat. Utramque autem nostræ compunctionis hostiam gratanter accipere dignatus est Christus, qui et pro peccato lugentibus atque afflictis clementer errata dimittit, et pro ingressu vitæ cœlestis tota mentis intentione ferventes æterna suæ visionis luce reficit.

CAPUT LIX.

Quod contrariæ sint inter se cordis compunctio et deliciæ, et quod magna in David fuerit compunctio.

Sicut impossibile est ut ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est compunctionem cordis vigere in deliciis. Contraria hæc enim sibi invicem sunt et peremptoria. Illa enim mater est fletus, hæc mater est risus; illa constringit, ista dissolvit. Illa animæ alas innectit et volare facit ad cœlum, hæc plumbi pondus imponit et demergit in infernum. Propheta namque David corde compunctus, judicii futuri intra semetipsum memoriam retexens, diemque illum semper in oculis habens, nunquam a tribulatione animi et compunctione cordis vacabat: quæque nos vix aliquando et satis raro ad memoriam revocamus, illius mens et cogitatio habebat semper intra se, et Dei judicio totis mentibus intremebat. Nam et idem beatus David rex erat, sed tamen cunctis quæ cum circumstare et constringere videbantur abruptis, ita erat in potestate positus, tanquam omnibus esset ipse subjectus, et in purpura quasi in cilicio jacebat, cinere conspersus, et corde compunctus. Aula regalis erat ei tanquam eremi vastissima solitudo. Hæc autem omnia agebat in eo cordis compunctio. Vis scire quantus in eo timor sit divini judicii? Audi quod dicit: *Iniquitates si observabis, Domine, quis sustinebit?* (*Psal.* L.) Noverat enim et valde noverat quia in multis criminibus obnoxii sumus Deo Et quia etiam parva peccata, et ea de quibus etiam nec suspicamur, deducuntur ad judicium, et ideo magna in eo erat cordis compunctio. Quatuor sunt qualitates affectionum, quibus mens justi tædio salubri compungitur, hoc est, memoria præteritorum facinorum, recordatio futurarum pœnarum, consideratio peregrinationis suæ in hujus vitæ longinquitate, desiderium supernæ patriæ, quatenus ad eam quantocius valeat pervenire.

CAPUT LX.

De recordatione peccati.

Bonum est homini semper ante oculos propria adhibere delicta, secundum Psalmi sententiam: « Peccatum meum contra me est semper. » Sicut enim non oportet reminisci peccati affectum, sic semper necesse est suum in deflendo memorare peccatum. Servi Dei tanta recordatio debet esse peccati, ut ea quæ gessit semper lacrymans confiteatur. Unde et Psalmista dicit: *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina. Peccatum meum tibi cognitum feci, et dixi: Pronuntiabo adversus me injustitias meas Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei* (*Psal.* XXXI).

CAPUT LXI.

De confessione peccati.

Salomon ait: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur* (*Prov.* XXVIII). Hinc beatus Job ait: *Quapropter et ego non parcam ori meo* (*Job.* VII). Ori etenim suo parcit, qui confiteri malum quod fecit erubescit. In labore quippe os mittere est, hoc ad confessionem perpetratæ iniquitatis occupare. Sed justus ori suo non parcit, quia nimirum iram judicis districte præveniens, verbis contra se propriæ confessionis sævit. Hinc Psalmista ait: *Præveniamus faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV); Hinc scriptum est: *Dic iniquitates tuas ut justificeris* (*Eccli.* XLIII). Ex eo unusquisque justus esse incipit, ex quo sui accusator exstiterit. Confessio enim pœnitentiam monstrat; pœnitentia satisfactionem ostentat; satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat. Nec enim poterit indulgentia tribui, nisi iram Dei possit confessione placare. O veneranda pietas Dei! peccamus et parcit, delinquimus et ignoscit, offendimus et adhuc placatus exstitit. Unde qualis erga justos sit monstrat, dum talem se erga peccatores ostentat. Nec peccator poterit jam excusari, qui confessionem per quam venia nascitur, non properavit amplecti, quo possit reus gemino crimine detineri, dum primo legem contempsit ut delinqueret, et confessionis media amplecti noluit ut periret. Rape tu, quisquis es, remedia, qui peccando divina contempsisti præcepta. Confessio afferat salutem, cui contemptus attulerat mortem. Confiteantur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum dum adhuc qui delinquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest. Dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est, convertamur ad Dominum mente tota, et pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mens tota satisfaciat, illi spes omnis incumbat. Rogare autem qua-

liter debeamus dicit ipse: *Revertimini ad me in toto corde vestro, simulque in jejunio, et fletu, et planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (*Joel.* II). Ad Dominum toto corde redeamus, iram et offensam ejus jejuniis et fletibus, sicut admonet ipse, placemus.

CAPUT LXII.

De pœnitentia.

Beatus Joannes, præcursor Domini nostri, quo *nemo major inter natos mulierum surrexit* (*Matth.* XI); de quo propheta dixerat: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Malach.* III), hanc primam vocem emisit, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Unde advertimus Christum fuisse locutum per ipsum. Ergo, dilectissimi, una nobiscum omnes suscipite in præcordiis vestris misericordiam Domini nostri dicentis: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* O dulcedo, ut inter pœnitentiam et regnum cœlorum nihil sit intermedium. Agamus ergo pœnitentiam a facinoribus nostris, et in puncto patebit nobis regnum cœlorum. Sic ait beatus propheta: *Desinite a malitiis vestris, discite bonum facere, peccata enim vestra inter vos et Deum separant* (*Isa.* LIX). Ergo si inter Deum et hominem peccata separant, tollantur per pœnitentiam e medio peccata, et homo conjunctus est Deo, instruente et docente Apostolo: *Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* VI). Sed dicet aliquis: Quomodo de medio tollere possum peccata? Audi præcursorem Domini vociferantem et docentem: *Facite fructus dignos pœnitentiæ: jam enim securis ad radices arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III). Et qui sunt fructus digni pœnitentiæ, nisi ut facias quæ contraria sunt peccato? Serviebas idololatriæ vel dæmonibus, nunc jam conversus servi Deo per fidem. Eras adulter et fornicator, nunc econtrario esto castus. Ebrietati eras deditus, nunc sobrietatis obtine locum. Eras fraudulentus et raptor, nunc esto fidelis et largus. Eras tumidus et superbus, modo esto mansuetus et mitis. Avarus eras et mendax, nunc esto pius et verax. Ecce qui sint fructus digni pœnitentiæ, ut qui antea agebas contraria Deo, modo contraria agas diabolo, secundum sententiam Domini dicentis: *Nec ego te condemnabo. Vade, et amplius jam noli peccare* (*Joan.* VIII). Et iterum: *Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multum* (*Luc.* VII). Hortatur etiam nos Dominus per Joannem apostolum ad pœnitentiam dicens: *Memento unde excideris, et age pœnitentiam, et fac prima opera, Et si non egeris pœnitentiam, veniam et movebo candelabrum tuum de loco suo.* (*Apoc.* II). Quod utique ei dicitur, quem constat cecidisse, et quem hortatur rursus per bona opera exsurgere. Alio item loco pœnitentiæ tempus datur, et pœnitentiam non agenti Dominus comminatur. Habeo, inquit, adversum te pauca, quia permittis mulierem Jezabel quæ se dicit prophetam esse, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothitis. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et pœnitere non vult a fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum, et qui cum ea fornicati fuerint in maxima tribulatione erunt nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis. Quod utique ad pœnitentiam non hortaretur, nisi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur. Et in Evangelio: *Dico,* inquit, *vobis, sic erit gaudium in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis quibus non est opus pœnitentiæ* (*Luc.* XV). Nam cum scriptum sit: *Dominus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (*Sap.* I)! utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, et per pœnitentiam denuo ad vitam redire. Dejecit nos diabolus et elisit per peccatum, oportet utique resurgere per pœnitentiam et rursum stare contra eum. Nam beatus David cecidit in adulterium peccatum gravissimum, sed et homicidium conjunxit adulterio. Et quid post hæc nunquid permansit jacens? Nonne surrexit, et iterum stetit contra inimicum, et ita eum subjecit ut etiam post mortem merita ejus profuerint posteris suis? O pœnitentia, salus animæ, restauratio virtutum, dissipatio vitiorum, expugnatrix dæmoniorum, obstrusio inferorum, porta cœlorum, via justorum, refectio beatorum! Beatus qui te amat, felix qui te tenet, nimiumque beatus et felix qui te usque ad ultimum vitæ suæ diem custodit! Tu mortuos in peccatis suscitas, tu desperatos de præcipitio mortis evocas, et ad spem reformas. Tu sectatores et operarios tuos ad spem incitas, ad fidem provocas, ad charitatem Dei et proximi instigas. Tu facis in prosperis humiles, in adversis fortes. Tu contra opprobria et irrisores mites facis. Tu persecutiones et injurias toleras, passiones et flagella patienter sustines. Tu iram frenas, linguam mitigas, pacem custodis, mentem gubernas. Tu in virginibus et Deo sacratis beatam custodis integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjugatis individuam castitatem. O pœnitentia, castissima mater, doce filios tuos tenere et amare castitatem, fugere luxuriam, immunditiam et omnem libidinosam corporis titillationem. Nullum enim perpetuam perducis ad gloriam, nisi fuerit castus, humilis, patiens atque benevolus. O pœnitentia, mater piissima, procrea et produc de sancto utero tuo gemitus assiduos, suspiria largissima, singultus continuos, excute ex oculis tui lacrymas profusas, noli cessare, noli pigritare, quousque rapidissimo cursu ad diem pervenias ultimum.

CAPUT LXIII.

Qualis debeat esse modus pœnitentiæ.

Pœnitentiam quippe agere est, et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata quis luxuriæ defleat, et tamen avaritiæ adhuc æstibus anhelet? aut quid pro-

dest si iræ culqas jam lugeat, et tamen adhuc invidiæ facibus tabescat. Sed minus est valde quod dicimus, ut qui peccata deplorat, ploranda minime committat, et qui plangit vitium perpetrare vitia timeat. Nam cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa, et se reprehendat in minimis qui meminit in maximis deliquisse Magna enim justitiæ pars est seipsum nosse, quod parvus est, ut ex eo divinæ virtuti subdatur humilis ex quo suam infirmitatem agnoscit. Bene se judicat in hac vita, ne judicetur a Deo damnatione perpetua, Tunc autem judicium de se quisque sumit, cum per dignam pœnitentiam sua prava facta condemnat. Amaritudo pœnitentiæ facit animum et sua facta subtilius discutere, et dona Dei quæ contempsit flendo commemorare. Nihil autem pejus quam culpam agnoscere nec deficere. Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator, sive quia per negligentiam bonum non fecit, seu quia malum per audaciam perpetravit. Quod oportuit non gessit, et gessit quod agere non oportuit. Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet ac deflendo quæ gessit. Tanto in deplorando profundius, quando exstitit in peccado proclivior, quantumvis quisquis sit peccator et impius, si ad pœnitentiam convertatur, consequi posse veniam creditur. Et quantumvis per pœnitentiam, propitiatio peccatorum sit, tamen sine metu homo esse non debet, quia pœnitentiæ satisfactio divino tantum pensatur judicio, non humano. Proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. Neque enim unquam oportet pœnitentem habere de peccatis securitatem. Igitur respiciamus tandem, et Dominum nostrum Jesum Christum, tanquam boni servi et utilis requiramus, nec desperemus dum in hac luce vivimus, veniam nos non posse per pœnitentiam promereri. Post mortem enim pœnitentiæ medicamenta non proderunt, in hac vero luce positi etiamsi in extrema ætate adhibeas pœnitentiam veram, mihi crede, curaberis. Ideo diabolus omnia movet et agit, ut animum nobis desperationis inducat. Scit enim vel si in parvo tempore quis pœnitudinem gerat, quamvis sit brevis non erit tamen infructuosa conversio. Sed, sicut is qui calicem aquæ frigidæ porrexerit, nequaquam fructum mercedis amittit, ita et is qui pro male gestis præteritis pœnitudinem egerit, licet minus digna videatur ad peccatorum pondus pœnitentia, tamen quantuluscunque ille nutus pœnitendi fuerit vel conversionis momentum, expers non erit remunerationis bonorum. Nihil enim boni operis, quamvis sit exiguum, despicietur apud justum judicem Deum, et jam si non potuerit explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulumcunque tamen et quolibet brevi tempore gestam, non respuet pœnitentiam, suscipiet et jam ipsam, nec patitur quantumvis exiguæ conversionis perire mercedem. Hoc enim judicare videtur Isaias, ubi de populo Judæorum talia quædam dicit : Propter peccatum modice contristavi eum et percussi eum, et averti faciem meam ab eo, et contristatus est et ambulavit tristis, et sanavi eum et consolatus sum eum. Evidentius autem testimonium dabit etiam rex ille impius, qui cupiditatis quidem suæ prædam uxoris nequitia quæsivit, sed perturbatus ipsius sceleris immanitate pœnituit, et cilicio facinus suum flevit atque ita erga se Dei misericordiam provocavit, ut cunctis eum absolveret malis. Sic enim scriptum est : Et dixit Dominus ad Eliam : *Vidisti quomodo compunctus est Achab a facie mea, et quia flevit in conspectu meo, non inducam mala in diebus ejus* (*II Reg.* XXI). Sed post hunc iterum Manasses, qui omnes tyrronnos immanitate scelerum superavit, qui cultum divinæ religionis et observantiam legis everterat cœlesti cultu vacuatam. Hic ergo impietate scelerum supergrediens omnem memoriam, quia tamen pœnituit, inter amicos Dei postmodum numeratus est. Nam et filius prodigus, qui substantiam suam cum meretricibus consumpsit, per pœnitentiam recepit prioris gloriæ statum. Vides ergo quanta sit utilitas pœnitentiæ? quanta conversionis spes? Nullum est enim peccatum, nulla iniquitas, quæ non medicamento pœnitentiæ sanetur, si conversio pura et sincera fuerit. Donec sumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata, possibile est omnia ablui per pœnitentiam, post mortem autem nulla erit utilitas pœnitentiæ. Nullus peccator desperet de misericordia Dei, sed dum adhuc vivit, agat pœnitentiam pro peccatis suis, et erit misericors Dominus delictis et facinoribus suis.

CAPUT LXIV.

De laude et utilitate pænitentiæ.

Provida mente et profundo cogitatu cognosci debent duo rerum distincta negotia, id est quantum distet inter bonum et malum. Nec aliunde hæc cognitio quæ a primordio repetenda est, quod aliud sit malum, quando peccatum committitur, aliud autem sit bonum quo pœnitentiam agimus pro commisso. Hæc est discretio utriusque negotii, serpens in paradiso peccatum suasit Evæ, pœnitentiam reclusit, et inde est boni et mali origo. Quis Deo dignior quam David? et tamen delinquit, qui cecidisset de culmine nisi fuisset compunctus. Quis sceleratior Manasse? et hunc pœnitentiam revocavit. Pœnituit Deum quod Saulem elegerit regem, quapropter? Nisi quia idem pœnitentiam ignoravit. Quis sapientior Salomone? sed nesciens pœnitentiam, perdidit gratiam. O pœnitentia, quæ peccata, miserante Deo, remittis, et paradisum reseras, quæ contritum sanas, omnem tristem exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam reformas, gratiamque abundantiorem refundis. O pœnitentia, quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia

confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pœnitentia, rutilantior auro, splendidior sole, quam non vincit peccatum, nec deflictio superat, nec desperatio delet. Pœnitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit invidiam. Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre; si violentus quærat quæ habet, non vetat; si vestem demat,non refragatur. Percutienti maxillam præbet et alteram, angariatus ultro adjiciet: castigatus gratias agit, provocatus tacet, exasperatus blanditur. Superiori supplex est, inferiori subjacet. In corde ejus contritio est, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta et fructifera pœnitudo. Sic pœnitentiæ præstitum est, Deus esurienti nutritor est, sitienti potator. Sapienti quod stultum putatur sapit, quod triste est placet, quod molle est displicet,quod fluxum est horret. O pœnitentia, misericordiæ mater, et magistra virtutum, magna ubera tua quibus reos resolvis, ac reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos. Per te David, post flagitium felix, iterum recepit Spiritum sanctum. Per te Manasses, post cruenta facinora,ecce meruit esse receptibilis. Per te Petrus apostolus, postquam ter negavit, data est ei indulgentiæ dextera. Per te filius prodigus regressus ad patrem, non solum amplexum osculumque paternum, sed etiam epulum vituli saginati insigne promeruit adipisci. Per te mulier fornicaria uberes stillavit lacrymas, fontemque sui baptismatis protinus lavit pedes Christi, crinibus quidem tersit. Per te Ninive civitas magna populusque integer barbarorum subito Deum sapuit, virtutemque tuam sensit, odorem tuum accepit,saporem tuum strinxit, dulcedinem tuam gustavit, cilicium tuum contraxit, lacrymas tuas profudit, gemitum tuum suspiriumque persensit, fructus ubertatis tuæ abundanter exhibuit, et sic opera tua non solum decretæ mortis discrimen evasit, sed etiam vitæ incognitæ coronam accepit. Dum igitur in hac vita sumus,agamus pœnitentiam cum lacrymis et orationibus, jejuniis, eleemosynis, cæterisque bonis operibus pro peccatis et sceleribus nostris, ne sine fine in perpetuis cruciemur pœnis, ubi non est pœnitentia, nec ulla indulgentia, sed ira et sine cessatione tormenta.

CAPUT LXV.

De laude et utilitate lacrymarum pœnitentiæ.

Omnipotens enim Deus contritionem quærit, fletibus flectitur,lugentes lætificat, pœnitentibus præsto est, magnus profectus est lacrymarum. Plorando servus propitiat dominum, filius lacrymis mitigat patrem, et asperam matrem plorans parvulus mulcet.Ita ergo et peccator profusis lacrymis removet iram Dei reformatus in ipso. Petrus namque trinam negationem lacrymis diluit. Scriptum est enim : *Et recordatus Petrus*, etc., *flevit amare* (*Marc.* XXVI). David enim dicit: *Venite, adoremus et ploremus*

A *coram Domino qui fecit nos* (*Psal.* XCIV). Et iterum : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, et potum meum cum fletu miscebam, stratumque meum per singulas noctes lacrymis rigabo* (*Psal.* CI). Et iterum : *Deus, vitam meam nuntiavi tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo* (*Psal.* LV). Oportet igitur nos salutem nostram lugere perditam, atque animam nostram mortuam lamentari, ut cum de hoc sæculo abstracti fuerimus, ad vitam mereamur pervenire perpetuam.

CAPUT LXVI.

Qui sint fructus digni pœnitentiæ, vel qualiter pati vim regnum cœlorum potest.

(*Greg.*) Beatus Joannes Baptista et Domini nostri Jesu præcursor ad turbas loquitur dicens : *Facite*
B *ergo fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* III). In quibus verbis notum est, quod amicus sponsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud namque est fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ facere. Ut enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum quia quisquis illicita nulla commisit,huic jure conceditur ut licitis utatur. Sicque pietatis opera faciat, ut tamen si non voluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat ; at si quis in fornicationis culpa, vel fortasse (quod est gravius) in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit et illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet ejus qui minus, et ejus qui amplius deliquit, aut ejus qui nullis, et ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit. Per hoc ergo quod
C dicitur : Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, uniuscujusque conscientia convenitur, ut tanto majora quærat bonorum opera lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.Quia vero ad magna nos opera Joannes admonet dicens:*Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* III); et rursum : *Qui habet duas tunicas, det non habenti ; et qui habet escas, similiter faciat* (*Luc.* III); jam patenter datur intelligi quid est quod Veritas dicit : *A diebus Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI). Quæ supernæ verba sententiæ nobis sunt magnopere perscrutanda. Nam quærendum est quomodo vim regnum cœlorum perpeti possit. Quis enim cœlo violentiam irrogat ? et rursus quærendum est si pati vim regnum cœ-
D lorum potest. Cur eamdem vim a diebus Joannis Baptistæ et non etiam antea pertulerit. ? Sed cum lex dicat : Si quis hæc vel illa fecerit morte moriatur, cunctis legentibus liquet, quia peccatores quosque pœna suæ severitatis perculit, non autem per pœnitentiam ad vitam perduxit.

Cum autem Joannes Baptista, Redemptoris gratiam præcurrens, pœnitentiam prædicat ut peccator, qui ex culpa est mortuus per conversionem vivat, profecto *a diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur.* Quid est autem regnum cœlorum nisi locus justorum? Solis enim justis cœlestis patriæ præmia debentur, ut humiles, casti, mites, atque misericordes ad gau-

d'a sempiterna perveniant. Cum vero quis vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius, post culpas ad pœnitentiam redit, et vitam æternam percipit, quasi in locum peccator intrat alienum. *A diebus ergo Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quam regno cœlorum fieri violentiam docuit. Recogitemus ergo, fratres charissimi, mala quæ fecimus, et nosmetipsos assiduis lamentis atteramus, hæreditatem justorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti. Nam regnum cœlorum rapi vult nostri fletibus, quod nostris meritis non debetur. A spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Præstat magnam veniæ fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis unde latro: nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate ergo cogitate quæ sint incomprehensibilia omnipotenti Deo misericordiæ viscera. Latro iste cruentis manibus abstractus est a fauce itineris, suspensus est in patibulo crucis, ibi confessus est, ibi sanatus est, ibi audire meruit: Hodie mecum eris in paradiso. Quid est hoc? quis tantam bonitatem dicere Dei, quis æstimare sufficiat? de ipsa pœna criminis pervenit ad præmia virtutis. Idcirco autem omnipotens Deus electos suos in quibusdam lapsibus cadere permisit, ut aliis in culpa jacentibus, si toto ad eum corde consurgunt, spem veniæ reddat, et eis per lamenta pœnitentiæ viam pietatis aperiat. Exerceamus ergo nosmetipsos in lamentis, exstinguamus fletibus, dignis pœnitentiæ fructibus, culpas, tempora indulta ne pereant, quia qui multos a suis impietatibus jam sanatos aspicimus, quid aliud quam supernæ misericordiæ pignus tenemus. Immensam misericordiam Conditoris nostri aspicere debemus, qui nobis velut in signo ad exemplum pœnitentiæ posuit eos quos per pœnitentiam vivere post lapsum fecit. Perpendo etenim Petrum, considero latronem, aspicio Zacheum, intueor Mariam, et nihil in his aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei et pœnitentiæ exempla. Fortasse autem in fide lapsus est aliquis, aspiciat Petrum qui amare flevit, quod timide negaverat. Alius contra, proximum in malitia crudelitatis exarsit, aspiciat latronem qui et in ipso mortis articulo ad vitæ primia pœnitendo pervenit. Alius avaritiæ æstibus anhelans aliena diripuit, aspiciat Zacheum, qui si quid alicui asbtulit, quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus, carnis munditiam perdidit, aspiciat Mariam quæ in se amorem carnis igne divini amoris excoxit. Ecce Omnipotens ubique oculis nostris quod imitari debeamus objicit, ubique exempla suæ misericordiæ opponit. Mala ergo jam displiceant vel experta. Libenter obliviscitur omnipotens Deus quod nocentes fuimus, paratus est pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare Inquinati post aquas salutis renascamur ex lacrymis. Itaque juxta primi pastoris vocem: *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite* (*I Pet.* II). Redite, parvuli filii, ad sinum matris vestræ æternæ sapientiæ. Sugite larga ubera pietatis Dei. Transacta plangite, imminentia vitate. Redemptor noster momentaneos fletus vestros æterno consolabitur gaudio.

CAPUT LXVII.

De perseverantia boni operis.

Virtus boni operis perseverantia est, et voce Veritatis dicitur: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Incassum quippe bonum agitur si ante vitæ terminum deseratur. Ex præcepto legis (*Levit.* III) cauda hostiæ jubetur offerri. In cauda quippe finis est corporis. Et ille bene immolat qui sacrificium boni operis usque ad finem debitæ perducit actionis. Hinc Joseph inter reliquos fratres talarem tunicam habuisse describitur (*Gen.* XXXVII). Tunica vero usque ad talum, est bonum opus usque ad consummationem. Tunc enim placet Deo nostra conversatio, cum bonum quod inchoamus, perseveranti fine complemus. Bonum ergo non cœpisse, sed perfecisse virtus est. Non inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur. Semper in vita hominis finis quærendus est, quia Deus non respicit quales ante fuerimus, sed quales circa finem vitæ erimus. Unumquemque enim Deus de suo fine, non de vita præterita judicat. Persistamus igitur, charissimi, omni cum intentione in divinis obsecrationibus, ut ea quæ ei placita sunt, faciat nos cum sua benedictione inchoare, et usque ad perseverantiam bona perducere consummationis, qui est α et ω, principium et finis, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre vivit et regnat Deus, in unitate Spiritus sancti per infinita sæcula sæculorum. Amen.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

De igne purgatorio et de adventu Christi ad judicium necnon et de æterno cruciatu tertius hic inchoat libellus, qui ex sanctorum Patrum opusculis, largiente Domino, constat esse excerptus. Excellentissimam paternitatem tuam obnixe deprecor ut divinam suppliciter æterni Judicis majestatem indeficiensque implores, ut una tecum a tantis merear eripi malis, et ad vitam pervenire perpetuam. Amen.

CAPUT PRIMUM.

Quod pro quibusdam levibus culpis ignis purgatorius esse ante judicium credendus est.

Pro quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit: *Quod si quis in Spiritu sancto blasphemiam dixerit, non remittetur ei in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII). In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen ut prædixit hoc de parvis minimisque peccatis, credendum est fieri posse. Sicut est assiduus otiosusque sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, qui vix sine culpa ulla ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt: aut in non gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata. Nam et cum Paulus dicat Christum esse fundamentum atque subjungatur: *Si quis superædificaverit super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, Si cujus opus manserit, quod superædificaverit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.* III). Quamvis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibitio possit intelligi, tamen si quibus hæc dignæ futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicite est, quia illum dixit per ignem posse salvari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est peccata majora, idcirco duriora, atque tunc jam insolubilia, sed ligna, fenum, stipulam, id est peccata minima atque levissima, quæ facile igne consumuntur. Sciendum tamen hoc est quia illic saltem de minimis nil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.

CAPUT II.

De salvandis per ignem, id est de his qui super fundamentum, quod est Christus, aurum, argentum, lapides pretiosos, seu et de his qui lignum, fenum, stipulam ædificant.

De his qui superædificant super fundamentum, quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed lignum, fenum, stipulam; de his enim dictum est quod per ignem salvi erunt, cum fundamenti merito non peribunt. Sic est intelligendum, ut his manifestis non videantur esse contraria. Ligna quippe et fenum, et stipula non absurde accipi possunt rerum sæcularium quamvis licite concessarum. Tales cupiditates autem amitti, sine animi dolore non possunt. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti habet locum, id est, ut nihil ei anteponatur, et malit homo, qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit, magis carere quam Christo, per ignem fit salvus. Si autem res ejusmodi

A temporales ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quam Christum, cum in fundamento non habuit, quia hoc priore loco habuit, cum in ædificatione prius non sit aliquid fundamenti. Ignis autem de eo loco, de quo est locutus Apostolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, id est qui ædificant super hoc fundamentum aurum, argentum et lapides pretiosos, et qui ædificant ligna, fenum, stipulam. Cum autem hoc dixisset adjunxit: *Unius, cujusque opus quale sit, ignis probabit* (*I Cor.* III). Si cujus opus permanserit, quod superædificavit mercedem accipiet. Si cujus autem opus exustum fuerit, damnum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Non unius ergo eorum, sed utriusque opus ignis probabit. Est quidem ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum B est: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII). Iste ignis in hac interim vita facit, quod Apostolus ait: Si accedat duobus fidelibus, uni scilicet cogitanti quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo, hoc est ædificanti super Chrisfum fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos: alteri autem cogitanti quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, hoc est ædificanti super fundamentum, ligna, fenum, stipulam, illius opus non exuritur, quia non ea dilexit quorum amissione crucietur. Exuritur autem hujus opus, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis mallet carere quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat cum amittit, salvus C est quidem, sic tamen quasi per ignem, quia urit eum dolor rerum quas dilexerat amissarum, sed non subvertit, neque consumit fundamenti stabilitatem atque incorruptione munitum, tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est. Et utrum ita sit quæri potest, et aut invenire aut latere nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium. (Quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt; tanto tardius citiusque salvari) non tamen tales, de quibus dictum est quod regnum Dei non possidebunt, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint.

CAPUT III.

D *Quod alter sit ignis purgatorius, alter ille perpetuus, in quo peccatores sine fine cruciantur.*

Alter enim est ignis ille futurus, de quo impiis, Domino judicante, dicendum est: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Alter iste qui purgatorius proprie appellatur, propter eos qui per eum salvi fiunt. Per illum enim qui futurus est impiorum nullus salvabitur, quia, juxta quod scriptum est, *Ibunt hi in ignem æternum.* Per istum autem ignem qui et probat et purgat, salvatio promittitur manifesta, de quo dictum est: *Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* (*I Cor.* III). In illum enim æternum

ignem soli sinistri novissima et perpetua damnatione mittentur. Iste autem ignis purgatorius dexteros probat, sed alios eorum sic probat ut ædificium quod supra Christi fundamentum ab eis invenerit esse constructum, non exurat atque consumat. Alios autem alit, id est, ut quod superædificaverunt ardeat, damnumque inde patiantur. Salvi fiant autem qui Christum in fundamento stabiliter positum præcellenti charitate tenuerunt. Ab illo enim igne perpetuo nemo salvabitur, quia in supplicium æternum illi omnes ibunt, *ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.*

CAPUT IV.

Quod hi qui per ignem purgatorium salvantur, non uno eodemque spatio cruciatum spiritus sustinebunt.

Sicut non omnes reprobi qui mersuri sunt in igne æterno, una eademque supplicii qualitate damnandi sunt, sic omnes qui per purgatorias pœnas salvi esse creduntur in uno eodemque spatio cruciatum spiritus sustinebunt, ut quod in reprobis agitur discretione pœnarum, hoc in istis qui per ignem salvandi sunt agetur. Sed tanto illis minus vel majus ignis purgatorii extendetur supplicium, quanto hic minus vel amplius bona transitoria dilexerunt.

CAPUT V.

Quod alii in hac vita pœnas purgatorias, alii post mortem patiuntur.

Nos quidem in hac mortali vita esse quasdam pœnas purgatorias confitemur, sed temporales pœnas. Alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et nunc et tunc. Verumtamen ante Judicium illud verissimum novissimumque patiuntur, non autem omnes veniunt in sempiternas quæ post illud judicium sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam quod in isto non remittitur, in futuro sæculo ne æterno supplicio puniatur, remittitur. Purgatorius autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque Judicium, et ignem illum in quo omnes impii, Christo judicante, mersuri sunt, antecedant.

CAPUT VI.

Contra eos qui per fidem solam absque bonis operibus per ignem purgatorium salvi esse creduntur,

Creduntur a quibusdam etjam hi, qui nomen Christi non relinquunt, et ejus lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel hæresi præciduntur, in quantiscunque sceleribus vivant, qui nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad ultimum hujus vitæ diem pertinacissime perseverent salvi per ignem futuri, licet per magnitudinem facinorum et flagitiorum diuturnorum mereantur æterno igne puniri ; sed qui hoc credunt, licet catholici sint, tamen humana quadam benevolentia mihi falli videntur. Ea enim fides salvare potest, de qua Paulus apostolus ait: *In Christo Jesu neque circumcisio quidquam valet neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* v). Si autem male operatur, procul dubio, secundum Jacobum apostolum, mortua est in semetipsa qui rursum ait : *Si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides salvare eum* ? (*Jac.* II.) Porro autem si homo sceleratus propter solam fidem per ignem salvatur, et si sic est accipiendum quod ait beatus Paulus apostolus : *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*(*I Cor.* III); si poterit ergo salvare fides sine operibus, et falsum erit quod dixit ejus coapostolus Jacobus, falsumque erit et illud quod idem ipse Paulus : *Nolite*, inquit, *errare, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI). Si enim in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt ?

CAPUT VII.

Quod qui pœnis purgatoriis sunt deputati pro eis in hac vita supplicante Ecclesia expiatur.

Spiritus illi qui non tam perfectæ sanctitatis hinc exeunt ut ire in paradisum statim dispositionem suorum corporum possint, nec tam criminose ac damnabiliter vivunt, ut ita in suis criminibus perseverent, ut cum diabolo et angelis ejus damnari mereantur, Ecclesia pro eis hic efficaciter supplicante a pœnis medicinalibus expiati, corpora sua cum beata immortalitate recipient, ac regni cœlestis facti participes, in eo sine ullo defectu suæ beatitudinis permanebunt.

CAPUT VIII.

Quod aliqui justi, ut de corpore exeunt statim beata requie suscipiuntur, alii flammis purgatorii excipiuntur.

Sunt plures in Ecclesia justi qui post carnis solutionem, continuo beata paradisi requie suscipiuntur, exspectantes in magno gaudio, in magnis congaudentium choris, cum recepto corpore veniant et appareant ante faciem Dei. At vero non multi propter bona quidem opera, ad electorum sortem præordinati, sed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exeunt, post mortem severe castigandi excipiuntur flammis ignis purgatorii, et vel usque ad diem judicii longa hujus examinatione a vitiorum sorde mundantur, vel certe prius amicorum fidelium precibus, eleemosynis, jejuniis, fletibus et hostiæ salutaris oblationibus absoluti pœnis, et ipsi ad beatorum perveniunt requiem.

CAPUT IX.

Quod animæ fidelium defunctorum, si culpæ insalubiles non sunt, pietate suorum viventium adjuvantur, cum pro illis sacrificium et cætera bona offeruntur.

Tempus illud inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est quo animæ in abditis receptaculis contineantur, sicut unaquæque digna est, vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viveret. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium non relevari cum pro illis sacrificium mediatoris offertur vel eleemosynæ fiunt. Sed eis hæc prosunt, si cum viverent,

hæc sibi ut postea prodessent meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut ista non requirat post mortem. Est vero talis in bono, ut non requirat ista, est rursus talis in malo, ut nec his valeat cum ex vita transierit. Quocirca hic omne meritum comparatur quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari. Nemo autem se præparet qui hic neglexit cum obierit Dominum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia illi apostolicæ sunt adversa sententiæ qua dictum est : *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum* (*Rom.* XIII). Quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosint. Et quare non omnibus prosunt? nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore. Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. Idem doctor alio loco inter cætera ait: Quatuor sunt quæ adjuvant homines post mortem, id est oblationes sacerdotum, orationes justorum, eleemosynæ charorum, jejunia amicorum. Nec ista tamen adjuvant post mortem illis qui non in hac vita hoc promeruerint (*Greg.*). De hoc enim beatus Gregorius papa ait: si culpæ insolubiles post mortem non sunt, multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare, ita ut hoc nonunquam ipsæ defunctorum animæ videantur expetere. In quarto ejusdem beati Gregorii Dialogorum libro legitur, quod quidam spiritus pro peccatis suis in caloribus deputatus, qui quasi homo videbatur, cuidam præsbytero panem sibi porrigenti ait : Pro peccatis meis, Pater, omnipotenti Deo hunc panem offer, et tunc te exauditum esse cognosce, cum huc veneris et minime me inveneris. In quibus verbis disparuit. Idem vero presbyter hebdomada continua se pro eo in lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, et post illuc reversus, jam minime eum invenit. Qua ex re quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis ostenditur, cum hanc et ipsi mortuorum spiritus a viventibus petunt, et signa indicant quibus per ea absoluti videantur. Nam quidam monachus Justus nomine, artis medicinæ imbutus (sicut beatus Gregorius papa in prædicto refert libro) ductus fuit ad ignis pœnam, pro eo quod contra vitæ regularis auctoritatem tres aureos absconsos in medicamine illicite haberet. Post dies vero triginta obitus ejus, placuit prædicto venerabili patri Gregorio, qui tunc monachus in eodem monasterio sub vitæ regularis custodia degebat, ut per illos dies triginta nullus prætermitteretur dies, quo non pro absolutione illius salutaris hostia immolaretur, quod et factum est. Idem vero frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano nomine Copioso per visionem apparuit, et qua die tricesima, cum pro sua absolutione sacra hostia fuerat immolata communionem se recepisse, etiam a pœnis se jam liberatum esse indicavit. Tunc res apte claruit, quia frater qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam supplicium evasit.

In prædicto namque legitur libro, quod cum quadam die beatus Germanus Capuanus episcopus, pro medicinali corporis sui necessitate, in Angulares Thermas lavaret, Paschasium, sanctæ Romanæ sedis diaconum in caloribus stantem vidit, et quid illic faceret inquisivit. Cui ille pro qua causa post mortem in hoc pœnali loco esset deputatus indicavit, et postmodum dixit : Quæso te, pro me Dominum deprecare, atque in hoc te cognoscas exauditum, si huc rediens me non inveneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, et post paucos dies rediens jam prædictum Paschasium in loco eodem minime invenit, quia autem non malitiæ sed ignorantiæ errore peccaverat, purgari potuit post mortem a peccato. Quod tamen credendum est, quia ex illa eleemosynarum suarum largitate hoc obtinuit ut tunc potuisset, promereri veniam, cum jam nihil potuisset operari. (*Greg.*) Si insolubiles culpæ non fuerint (sicut jam supra dictum est) ad absolutionem prodesse maxime, etiam mortuis victima sacræ oblationis potest, qui hic vivendo hoc obtinuerint ; sed sciendum est quia illis sacra victima mortuis prosit, ut eos etiam post mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est, quod tutior via sit, ut bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat, dum vivit ipse per se. Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere.

CAPUT X.

Quod aliquando de culpis animas justorum solus pavor egredientis purgat.

Plerumque de culpis minimis ipse solus pavor egredientis animas justorum purgat, sicut de quodam sancto viro narratur, qui ad mortem veniens vehementer timuit, sed post mortem discipulis in stola alba apparuit, et quod sit præclare susceptus indicavit. Legimus enim quod idem beatus Pater Gregorius ad purgationem morientis fratris, qui tres aureos absconsos illicite retinuerat, de quo jam supra dictum est, hoc consilium dedisse illius monasterii prælato : Vade, ait (*Greg.*, *libr.* IV *Dialog.*) et nullus ex fratribus se ad eum morientem jungat, nec sermonem consolationis ex cujuslibet eorum ore percipiat; sed cum in morte constitutus fratres quæsierit, ei suus frater carnalis dicat, quod pro solidis quos occulte habuit, a cunctis fratribus abominatus sit, ut saltem in morte de culpa sua mentem illius amaritudo transverberet, atque a peccato quod perpetravit, purget. Idem vero monachus cum pervenisset ad mortem, atque anxie quæreret fratribus commendari, nullusque e fratribus ei applicare et loqui

dignaretur, ei carnalis frater, qui tunc aderat ibi, cur ab omnibus abominatus esset, indicavit. Qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa tristitia e corpore exivit. Nullatenus enim hoc beatus Gregorius facere juberet, nisi ad purgationem morientis hoc prodesse cognovisset. Huc usque de igne purgatorio, abhinc de extremo judicio insistendum est.

CAPUT XI.

De valde tremendo Christi adventu ad judicium.

Audiamus quomodo prophetis nuntiantibus (ut annuntiari hominibus fas fuit) prædicetur Christi adventus. Ait ergo quidam ex eis: *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis ante ipsum ardebit, et in circuitu ejus procella valida. Vocavit cœlum sursum, et terram discernere populum suum* (*Psal.* XLIV). Alius vero qui et pœnarum species nobis indicat, hoc est Isaias, audi quomodo dicat: *Ecce dies Domini veniet insanabilis, dies furoris et iræ, ut ponat orbem terræ desertum, et peccatores perdat ex eo* (*Isa.* XIII). Stellæ autem cœli et Orion, et omnis ornatus cœli lumen suum non dabit, et obscurabitur sol in ortu suo, et luna non dabit lumen suum; et mandabo universo orbi mala et impiis peccata eorum, et perdam contumeliam iniquorum, et injuriam superborum humiliabo. Et erunt qui relicti fuerint pretiosi magis quam aurum ab igne, et homo pretiosior erit quam lapis sapphirus. Cœlum enim quatietur et terra movebitur a fundamentis suis, propter furorem iræ Domini Sabaoth, in die qua supervenerit furor ejus (*Isa.* XIII). Sed et Malachias, propheta consona his loquitur, dicens: Ecce venit Dominus omnipotens, et quis sustinebit diem adventum ejus? aut quis supportabit conspectum ejus? Quoniam ipse ingreditur ignem conflatorium, et sicut paleam ventilantium sedebit conflans et purgans sicut aurum et sicut argentum (*Malach.* IV). Et iterum dicit: Ecce dies Domini veniet ardens ut clibanus, et exuret eos, et erunt omnes alienigenæ, et omnes qui faciunt iniquitatem, ut stipulam incendet eos dies illa, quæ venit dicit Dominus omnipotens, et non relinquetur radix, neque palmes (*Malach.* III). Alius vero vir desideriorum ita dicit: Et ecce videbam et throni positi sunt et antiquus dierum sedebat, et indumentum ejus candidum sicut nix, et capilli capitis ejus sicut lana munda: throni ejus ignis exurens. Fluvius igneus currebat ante ipsum. Judicium constituit et libri aperti sunt (*Dan.* VII). Et paulo post: Et vidi, inquit, in visione noctis, et ecce in nubibus cœli sicut Filius hominis veniebat, et de usque ad vetustum dierum pervenit, et in conspectu ejus ablatus est, et ipsi datus est principatus, et honor, et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient. Et potestas ejus, potestas æterna quæ non transibit, et regnum ejus non corrumpetur. Inhorruit Spiritus meus. Ego Daniel territus sum in his, et visiones capitis mei conturbaverunt me (*Ibid.*). Cum ergo hæc agi cœperint, pandentur sine dubio cœli portæ, imo potius ipsum cœlum auferetur e medio tanquam si tabernacula alicujus velamina colligantur, scilicet ut reparetur et transformetur in melius. Tunc ergo omnia metus habebit, timorque ac tremor implebit universa. Tunc etiam ipsos angelos formido quassabit, et non solum angelos sed fortassis et archangelos, et thronos et dominationes et principatus et potestates. Hoc enim indicatur in eo quod dicit, et virtutes cœlorum movebuntur. Conservi enim sunt eorum qui judicandi sunt, et vitæ hujus posituri rationem. Si enim apud judices sæculi cum civitas una judicanda est, pavent cæteræ et contremiscunt, etiam si nihil periculi metuant, quanto magis cum orbis terræ universus ad judicium veniet, et judicandus a judice, qui teste non egeat, qui argumenta non quærat, qui oratorem causæ non postulat. Sed his omnibus procul amotis, ipse et gesta et verba et cogitationes denudet, atque in medium collocet, et cuncta velut in talibus quibusdam depicta oculis eorum quæ commiserunt, ea atque omnium qui assistere videntur ostendat. Quomodo tunc commovebitur, et in metu erit universa creatura?...

CAPUT XII.

Quod secundus Salvatoris adventus non in humilitate ut prius, sed in gloria demonstrandus sit.

Sicut enim fulgur exit ab oriente (dicente in Evangelio Domino) *et paret usque in occidentem, ita erit adventus Filii hominis* (*Matth.* XXIV). Hoc quoque sciendum est quod secundus Savatoris adventus, non in humilitate ut prius, sed in gloria demonstrandus sit. Et post pauca infert Dominus et dicit: *Sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum; et stellæ cadent de cœlo et virtutes cœlorum commovebuntur* (*Ibid.*). Non diminutione luminis alioquin legimus solem septuplum habiturum luminis, sed comparatione veræ lucis omnia videbuntur visuri tenebrosa. Si itaque iste sol, qui nunc per totum orbem rutilat, et luna quæ secundum est luminare, et stellæ quæ ad solatium noctis accensæ sunt, omnesque virtutes quibus angelorum multitudines intelligimus in adventu Christi inter tenebras reputabuntur, decutiatur supercilium eorum qui se sanctos arbitrantes præsentiam judicis non formidant, et tunc (inquit Dominus) parebit signum Filii hominis in cœlo. Signum hic autem crucis intelligamus ut videant, juxta Zachariam et Joannem, Judæi quem compunxerunt. Aut vexillum victoriæ triumphantis, quia tunc plangent omnes tribus terræ. Plangent hi qui municipatum non habent in cœlis, sed scripti sunt in terra.

CAPUT XIII.

Qualiter intelligendum est, quod Christus venturus de cœlo, judicaturus sit vivos et mortuos.

Jam vero de Christo confitemur futurum, quoniam de cœlo venturus est, et vivos judicaturus ac mortuos. Non pertinet ad vitam nostram quæ hic geritur, quia nec in rebus gestis ejus est, sed in fine sæculi gerendis. Ad hoc pertinet, quod Apostolus secutus adjunxit: *Cum Christus appruerit, vita ve-*

stra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria (*Coloss.* III). Duobus autem modis accipi potest quod vivos et mortuos judicabit : sive ut vivos intelligamus, quos hic nondum mortuos, sed adhuc in ista carne viventes inventurus est ejus adventus, mortuos autem qui de corpore priusquam veniat exierunt vel exituri sunt. Sive vivos justos, mortuos injustos, quoniam justi judicabuntur. Aliquando enim judicium Dei ponitur in malo, unde illud est : *Qui autem male egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V). Aliquando autem et in bono, secundum quod dictum est : *Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me* (*Psal.* LIII). Per judicium quippe Dei fit ipsa bonorum malorumque discretio, ut liberandi a malo, non perdendi cum malis, boni ad dextram segregentur. Propter quod ille clamat : *Judica me, Deus* ; et quid dixerit veluti exponens : *Et discerne,* inquit, *causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII).

CAPUT XIV.

Quod nullas excusationes pro bonis operibus obtendere poterimus in diem judicii.

Age jam ad ultimum judicium venerimus ab eo judice judicandi, qui nec falli occultatione criminum potest, nec ad impunitatem promerendam muneris alicujus oblatione corrumpi, cum cœperint omnium secreta revelari, et non solum actus et verba sed etiam ipsæ cogitationes ostendi, quid faciemus sub tanti judicis majestate ? quid excusationis obtendere poterimus ? qua nos defensionis arte purgabimus? quæ nobis subventura est pœnitentia quam in hac carne contempsimus ? quæ nos defensura sunt opera bona, quæ in hac vita non fecimus ? Ad quos apostolos, aut ad quos alios sanctos confugituri sumus, quorum exempla simul ac verba despeximus ? an forte aliquid ibi fragilitas corporis excusabit ? Sed excusatione eorum reclamabunt omnium exempla sanctorum, qui fragilitatem carnis in carne viventes, quod fecerunt utique facere posse docuerunt, maxime quia nec ipsi peccato sua virtute, sed Domini miserantis auxilio restiterunt : qui se et non quærentibus, ut quæratur atque in eum credatur ostendit, et credentes in se ne a peccato vincantur invicta protectione defendit. Quid ergo responsuri sunt, si eis Dominus dicat : Si potuistis, quare non restitistis desideriis peccatorum ? si non potuistis, quare meum contra peccata non quæsistis auxilium ? aut vulnerati, quare pœnitendo non adhibuistis vulneri vestro remedium ? Nunquid ad hæc obmutescemus ? Quid autem excusationis restet ? Non habentibus dicit : Ligate eos manibus et pedibus et mittite eos in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium, ibi vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur.

CAPUT XV.

Quod etiam minima peccata deducuntur ad judicium futurum, nisi fuerint in hac vita per pœnitentiam deleta.

Parva etenim peccata, et ea de quibus etiam nec suspicamur, deducuntur ad judicium, nisi in hac vita per pœnitentiam, et cætera bona opera fuerint expurgata. Nam et otiosis verbis de quibus nos minime cavemus Dominus dicit : *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII). Quid nos miseri facturi sumus in illo die, qui omnibus malis involuti sumus ? Nec desperemus, sed agamus pœnitentiam ut nostra deleantur peccata.

CAPUT XVI.

De gemino divino judicio. Et quod in ultimo judicio Christus mitis apparebit electis, et terribilis reprobis.

Geminum est divinum judicium. Unum quod et hic judicantur homines et in futuro. Alterum, quod propterea hic judicantur, nec illic judicentur, ideoque quibusdam ad purgationem temporalis proficit pœna. Quibusdam vero hic inchoat damnatio, et illic perfecta speratur perditio. In judicio reprobi humanitatem Christi in qua judicaturus est videbunt ut doleant, divinitatem vero ejus non videbunt, ne gaudeant. Quibus enim divinitas ostenditur, utique ad gaudium demonstratur. Pro diversitate conscientiarum et mitis apparebit in judicio Christus electis, et terribilis reprobis. Nam qualem quisque conscientiam tulerit, talem et judicem habebit, ut manente in sua tranquillitate Christo, illis solis terribilis appareat, quos conscientia in malis accusat.

CAPUT XVII.

Quod in judicio futuro duo erunt ordines electorum, et duo reproborum.

Duo sunt ordines electorum in judicio futuro. Unus judicantium cum Domino, qui reliquerunt omnia, et secuti sunt illum, de quibus dicitur : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos, super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Alius ordo judicaturus a Domino, qui non quidem omnia sua pariter reliquerunt, sed de his tamen quæ habebant quotidianas dare eleemosynas pauperibus, Christi curabant, unde audituri sunt in judicio. *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare, sitivi, et potastis me. Nudus eram et vestistis me,* etc. (*Matth.* XXV.) Sed et reproborum in judicio duo ordines futuros Domino narrante comperimus : unum eorum qui fidei Christianæ mysteriis initiati, opera fidei exercere contemnunt, quibus dicendum est in judicio testatur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare,* etc. (*Ibid.*) Alterum eorum qui fidei mysteria Christianæ vel nunquam suscepere, vel suscepta per apostasiam rejecere, de quibus dicit : *Qui autem non credit jam judicatus est* (*Joan.* III), quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Qui cum nec verbo tenus Christum colere voluerunt, nec verba saltem ejus quibus coarguantur in judicio merentur

audire. Sed ad hoc tamen veniant in judicium ut A cum eis, qui judicantur peccatoribus in damnationem mittantur æternam.

CAPUT XVIII.

Quid inter se differant duo electorum ordines in judicio, et duo reproborum, et quid unicuique opponatur ordini.

Duæ sunt differentiæ vel ordines hominum in judicio, hoc est electorum et reproborum, qui tamen dividuntur in quatuor. Perfectorum ordo unus est, qui cum Deo judicat, et alius qui judicatur. Utrique tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum hi qui intra Ecclesiam sunt mali, judicandi sunt, et damnandi. Qui vero extra Ecclesiam inveniendi sunt non sunt judicandi, sed tantum damnandi. Primus igitur ordo eorum qui judicantur et pereunt, opponitur illi ordini bonorum B de quo sunt qui judicantur et regnant. Secundus ordo eorum qui non judicantur et pereunt, opponitur illi ordini perfectorum, in quo sunt hi qui non judicantur et regnant. Tertius ordo eorum qui judicantur et regnant. Tertius ordo eorum qui judicantur et regnant, illi ordini est contrarius, de quo sunt qui judicantur et pereunt. Quartus ordo eorum est qui non judicantur et regnant, opponitur illi e contrario quo illi sunt, qui non judicantur et pereunt.

CAPUT XIX.

De peccato quod aut hic expiatur, aut in futuro reservatur judicio.

Neque enim frustra ille proprie dicitur dies judicii, cum venturus est judex vivorum et mortuorum. Sicut e contrario judicantur hic aliqua, et tamen si C remittuntur, profecto in futuro sæculo non nocebunt. Propterea de quibusdam temporalibus pœnis quæ in hac vita peccantibus irrogantur, nec servantur in fine ait Apostolus : *Si autem nosmetipsos judicaremus, a Domino non judicaremur. Cum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum mundo damnemur* (*I Cor.* XI).

CAPUT XX.

Quod qualis hic quisque egreditur, talis in judicio præsentatur, excepto quod de levibus culpis ignis purgatorius ante judicium esse creditur.

(*Greg.*) In evangelio dicit Dominus : *Ambulate dum lucem habetis* (*Joan.* XII). Per prophetam quoque ait : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isa.* XLIX). Quod Paulus apostolus exponens dicit : *Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc* D *dies salutis* (*II Cor.* VI). Salomon quoque ait : *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare. Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erit apud inferos, quo tu properas* (*Eccli.* IX). David quoque ait : *Quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CXXXV). Ex quibus nimirum sententiis constat, quia qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio præsentatur : sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium ignis purgatorius credendus est, sicut jam supra scriptum est. Nemo igitur, dum in hac præsenti vivit vita, negligat operari bona quæ potest, quia post hanc vitam, si voluerit, jam non poterit (*Cass.*). Quia ergo et venturæ mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic autem mors ipsa cum venerit vincetur, si priusquam veniat semper timeatur.

CAPUT XXI.

Quam districte æternus judex venturus sit in die judicii, et quod nimis tremenda sit dies illa.

(*Greg.*) Districtionem venturi judicis Paulus considerans ait : *Horrendum est incidere in manum Dei viventis* (*Hebr.* X). Hinc Psalmista exprimit dicens : *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. In conspectu ejus ignis ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIV). Districtionem quippe tantæ justitiæ, tempestas ignisque comitantur. Quia tempestas examinat quos ignis exurat. Illum ergo diem, fratres charissimi, illum ante oculos ponite, et quidquid modo grave creditur, in ejus comparatione levigetur. De illo enim die per prophetam dicitur : *Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris* (*Soph.* I). De hac die iterum Dominus per prophetam dicit : *Adhuc semel et ego non solum terram, sed etiam cælum movebo* (*Agg.* II). Illum ergo diem tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite ; adventum namque æterni judicis tanto securiores quandoque videbitis, quanto nunc districtionem illius timendo prævenietis.

CAPUT XXII.

Quod longanimitatem et patientiam Dei nullus negligat, quia districte in judicio judicabit.

(*Greg.*) Nemo longanimitatem Dei negligat. Quia tanto districtiorem justitiam in judicio exercebit quanto longiorem patientiam ante judicium prærogavit. Hinc etenim Paulus dicit : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II). Hinc Psalmista ait : *Deus judex justus, fortis et longanimis* (*Psal.* VII). Dicturus quippe longanimem præmisit justum, ut quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre, scias hunc quandoque et jam districte judicare. Hinc per quemdam sapientem dicitur : Altissimus autem est patiens redditor. Patiens autem redditor dicitur, quia peccata hominum patitur et reddit. (*Aug.*) Nam quos diu ut convertantur, tolerat, non conversos durius damnat. Ergo qui æterno vult sine fine carere supplicio, necesse est ut Dei sine intermissione obediat præcepto.

CAPUT XXIII.

De distantia perpetuitatis bonorum scilicet et malorum.

Post resurrectionem vero factam universo impleto judicio suo fines habebunt civitates duæ, una scilicet Christi, altera diaboli ; una bonorum, altera malo-

rum; utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi vel ulla conditio moriendi. (*Prosp.*) Istis in æterna vita vere feliciterque viventibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus, quando utrique sine fine, sed in beatitudine isti, in miseria vero illi, ut jam nec remunerati præmium finiant, nec damnati supplicium. Quandoquidem propterea incorruptio et immortalitas dabitur, etiam corporibus miserorum. ut nec ipsi æternam pœnam finiant, nec ipsos consumat immortalis pœna sed puniat. Ideo beata incorruptione et immortalitate justorum corpora donabuntur, ut et ipsi in gloria, et in ipsis gloria æterna permaneat.

CAPUT XXIV.

De inferno, quod subtus terram esse creditur

Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putaverunt, alii vero hunc sub terra esse existimant, sed tamen hoc animum pulsat, quia idcirco infernum dicimus. quia inferius jacet: quod terra ad cœlum est, hoc esse inferius debet a terra. Unde et fortasse per Psalmistam dicitur: *Liberasti animam meam ex inferno inferiori* (*Psal.* LXXXV). Infernus superior terra, infernus vero inferior sub terra esse videtur. Et Joannis vox in ea æstimatione concordat, qui cum signatum librum septem sigillis vidissse se diceret, quia nemo inventus est diguus neque in cœlo neque in terra, neque subtus terram aperire librum, et solvere signacula ejus, adjunxit: *Et ego flebam multum* (*Apoc.* V). Quem tamen librum postmodum per leonem de tribu Juda dicit aperiri. In quo videlicet libro, quid aliud quam sacra Scriptura signatur, quam solus Redemptor noster aperuit, qui homo factus moriendo, resurgendo, ascendendo cuncta mysteria, quæ in ea fuerant clausa, patefecit. Et nullus in cœlo, quia neque angelus, nullus in terra, quia neque homo vivens in corpore, et nullus subtus terram dignus inventus est, quia neque animæ corpore exutæ aperire nobis, præter Dominum. sacri eloquii secreta potuerunt. Cum ergo ad solvendum librum nullus subtus terram inventus dignus dicitur, quid obstet non video ut subtus terram esse infernus credatur.

CAPUT XXV.

De gehenna.

(*Beda.*) Nomen gehennæ in veteribus libris non invenitur, sed primum a Salvatore ponitur. Quæramus ergo quæ sit sermonis hujus occasio. Idolum Baal fuisse juxta Hierusalem ad radices montis Moriæ, in quibus Siloa fluit, legimus. Hæc vallis et parvi campi planities irrigua erat et nemorosa, plenaque deliciis, et lucus in ea idolo consecratus. In tantam autem populus Israel dementiam venerat ut deserendo templi vicinia, ibi hostias immolaret, et rigorem religionis deliciæ vincerent, filiosque suos incenderent dæmoni vel initiarent; et appellabatur lucus ipse Gehenon, id est vallis filiorum Ennon. Hoc Regum volumen, et Paralipomenou, et Jeremias scribunt plenissime, Et comminatur Deus se locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam vocetur Topheth et Baal, sed vocetur Polyandron, id est tumultus mortuorum. Futura ergo supplicia et pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi sunt, hujus loci vocabulo denotantur. Duplicem esse gehennam nimii ignis et frigoris in Job plenissime legimus.

CAPUT XXVI.

Quod duplex damnatorum pœna sit in gehenna, id est mentis simul et corporis.

Duplex damnatorum pœna est in gehenna, quorum et mentem urit tristitia, et corpus flamma juxta vicissitudinem, ut qui mente tractaverunt quod perfecerunt corpore, simul et animo puniantur et corpore. Ignem gehennæ ad aliquod non habere, hoc est habere, lumen ad damnationem, ut videant impii unde doleant; et non habere ad consolationem ne videant unde gaudeant.

CAPUT XXVII.

Quod unus gehennæ ignis, non æqualiter omnes cruciet peccatores.

Unus quidem est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores Uniuscujuspue enim quantum exigit culpa, tantum illic sentiet pœnæ. Nam sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus æstuat atque alius minus; ita illic in uno igne non unus est modus incendii, quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat,

CAPUT XXVIII.

De pœnarum distantia.

Mitissima sane omnium eorum erit pœna, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt. Tanto autem ibi quisque tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. Remanentibus itaque angelis et hominibus reprobis in æterna pœna, tunc sancti scient plenius, quid boni eis contulerit gratia. tunc rebus ipsis evidentius apparebit, quod in Psalmo scriptum est: *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine* (*Psal.* C). Quia nisi per indebitam misericordism nemo liberabitur, et nisi per debitum judicium nemo damnabitur.

CAPUT XXIX.

Quare dicatur ignis inexstinguibilis.

(*Chrys.*) Ignis autem hic qui in præsenti vita est, consumit cuncta quæ recipit. Perpetuus ille ignis quos susceperit semper cruciat, et pœnæ suæ semper integros servat. Propterea enim inexstinguibilis dicitur, non solum quia ipse non exstinguitur. sed quia nec eos quos susceperit exstinguit, nec perimit. Scriptura etenim didicit, quia et peccatores induant corruptionem, scilicet non ad honorem vitæ sed ad diuturnitatem suplicii profuturam. Hujus autem pœnæ

vim et ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus sermo poterit explanare. Nihil est enim in rebus corruptibilibus sive bonis sive malis illi simile, verumtamen ut aliquam imaginem ignis illius vel ex pœna hujus capiamus, illi comparavimus.

CAPUT XXX.

Quod sine fine sint tormenta malorum.

Sicut autem finis non est, gaudii bonorum, ita et finis non est tormentorum malorum. Nam cum Veritas dicat: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xxv), quia verum est quod promisit, falsum procul dubio non erit, quod minatus est Deus.

CAPUT XXXI.

Contra eos qui dicunt, idcirco Deus peccantibus æternam minatus est pœnam, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret.

(*Greg.*) Si falsum est quod minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa est pollicitus, ut ad justitiam provocaret. Sed quis hoc dicere vel insanus præsumat? Et si minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem (quod dici nefas est) prædicare compellimur. (*Aug.*) De hoc beatus Augustinus inter cætera ait: Frustra itaque nonnulli, imo quidem plurimi, æternam damnatorum pœnam et cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt. Non quidam Scripturis adversando divinis, sed pro suo motu dura quæque moliendo, et in leniorem flectendo sententiam quæ putatur in eis terribilius esse dicta quam verius. Num enim obliviscetur (inquiunt) misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? hoc quidem in sancto legitur psalmo. Sed de his sine ullo scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiæ nuncupantur. Quia et ipsi non pro meritis suis, sed, Deo miserante, de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem opinentur posse finiri eorum, de quibus dictum est sic: *Ibunt isti in supplicium æternum:* nisi et isto modo putetur quandoque habitura finem felicitas, cum subjungatur: *Justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xv).

CAPUT XXXII.

Quod justum sit ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur.

(*Greg.*) Hoc recte diceretur, si districtus judex non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare: ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

CAPUT XXXIII.

Quod in illa æterna damnatione mors sit sine morte, et mori velle et non posse.

(*Greg.*) Supplicia namque æterna in se diversos, et

A ultra vires cruciant, et eis vitæ subsidium exstinguentes servant, ut sic vitam terminus puniat quatenus semper termino cruciatus per tormenta proferat, et sine fine definiens duret. Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit. (*Aug.*) De hoc inter cætera conspicuus doctor Augustinus ait: Nihil est pejus in morte, quam esse in morte sine morte, et mori velle et mori posse.

CAPUT XXXIV.

Quomodo anima immortalis sit dum constat quod in perpetuo igne moriatur.

(*Greg.*) Sicut duobus modis vita dicitur, ita duobus modis etiam anima debet intelligi. Aliud est
B namque quod in Deo vivimus, aliud vero quod in hoc quoque conditi vel creati sumus, id est, aliud est beate vivere, aliud essentialiter. Anima itaque et mortalis esse intelligitur, et immortalis. Mortalis quippe, quia beate vivere nunquam desinit, et naturæ suæ vitam perdere non valet, nec cum in perpetua fuerit morte damnata. Illic enim posita beata esse perdet, et esse non perdet. Ex qua re semper cogitur, ut et mortem sine morte, et defectum sine defectu, et finem sine fine patiatur, quatenus ei et mors immortalis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus.

CAPUT XXXV.

Quod animæ iniquorum mox ut de corpore exeunt, ad infernum descendant.

C Si esse sanctorum animas in cœlo attestatione sacri eloquii credimus, oportet ut et iniquorum animas in inferno per omnia esse credamus. Quia ex retributione æternæ justitiæ ex qua jam justi gloriantur, necesse est per omnia ut et injusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.

CAPUT XXXVI.

Quod animam egredientem e corpore, sive sancti angeli, seu dæmones acceperint, secum semper sine ulla permutatione retineant.

Scriptura etenim dicit: *In quamcunque partem ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit* (*Eccle.* xi); scilicet, quia cum hominis
D animam mortis tempore egredientem a claustro carnis sive sanctus seu malignus spiritus acceperit, in æternum secum sine ulla permutatione retinebit, ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa æternis suppliciis ultra ad remedium ereptionis ascendat.

CAPUT XXXVII.

Quod reprobi, quorum causa communis est in opere, ad loca etiam communia post mortem deducantur.

Si autem reprobi, quorum causa communis est in opere, ad loca etiam communia post mortem non deducerentur, nequaquam judex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet: *Colligite zizaniam, et*

ligate eam in fasciculos ad comburendum (*Matth.* XIII). A Messores quidem angeli, zizaniam ad comburendum in fasciculos ligant, cum pares paribus in tormentis similibus sociant, ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia adducuntur, qui eos in locis pœnalibus angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.

CAPUT XXXVIII.

Quod sicut boni bonos in requie, ita mali malos recognoscunt in tormentis.

Sicut autem boni bonos in requie, ita mali malos in tormentis cognoscunt. Si enim Abraham Lazarum minime recognovisset, nequaquam ad divitem B in tormentis positum de transacta ejus contritione loqueretur dicens, quod mala receperit in vita sua (*Luc.* XVI). Et si mali malos non cognoscerent, nequaquam dives in tormentis positus fratrum suórum et jam absentium meminisset. Quomodo enim præsentes non posset agnoscere qui etiam per absentiam memoria curavit exorare? Qua in re et illud quoque ostendditur, quia et boni malos, et mali cognoscunt bonos. Nam et dives a divite Abraham cognoscitur, cui dictum est: *Recepisti bona in vita tua* (*Ibid.*). Et electus Lazarus a reprobo divite est cognitus, quem mitti precatur ex nomine dicens: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam* (*Ibid.*) In qua videlicet cognitione utriusque partis cumulus retributionis ex- C crescit, ut boni amplius gaudeant, qui secum eos lætari conspiciunt quos amaverunt: et mali cum eis torquentur quos in hoc mundo despecto Deo dilexerunt, eos non solum sua, sed etiam eorum pœna consumat.

CAPUT XXXIX.

Utrum animæ sanctorum orent pro inimicis suis, qui in æterno cruciantur igne.

(*Greg.*) Orant pro inimicis suis animæ electorum eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait: *Ut det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem: et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius vo- D luntatem* (*II Tim.* II). Et quomodo pro illis tunc orabitur, qui jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est non oretur pro diabolo angelisque ejus æterno supplicio deputatis. Quæ nunc et jam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia de eis utique quos æterno supplicio deputatos jam noverunt, ante illum judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viventes justi mortuis et damnatis injustis minime compatiuntur, cum adhuc aliquid judicabile de sua causa sese perpeti etjam ipsi noverunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, cum ab omni vitio corruptionis exuti jam justitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod justissimo judici inhærent vis destructionis absorbet, ut omnimo eis non libeat quidquid ab illius æternæ regulæ subtilitate discordat.

CAPUT XL.

De non renatis et eorum cruciatu.

Quicunpue vero ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum non liberatur, per unum mediatorem Dei et hominum, resurgent quidem etiam ipsi, unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo ejusque angelis puniantur. Utrum sane ipsi cum vitiis et deformitate suorum corporum resurgant, quicunque in eis vitiosa et deformia membra gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit incerta et sempiterna damnatio. Nec moveat quomodo erit in eis corpus incorruptibile si dolere poterit. Nam non est vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolere corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, et, ut ita dicam, mors iosa non moritur, et ubi dolor perpetuus non interimit sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Hæc in Sanctis Scripturis secunda mors dicitur, nec prima tamen, quæ suum corpus anima relinquere cogiturnec secunda qua pœnale corpus anima relinquere non permittitur homini accidisset, si nemo peccasset.

CAPUT XLI.

Quod ex angelis facti dæmones propter superbiam de cœlis projecti, irrevocabili percussi sunt pœna.

Dæmones vero qui nunc sunt, fuerunt aliquando sine peccato creati, et ad serviendum Deo suo feliciter instituti, voluntate propria depravati noluerunt permanere quod facti sunt. Et cum se contra suum Creatorem typo superbiæ localis hostiliter extulissent, de superna cœli regione, projecti sunt, quos divina sententia eo subjudicio condemnavit, ut quia noluerunt perseverare cum possent, nec velint reparari, nec possint. Si quidem prævaricationis eorum (quod fuit irrevocabilis judicii) animadversione percussi sunt, et ad damnationem justissimam profecto pertinuit, quod voluntatem redeundi ac facultatem penitus amiserunt. Sicut e contrario voluntatis sanctorum angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus ipsi in suá dignitate manserunt.

CAPUT XLII.

Quod gehenna non propter homines, sed propter diabolum facta est.

Non autem nos ad hoc fecit omnipotens Deus, ut nos gehennæ tradat ignique perpetuo. Regnum cœlorum propter nos, gehenna propter diabolum facta. Et hoc ita esse ex Evangeliis docebo. Ipse etenim

Dominus dicit his qui a dextris sunt : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis a constitutione mundi* (*Matth.* xxv). Illis autem qui a sinistris sunt, dicit: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est,* non dixit vobis, sed *diabolo et angelis ejus* (*Ibid.*). Sic ergo, propter diabolum gehenna ignis, propter hominem regnum cœlorum a constitutione mundi præparatum est. Tantum est, ne nosmetipsos ab ingressu bonorum, persistendo in metis pertinaciter, excludamur.

CAPUT XLIII.

Quid sit reproborum manus et pedes ligari, et quid exteriores tenebræ, et quid fletus et stridor dentium, et cætera.

(*Prosper.*) Dicet autem rex ministris in futuro de reprobis : *Ligate eos manibus et pedibus, et mittite eos in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium, ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Matth.* xxii; *Marc.* ix). Et quid est obmutescentes manibus et pedibus ligare, nisi in æternum ubi Deum confiteatur actione privari? Sic in exteriores tenebras mitti nihil aliud erit, nisi a Domino, qui est mentium lumen, expelli. Fletus autem et stridor dentium acerrimos eorum dolores ostendunt, qui supplicio sempiternæ mortis addicti, non vivendi sensum habituri sunt, sed dolendi quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus torquent animas nec extorquent, puniunt corpora damnata nec finiunt. Quos ideo sibi deputatos ignis inexstinguibilis non exstinguet, ut permanente sentiendi vita pœna permaneat, et ad dolendum magis quam ad vivendum æternis corporibus compeditos habeat quos in flammis vivacibus immortalitas secundæ mortis occidat. Jam *vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur,* ad totam referuntur damnati hominis pœnam quem inefficacis pœnitentiæ ignis exurit, et consumentis conscientiam vermis immortalitas rodit.

CAPUT XLIV.

Quod nulla sit post mortem utilitas pœnitentiæ.

Donec enim sumus in hac vita, fratres, quantacunque nobis acciderint peccata, possibile est ablui omnia per pœnitentiam. Cum autem abducti fuerimus ab hoc sæculo, ibi etiam si valde pœnitet (et valde eum pœnitebit) sed nulla erit utilitas pœnitentiæ. Et licet sit stridor dentium, licet ululatus et fletus, licet fundamus preces et innumeras obsecrationes, et si proclamemus, nemo audiet, nemo subveniet, sed ne extremo quidem digito aquam quis infundet linguæ nostræ positæ in flammis, sed audiemus illud quod dives ille audivit ab Abraham : Quia *chaos magnum confirmatum est inter nos et vos, et neque hinc illuc transiri potest, neque inde huc* (*Luc.* xvi). Dum autem in hac luce vivimus, veniam nos posse promereri per pœnitentiam sciamus, in inferno tantum ut diximus pœnitentiæ medicamenta non proderunt.

CAPUT XLV.

Quæ et quanta mala habeant hi qui in gehenna dicuntur occidi.

(*Prosp.*) Omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, ut maximis consumpti doloribus aliquando deficiant, sed ut in illis pœnaliter vivant. Hæc et his similia libenter audire vel legere debemus, jugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, sine ulla perturbatione metuere. Cogitare quale malum sit ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate privari, patriæ cœlestis extorrem fieri, mori vitæ beatæ, morti vivere sempiternæ, in ignem æternum cum diabolo et ejus angelis expelli. Ubi sit mors secunda damnatis exsilium, vita supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat. Exundatis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis amara caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri.

CAPUT XLVI.

Quod tanta sint in inferno tormenta, ut nulla vox exponere, nullus valeat sermo explanare.

(*Greg.*) Beatus enim Gregorius papa in libro Moralium nono, in quo de verbis sancti Job tractare videtur, ubi ait: *Antequam vadam et non revertar ad terram, tenebrosam et opertam mortis caligine* (*Job* x), ita de perpetuis pœnis diffiniens, ait : Quod autem terræ tenebrosæ nomine, nisi tetra tartari claustra signantur, quæ æternæ mortis caligo operit, quæ damnatos quosque in perpetuum a vitæ luce disjungit nec immerito infernus terra dicitur, quia quicunque ab eo capti fuerint stabiliter ab eo tenentur. Scriptum quippe est: *Generatio præterit et cognatio advenit, terra vero in æternum stat* (*Eccl.* i). Recte igitur inferni claustra tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna transitoria, vel fantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetua damnatione servant. Quæ aliquando tamen laci appellatione signantur, propheta attestante, qui ait : *Portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum* (*Ezech.* xxxi). Infernus ergo et terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet, et lacus dicitur, quia hos quos semel ceperit, semper fluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet. Sanctus autem vir seu sua, seu humani generis voce dimitti se postulat antequam vadat, non quia ad terram tenebrosam, qui culpam defflet, iturus est, sed quia ad hanc procul dubio qui plangere negligit vadit. Sicut debitori suo creditor dicit: Solve debitum priusquam debito constringaris: qui tamen non constringitur si qdod debet solvere non moratur. Ubi et recte subditur : *Non revertar.* Quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat. Quæ adhuc subtilius loca describuntur, cum dicitur : *terram miseriæ et tenebrarum.* Miseria ad dolorem pertinet, tenebræ ad

cæcitatem. Ea ergo quæ a conspectu districti judicis expulsos tenet, miseriæ et tenebrarum terra perhibetur. Quia foris dolor cruciat, quos divisos a vero lumine intus cæcitas obscurat. Quamvis miseriæ et tenebrarum terra intelligi et aliter potest. Nam hæc quoque terra in qua nascimur, est quidem miseriæ, sed tenebrarum est. Quia multa hic corruptionis nostræ mala patimur, sed tamen in ea per conversionis gratiam ad lucem redimus, Veritate suadente, quæ ait : *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant* (*Joan*. xii). Illa vero simul miseriæ et tenebrarum terra est, quia quisquis ad toleranda ejus mala descenderit, nequaquam ad lucem ulterius redit. In cujus adhuc descriptione subjungitur: *Ubi umbra mortis et nullus ordo* (*Job* x). Sicut mors exterior ab anima dividit carnem, ita mors interior a Deo separat animam. Umbra ergo mortis est obscuritas divisionis. Quia damnatus quisque cum æterno igne succenditur ab æterno lumine tenebratur. Natura vero ignis est, ut ex se ipso et lumen exhibeat, et concremationem, sed transactorum illa ultrix flamma vitiorum concremationem habet, et lumen non habet. Hinc enim est quod Veritas reprobis dicit : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth*. xxv). Quorum rursus omnium corpus in unius persona significans, dicit : *Ligate ei manus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores* (*Matth*. xxii). Si itaque ignis qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur. Hinc de eis Psalmista ait: *Super eos cecidit ignis et non viderunt solem* (*Psal*. lvii). Ignis autem super impios cadit, sed sol igne candente non cernitur. Quia illos quos gehennæ flamma devorat a visione veri luminis cæcat, ut et foris eos dolor combustionis cruciet, et intus pœna cæcitatis obscuret. Quatenus auctori suo corpore et corde deliquerunt, simul corde et corpore puniantur. Et utrobique pœnas sentiant, qui dum hic viverent pravis suis delectationibus, ex utroque serviebant. Unde bene per prophetam dicitur : *Descenderunt ad infernum cum armis suis* (*Ezech*. xxxii). Arma quippe peccantium, sunt membra corporis, quibus perversa desideria, quæ concupiscunt, exsequuntur. Unde recte per Paulum dicitur : *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Rom*. vi). Cum armis ergo ad infernum descendere est, cum ipsis quoque membris quibus desideria voluptatis expleverunt æterni judicii tormenta tolerare : ut tunc eos undique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi undique contra justitiam juste judicantis pugnant. Mirum vero valde est, quod dicitur, *ubi nullus ordo*. Neque enim omnipotens Deus, qui mala bene disponit, inordinata esse ullo modo vel tormenta permittit. Quia ipse quoque supplicia, quæ ex lance justitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt, quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque juxta modum criminis, et retributio sequitur ultionis? Hinc quippe scriptum est : *Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio* (*Sap*. vi). Hinc in Babylonis damnatione dicitur : Quantum exaltavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormenta et luctum. Si igitur juxta modum culpæ pœna distinguitur, constat nimirum quod in suppliciis ordo servatur. Et nisi tormentorum summa meritorum acta dirimerunt, nequaquam judex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet : *Colligite zizania et ligate eam fasciculis ad comburendum* (*Matth*. xiii). Si enim nullus in suppliciis ordo servabitur, cur comburenda zizania in fasciculos ligatur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare, est hos qui æterno igni tradendi sunt, partes paribus sociare, ut quos similis culpa inquinat, per etiam pœna constringat, et qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur, quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio sublevabat. Quoque nos dissimiliter dilatabat ambitio, non dissimilis afflictio angustet : et per cruciet flamma supplicii, quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. Sicut enim in domo Patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverse supplicio gehennæ ignibus subjicit disparitas criminis. Quæ scilicet gehenna quamvis cunctis una sit, nec tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus, quia juxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis et una est gehenna quæ afficit, et tamen non una omnes qualitate comburit. Quia quod hic agit disparilitudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Quomodo ergo nullus inesse ordo supplicii dicitur, in quibus profecto quisque juxta modum culpæ cruciatur?... Sed sanctus vir postquam umbram mortis intulit, quanta sit confusio in damnatorum mente subjungit. Quia ipsa quoque supplicia, quæ ordinata per justitiam veniunt, ordinata procul dubio in corde morientium non sunt. Ut enim paulo superius diximus, damnatus quisque foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne devoratur: atque in dolore positus exterius interiusque confunditur, ut sua deterius confusione crucietur. Repulsis ergo ordo in supplicio non erit, quia in eorum morte atrocius ipsa confusio mentis sævit. Quanta enim mira potentia judicantis æquitas ordinat ut pœna animum quasi inordinata confundat. Vel certe ordo abesse suppliciis dicitur, quia quibuslibet in pœna rugientibus propria qualitas non servatur. Unde et protinus subinfertur, et sempiternus horror inhabitans in hujus viæ tormentis, timor dolorem non habet, et dolor timorem non habet. Quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati jam cœperit quod metuebat. Infernum vero et umbra mortis obscurat, et sempiternus horror inhabitat, quia ejus ignibus traditi, et in suppliciis dolorem sentiunt, et doloris angustia pulsati semper pavore feriuntur : ut quod timent tolerent, et rursus quod tolerant sine cessatione pertimescant. De his etenim

scriptum est : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Marc.* IX). Hic flamma quæ succendit illuminat, illic (ut superius verbis Psalmistæ docuimus) ignis qui cruciat, obscurat. Hic metus amittitur, cum tolerari jam cœpit, quod timebatur. Illic et dolor dilaniat et pavor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, damna cum obscuritate. Si sic videlicet a damnatis sentiat pondus summæ æquitatis debet, ut qui a voluntate Conditoris nequaquam sunt veriti discrepare dum viverent, in eorum quandoque interitu ipsa a suis qualitatibus etiam tormenta discordent. Quatenus qui se impugnent cruciatus augeant, et cum varia prodeunt multipliciter sentiantur. Quæ tamen supplicia in se diversos et ultra vires cruciant, et eis vitæ subsidium exstinguentes servant, ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper terminum cruciatus per tormenta proferat, et sine fine deficiens duret. Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors vivit et finis semper incipit, et deficere defectus nescit. Quia igitur et mors perimit et non exstinguit : dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat: flamma comburit; sed nequaquam tenebras discutit. Quantum per notitiam præsentis vitæ colligitur supplicia ordinem non habent, quia non suam per omnia qualitatem tenent. Quamvis illic ignis ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat ad aliquod lucet. Nam sequaces quoque suos in tormento secum reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt. Quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverant, ipsorum quoque interitus eos in augmento suæ damnationis affligat. Quod profecto Evangelio teste collegimus in quo, Veritate renuntiante, dives ille quem contigit ad æterni incendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse: qui Abraham petiit ut ad eorum eruditionem Lazarum mitteret, ne illuc eos quandoque venientes per pœnam cruciaret (*Luc.* XVI). Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit, constat procul dubio, quia eos ad augmentum supplicii, paulo post potuit etiam præsentes videre. Quid autem mirum se secum quoque reprobos aspiciat cremare, qui ad doloris sui cumulum eum quem despexerat Lazarum in sinu Abrahæ vidit? Si ergo ut pœna cresceret et vir electus apparuit, cur non credendum sit quod videre in supplicio eos etiam, quos contra Dominum dilexerat, possit? Quare colligitur, quod eos quos inordinate nunc reprobi diligunt, miro judicii ordine secum tunc in tormentis videbunt: ut pœnam propriæ punitionis exaggeret, illa auctori præposita carnalis cognatio pari ante oculos ultione damnata. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat credendus est, quia lumen ad tormentum servat. Quod si approbare testimoniis in sua expressione non possumus, superest ut e diverso doceamus. Tres quippe Hebrææ gentis pueri Chaldæi regis imperio succensis camini ignibus, ligatis manibus pedibusque projecti sunt. Quos tamen cum idem rex in camini incendio exploraret illæsis, vestibus deambulantes vidit. Ubi aperte colligitur qbia mira dispensatione Conditoris, ignis qualitas in diversa virtute temperata, et vestimenta non attigit, et vincula incendit: sanctisque viris et ad inferendum tormentum flamma friguit, et ad solutionis mysterium exarsit. Sicut ergo electis ignis ardere novit ad solatium, et tamen ardere ad supplicium nescit, ita e diverso gehennæ flamma reprobis, et nequaquam lucet ad consolationis gratiam, et tamen lucet ad pœnam: ut damnatorum oculis ignis supplicii et nulla claritate candeat, et ad doloris cumulum dilecti qualiter crucientur ostendat. Quid autem mirum si gehennæ ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis et luminis, qando experimento novlmus quia et tædarum flamma lucet obscura. Tunc edax flamma comburet, quos nunc carnalis delectatio polluit. Tunc infinite patens inferni barathrum devorat, quos nunc inanis elatio exaltat atque qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleverint, tunc duce suo reprobi ad tormenta pervenient. Et quamvis angelorum et hominum longe sit natura dissimilis, una tamen pœna implicat, quos uno in crimine reatus ligat. Quod bene ac breviter insinuat propheta, qui ait : *Ibi assur et omnis multitudo ejus, et in circuitu ejus sepulcra illius* (*Ezech.* XXXII). Quis namque Assur superbi regis nomine nisi ille per elationem cadens antiquus hostis exprimitur: qui pro eo quod multos ad culpam pertrahit, cum sancta sua multitudine ad inferni claustra descendit? Sepulcra autem mortuos tegunt, et quis alius mortem acrius pertulit, quam is qui Conditorem suum despiciens vitam reliquit? Quem videlicet mortuum cum humana corda suspiciunt ejus procul dubio sepulcra fiunt. Sed in circuitu illius sepulcra sunt ejus, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta conjungit. Et quoniam nunc in semetipsis reprobi malignos spiritus illicite perpetrando suspiciunt, tunc sepulcra cum mortuis ardebunt. Huc usque in hoc capitulo verba sancti Gregorii papæ de perpetuis pœnis posita sunt. Nunc autem Joannis Chrysostomi eloquia sunt ponenda. Ait autem inter cætera.

Hujus autem pœnæ vim et ignis æterni potentiam nulla vos exponere, nullus sermo poterit explanare. Nihil est enim in rebus corruptibilibus, sive bonis sive malis, illi simile, verumtamen ut aliquam imaginem ignis illius et pœnæ capiamus; recordare quando quis febrium nimio ardore succenditur, quæ angustiæ, qui cruciatus corporis atque animæ insideant, et ex hac temporali pœna metire quanta sint illa supplicia, quæ æternus ignis inflammat, quæ fluvius igneus percurrens ante illud tribunal horrificum, undis pœnalibus irrogabit. Ibi quid agemus? quid respondebimus? nihil enim nisi stridor dentium, nisi ululatus et fletus, et sera pœnitentia, cessantibus undique auxiliis et undique invalescentibus pœnis, sed nec solatium quidem usquam ullum. Nulli enim occurrent oculis nostris, nisi soli pœnarum

ministri, et facies ubique dira tortorum, et, quod est omnium tetrius, nec aeris quidem ipsius erit ullum solamen aut lucis. Circumdabunt enim nos pœnarum loca, tenebræ exteriores. Sed ignis ille, sicut naturam non habet consumendi, ita nec illuminandi, sed ignis obscurus et flamma tenebrosa. In his autem positis quis tremor, imo quæ resolutio viscerum, divulsioque membrorum, quæ aut quantæ omnibus sensibus truces pœnæ nullus nunc sermo poterit explicare. Sunt enim diversæ ac variæ pœnarum facies, et pro peccatorum quantitate singulis quibusque multiplicantur pœnæ. Quod si dicas, quomodo tot malis sufficiet corpus ad pœnam, finem temporis nescientem? Considera quæ in hac vita interdum accidunt et ex his parvis magna cogita: quomodo interdum videmus nonnullos longissima ægritudine confici, nec tamen eis ex eo vitæ terminum dari? Aut si corpus morte aliquando dissolvitur, sed anima non consumitur. Unde constat quod cum immortalitatem et jam corpus acceperit, nec animam pœna nec corpus ultra jam perimat. Nam in præsenti quidem vita evenire non potest, ut pœna corporis et vehemens esse poterit et perpetua, sed alterum cedit alteri, quia corporis fragilitas utrumque non patitur. Ubi vero utrumque corruptela caruerit, pœna quidem accepta potestate desæviet, sed nullum finem incorruptio quæsita suscipiet. Non ergo putemus quia suppliciorum nimietas ipsa dabit finem dolorum, sed (ut diximus) peccata quidem pœnas accendunt, incorruptio vero animæ et corporis nullum suppliciis terminum dabit. Dic ergo nunc quanta tempora luxuriæ, quæ deliciarum spatia comparare vis talibus pœnis? Centum placet annos deliciis demus, adde alios centum si libet, adde et decies centum: quæ erit ex his ad æternitatem compensatio? Nonne omne tempus vitæ hujus, quo deliciis frui videmur, et indulgere libidini, quasi noctis unius somnium ad æternitatis comparationem videtur? Deliciæ quidem hujus vitæ velut umbra pertranseunt, et velociter fugiant, pœnæ vero perpetuo manent. Nunc autem revoca cogitationem tuam ad illud divini judicii tribunal horrendum, quod ardens fluvius flammeis ambit fluentis, ubi fletus et stridor dentium, ubi tenebræ exteriores, ubi ille vermis conscientiæ qui nunquam moritur, et ignis qui nunquam extinguitur.

Recordare parabolam Lazari et divitis illius, qui purpura indutus et bysso, unam nunc aquæ guttam invenire non potuit, et hoc cum esset in ardoris necessitate constitutus (*Luc.* XVI). Dic, quæso te, quid plus habet vita ista, quam somnium? Sicut enim qui in metallis condemnati, vel in alia qualibet pœna positi, cum forte post multum laborem vitæ paululum relaxati fuerint in somnium et dormierint, vident se inter plurimrs dapes positos epulis copiosissimis perfrui, at ubi surrexerint, nihil sibi gratiæ ex delectatione somnii intelligunt resedisse. Ita dives ille quasi somnium habuit hujus vitæ divitias, ubi discessit nihil cum illo nisi præteritorum pœnitudo et præsentium pœna permansit. Hæc recordare nunc, amice, et illum gehennæ ignem, his quæ te nunc exagitant flammis libidinum et cupiditatis oppone. Est enim hoc mirabile quoddam medicamenti genus ut ignis ignibus restinguatur. Si enim restincti non fuerint isti qui nunc te exagitant, illos tibi æternos ignes acriores et inexstinguibiles reddent. Ille vero ignis quos susceperit semper cruciat, et pœnæ suæ semper integros servat. Propterea autem inexstinguibilis dicitur, non solum quia ipse non exstinguitur, sed quia nec eos quos susceperit, exstinguit aut perimit. Ne ergo etiam nos in istos veniamus animæ cruciatus, expergiscamur aliquando, dum tempus est. Et ecce nunc tempus acceptum, nunc dies salutis, nunc est pœnitendi facultas, et tempus quo et fructus consequitur pœnitentem. Recordandæ namque sunt nobis multitudines peccatorum, recordandæ quoque conscientiæ maculæ. Rogemus Dominum ut possimus lugere nosmetipsos, et peccatorum nostrorum pondus resolvere multitudine lacrymarum. Et ita posthac non semper flendum est et nihil agendum. Apprehendamus igitur aliquam vitam Deo placitam, et ad cœlum ducentem, ne forte cum malis nostris descendamus ad infernum, ubi nemo est qui confiteatur ei, et ibi patiamur ea, quæ impii patiuntur, cum nullus fuerit jam qui exoret pro nobis. Dum enim sumus in hac vita, agamus cuncta quæ possumus bona; cum autem abierimus illuc, ubi neque amicus, neque frater, neque pater idoneus erit ad liberandum eum, qui suppliciis deputatur. Quomodo enim qui in luce est accedit ad eum qui tenebris detinetur? Ubi cum nullum sit nobis ex sanctorum consolatione refrigerium, æternas tamen expendimus pœnas effectibus inextricabiles, immortalibus flammis.

Ecce quæ maneat damnatos pœna cognovimus, et instruente nos sacro eloquio, quantus in damnatione ignis, quanta in igne obscuritas, quantusque in obscuritate pavor sit, nullatenus ambigimus. Sed hoc prodest, si lacrymis nostris, et orationibus, jejuniis, eleemosynis, et cæteris bonis operibus nostra redimamus peccata, ut a pœnis liberati perpetuis ad vitam mereamur pervenire perpetuam: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto, per infinita vivit et regnat sæcula. Amen.

ANNO DOMINI DCCCLXV.

S. ANSCHARIUS.

HAMBURGENSIS EPISCOPUS.

VITA SANCTI ANSCHARII

AUCTORE S. REMBERTO EJUS DISCIPULO ET SUCCESSORE

(Apud Mabill. Annal. Bened., tom. VI.)

PRÆFATIO.

Ad Corbeiæ veteris monachos.

1. Dominis sanctissimis, et in Christi amore præcipua veneratione recolendis ac diligendis Patribus et fratribus in sacratissimo Corbeiæ (*a*) monasterio Deo militantibus, filii atque discipuli reverendissimi Patris Anscharii perennem perpetuæ felicitatis orant in Domino dominantium pacem et salutem.

Diu per Domini gratiam pastoris boni munere delectati, prædicationibus et exemplis informati, meritis et intercessionibus suffulti; nunc tandem ejus præsentia desolati, satis perpendimus, quid pro nobis gemendum, quidve pro eo gratulandum sit. Etenim verus Dei cultor abstinens se ab omni opere malo, et in simplicitatis modestia permanens, certam de se præbuit fiduciam, quod hinc sublatus, ad Deum, quem semper tota devotione dilexit, cuique semper animo intendebat, sine cunctatione pervenerit. Unde pro retributionis ejus præmio vere nobis gratulandum credimus; pro nostra autem desolatione necessario supplicandum: ut qui humanitus tanta destituti sumus pastore, cœlitus divino muniri mereamur auxilio. Inter varias etenim pressurarum angustias positi, veraciter jam sentimus quid amiserimus, et quid pro nobis dolere debeamus satis intelligimus. Vivente enim ipso, nihil nobis deesse credebamus. Ejus namque sanctitatem reges honorificabant, pastores Ecclesiarum venerabantur, clerus imitabatur, populus universus admirabatur: et dum illum cuncti sanctum et justum prædicarent, nos quoque tanquam corpus capitis, pro ejus bonitate venerandi ac laudabiles videbamur. At nunc tanto munere frustrati, de A nostris meritis non præsumimus, quin magis timido corde expavescimus, ne peccatis promerentibus, luporum patere incipiamus morsibus. Mundus namque in maligno positus, magis ea quæ justa et sancta sunt, evertere, quam religiosa quærit erigere: et inimicus humani generis diabolus, quanto sanctiorem ac religiosiorem quemque conspexerit ducere vitam, tanto majori conamine adversa quæque objicit: ut ea quæ sancta sunt destruat, et ne ab aliis imitentur, callida suasione ac pravis intentionibus auferat. Nos itaque inter formidolosa pericula suspirantes, licet multiplicia mala temporaliter timeamus, divinum tamen adjutorium nobis, licet indignis, non defuturum credimus. Ideoque vestram devotissimam sanctitatem supplici corde rogamus et petimus, ut memores nostri intercedere pro nobis ad Dominum B dignemini: quo nunc nos ejus misericordia non derelinquat; sed adjutor noster benignissimus noxia cuncta a nobis depellat: sitque nobis refugium in tribulatione, qui non deserit sperantes in se. De illius itaque præsentia præsumentes, spemque nostram in ejus misericordia collocantes, et quid nobis continget, vel qualiter in futurum subsistere debeamus, illius judicio derelinquentes; pietatis ejus gratiam C toto cordis ac mentis affectu collaudamus et gratificamur, qui nobis vel ad tempus tanto concessit uti patrono. Vestræ quoque sanctissimæ paternitati gratiarum actiones immensas referimus, quia vestro beneficio ac licentia talem meruimus Patrem habere: cujus exempla si quis imitari voluerit, cœlestem

(*a*) Corbeiæ veteris seu Gallicæ monachis hanc Vitam a Remberto nuncupatam esse, ejus lectio aperte probat: ut mirum sit hac in re allucinari Adamum, quem sequuntur plerique recentiores. Hunc lapsum correxit Henschenius, et post eum Petrus Lambecius. Id patet præcipue ex num. 3, ubi Rembertus hujus cœnobii monachos alloquens: «Apud vos tonsuratus, inquit, atque in monasticis disciplinis positus, apud vos Deo oblatus obedientiam promisit, una cum aliis fratribus vestris directus ad has Saxoniæ partes, in quibus cœptum fieri monasterium nomenque mutuatum a loco habitationis vestræ, ut nova Corbeia appellaretur.» Quibus verbis nihil clarius adduci potest. Eosdem monachos alloqui pergit auctor in tota serie libelli.

quodammodo in terris habebit conversationem. Si quis doctrinæ ejus recordatus fuerit, viam mandatorum Dei sine errore incedere poterit. Si quis monita adhortationis attenderit, laqueos inimici præcavere studebit. Hujus itaque sanctissimi Patris memoriam stylo exarare decrevimus; et qualiter apud nos vixe- A rit, quidque de eo nobis cognitum exstiterit, vestræ reverentiæ scriptis intimare, quo et divinam clementiam in beato viro vestra quoque nobiscum collaudet affectio, et imitari volentibus exemplum salutis fiat ejus sanctissima devotio.

VITA INCIPIT

Puer a ludicris inanibus cœlitus revocatur Anscharius.

2. Beatissimi Patris Anscharii religionis [*in ms. Corb.*, cujus religionis] sanctitas, divina largiente gratia, ab ineunte crescere cœpit ætate, et per singula ætatem momenta virtutum multiplicavit augmenta. Namque ab infantia (*a*) spiritalibus revelationibus cælitus inspiratus, et per Domini gratiam superna visitatione est sæpius admonitus, quo mentem suam a terrenis disjungens, toto corde cœlestibus inhiaret. Quas quidem revelationes ipse quibusdam nostrum, qui ei familiarius adhærebant, innotuerat; eo tamen tenore, ne tempore vitæ suæ cuiquam manifestarent. Quas nos ad laudem Domini post obitum ejus huic operi interserere elegimus. ut quique legentes agnoscant, quanta gratia Dominus servum suum a primæva ætate corrigere, ac deinceps succedentibus bonorum operum meritis clarificare dignatus fuerit. Referebat namque, quod in tempore pueritiæ suæ, cum quinque fere esset annorum, mater sua in Dei timore admodum religiosa defuncta fuerit, ac non multo post tempore ipsum pater suus, causa discendi litteras ad scholam miserit. Ubi cum esset positus, cœpit, ut ætati familiare est, cum coævis suis pueriliter agere, et discursibus inanibus atque jocis magis operam dare, quam discendæ disciplinæ instare. Cumque puerili ætati taliter deditus esset, visum est ei quadam nocte, quod esset in quodam loco, nimis lutoso et lubrico, ita ut inde non nisi magna difficultate exire valeret: secus illum vero locum esse viam amœnissimam, in qua videbat procedentem quasi quamdam dominam omni ornatu et honestate præclaram; plures vero alias feminas dealbatas, cum quibus erat et mater sua. Cumque eam recognovisset, cœpit velle ad eam accurrere: sed loco illo cœnoso et nimis lubrico non facile exire poterat. Chorus autem ille feminarum cum ei appropiasset, visum est illi, eam, quæ quasi domina aliarum videbatur, quam ille indubitanter sanctam Mariam esse credebat, ei dixisse: Fili, vis ad matrem B tuam venire? Cui cum ille respondisset, inhianter se velle, rursus illa intulit: Si nostræ voluntatis particeps esse volueris, omnem debes vanitatem fugere, et jocos pueriles dimittere, ac temetipsum in gravitate vitæ custodire. Valde enim nos detestamur omnia quæ vana et otiosa sunt; nec potest in nostro conventu esse, quicunque his fuerit delectatus. Post hanc itaque visionem, statim se cœpit gravius agere, et puerilia consortia vitare: lectione autem, meditatione, cæterisque utilitatibus arctius se occupare: ita ut socii ejus valde mirarentur quod tam subito in aliam mutatus sit conversationem.

Monachus audita Caroli morte fit ferventior.

3. Cumque post hæc apud vos tonsuratus, atque in monasticis disciplinis positus adolescentior fuisset C factus, humana subrepente fragilitate aliquantulum cœpit a propositi prioris rigore frigescere. Interim vero contigit eum domini excellentissimi Caroli imperatoris obitum audisse, quem ipse antea in magna potentia gloriosum viderat, atque cum magna prudentia regni sceptra laudabiliter gubernasse audierat. De tanti itaque imperatoris excessu ipse nimio terrore atque horrore perculsus, rursus cœpit ad se redire, et admonitionis sanctæ Dei genitricis ad memoriam verba reducere: sicque omni postposita levitate, compunctionis divinæ cœpit amore languescere, totumque se in Dei servitium convertens, orationi et vigiliis, atque abstinentiæ operam dabat.

In extasi a sanctis ducitur in purgatorium.

4. Cumque his virtutum exercitiis verus athleta D Dei insisteret, atque in hac gravitate permanenti mundus illi mortuus fieret, et ipse mundo, adveniente sancto die Pentecostes, gratia Spiritus sancti, quæ in eadem festivitate super apostolos effusa est, etiam mentem illius (ut credimus) illustrante atque exhilarante, visum est illi eadem nocte, quod quasi casu subitaneo mori deberet, et in ipso mortis arti-

(*a*) de Anscharii patria silet auctor, uti et Gualdo poeta. Corbeienses Gallos tenet opinio, tanquam et natus ibi sit. Antonius *de Caulincourt* (qui aliquando mihi visus est Jacobus Baro) in ms. Chronico Corbeiensi *Corbeiæ oppido oriundum* dicit: et in suburbano Folisto ad hæc usque tempora vicus S. Anscharii vocabatur, forsan quod ibi olim steterit paterna ejus domus. Certe veteris Corbeiæ monachis traditus est puer,; jam aliquot annis ante obitum Caroli Magni, ut patet ex sequentibus: ac proinde ante annum decimum ætatis: nam anno 811 natus, obiit anno Christi 865, cum attigisset annos quatuor et sexaginta. Falluntur qui eum in Frisia ortum et in Corbeia nova monachum factum asserunt: siquidem jam monachus erat annis amplius duodecim ante Corbeiæ novæ conditionem.

culo, sanctum Petrum apostolum, et beatum Joannem Baptistam in adjutorium sibi invocasset. Cumque anima, ut ipsi videbatur, egrederetur a corpore, ac statim in alia pulcherrima specie corporis omni mortalitate ac sollicitudine carentis appareret; sub eodem momento mortis et admirationis apparuerunt præfati viri: quorum erat unus senior, cano capite, capillo plano et spisso, facie rubenti, vultu subtristi, veste candida et colorata, statura brevi, quem ipse sanctum Petrum esse, nemine narrante statim agnovit; alius vero juvenis erat, statura procerior, barbam emittens, capite subfusco atque subcrispo, facie macilenta, vultu jocundo, in veste serica, quem ille sanctum Joannem esse omnino credidit. Hi itaque eum hinc inde circumsteterunt. Porro anima ejus egressa statim in immensa claritate, qua totus mundus implebatur, sibi videbatur esse: per quam claritatem illum nullatenus in aliquo laborantem sancti supradicti miro et ineffabili modo ducentes, cum pervenissent ad locum quemdam, quem ipse ignem purgatorium esse, nemine narrante, certissime sciebat, ibi eum dimiserunt, ubi cum multa passus esset, præcipue tamen tenebras densissimas pressurasque immanissimas et suffocationes visus est tolerasse; atque omni memoria ablata, hæc solum vix cogitare sufficiebat, quomodo tam immanis posset aliqua exsistere pœna. Cumque per triduum, ut ipse putabat, ibi cruciaretur, quod spatium illi mille annis longius propter immensam pœnam visum est; rursum redeuntes jam dicti viri, iterumque illum hinc inde circumstantes, et longe majori quam prius alacritate lætantes, atque in omnibus multo suavius incedentes, per majorem, si dici possit, claritatem gressu immobili sine via corporea ambulantes, ducebant.

Dein in paradisum.

5. Et, ut verbis ipsius utamur: « Videbam, inquit, a longe diversos sanctorum ordines, quosdam vicinius, quosdam vero longius, ab oriente assistentes, ad orientem tamen respicientes, ipsumque, qui in oriente apparebat, collaudantes; quidam submissis capitibus, quidam supinis vultibus, pansisque manibus adorabant. Cumque pervenissemus ad locum orientis, ecce viginti quatuor seniores, secundum quod in Apocalypsi scriptum est, in sedibus sedentes, servato introitu amplissemo apparuerunt: qui et ipsi reverenter ad orientem respectantes, ineffabiles Domini laudes promebant. Laudes vero in commune canentium suavissimam mihi refectionem ingerebant; sed post reversionem ad corpus retinere nullo modo poteram. In ipso vero orientis loco, erat splendor mirabilis, lux inaccessibilis, nimiæ atque immensæ claritatis, cui inerat omnis color pretiosissimus, omnisque jocunditas: omnes vero sanctorum ordines, qui undique lætantes circumstabant, ab ipso gaudium hauriebant. Qui splendor tantæ magnitudinis erat, ut nec initium ejus, nec finem contemplari valerem. Et cum circumquaque longe vel prope respicere possem, in ipsa immensitate luminis, quid intus haberetur, contemplari non poteram, sed tantum superficiem cernebam: ipsum tamen inibi esse credebam, de quo Petrus ait: *In quem desiderant angeli prospicere* (*Petr.* II, 12). Ab ipso namque claritas immensa procedebat, ex qua omnis longitudo et latitudo sanctorum illustrabatur. Ipse quoque quodammodo erat in omnibus, et omnes in eo; ipse omnes exterius circumdabat, ipse omnes interius satiando regebat; ipse superius protegebat, ipse inferius sustinebat. Sol vero et luna nequaquam lucebant ibi, nec cœlum ac terra ibidem visa sunt. Sed neque ipsa claritas talis erat, quæ oculos contemplantium impediret, sed quæ oculos gratissime satiaret Et cum seniores sedentes dixerim, in ipso quodammodo sedebant: nam nil corporeum erat ibi, sed erant cuncta incorporea, licet speciem corporum habentia, et ideo ineffabilia. Circa sedentes vero splendor ab ipso procedens, similis arcui nubium, tenebatur.

Martyrem se fore intelligit; quomodo.

6. « Cum itaque a præfatis viris coram hac immensitate luminis, ubi mihi majestas Dei omnipotentis, nemine monstrante, esse videbatur, præsentatus fuissem, vox suavissima, omni sonoritate clarior, quia mihi omne sæculum visa est complevisse, ab eadem majestate prodedens, ad me facta est dicens: Vade, et martyrio coronatus ad me reverteris. Ad quam vocem omnis conventus sanctorum Deum hinc inde laudantium, conticuit, atque submissis vultibus adoravit. Denique speciem, a qua hæc vox formata esset, prorsus non vidi. Post quam vocem tristis factus; quia ad sæculum redire compellebar, sed de revertendi promissione securus, cum prædictis ductoribus exinde remeabam: qui mecum tam euntes, quam redeuntes nihil locuti sunt, sed tam pio affectu in me respiciebant, quemadmodum mater unicum filium contemplatur. Sicque ad corpus redii. In eundo vero ac redeundo, nec labor erat, nec mora: quia quo tendebamus, statim aderamus. Et licet aliqua visus sim de tanta dulcedine dulcedinum enarrasse, fateor tamen, quia nequaquam stylus tanta exprimere potuit, quanta animus sentit. Sed nec ipse animus sentit, ut fuit: quia illud esse mihi videbatur, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. » Ex hac itaque visione, quam, sicut ipse dictaverat, verbis illus enarravimus; præfatus servus Dei et perterritus et consolatus, cœpit se sollicitius in divino exercere timore, bonisque operibus de die in diem ardentius inhærere, spemque de Dei misericordia præsumere, quod quadam ipse disponeret occasione, et ad palmam martyrii posset pertingere. Quod tamen quia corporaliter gladio imminente non contigit, qualiter in mortificatione crucis, quam jugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portavit, Deo miserante completum sit, cum de obitu illius narrare cœperimus, latius explicabimus.

Magister scholæ a Christo admonetur de confessione peccatorum.

7. Post hæc vero, cum magister fuisset scholæ ad sanctum Petrum (*a*), eundo vel redeundo ad claustrum, consuetudinem sibi fecerat in oratorio beati Baptistæ Joannis secretius insistere. Itaque post duos annos superioris visionis, quadam nocte visum est ei, quod ad idem oratorium causa orandi divertisset. Cumque oratione surrexisset, ecce vir per ostium veniebat, statura procerus, Judaico more vestitus, vultu decorus; ex cujus oculis splendor divinitatis, velut flamma ignis, Radiabat, quem intuitus, omni cunctatione postposita, Christum Dominum esse credebat, atque procurrens ad pedes ejus corruit. Cumque prostratus in facie jaceret, ille ut surgeret imperavit. Cumque surgens coram illo reverenter astaret, atque præ nimio splendore oculis ipsius emicante in faciem ejus intendere non valeret, blanda voce illum allocutus est dicens: Dic, ait, iniquitates tuas, ut justificeris, Cui servus Dei respondit: Domine, quid necesse est tibi dicere? tu omnia nosti, et nihil te latet. Ille autem subsecutus ait: Scio quidem omnia, sed ideo volo ut confiteantur mihi homines peccata sua, ut remissionem accipiant. Cui cum omnia quæ ab infantia gesserat, indicasset, et illo post hæc in orationem prostrato ipse erectus astaret, dixit: Noli timere, quia ego sum qui deleo inquitates tuas. Post quam vocem ille qui apparuerat recessit: et vir Dei excitatus somno, de fiducia remissionis peccatorum suorum confortatus, immenso tripudiabat gaudio.

Fulberti animam rapi videt in cœlis.

8. Quo etiam tempore contigit, quod vestræ reverentiæ notissimum est, ut quidam puerulus in schola, Fulbertus (*b*) nomine, a socio suo tabula percussus, ad mortem usque perductus sit. Pro qua re prædictus servus Dei nimium tristis effectus est, quod sub cura magisterii sui tanta negligentia inter subditos sibi acciderit. Verum appropinquante hora exitus ipsius pueri, vir Domini forte sopori deditus lectulo incubabat, cum ecce vidit in sommis ipsius animam a corpore sublatam angelico ministerio ad cœlum deferri: se quoque miro et ineffabili ministerio, Deo disponente, pariter comitari. Cumque cœli secreta penetrassent, pueri præfati animam in quamdam purpuream mansionem conspexit introduci, et inter agmina martyrum collocari. Ibique ei datum est agnovisse, quod, quia ipse puer vulnus sibi illatum satis patienter tulit. et animam fratris usque ad mortem diligens, pro percussore suo nimium benigne intercessit, patientiam et benignitatem ejus divina remunerante pietate, inter martyrum choros deputatus sit. Hoc autem tam celerius in hora mortis ejus ei demonstratum est, ita ut dum is adhuc moreretur, venerandus Pater Witmarus (qui cum eo tunc scholam puerorum regebat, et hujus rei testis præsens adest) cum pro hoc ipso illum excitans, obitum discipuli nuntiaret; ille se hoc quoque ante scire responderit. Quod profecto Domini gratia causa consolationis ei videre concessit, ut quia pro hac re nimium tristabatur, ex salute pueri mœstitiam sui relevaret animi.

E Corbeia migrat in novam, ubi fit magister et doctor

9. His itaque et aliis quamplurimis revelationibus atque visionibus vir Dei cœlitus inspiratus, quanta inter vos postmodum sanctitatis gratia ac bonitatis excreverit, vestrorum, qui tunc adfuere, testimonio melius comprobabitur. Nobis autem ea, quæ apud nos gesta sunt, narrare cupientibus, prima indagandum videtur, propter eos qui hujus rei forte minus conscii sunt, qua occasione a loco stabilitatis suæ huc secesserit; et cum apud vos Deo oblatus sit, ibique obedientiam promiserit, quo instinctu ad has partes emigraverit, atque ad Episcopatus officium apud nos sublimatus sit. Hoc autem ideo scribere necessarium duximus, ne forte aliquis levitati assignet, quod vir Dei divinæ compunctionis instinctu et peregrationis amore pro salute animarum suscepit. Cœptum est itaque olim in his partibus, videlicet, Saxoniæ, monasterium fieri, quod auctoritate et magisterio sanctitatis vestræ et primo fundatum, et succedenti tempore, Deo donante, feliciter consummatum est; nomenque mutuatum a loco habitationis vestræ accepit, ut vocaretur nova Corbeia. Ad hunc ergo locum Dei famulus una cum aliis fratribus vestris primo directus est, ut inibi officio fungeretur docendi, in qua re ipse per omnia tam probabilis et acceptus inventus est, ut omnium electione publice quoque in ecclesia verbum Dei populis prædicaret. Sicque factum est, ut ejusdem loci ipse primus et magister scholæ et doctor fieret populi.

Qua occasione missus in Daniam cum Herioldo rege, Ludovico Pio petente.

10. Post hæc vero contigit ut Herioldus quidam rex, qui partem tenebat regni Danorum, ab aliis ipsius provinciæ regibus odio et inimicitia conventus, regno suo expulsus sit. Qui serenissimum adiit imperatorem Ludovicum, postulans ut ejus auxilio uti mereretur, quo regnum suum denuo evindicare valeret. Qui cum secum detentum tam ipse, quam per alios ad suscipiendam Christianitatem cohortatus, quo scilicet inter eos ita major familiaritas esse posset, populusque Christianus ipsi ac suis promptiori voluntate in adjutorium sic veniret, si uterque unum coleret Deum; tandem, gratia divina tribuente, ad fidem convertit, et sacro baptismate per-

(*a*) Id est in monasterio Corbeiensi, cujus præcipua basilica in honore sanctorum Petri et Pauli atque sancti Stephani sacrata est. Prope erat oratorium sancti Joannis Baptistæ, quod modo tenent Benedictinæ sanctimoniales, at vicinior claustro ecclesia sancti Joannis evangelistæ, quæ forsan hic intelligenda.

(*b*) *Filbertum* vocat Gualdo in Vita metrica, si sana est membranei codicis scriptura.

fusum ipse de sacro fonte (a) suscepit, sibique in A filium adoptavit. Quem cum iterum ad sua reducere vellet, et ejus auxilio munitus regni sui fines repeteret, cœpit diligentius quærere, si quem inveniret sanctæ devotionis virum, qui cum eo ire posset, eique continuo adhæreret fieretque illi et suis ad corroborandam suscipiendamque fidem Domini magister doctrinæ salutaris. De hoc itaque prædictus Augustus in publico conventu optimatum suorum, cum sacerdotibus cæterisque fidelibus suis tractare cœpit, et ut sibi aliquem ad tale opus et voluntarium et condignum invenirent, sollicitius omnes rogare.

Hujus peregrinationem, Wala annuente, fratre, improbant.

11. Quod cum universi abnuerent, nullatenus se quemquam scire tantæ devotionis virum, qui pere- B grinationem tam periculosam pro Christi nomine suscipere vellet; exstitit tunc temporis venerabilis abbas monssterii vestri Wala, qui memorato imperatori dixit, unum se scire monachum in monasterio (b) suo, qui multo ardore circa divinam religionem ferveret, ac pro Dei nomine multa pati desideraret: cujusque pariter instutionem ac mores laudavit, et quod ad hoc opus satis esset idoneus indicauit, se tamen nescire testatus est, utrum ad hanc peregrinationem tolerandam voluntarius esset. Quid plura? Jubente rege evocatus est ad palatium Anscharius, cui abbas cuncta quæ acta sunt, retulit, et ad quid vocaretur, aperuit. Qui se ad Dei servitium in omnibus, quæ in causa obedientiæ injungerentur, paratum esse respondit. Deductus itaque ad præsentiam Augusti, cum ab ipso interrogaretur C utrum pro Dei nomine, causa in gentibus Danorum Evangelium prædicandi, comes fieri vellet Herioldi, omnino se velle constanter respondit. Cui etiam cum abbas intulisset, nullatenus se tantum onus jubendo illi imponere; si ipse tantum hoc sua sponte eligeret, sibi gratum esse, et suæ auctoritatis ei licentiam dare, quod ille nihilo minus se et eligere, et modis omnibus perficere velle respondit. Denique cum hæc publice protestarentur, essetque cognitum omnibus qui in domo conversabantur abbatis, cœperunt multi tantam ejus admirari immutationem: quod scilicet relicta patria, et propinpuis suis, fratrum quoque cum quibus educatus fuerat, dulcissima affectione, alienas expetere vellet nationes, et cum ignotis ac barbaris conversari. Multi quoque eum D super hoc detestari, et improperiis lacessere; quidam a proposito revocare conabantur. Sed vir Dei in cœpta voluntate immobilis permanebat. Denique cum abbas per dies singulos ad palatium iret, ipse domi residens consortia omnium fugiebat, et in quadam vinea (c) juxta posita solitarium sibi locum eligens, orationi et lectioni vacabat.

Autbertus ipsi adjungitur.

12. Erat autem etiam tunc cum domno abbate quidam frater monasterii vestri, nomine Autbertus, qui cum eum sollicitum nimis ac tristem, et quotidie secretius sibi consistere et nullius consortio vel colloquio uti videret, cœpit ei compati. Et quadam die pergens ad locum, ubi in supradicta vinea solus sedebat, cœpit ab eo inquirere, utrum veraciter peregrinationem illam vellet suscipere. Qui sperans eum hoc non ob compassionem, sed propter astutiam magis inquirere, respondit: Quid vobis curæ est super hoc? nolite mentem meam tali inquisitione conturbare. Ille vero nihil omnimo se deceptionis in hac re protendere testabatur: sed magis veraciter scire velle, utrum ille in proposita voluntate disponeret perseverare. Tunc ipse congratulans ejus benevolentiæ, respondit: Ego interrogatus sum si pro Dei nomine vellem in gentes peregrinas ire ad prædicandum Evangelium Christi, cui propositioni ego nequaquam reniti ausus sum, imo totis viribus exopto, ut mihi ad hoc detur copia eundi: nullusque ab hac intentione mentem meam immutare poterit. Nunc præfatus frater ei respondit: Et ego te nunquam patiar solum ire, sed pro Dei amore tecum proficisci cupio, tantum ut domni abbatis licentiam mihi impetres. Firmata itaque inter eos hac religiosa contentione, redeunti abbati ipse obvius adstitit, et quod sibi socium inventum haberet, qui hujus profectionis comes esse voluntarius vellet, indicavit. Cujus personam cum abbas requireret, et ille fratrem Autbertum nominaret, multo miraculo obstupuit, nequaquam putans eum, qui et nobilis prosapiæ in sæculo, et apud eum tunc familiaris, ac post eum domus ejus procurator habebatur, talia velle, advocatum tamen eum super hoc interrogavit. Qui respondit se nequaquam pati posse, ut ille solus iret: sed pro Christi nomine se velle ei solatio et adjutorio fieri, si suam et fratrum haberet licentiam. Cui domnus abbas se daturum licentiam, si ille spontanee hanc profectionem eligeret, respondit, nullum tamen eis ex familia sua comitem deputaturum ad obsequium servitii: nisi forte ipsi aliquem ad hoc provocare possent, ut sua sponte cum eis ire vellet. Hoc autem venerabilis abbas non de inaffe-

(a) Nempe Mogontiaci in monasterio S. Albani, et quidem anno 826, ut constat ex Eginhardo et ex libro de Vita Ludovici Pii, ubi Herioldus cum uxore Danorumque non parva manu Mogontiaci apud sanctum Albanum cum suis omnibus baptismatis unda perfusus, plurimisque muneribus ab imperatore donatus fuisse perhibetur, accepto quodam comitatu in Frisia, cujus vocabulum est Rhiustri. Theganus addit, reginam ejus uxorem ab Juditha imperatrice de sacro fonte levatam fuisse. Herioldi fratrem Adamus addit perperam.

(b) Id est in Corbeia veteri, ad quam proinde jam se receperat Anscharius, ante aliquot annos in novam missus docendi gratia: sed forsan Adalhardo abbate mortuo a Wala exinde revocatus.

(c) Id intelligo de vinea palatio vicina, non de vineis Corbeiæ veteris, de quibus anonymus quidam de destructionibus ecclesiæ Corbeiensis apud Chesnium tomo II: « Appendebant ad Corbeiam vineæ, quæ circa monasterium erant, continentes in se duodecim bunaria terræ. et amplius: ubi poterant colligii modii monaginta de vino, et amplius. » Nunc in segetum culturam cessit totus ager monasterio circumpositus.

ctione faciebat, sed quia abominabile et injustum videbatur, ut quis invitus inter paganos conversari cogeretur.

Ambo Daniam petunt cum Herioldo. Coloniæ bene accepti. Ad confinia Danorum perveniunt.

13. Post hæc itaque ambo deducuntur ad regem : quorum voluntati et desiderio condelectatus, ipse dedit eis et ecclesiastica (*a*) ministeria, et scrinia atque tentoria, cæteraque subsidia, quæ tanto itineri videbantur necessaria : et cum præfato Herioldo ire præcepit, denuntians, ut ejus fidei maximam impenderent sollicitudinem, eumque et suos, qui simul cum eo baptizati fuerant, pia exhortatione, ne ad pristinos reducerentur diabolo instigante errores, continue laborarent ; simulque etiam alios ad suscipiendam Christianitatem verbo prædicationis strenue commonerent. Dimissi itaque ab imperatore nullum habuerunt socium, qui eis aliquid servitii impenderet : quoniam nemo ex familia abbatis cum eis sua sponte ire, nec ille quemquam ad hoc invitum cogere volebat. Herioldus quoque, cui commissi fuerant, adhuc rudis et neophytus, ignorabat qualiter servi Dei tractari debuissent. Sui quoque tunc nuper conversi, et longe aliter educati, non multa super eos cura intendebant. Cum gravi itaque difficultate hanc suscipientes peregrinationem, pervenerunt Coloniam, ubi tunc temporis venerandus antistes Hadelbodus compatiens eorum necessitati, dedit eis navem optimam, ubi sua reponerent, in qua erant duæ mansiunculæ satis optime præparatæ. Hanc itaque prædictus Herioldus conspiciens, elegit in eadem navi cum illis manere, ut ipse una, et illi potirentur altera mansiuncula, sicque inter eos familiaritas cœpit et benevolentia crescere : sui quoque exhinc servitium eis diligentius impendebant. Inde ingressi per Dorstatum (*b*), et vicina Fresonum transeuntes, ad confinia pervenerunt Danorum. Et quia interdum pacifice in regno suo Herioldus rex consistere non poterat, dedit ei memoratus Augustus ultra Albiam beneficium, ut si quando ei necessarium esset, ibi subsistere posset.

Paganos erudiunt, pueris scholas aperiunt. Autbertus Corbeiæ obit.

14. Præfati itaque servi cum eo positi aliquando inter Christianos, aliquando inter paganos constituti, cœperunt verbo Dei insistere ; et quoslibet poterant ad viam veritatis monere. Multi enim exemplo et doctrina eorum ad fidem convertebantur, et crescebant quotidie qui salvi fierent in Domino. Ipsi quoque divino inspirati amore ad promulgandam devotionis suæ religionem, cœperunt curiose pueros quærere quos emerent, et ad Dei servitium educarent. Præfatus quoque Herioldus ex suis aliquos sub eorum cura erudiendos posuit, sicque factum est, ut scholam inibi parvo tempore statuerint duodecim aut eo amplius puerorum. Alios quoque hinc inde sibi adsciverunt servitores et adjutores : cœpitque eorum fama et religio in Dei nomine fructuosius crescere. Cum itaque in hoc sancto proposito biennio aut eo amplius morarentur, contigit jam dictum fratrem Autbertum infirmitatis gravari molestia. Qua de causa inde sd novam Corbeiam deductus, languore diutino ingravescente, felici (ut credimus) transitu in tempore Paschæ, sicuti et ipsi antea a Domino revelatum fuerat, diem inibi clausit extremum.

Sueci petentibus prædicatores, Anscharius a Ludovico dirigitur ad ipsos, desiderio patiendi animatus ex viso cœlesti.

15. Interim vero contigit legatos Sueonum ad memoratum venisse (*c*) Ludovicum, qui inter alia legationis suæ mandata clementissimo Cæsari innotuerunt, esse multos in gente sua, qui Christianæ religionis cultum suscipere desiderarent. Regis quoque sui animum ad hoc satis benevolum, ut ibi sacerdotes Dei esse permitteret : tantum ejus munificentia mererentur, ut eis prædicatores destinaret idoneos. Quos religiosissimus audiens imperator, plurimum exhilaratus, denuo quærere cœpit quos in illas partes dirigeret, qui probarent utrum populus ille ad credendum paratus esset, sicuti missi illi intimaverant, et cultum Christianæ religionis illis tradere inciperent. Unde factum est, ut iterum cum memorato abbate vestro serenissimus imperator tractare cœperit, si quem forte de suis monachis invenire posset, qui pro Christi nomine in illas partes ire vellet : aut certe qui cum Herioldo moraretur, et is qui cum eo erat, servus Dei Anscharius illam susciperet legationem. Qua de re contigit ut regio jussu abhinc ad palatium vocaretur. Cuique denuntiatum est, ne se raderet (*d*) antequam ad præsentiam imperatoris veniret. Vir autem Dei ad quod vocaretur omnino prænoscens, cœpit toto cordis fervore in amore Dei exardescere, et omne gaudium existimare, si lucrandis sibi animabus liceret insistere. Si quid quoque in hujusmodi profectione contrarietatis sive adversitatis ei potuisset accidere, proposuit animo patienter pro Christo tolerare : nihilque dubietatis in corde pro tali gerebat opere, quoniam visionis divinæ, quam ante præviderat consolabatur munere. Siquidem supradicto tempore, cum apud vos maneret, et jam duabus visionibus cœlitus inspiratus haberetur, quadam nocte visum est ei,

(*a*) Id est ecclesiasticam supellectilem, calicem, ornamenta et cætera ad usum altaris, quæ uno vocabulo capellam nominant.

(*b*) Oppidum est Batavorum ad Rhenum, quo secundo flumine Anscharius cum suis in Oceanum, ac deinde in Daniam vectus est anno 827.

(*c*) Anno scilicet 829, siquidem biennio jam apud Danos moratus erat Anscharius ex num. 14, tametsi hujus legationis mentio nulla est apud ejus ævi auctores. Sane id factum oportuit ante annum 830, quo Walach abbas, cum quo imperator hac de re tractavit, ab eo jussus est ad monasterium suum redire, ibique regulariter obversari, ut loquitur auctor ille, qui Vitam Ludovici scripsit.

(*d*) Ergone moris erat ut monachi regem adituri tonsuram renovarent, ut apparerent comptiores?

quod venisset in quamdam domum, ubi plures ex ordine Prædicatorum ad prædicandi officium præparati astabant : coram quibus subito in excessu mentis raptus, videbat immensi luminis claritatem super solis radium de cœlo emissam se circumfulsisse. Cumque miraretur quid hoc esset; vox quoque pene similis illi, quam in prima visione se audisse narraverat, facta est ad eum, dicens : Dimissum est peccatum tuum. Qui ille divino, ut credimus, afflatus Spiritu, respondit, dicens : Domine, quid vis ut faciam? Et iterum vox sonuit, dicens : Vade et annuntia gentibus verbum Dei. Hanc itaque visionem servus Dei pertractans animo, lætus gaudebat in Domino, videns jam ex parte impletum, quod sibi imperatum fuerat, et ad majorem laboris sui cumulum etiam Sueonibus verbum Dei nuntiare cupiens.

Witmarum socium sortitur, Gislemaro in Dania substituto. A piratis spoliatur.

16. Cum itaque ante præsentiam Cæsaris adductus, interrogatus ab eo fuisset, utrum legationem istam suscipere vellet, libera voce respondit, se paratum ad omnia quæ illi pro Christi nomine sua auctoritate decrevisset injungere. Tunc Dei providentia socium illi ex vestra fraternitate venerabilis abbas invenit nonnum (*a*) Witmarum, tanto operi satis condignum et voluntarium. Porro cum Herioldo esse disposuit Patrem devotissimum Gislemarum, fide et operibus bonis probatum, atque in zelo Dei ferventissimum. Suscepit itaque legationem sibi a Cæsare injunctam, ut in partes iret Sueonum, et probaret utrum populus ille ad credendum paratus esset, sicuti missi supradicti innotuerant. In qua legatione, quanta, quamque gravia perpessus sit mala, melius ipse, qui interfuit, prædictus Pater Witmarus (*b*) intimare poterit. Nobis hoc tantum narrasse sufficiat, quod dum in medio fere essent itinere, in piratas offenderunt. Et cum negotiatores, qui cum eis ibant, se viriliter defenderint, et primo quidem victoriam ceperint; in secundo tamen ab iisdem piratis devicti ac superati sunt, ita ut naves et omnia quæ habebant, eis tulerint, et ipsi vix pedibus ad terram fugientes evaserint. Ibi itaque et munera regia, quæ illuc deferre debuerant, et omnia quæ habuerant, perdiderunt, excepto parum quid, quod forte prosilientes e navi secum auferre et asportare poterant. Inter quæ et pene quadraginta libros, quos ad servitium Dei sibi aggregaverant, illis diripientibus amiserunt. Hoc itaque facto cum quidam reverti, quidam in antea ire disponerent, servus Dei a cœpto itinere nulla ratione flecti potuit, quin potius in Dei ponens arbitrio quid illi contingeret, nequaquam redire disposuit, antequam nutu Dei dignosceret, utrum in illis partibus licentia prædicandi fieri posset.

A Sueoniæ rege benigne exceptus, conversionem gentis aggreditur feliciter.

17. Cum gravi itaque difficultate pedibus post hoc per longissimam viam incedentes, et, ubi congruebat, interjacentia maria navigio transeuntes, tandem ad portum regni ipsorum, qui Byrca dicitur, pervenerunt : ubi benigne a rege eorum, qui Bern (*c*) vocabatur, suscepti sunt, missis ejus referentibus, qua de causa advenerint. Cognita itaque legatione eorum, et cum suis de hujusmodi negotio pertractans fidelibus, omnium pari voto atque consensu dedit licentiam eis ibi manendi et Evangelium Christi prædicandi: concessa libertate, ut quicunque vellent, eorum doctrinam expeterent. Itaque alacri corde servi Dei, videntes prospere ea quæ optaverant, successisse, populis ibi constitutis verbum salutis annuntiare cœperunt. Plures quoque erant, qui eorum legationi favebant. Multi etiam apud eos captivi habebantur Christiani, qui gaudebant jam tandem se mysteriis posse participari : probatumque est omnia ita veraciter constare, sicuti missi ipsorum serenissimo Cæsari innotuerunt, et baptismi gratiam nonnulli devote expetebant. Inter quos præfectus vici ipsius et consiliarius regis, admodum illi amabilis, Herigarius nomine, sacri baptismatis donum suscepit, atque in fide catholica firmissimus extitit. Ipse namque in hæreditate sua ecclesiam fabricavit, et in Dei servitio semetipsum religiosissime exercuit. Hujus viri diversa exstant insignia, et ejus invictæ fidei multa probantur indicia, quæ in sequentibus evidentius exponemus.

Rem ad imperatorem refert Anscharius.

18. Peracto itaque apud eos altero dimidio anno, præfati servi Dei cum certo suæ legationis experimento, et cum litteris regia manu more ipsorum deformatis, ad serenissimum reversi sunt Augustum; qui honorifice et cum maxima pietatis benevolentia ab eo suscepti, narraverunt quanta Dominus secum egerit, et quod ostium fidei in illis partibus ad vocationem gentium patefactum fuerit. Hoc itaque devotissimus audiens imperator, immenso lætificabatur gaudio : pariterque recolens, quæ jam olim apud Danos circa Dei cultum concepta fuerant, et laudes et gratias omnipotenti Domino referens, ardore fidei succensus quærere cœpit, quomodo in partibus Aquilonis, in fine videlicet imperii sui, sedem constituere posset episcopalem : unde congruum esset

(*a*) S. Benedictus præcipit abbatem *domnum* vocari, priores *nonnos, quod intelligitur paterna reverentia*, in Regulæ cap. 63.

(*b*) Ergo in vivis etiam tum superstes erat Witmarus, in veterem, ut videtur, Corbeiam jam reversus.

(*c*) Biorn vocat Adamus in Historiæ lib. I, cap. 16. qui auctor, cap. 50, notat situm Bircæ oppidi his verbis : « Birca est oppidum Gothorum in medio Sueoniæ positum, non longe ab eo templo quod celeberrimum Suecones habent in cultu deorum, Ubsola dicto. In quo loco sinus quidam ejus freti, quod Baltitum vel Barbarum dicitur, in boream vergens, portum facit barbaris gentibus, quæ hoc mare diffusi habitant, optabilem. Hactenus insulæ relictum Biorko vocabulum. »

episcopo ibi consistenti causa prædicationis illas frequentius adire partes, et unde etiam omnes illæ barbaræ nationes facilius uberiusque capere valerent divini mysterii sacramenta. Cum itaque pro hujusmodi sollicitudine cura vigilanti instaret, quibusdam fidelibus suis referentibus ei innotuit quod cum gloriosæ memoriæ pater suus Carolus Augustus omnem Saxoniam ferro perdomitam et jugo Christi subditam per episcopatus divisit, ultimam partem ipsius provinciæ, quæ erat in Aquilone ultra Albiam, nemini episcoporum tuendam commisit, sed ad hoc reservare decrevit, ut ibi archiepiscopalem constitueret sedem : ex qua Domini gratia tribuente etiam successio fidei in exteras proficeret nationes. Qua de re primitus etiam ibi ecclesiam per quemdam episcopum Galliæ, Amalarium (*a*) nomine, consecrari fecit. Postea etiam ipsam parochiam presbytero, Heridach nomine, specialiter gubernandam commisit : nec omnino voluit ut vicini episcopi aliquid potestatis super eum locum haberent. Quem etiam presbyterum consecrari disposuerat episcopum, sed velocior ejus de hac luce transitus hoc ne fieret, impedivit.

Sedem Hammaburgi a Carolo designatam a Ludovico erectam obtinet. Archiepiscopus consecratur.

19. Post obitum itaque tantæ memoriæ Augusti, filio ejus, supradicto videlicet imperatore Ludovico, in sede regni ejus collocato suggerentibus quibusdam, partem illam provinciæ, quæ ultra Albiam erat, in duo divisit, et duobus vicinis episcopis (*b*) interim commendavit. Non enim satis attendit patris sui super hoc constitutionem, aut certe omnimodis ignoravit. Ita vero facta occasione, qua jam fides Christi in partibus Danorum atque Sueonum per gratiam Dei fructificare cœperat, cognito patris sui voto, ne quid ejus studii imperfectum remaneret, una cum consensu episcoporum ac plurimo synodi conventu, in præfata ultima Saxoniæ regione trans Albiam, in civitate *Hammaburg* sedem constituit archiepiscopalem, cui subjaceret universa Nordalbingorum Ecclesia, et ad quam pertineret omnium regionum aquilonalium potestas, ad constituendos episcopos sive presbyteros in illas partes pro Christi nomine destinandos. Ad hanc ergo sedem domnum et Patrem nostrum Anscharium prædictus imperator solemniter consecrari (*c*) fecit archiepiscopum, per manus Drogonis Metensis præsulis et summæ sanctæque palatinæ dignitatis tunc archicapellani, astantibus archiepiscopis, Ebone Rhemensi, Hetti Treverensi, et Otgario Magontiacensi, una cum pluribus aliis, in conventu imperii, præsulibus congregatis; assistentibus quoque, et consentientibus ac pariter consecrantibus Helingaudo et Willerico episcopis : a quibus jam dictas parochiæ illius partes commendatas cœperat. Et quia diœcesis illa in periculosis fuerat locis constituta, ne propter barbarorum imminentem sævitiam aliquo modo deperiret, et quia omnimodis parva erat, quamdam cellam in Gallia, *Turholt* (*d*) vocatam, ad eamdem sedem perpetuo servituram ejus legationi tradidit.

A Gregorio IV confirmatus, constituitur legatus Septentrionalium.

20. Et ut hæc omnia perpetuum suæ stabilitatis retinerent vigorem, eum honorabiliter ad sedem direxit apostolicam, et per missos suos venerabiles Bernoldum et Ratoldum episcopos, ac Geroldum illustrissimum comitem (*e*), omnem hanc rationem sanctissimos papæ Gregorio intimari fecit confirmandam. Quod etiam ipse tam decreti sui auctoritate, quam etiam pallii datione, more prædecessorum suorum roboravit, atque ipsum in præsentia constitutum legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum sive Danorum, necnon etiam Sclavorum, aliarumque in Aquilonis partibus gentium constitutarum, una cum Ebone Rhemensi archiepiscopo, qui ipsam legationem ante susceperat, delegavit, et ante corpus et confessionem sancti Petri apostoli publicam evangelizandi tribuit auctoritatem, et ne horum quidquam in futurum irritum fieret, omnem resistentem et contradicentem, vel quolibet modo his sanctis studiis piissimi imperatoris insidiantem, anathematis mucrone percussit, atque perpetua ultione reum diabolica sorte damnavit. Porro, ut præmisimus, eadem legatio auctoritate Paschalis papæ (*f*) Eboni Rhemensi archiepiscopo prius commendata fuerat. Siquidem ipse (ut credimus) divino afflatus Spiritu, pro vocatione gentium, et maxime Danorum quos in palatio sæpius viderat, et diabolico deceptos

(*a*) Trevirensem scilicet, ni fallor, alium ab Amalario scriptore librorum de divinis Officiis, qui auctor Romam profectus est anno 831, ex libro de ordine Antiphonarii cap. 58 ; quo tempore ecclesiæ Trevirensi ab anno decimo præsidebat Hetti Amalarii successor, de quo numero sequenti. Ludovicus Augustus in præcepto suo postea referendo (*Patrologiæ tom.* CIV) ait episcopum quemdam *ex remotis Galliæ partibus*, nomine Amalarium, Hammaburgi ecclesiam consecrasse, nulla sedis ejus mentione facta.

(*b*) Nimirum Bremensi et Ferdensi, Willerico et Heligaudo, de quibus infra.

(*c*) Id contigit anno 832, mendose apud Adamum anno 833, si quidem testante eodem auctore, Anscharius obiit anno 865, episcopatus anno vicesimo quarto.

(*d*) Cella Turholtensis, nunc oppidum Thuroltani comitatus caput Flandriæ contignum, Anschario concessa est anno 833, testante Adamo in lib. I, cap. 17. Cellæ istius fit mentio in Vita S. Bavonis, sæculo II.

(*e*) Cujus loci, incertum. Exstat quidem epistola formata Wolfeonis, Constantiensis episcopi, ad Bernaltum, Argentariensem episcopum, apud Sirmondum in tomo III Conciliorum Galliæ : qui Bernaltus apud Guillimannum omittitur. At cum epistola illa data sit anno 817, et Utho, haud dubie Bernalti successor, consilio Aquisgranensi anno 819 subscripsisse dicatur, de alio Bernoldo hic locus intelligendus est. Geroldus comes erat Pannonici limitis præfectus, ex Eginhardo ad annum 826.

(*f*) Paschalis hac de legatione litteras refert Philippus Cæsar, et ex eo Henschenius, quibus pontifex Eboni potestatem facit in partibus Aquilonis disseminandi Evangelii una cum Halitgario ministro. Quod Baronius revocat ad annum 823.

errore dolebat; ferventissimo ardebat desiderio, et pro Christi nomine se suaque omnia ad salutem gentium tradere cupiebat. Cui etiam domnus imperator locum unum ultra Albiam, qui vocatur Welanao (a), dederat, ut quoties illas in partes pergeret, locum subsistendi ibi haberet. Multoties itaque ipse ad eumdem venit locum, et pro lucrandis animabus multa in Aquilonis partibus dispensavit, ac plurimos religioni Christianorum adjunxit, atque in fide catholica roboravit.

Gauzbertum episcopum adjutorem accipit, aliosque ex Corbeia veteri.

21. Verum post ordinationem domni et Patris nostri Anscharii superius comprehensam, visum est illis, de eadem legatione inter se conferentibus necessarium esse, ut aliquis illi ordinaretur adjutor, qui in partibus Sueonum ministerii episcopalis officio fungeretur: quoniam in regione tam longe posita præsens adesse deberet pontifex, et ipse solus ad utrumque locum minus sufficeret. Cum consensu itaque et voluntate prædicti imperatoris, venerabilis Ebo quemdam propinquum suum, Gauzbertum [*al.*, Gautbertum] nomine, ad hoc opus electum, et pontificali insignitum honore, ad partes direxit Sueonum; cuique ministeria ecclesiastica et necessarios sumptus tam ex sua quam ex datione regia abunde tribuit, cumque quasi vice sua (b) qui ibidem prædicandi officium prius auctoritate apostolica suscepisset, legatum in gentibus Sueonum esse constituit, cui etiam postea clementissimus Augustus, suggerente eodem venerabili præsule Ebone, cellam quam ipse in loco memorato Welanao construxerat, quasi locum refrigerii tradidit, ut scilicet ad ipsius ministerium officii perpetua stabilitate deserviret. Prædictus itaque Gauzbertus, quem ipsi consecrantes honore apostolici nominis Simonem (c) vocaverunt, ad partes veniens Sueonum, honorifice et a rege et a populo susceptus est, cœpitque cum benevolentia et unanimitate omnium ecclesiam inibi fabricare, et publice Evangelium fidei prædicare: fiebatque gaudium salutis Christianis ibi degentibus, et de die in diem numerus credentium augebatur. Interim quoque domnus et pastor noster in diœcesi sibi commissa et in partibus Danorum strenue suum implebat officium, et exemplo bonæ conversationis multos ad fidei gratiam provocabat. Cœpit quoque ex gente Danorum atque Sclavorum nonnullos emere pueros, aliquos etiam ex captivitate redimere, quos ad ser-

A vitium Dei educaret. Quorum quosdam ad cellam prædictam *Turholt* nutriendos posuit: fueruntque cum eo hic ex societate vestra sancti Patres nostri et magistri, quorum doctrina et institutione feliciter nobiscum religionis divinæ crevit opinio.

Hammaburgo a piratis vastato, omnium rerum jacturam fert patienter Anscharius.

22. Verum cum hæc in utraque parte laudabiliter et Deo digne agerentur, contigit ex improviso piratas advenientes Hammaburgensem civitatem navigio circumdedisse. Quod cum inopinate et subitanee accidisset, spatium non fuit pagenses congregandi; quippe cum et comes, qui eo tempore præfecturam loci illius tenebat, illustrissimus vir Bernarius tunc deesset; domnus vero episcopus ibi positus cum his

B qui aderant in urbe ipsa, vel in suburbio manentibus, primo quidem audito adventu eorum locum ipsum continere voluit, donec majus veniret auxilium; sed impellentibus paganis, et civitate jam obsessa, cum eis resisti non posse conspicit, quomodo pignora sanctarum reliquiarum (d) asportarentur, præparavit. Sicque ipse clericis huc et illuc fuga dispersis, etiam sine cappa sua vix evasit. Populi quoque a loco ipso exeuntes et hac illacque palantes, plurimis aufugientibus, quidam capti, plerique etiam perempti sunt. Denique hostes direpta (e) civitate, et omnibus quæ in ea vel in vico proximo erant spoliatis, cum vespertino tempore eo adventassent, noctem ipsam cum sequenti die et nocte ibi consederunt: sicque succensis omnibus ac direptis, egressi sunt. Ibi ecclesia miro opere magisterio do-

C mni episcopi constructa, una cum claustris monasterii mirifice compositis, igni succensa est. Ibi bibliotheca, quam serenissimus memoratus imperator eidem Patri nostro contulerat, optime conscripta, una cum pluribus aliis libris, igni disperiit; sicque omnia, quæ inibi aut in ecclesiasticis ministeriis, aut in aliis thesauris et facultatibus habuerat; aut prædatione aut igne, hostili impetu direpta sunt, ut quasi nudum eum dimiserint. Quippe cum pene nihil exinde prius elatum sit, nec tunc quidem aliquid subventum, nisi quod quisque fugiens casu arreptum secum forsitan exportare potuit. Pro quibus omnibus domnus et Pater sanctissimus nullatenus vel animo molestabatur, vel labiis peccavit; sed cum omnia fere, quæ ab initio episcopatus aggregare vel

D in fabricam ædificiorum componere potuerat, uno velut momento perdidit, illud beati Job sæpius ver-

(a) Vulgo *Wehl* seu *Wedel* infra Hammaburgum.

(b) Non tamen assidue ab anno 823 usque ad id tempus in illis partibus perseveravit Ebo. Certe in sua diœcesi Rhemensi versabatur anno 827, quo Ludovicus Augustus eum misit ad monasterium Dervense, tunc a sæcularibus clericis occupatum, ut diligenter consideraret an *locus aptus esset ad monasticum ordinem observandum*, ut patet ex diplomate Ludovici ipsius.

(c) Hinc patet moris aliquando tum fuisse, ut episcopis in consecratione sua nomen mutaretur, sic sanctus Willibrodus a papa Clemens dictus est.

(d) Nempe sanctorum Xysti et Siricii confessorum pontificum Rhemensium, ex Adamo in lib. I, cap. 23, in quorum honorem cœnobium postea constituit in prædio Ramsolano, quod Ikia matrona ipsi tradiderat, haud longe ab Hammaburgo. Reliquias istas Anscharius ab Ebone acceperat, una cum corpore sancti Martiniani, quod apud Helingastad reposuit; et cimiliis beati Remigii, quæ cum ingenti honore Bremæ servavit.

(e) Id anno 845 reponunt Annales Fuldenses et Mettenses, rectius quam Adamus et Krantzius anno 840.

bis replicabat: *Dominus dedit Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21).

Gauzbertus a Sueonibus vexatur, Nithardus perimitur.

23. His itaque ita peractis, cum domnus episcopus cum suis in multis esset pressuris et calamitatibus, et fratres congregationis ejus una cum sanctissimis pignoribus varia loca circumeundo huc illucque vagarentur, et nusquam sederent quieti; prævalescente iniqui machinatione contigit etiam diabolico instinctu, ut populus Sueonum, fervore zeli accensus, præfatum Gauzbertum episcopum insidiose persequi cœperit: factumque est, ut ad domum, in qua manebat, unanima conventione pars quædam populi, causa direptionis, irruerit, et nepotem quidem ipsius, Nithardum nomine, gladio peremerit, et odio Christiani nominis percussum Dei (ut credimus) martyrem fecerit. Ipsum vero cum cæteris sociis, qui simul aderant, ligaverunt, et diripientes omnia quæ apud eos invenire potuerunt, contumelia et opprobriis affectos a finibus suis expulerunt; quod tamen non regio jussu factum, sed populari tantum conspiratione est perpetratum. Divinæ vero majestatis clementiæ hoc nequaquam inultum abire passa est: sed pene omnes qui adfuere, quamlibet diversa modo in parvo tempore puniti sunt: de quibus multa dici poterant; sed ne fastidium legentibus inferamus, unius tantum mentionem curavimus facere, ut qua pœna cæteri evindicati fuerint, ex hujus perditione patefiat.

Sueones puniuntur.

24. Quidam namque in terra illa potens exstitit, cujus filius in eadem conspiratione cum aliis fuerat, et quæ sibi de spoliis inibi captis provenerant, in domum patris sui contulit. Post quod factum cœpit substantia illius minui, et pecora ac familia deperire: ipse quoque filius divina ultione percussus interiit: sed et uxor ejus cum filio ac filia, non multo interjacente spatio obiit. Cum itaque se, excepto filio parvulo, omnibus bonis suis defraudatum videret, cœpit miser deorum iras expavescere, et quod hæc omnia alicujus Dei offensione pateretur, mente tractavit. Qua de re, sicut ibi moris est, quemdam adiit divinum, rogans, ut cujus Dei offensam haberet, et qualiter eum placere deberet, ipsi indicaret. Agens itaque ille, quæ circa cultum hujusmodi observare solebat, omnes deos illorum ipsi placatos; Deum vero Christianorum illi omnimodis infensum: Christus, inquit, sic te habet perditum; et quia quodlibet eorum, quod illi consecratum fuerat, in domo tua manet conditum, ideo venerunt super te omnia mala hæc, quæ passus es: nec poteris ab his liberari, donec illud in domo tua manserit. Hoc ille audito, mente pertractans sollicita quid illud esse posset, de filio suo recordatus est, quod ex spoliis supradictis quemdam librum in domum suam advexerit. Qua de re horrore nimio perculsus, et quia sacerdotis tunc inibi deerat præsentia; quid de eodem libro faceret omnimodis nescius, secum illum longius retinere nullatenus ausus est. Tandem vix reperto consilio, in conspectu cum populi, qui in eadem villa manebat, attulit, et quæ passus sit, retulit. Cumque se omnes ignaros consilii super hac re dicerent, et tale aliquid in domo sua recipere vel habere pertimescerent; ipse eum diutius apud se retinere obstupescens, honeste compositum ad quamdam ligavit sæpem, denuntians ut quicunque vellet, eum inde sumeret, et pro reatu commisso Domino Jesu Christo voluntariam satisfactionem vovit. Quem librum quidam Christianorum exinde sublatum in sua advexit domo, ex cujus ore etiam ista cognovimus: qui postea magnæ fidei et devotionis exstitit, ita ut psalmos apud nos postea memoriter sine litteris didicerit. Taliter ergo et cæteri, sive morte, sive peste, et damno rerum suarum puniti sunt; et liquido omnibus patuit, quia qui sanctum Dei pontificem et suos inhoneste tractare et spoliare præsumpserant, gravissimam Domini nostri Jesu Christi senserint ultionem.

Post annos septem Ardgarium ad eos mittit Anscharius.

25. Post hæc itaque locus ille septem fere annis sine sacerdotali fuit præsentia: pro qua re domnus et pastor noster Anscharius nimio mœrore anxius Christianæ religionis fidem ibi cœptam perire non sufferens, et maxime pro filio suo quem supra memoravimus, Herigario condolens, quemdam anachoretam, Ardgarium nomine, illas in partes direxit, et ut specialius eidem adhæreret præcepit. Ipse itaque eo adveniens, officiose susceptus est ab ipso Herigario, et Christianis qui ibi aderant, magnum suæ præsentiæ exhibuit gaudium. Cœperuntque, sicuti primo fecerant, ea quæ Dei sunt, devote quærere, et ritum Christianitatis lubenti animo custodire. Nemo quoque incredulus ejus prædicationis audebat resistere, quia qua pœna mulctati fuerant, qui servos Dei inde expulerant, mente pavida meminerant. suggestione quoque præfati Herigarii, regis qui tunc erat jussu et licentia, publice cœpit Dei celebrare mysteria. Qui videlicet fidelissimus vir Herigarius, tempore quo sacerdotalis ibi deerat præsentia, multa ab infidelibus sustinuit opprobria: sed largiente divina gratia, signis cœlestibus ejus petitione veræ fidei declarata sunt præconia. Ex quibus, ut promisimus, aliqua hic interserere curavimus, quo ejus fidei invictus declaretur animus.

Herigarius et ipse multa passus, patrat miracula.

26. Quadam namque vice ipse in quodam sedebat placito, scena in campo ad colloquium parata: ibi cum inter alias locutiones illi deos suos laudassent, quorum favore prospera sibi multa provenirent, et illi, quod solus a consortio omnium inani fide aberraret, improperarent; ipse, ut erat spiritu fervens, respondisse dicitur: Si tanta est de divina majestate dubietas, quod tamen dubium esse nullo modo

deberet, probemus miraculis, qui sit majoris poten- A tiæ, vestri multi quod dicitis dii, an meus solus omnipotens Dominus Jesus Christus. Ecce tempus adest pluviæ (siquidem pluvia tunc imminebat), invocate vos nomina deorum vestrorum, ne pluvia super vos descendat, et invocabo Dominum meum Jesum Christum, ne aliqua stilla pluviæ me contingat, et si quis in hac parte se invocantes exaudierit, ipse sit Deus. Hac itaque facta inter se conventione, cum illi omnes in una parte sederent, ipse vero cum uno puero in altera, cœpit unusquisque eorum invocare Deum suum, ille quoque invocabat Dominum Jesum Christum. Et descendens immensa de cœlo pluvia ita omnes illos aquis infudit, ut quasi in flumine cum vestimentis jactati viderentur, etiam folia ramorum de umbraculo ibi facto super ipsos decidentia, B virtute divina illos oppressos ostenderent; super ipsum vero et puerum qui cum eo erat, nec una descendit pluviæ gutta. Quo facto confusis illis et admirantibus : Ecce, inquit, videtis qui sit Deus : nolite me, infelices, ab ejus cultura revocare, quin potius ab erroribus vestris confundamini, et veritatis viam discite.

Ejusdem alia miracula.

27. Alio quoque tempore contigit, ut dolorem in tibia sua sustineret nimium, ita ut non aliquo modo se movere a loco in quo erat, posset, nisi portaretur. Cum hanc ergo diutius sustineret molestiam, cœperunt multi ad eum causa visitandi venire; et quidam adhortationibus, quo pro salute sua diis sacrificaret, commonere; quidam improperiis, quod sine Deo C esset, lacessere, et idcirco eum salute carere. Cum itaque hæc sæpius agerentur, et ipse constanter malis eorum suggestionibus resisteret; postremo non ferens eorum calumniam, respondit, nequaquam se a vanis simulacris auxilium petere velle, sed a Domino suo Jesu Christe, qui posset in momento, si vellet, eum ab infirmitate sua sanare. Et accitis illico domesticis suis, ut ad suam eum deferrent ecclesiam præcepit; ubi positus coram cunctis qui astabant, supplices ad Dominum preces effudit, dicens : Domine mi Jesu Christe, ut sciant hi miseri, quia tu es Deus solus, et non est alius præter te, da mihi servo tuo in hac hora pristinam corporis sanitatem; ut videntes inimici magnalia tua, de suis erroribus confundantur, et ad agnitionem tui nominis convertantur. Fac, quæso, quod peto propter nomen san- D ctum tuum quod est benedictum in sæcula; ne sit confusio confidentibus in te, Domine. Postquam vocem, divina eum medicante gratia, confestim sanissimus est redditus, et de ecclesia per semetipsum egressus, pro salute sua Deo gratias agebat, et in Christi fide convalescens magis magisque incredulos confundebat.

Avoundus rex cum Danis Bircenses oppugnat.

28. Per idem fere temporis accidit, ut etiam quidam rex Sueonum, nomine Avoundus (*a*), ejectus regno suo, apud Danos exsul fuerit. Qui fines regni quondam sui denuo repetere cupiens, cœpit ab ipsis auxilium quærere: spondens quod, si se sequerentur, multa eis donaria possent provenire. Proponebat enim eis vicum nominatum Byrca, quod ibi multi essent negotiatores divites, et abundantia totius boni, atque pecunia thesaurorum multa. Ad illum itaque vicum se illos promittebat ducturum, ubi sine exercitus sui damno, multo suæ necessitatis fruerentur commodo. Illi ergo promissis muneribus delectati, et thesaurorum acquisitione avidi, in auxilium ejus expeditorem ad pugnam hominum viginti et unam naves impleverunt, et cum eo destinaverunt. Ipse vero de suis naves habebat undecim. Exeuntes ergo de Danis, ad vicum insperate venerunt memoratum, et forte tunc rex ipsorum longius inde aberat, et principes ac populi multitudo congregari non poterant. Tantum supradictus Herigarius præfectus hujus loci, cum eis qui ibi manebant negotiatoribus et populis, præsens aderat. In magna ergo angustia positi, ad civitatem quæ juxta erat, confugerunt; cœperunt quoque diis suis, imo dæmonibus, vota et sacrificia promittere et offerre, quo eorum auxilio in tali servarentur periculo. Sed quia civitas ipsa non multum firma erat, et ipsi ad resistendum pauci; miserunt ad eos legatos, dexteram et fœdus postulantes. Quibus rex præfatus mandavit, ut pro redemptione ipsius vici centum libras argenti persolverent, sicque pacem haberent. Quod illi, ut petebat, statim miserunt, et a rege jamdicto susceptum est.

Herigarius auctor est ut Bircenses Christum invocent.

29. Porro Dani graviter hujusmodi conventionem ferentes, quia non sicuti disposuerant actum fuisset, cœperunt velle super eos subito irruere, et locum ipsum funditus deprædari atque incendere, dicentes unum quemlibet negotiatorem plus ibi habere, quam sibi oblatum fuisset; et nullo modo se tantam calumniam sufferre posse. Cum hæc ergo inter se agerent, et ad diripiendam urbem, in quam confugerant, se præpararent, hoc quoque illis innotuit. Unde rursus pariter congregati, cum nullo modo vires haberent resistendi, nullaque eis spes esset refugii, ad vota et sacrificia majora diis suis offerenda se invicem cohortabantur. Contra quos iratus fidelis Domini Herigarius : Maledicta sint, inquit, a Deo nostro vota et sacrificia vestra cum idolis vestris. Quandiu vultis dæmonibus servire, et vos ipsos ad perniciem vestri votis inanibus in paupertate redigere? Ecce multa obtulistis, et ampliora vovistis, insuper et centum libras argenti dedistis, quid profuit vobis? Ecce omnia quæ habetis, veniunt diripere, uxores vestras et filios vestros ducent captivos, civitatem et vicum igni succendent, et vos gladio peribitis. Quid ergo vobis prosunt simulacra vestra? Ad quam vocem illic om-

(*a*) Sic codices ms., uti et Gualdo poeta. Bollando *Anaundus*, seu *Anoundus*.

nes perterriti, et quid agerent nescii, unanimiter respondcrunt : Salus nostra et consilium sit in tua deliberatione, et quidquid nobis suggesseris, sine dubio faciemus. Quibus ille : Si, inquit, vota spondere vultis, vovete et reddite omnipotenti Deo qui regnat in cœlis, et cui ego in conscientia pura et fide recta deservio. Ipse omnium Dominus est ; in voluntate ejus omnia sunt posita, nec est qui ejus ditioni possit resistere. Si itaque ejus auxilium toto corde petieritis, omnipotentiam ipsius vobis non defuturam sentietis. Accepto igitur ab eo consilio, tunc unanimes et voluntarii exeuntes, sicut ibi consuetudinis erat, in campum, pro liberatione sibi jejunium et eleemosynas Domino Christo devoverunt.

Quo facto liberantur ab hostium incursu.

30. Interim rex præfatus cum Danis agere cœpit, ut sorte perquirerent utrum voluntate deorum locus ipse ab eis devastandus esset. Multi, inquit, dii sunt ibi potentes, ibi etiam ecclesia olim constructa est, et cultura Christi a multis Christianis ibi excolitur, qui fortissimus est deorum, et potens sperantibus in se, quocunque modo vult auxiliari. Necessario ergo quærendum est, utrum divina ad hoc voluntate incitemini. Quod illi, quia sic apud eos mori erat, nequaquam abnuere potuerunt. Quæsitum est igitur sortibus, et inventum quod cum sua hoc prosperitate nequaquam perficere possent, neque locum ipsum eorum deprædationi a Deo concessum. Iterum quæsitum est, in quam partem ituri essent, ubi sibi pecuniam acquirerent, ne vana spe frustrati ad sua vacui remearent. Cecidit sors, quod ad urbem quamdam longius inde positam in finibus Sclavorum ire deberent. Hoc ergo Dani divinitus sibi imperatum credentes, a loco memorato recesserunt ; ad urbem ipsam directo itinere properarunt, irruentes super quietos et secure habitantes, improvise illam urbem armis ceperunt, et captis in ea spoliis ac thesauris multis, ad sua reversi sunt. Rex vero ille, qui ad eos prædandos venerat, pace cum eis fœderata, argentum quod ab eis acceperat, reddidit, et apud eos aliquandiu resedit, volens genti suæ reconciliari. Sicque Domini gratia, propter fidem servi sui Herigarii, populum illius loci ab hostium incursu liberans bonis suis restituit.

Herigarius incolas hortatur ut Christo credant; dein pie moritur.

31. Quo facto ipse in conventu publico eamdem rem proposuit, et ut quis Deus esset, intentius providerent monuit, dicens : Heu miseri, vel jam nunc intelligite, quod vanum sit a dæmonibus auxilium petere, qui non possunt in tribulationibus subvenire ! Suscipite fidem Domini mei Jesu Christi, quem probastis verum Deum esse, qui vobis nullum habentibus refugium suæ miserationis tribuit auxilium. Nolite

A ultra culturam superstitiosam quærere, et inani sacrificio idola vobis placare. Verum Deum, qui omnium quæ in cœlis et in terris sunt, dominatur, colite, et ipsi vos subjicite ; ipsius omnipotentiam adorate. Denique post hæc, tanto alacrior quanto frequentibus Domini beneficiis in fide robustior factus, publice ubicunque aderat, partim exsultando, virtutem Domini et fidei gratiam cunctis nuntiabat. Sicque bonum certamen usque ad finem suæ perduxit vitæ : consummatoque boni operis cursu, languore ingravescente, astante jam dicto Ardgario sacerdote divinæ commendatus clementiæ, communione sacra percepta, feliciter in Christo obiit : de cujus fidei constantia multa adhuc dici poterant; sed quia brevitati studuimus, hæc dicta sufficiant.

B *Frideburgis in fide constans, vinum in viaticum reservari curat.*

32. Illis quoque temporibus apud eos matrona quædam fuit valde religiosa, quam nulla unquam improborum perversitas a fidei suæ rectitudine pervertere potuit. Cui frequenter in quacunque necessitate positæ, ut more eorum idolis sacrificaret, suggestum est ; sed illa immobilis fidei suæ munia non reliquit, vanum esse dicens, a simulacris mutis et surdis auxilium quærere, et abominabile sibi videri, ut his quibus in baptismo renuntiaverat, denuo intenderet ; et sponsionem quam Christo promiserat, falleret. Si enim, inquit, malum est hominibus mentiri, quanto magis Deo ? et si bonum est inter homines fidem constare, quanto magis qui fidem Domini C accipit nullatenus debet ab ea immutari ? Dominus, inquit, meus Jesus Christus omnipotens est. Ipse mihi, si in ejus fide perseveravero, et sanitatem, et omnia quibus indiguero, præstare poterit. Prædicta religiosa femina, Frideburg nomine, in bonitate vitæ et fidei constantia laudabilis, dies vitæ suæ usque ad tempus produxit senectutis. Cum jam appropinquaret dies mortis suæ, et post discessum domini Simonis nullus tunc ibi adesset sacerdos ; ipsa amore sacrificii, quod audierat viaticum (a) esse Christianorum, de vino aliquantulum in quodam fecit reservari vasculo, et filiæ suæ in fide commendans, ut si quando ei ultimum tempus instaret, de ipso vino, quia sacrificium non habebat, ei in os distillaretur : ut vel sic Domini gratiæ exitum suum commendaret. Illud itaque vinum tribus fere annis apud eam conservatum D est ; sicque contigit illuc prædictum adventasse sacerdotem Ardgarium. Quo ibi posito, ipsa, quandiu vires habuit, religionis suæ devotionem exercuit, missarum solemnia et salutaria monita sedulo ab eo exquirens. Verum inter hæc, languore se præoccupante, cœpit infirmari : sollicita de obitu suo memoratum ad se accersiri fecit presbyterum, et accepto de ejus manu viatico optato, feliciter migravit ad Dominum.

(a) Hunc locum pro viatico sub utraque specie notavi in præfatione sæculi tertii, num. 75. Longe ab hujus matronæ religione defecerant sæculo undecimo Frisones quidam, quos Aquaticos vocat Baldericus in Chronici Cameracensis lib. III, cap. 22.

Res suas pauperibus distribui jubet. Filia ejus id exsequente pecunia non decrescit.

33. Ipsa vero eleemosynis intenta semper, quia in sæculi rebus dives erat, filiæ suæ prædictæ Cathlæ nomine injunxerat, ut post suum ex hac luce discessum, cuncta quæ illius erant, in pauperes dispensaret. Et quia hic pauperes minus inveniuntur : Post obitum, inquit, meum, cum tibi primum opportunitas evenerit, venditis omnibus, quæ hic dispensata non fuerint, sume tecum argentum, et vade Dorstadum ; ibi sunt ecclesiæ plurimæ et sacerdotes ac clerici, ibi indigentium multitudo. Illo adveniens, quære qui te doceant fideles quomodo ea dispenses, et pro animæ meæ remedio omnia distribue. Post excessum itaque matris, filia quæ mater jusserat, strenue adimplevit : arreptoque itinere perveniens ad Dorstadum, religiosas exquisivit ibi feminas, quæ cum ea loca sancta circuirent, et quid cuique dispensare deberet, eam instruerent. Cum quadam die dispensandi causa loca sancta circuirent, et medietas jam distributa esset, dixit sociis suis : Nunc lassæ sumus, melius est ut aliquid de vino ematur, ut refocillemur, et sic demum cœpta peragamus. Datis igitur ad hoc quatuor denariis, et viribus resumptis, quod cœpere peregerunt ; quibus completis, ipsa ad hospitium suum rediens, saccum, in quo argentum fuerat, in quodam loco vacuum posuit : sed largiente superno munere denuo ipsum locum adiens, sicut ante fuerat, plenum invenit : quæ tanto obstupefacto miraculo, ascitis ad se feminis quæ secum prius ierant, quod sibi contigerat ostendit, coram quibus quid inibi esset computans, tantum invenit quantum illo adduxit, exceptis quatuor denariis. Consilio itaque ab eis accepto, ivit ad sacerdotes qui ibi probabiliores videbantur, et ipsum miraculum eis innotuit. Qui gratiam Dei pro tanta ejus bonitate laudantes, quod ejus labori ac bonæ intentioni Dominus ea retribuerit, intimabant. Quia cum, inquiunt, matri tuæ obediens fuisti, et fidem tuam circa eam illibatam servasti, et eleemosynas illius strenue implesti, Dominus omnium bonorum retributor pro necessitatis tuæ subsidio ista tibi contulit, ipse est omnibus sufficiens, nullius indiget : ipse omnia quæ pro ejus distributa fuerint nomine, in cœlesti regno recompensabit. Quod ita esse ne aliquo modo dubitares, et ne te census dati distributio pœniteret, hoc te Deus miraculo certificare dignatus est. Hoc jam signo, quod mater tua cum Domino salva sit, firmiter crede : hoc miraculo admonita, tu quoque pro Christo tua dare ne timueris.

Ardgarius e Succia redit in solitudinem.

34. Igitur post excessum prædicti viri Herigarii, jam memoratus sacerdos Dei Ardgarius, amore solitariæ quam antea duxerat vitæ ab illis partibus egressus, locum suum repetiit ; sicque denuo Christiani inibi positi sacerdotali sunt præsentia destituti. Quare manifesto patuit indicio, quod ad corroborandum fidem præfati viri Herigarii, necnon supradictæ matronæ, pariterque ut exitum eorum divinæ commendaret clementiæ, et quod fideliter desideraverant, mysterium videlicet sacræ communionis, pro ultimo viatico perciperent, jam dictus anachoreta Ardgarius ad illas partes destinatus fuerit.

A

Ludovico Pio mortuo Anscharius rebus necessariis destituitur. Deseritur a sociis.

35. Verum inter hæc superius comprehensa, contigit bonæ memoriæ Ludovicum serenissimum imperatorem divino ordinante judicio vita præsenti decessisse. Post cujus obitum cum de regni divisione magna fieret perturbatio, pastoris quoque nostri aliquando labefactari cœpit legatio. Nam cum cella supradicta *Turbolt* in partem cessisset venerandi regis Caroli, ipse eam a servitio quod pater suus disposuerat, amovit ; et vobis bene cognito dedit Reginario. Pro qua re cum a fratribus suis gloriosissimis regibus, et a multis quoque aliis sæpius fuisset admonitus, ut ipse eorum petitioni nullatenus assentiret, jam dictus Pater noster tunc cœpit atteri necessitatibus et indigentiis. Unde contigit, ut et fratres vestri qui tunc cum eo hic aderant, ad vestram societatem redierint ; et multi quoque alii causa paupertatis eum dereliquerint. Ipse tantum cum paucis qui cum eo substiterant, prout poterat, se agebat : et licet in paupertate degens, injunctum sibi officium nequaquam deserere voluit.

B

C

Ludovico Germaniæ rege agente accipit Bremensem episcopatum, probante concilio.

36. Dominus quoque humilitatem ejus et patientiæ fortitudinem conspiciens, quia cor regis in manu Domini est, clementissimi Domini et senioris nostri Ludovici regis, qui post patrem suum hujus regni gubernacula suscepit, ad hoc animum incitavit, ut quærere inciperet, unde ei solatium subsistendi facere posset, quo legationis suæ mandatum perficere posset. Et quia in hac provincia cellam nullam huic legationi habebat congruam, erat autem ibi juxta episcopatus Bremensis Ecclesiæ tunc desolatus pastore (a), illum ei dare disposuit. Unde publico conventu episcoporum cæterorumque fidelium suorum tractare cum eis cœpit, utrum hoc ei facere canonica auctoritate liceret. Domnus enim et pastor noster hoc sibi periculosum esse aliquo modo formidans, et ne a quibuslibet nævo cupiditatis reprehenderetur, caute providens, non facile huic dispositioni assentiebat. Jubente itaque rege hæc eadem res in concilio episcoporum ventilata est. Qui multis præ-

D

(a) Id contigisse anno 849 docet Chronicon Saxonicum his verbis : « Anno dominicæ Incarnationis 849 Leudericus Bremensis Ecclesiæ tertius episcopus obiit ; cui successit Ansgarius monachus, Hammaburgensis primus archiepiscopus, sub quo coadunatio facta est Bremensis et Hammaburgensis parochiæ. » Consentit liber donationum ab Adamo citatus in lib. I, cap. 24, ubi hæc unio facta perhibetur « anno Luthowici secundi nono, » quo « Ansgarius ab Aldrico clerico et comite Reginbaldo legatis Cæsaris ductus in episcopatum est. »

cedentibus exemplis probaverunt bene posse fieri,ut quia diœcesis illa, ad quam ipse ordinatus fuerat, admodum parva erat (nam nonnisi quatuor baptismales habebat ecclesias), et hæc ipsa multoties jam barbarorum incursibus devastata,ista ei causa solatii adjungeretur.

Ferdensi episcopo reddita parte diœcesis, ipse Hammaburgensem retinet sedem.

37. Verum ne in aliquo scrupulum Ferdensis pateretur episcopus,quod etiam partem de suo episcopatu ultra Albiam sumptam ipse cum Bremensi tota simul parochia retineret, statuerunt ut, sicut tempore domini Ludovici primo fuerant, episcopatus ipse et Bremensis et Ferdensis restituerentur, et ipse teneret Bremensem,ex qua major pars diœcesis suæ sumpta erat,quæ etiam tunc erat præsentia pastoris desolata. Quo decreto ita ab episcopis constituto, ipse jubente rege, Bremensem suscepit diœcesim gubernandam. Porro partem parochiæ, quæ ultra Albiam ad se pertinere debebat,Waldgarius recepit tunc Ferdensis episcopus.Quod cum ita aliquandiu esset,iterum diligentius ipsa re in alio concilio episcoporum ventilata, visum est eis non bonum esse ut sedes,ad quam ille ordinatus fuerat,ab alio episcopo teneretur (nam *Hammaburg* tunc in partem cesserat Wadgarii); potestatem quidem regis esse dicentes,ut diœcesim parvam et admodum captivatam augeret, locum tamen ad episcopalem dignitatem auctoritate apostolica firmatum,nullatenus immutandum.Unanimo ergo consensu, cum voluntate regis prædicti piissimi Ludovici,episcopi ibi constituti censuerunt,ut sedem ad quam consecratus fuerat, Pater noster Anscharius reciperet ; et si quid ultra Albiam ex Ferdensi ipse retineret diœcesi, ex Bremensis Ecclesiæ parochia illius sedis restitueret episcopo. Quod ita et regio jussu, et synodali episcoporum decreto, ipsius quoque Waldgarii memorati Ferdensis episcopi voluntate et assensu perfectum est.

Eam unionem primo improbat Coloniensis antistes.

38. Porro cum hæc agerentur, Colonia civitas,ad quam Bremensis parochia suffraganea erat,eo tempore absque benedictione episcopali degebat, quod quia diuturnum(*a*)exstitit,illud etiam sine illius loci pontificis præsentia necessario decernendum fuit. Postea tamen consecrato ad eum locum venerabili præsule Gunthario,hoc ipsum domnus et Pater noster ei suggerere studuit, ut sua quoque auctoritate firmaretur cui tamen rei ipse admodum contrarius exstitit. Qua de causa postmodum in Wormatia civitate positis duobus regibus, Ludovico scilicet et Lothario,coram multa episcoporum utriusque regni frequentia, præsente venerabili Patre nostro, hæc eadem res exposita est.Quod cum ab omnibus bene ita ordinatum probaretur,ut prædictus quoque pontifex Guntharius hoc ipsum sua auctoritate firmaret, cuncti rogaverunt. Qui primo quidem fortiter his reniti cœpit, justum non esse multipliciter ostendens ut sedes suffraganea in archiepiscopalem sedem verteretur ; nec se debere honorem sedis suæ in aliquo minuere :postremo tamen et ipsis regibus, et cunctis simul episcopis ibi aggregatis, pro hoc ipso eum rogantibus, et omnino causa necessitatis id licitum fore dicentibus, respondit, si apostolica auctoritate firmaretur, ex se quoque ratum esse.

Missis Romam legatis, Nicolaus I ratam habet hanc unionem. Legatio septentrionalium regionum Anschario conceditur.

39. Quo responso accepto,cum etiam omnes suffraganei ejus hæc eadem consensissent, piissimus rex jam dictus Ludovicus cupiens et patris sui eleemosynam in omnibus augmentare,et quod ipse disposuerat, per omnia ratum fieri ; reverendissimum Salomonem Constantiæ civitatis episcopum pro hoc ipso ad sedem direxit apostolicam, cum quo etiam domnus et Pater noster Anscharius,quia ipse per se non poterat,filium suum fratrem nostrum Nordfridum misit presbyterum.qui officiosissime a sancto suscepti papa Nicolao, legationis suæ mandatum ei plane et dilucide retulerunt.Qui prudenter et sollicite ea quæ ab ipsis dicebantur,mente pertractans, et Deo inspirante pro lucrandis animabus gentilium hanc constitutionem justam esse decernens,voluntatem regis nostri sua auctoritate firmavit.Denique ut ipsam rem diligentius ab eo elucubratam manifestius aperire possimus,verba ipsius interponere decrevimus, Cum enim causam legationis ejus et cætera superius comprehensa plene et breviter recapitulasset,denique subjunxit :«Cujus delegationis et auctoritatis et pallii acceptionis pagina nobis est a Ludovico filio nostro per Salomonem sanctissimum episcopum destinata,juxta morem sanctæ Ecclesiæ Romanæ bullata. Per cujus tenorem paginæ hæc ita fuisse comperimus,sicut pietas nobis jam fati regis per fidelem virum, Salomonem scilicet episcopum, intimavit. Unde nos vestigia tanti pontificis et prædecessoris nostri sequentes Gregorii, omnemque ibi Deo dignam statutam providentiam agnoscentes,magnorum principum votum, Ludovici videlicet divæ

(*a*) Annis fere decem : nam Guntharius de ista unione primum litem movit anno 857 ;uti Henschenius recte probat ex Annalibus Fuldensibus,in quibus Ludovicus mense Februario colloquium habuisse traditur in Confluente castello cum Lothario nepote suo, tempore vero Quadragesimæ placitum habuisse apud Vangionum civitatem,quæ est Wormatia.Qua de placito seu conventu infra. Res tamen a Nicolao papa I confirmata est anno sequenti,quo hæc leguntur in Chronico Saxonico ms. : « Eodem anno Bremensis atque Hammaburgensis parochiæ coadunatio facta est ultimo tempore sancti Ansgarii ex auctoritate Nicolai papæ,qui tam ipsum quam ejus successores legatos et vicarios constituit in omnibus gentibus Suconum,Danorum atque Sclavorum,quod et ante Gregorius papa concessit.» Contra hanc unionem reclamatum rursus pontificatu Formosi papæ, cujus litteræ hac de re habentur in gratiam Hermanni archiepiscopi Coloniensis.

recordationis Augusti,et æquivoci ejus filii excellentissimi regis,tam hujus apostolicæ auctoritatis præcepto, quam etiam pallii datione,more prædecessorum nostrorum, roborare decrevimus: quatenus tanta fundatus auctoritate prænominatus Anscharius,primus Nordalbingorum archiepiscopus, et per ipsum successores ejus lucrandis plebibus insistentes,adversus tentamenta diaboli validiores existant. Ipsum quoque filium nostrum jam dictum Anscharium legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum, sive Danorum,necnon etiam Sclavorum, vel in cæteris ubicunque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem,ipsamque sedem Nordalbingorum, *Hammaburg* dictam, in honore sancti Salvatoris sanctæque ejus intemeratæ genitricis B Mariæ consecratam,archiepiscopalem deinceps esse decernimus. Atque ut strenui prædicatoris episcopi post decessum crebro dicti Anscharii archiepiscopi persona tanto officio apta eligatur semper successura, sub divini judicii obtestatione statuimus. Verum quia Carolus rex, frater sæpe dicti regis Ludovici, post decessum imperatoris patris sui piæ memoriæ Ludovici, abstulit a prænominato loco, qui dicitur *Hammaburg*, monrsterium quod appellatur *Turholt*, utpote quod post partitionem inter fratres suos in regno suo conjacere videbatur, situm in occidentali Francia,quod ille genitor suus ad supplementum et victum episcopo et clericis ejus dederat; cœpere, sicut fertur, omnes ministri altaris recedere: deficientibus quippe necessariis sumptibus,ab ipsis recesserunt gentibus, et eadem ad gentes legatio per C hujusmodi factum defecit: ipsa quoque metropolis *Hammaburg* pene deserta facta est. Igitur dum hæc agerentur,mortuus est diœceseos Bremensis episcopus, quæ huic contigua esse dicitur. Cumque sæpe dictus rex et hanc diœcesim vacantem,et illam novellam institutionem cerneret deficientem, insuper et utramque hanc Ecclesiam Dei permittente occulto judicio,per barbarorum sævitiam admodum attenuatam; quærere cœpit, qualiter prædicta Bremensis Ecclesia prædictæ novellæ archiepiscopali uniretur ac subderetur sedi,nostro hoc votum roborante decreto.Unde per sæpe nominatum venerabilem missum, Salomonem videlicet Constantiæ civitatis episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum, ac postulatum est nostra auctoritate roborandum.Nos D igitur id subtili perpendentes examine, animadvertimus propter instantem necessitatem,et animarum lucra in gentibus demonstrata, utile fore. Omnia enim quæ proficua Ecclesiæ probantur existere, et divinis non resultant præceptionibus, licita et fa- A cienda esse non dubitamus :maxime in tam novellæ Christianitatis plantatione,in qua varii solent eventus contingere.Quamobrem auctoritate omnipotentis Dei,et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et hoc nostro decreto decernimus,secundum reverendissimi regis Ludovici votum,ipsas prædictas diœceses, Hammaburgensem videlicet et Bremensem, non deinceps duas, sed unam esse et vocari, subique sedi quæ prædecessoris nostri decreto archiepiscopali est munere sublimata; restituta duntaxat de Bremensis Ecclesiæ rebus episcopatui Ferdensi parte inde ablata Nullus vero archiepiscopus Coloniensis ullam sibi deinceps in eadem diœcesi vindicet potestatem. Quin imo et ipsi et omnibus omnino suademus veræ religionis cultoribus,ut sacra hac legatione fungentibus adjutorio et solatio sint,quatenus gratia hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo qui dixit: *Ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII, 19), etc.; *Quicunque receperit vos, me recipit* (*Matth.* X, 40). Itaque omnia a dilecto filio nostro rege Ludovico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia ejus vota auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omnem quoque adversantem,vel contradicentem,atque piis nostris his studiis quolibet modo insidiantem,anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolica sorte damnamus :ut culmen apostolicum, more prædecessorum nostrorum,causamque Dei pro affectu zelantes ab adversis hinc inde partibus tutius muniamur (*a*). »

40. His itaque decretis atque institutionibus papæ sanctissimi Nicolai, Bremensis Ecclesia adjuncta et unita sedi Hammaburgensi, quæ prius metropolis constituta fuerat, facta est archiepiscopalis (*b*).

Anscharius Horico Danorum regi familiaris, cum ejus consensu ecclesiam construit, Christianæ religionis concessa libertate.

41. Verum quia de diœceseos illius ratione ita firmata hæc præoccupando diximus(multum enim temporis (*c*)fuit ex quo sedem illam gubernandam suscepit,priusquam auctoritate apostolica firmaretur) ad ea quæ prius gesta sunt redeamus.Namque suscepta Bremensi parochia, iterum spiritu cœpit fervere intimo, quia jam tunc quid daret, habebat, si quid posset in partibus Danorum pro Christi elaborare nomine.Unde frequentius Horicum(*d*)adire,qui tunc solus monarchiam regni tenebat Danorum, et muneribus eum, et quibuscunque poterat obsequiis, conciliare studuit: ut sua licentia, prædicationis officio in regno ejus frui valeret.Aliquoties namque regia etiam legatione ad eum mittebatur,et quæ ad fœdera pacis et utriusque regni utilitatem pertine-

(*a*) Nicolai litteræ integræ referuntur apud Philippum Cæsarem, Bollandum, et in historia episcoporum Hammaburgensium.

(*b*) Nimirum non duæ,sed una ecclesia hac unione facta est Hammaburgi et Bremæ,unaque archiepiscopi sedes tametsi antistites visi sunt prætulisse Bremam.

(*c*) Annis fere decem ex supra notatis ad num.38.

(*d*) Horuc seu Ericus aliis vocatur, Godefridi regis anno 810 cæsi filius, quem cum Roruc seu Roricho Herioldi regis fratre male confusum fuisse probat Henschenius.

bant, strenue et fideliter peragebat. Qua de re cognita fide et bonitate sancti viri, prædictus Horicus rex multo eum affectu cœpit venerari, et libenter ejus consilio uti, ac familiarissimum in omnibus habere: ita ut et inter secreta sua, dum de negotiis regni cum consiliariis tractaret, ipsi liceret interesse. Ea quoque quæ inter populum hujus terræ, videlicet Saxonum, ac regnum ipsius, causa fœderis debebant constitui, non aliter nisi de fide illius volebat firmari: hoc sibi dicens omnimo fidissimum esse, quod ille ei et laudasset et spopondisset. Hac itaque familiaritate potitus, cœpit etiam illi persuadere, ut fieret Christianus. Ille quoque omnia quæ ei ex divina intimabat Scriptura, benigne audiebat, et bona prorsus ac vere salutaria esse laudabat, seque his plurimum delectari, ac libenter Christi velle gratiam promereri. Cui post talia vota Pater sanctissimus patienter suggerere cœpit, ut Christo Domino concederet hanc benevolentiam, quod ei gratissimum foret, ut in regno suo ecclesiam fieri permitteret, ubi sacerdos omni tempore præsens adesset, et verbi divini semina, ac baptismi gratiam quibuscunque suscipere volentibus traderet. Quod ille benignissimo concessit affectu, et in portu regni sui ad hoc aptissimo, et huic regioni proximo; *Scleaswich* (*a*) vocato, ubi ex omni parte conventus fiebat negotiatorum, ecclesiam illi fabricare permisit, tribuens locum in quo presbyter maneret: data pariter licentia, ut quicunque vellet in regno suo, fieret Christianus.

Baptismus cur a quibusdam dilatus, ab aliis receptus cum sanitate corporis.

42. Hac ergo domnus episcopus noster accepta licentia, statim quod diu desideraverat perfecit: et constituto ibi presbytero, gratia Dei in eodem loco fructuosius crescere cœpit. Multi namque ibi antea erant Christiani, qui vel in Corstado vel in *Hammaburg* baptizati fuerant: quorum quidam primores ipsius vici habebantur, et gaudebant facultatem sibi datam Christianitatem suam observandi. Quorum exemplo multi quoque alii et viri et feminæ, relicta superstitiosa idolorum cultura, ad fidem Domini conversi baptizabantur. Factumque est gaudium magnum in ipso loco: ita ut etiam gentis hujus homines absque ullo pavore, et (quod antea non licebat) et negotiatores tam hinc, quam ex Dorstado vicum ipsum libere expeterent, et hac occasione facultas totius boni inibi exuberaret. Et cum multi inibi baptizati supervixerint, innumerabilis tamen albatorum multitudo exinde ad regna conscendit cœlorum. Quia libenter quidem signaculum crucis recipiebant, ut catechumeni (*b*) fierent, quo eis ecclesiam ingredi, et sacris officiis interesse liceret: baptismi tamen susceptionem differebant, hoc sibi bonum dijudicantes, ut in fine vitæ suæ baptizarentur; quatenus purificati lavacro salutari, puri et immaculati vitæ æternæ januas absque aliqua retardatione intrarent. Multi quoque apud eos infirmitatibus detenti, cum se frustra idolis pro salute sua sacrificasse viderent, et a propinquis suis desperarentur; ad Domini misericordiam confugientes Christianos se fierit devovebant cumque accito sacerdote baptismi gratiam percepissent, statim incolumes divina largitate fiebant, sicque crevit in eodem loco Dei miseratio, et ad fidem Domini conversa est multitudo.

Anscharius petita Horici licentia, recusante Gauzberto, legationem ad Suecos iterum suscipit.

43. Inter hæc vero domnus et Pater noster Anscharius etiam pro gente Sueonum, eo quod sacerdotis præsentia tunc desolati essent, nimio condolens affectu, a præfato poscere cœpit rege Horico sibi in omnibus familiarissimo, uti sui auxilio fines illius regni petere posset. Qui cum maxima benevolentia hanc quoque petitionem ejus suscipiens, ita se per omnia facturum promisit. Qua de causa domnus episcopus noster cum præfato cœpit Gauzberto pontifice de hoc ipso tractare, necessarium esse dicens, ut iterum probaretur, si forte gens illa divinitus monita sacerdotes secum manere pateretur, ne fides Christi illis in partibus cœpta, eorum negligentia aliquando deperiret. Prædictus vero pontifex Gauzbertus, qui et Simon, se inde expulsum, rursum locum illum repetere non ausum respondit: nec id valde proficuum fore posse, imo magis periculosum, si denuo priorum reminiscentes, aliquid perturbationis circa eum excitarent, sibi magis congruum videri, ut ille ire, qui hanc legationem primo susceperat, quique benignissime ibi habitus fuerat. Ipse vero cum eo nepotem suum mittere, qui ibi si locus prædicandi inveniretur, remaneret, et sacerdotali apud eos officio fungeretur. Hoc itaque ratum inter se decernentes, coram præsentia clementissimi regis venerunt Ludovici, causamque hujuscemodi ei retulerunt, atque ut ejus licentia ita fieri permitteretur exorabant. Qui sciscitatus utrum ipsi in hac voluntate concordes fuissent, responsum a venerabili Gauzberto pontifice tale accepit: In Dei, inquit, servitio, nos semper concordes et fuimus et sumus, et istud unanimo consensu ita fieri cupimus. Itaque serenissimus rex in Dei causa semper voluntarius, secundum quod inter eos convenerat, lectionem hanc pro Christi nomine pastori nostro injunxit religiosissimo, suæ quoque partis, sicuti et pater ejus fecerat, ad regem Sueonum mandata ei committens.

Visione cœlesti animatur.

44. Igitur devotissimus Pater noster ad hoc iter præparare se cœpit, et ut quantocius hoc expleret, ferventiori incitabatur spiritu. Siquidem et hoc cœ-

(*a*) De hoc emporio superius actum. *Sleaswich*, seu *Sleswicum*, olim Angelorum sedes, nunc ducatus Sleswici titulus, *de Sleswich*.

(*b*) Quo ritu etiam sæculo nono fierent catechumeni, lege epistolam Jessæ Ambianensis episcopi, ubi cadem fusius exponit, quæ Augustinus præstringit his verbis: « Signabar jam signo crucis, et condiebar ejus sale jam inde ab utero matris meæ, » in lib. I. Confessionum, cap. 11.

litus sibi injunctum credebat, visione quadam imbutus, quam antea viderat. Visum namque est ei, quod pro ipso itinere valde esset sollicitus, et quod ad quemdam deveniret locum, in quo erat structura ædificiorum magna, et mansiones diversæ, ubi obvius sibi quidam factus locutus est ei, dicens : De itinere quo sollicitaris, et de his quæ sunt in corde tuo, ne supra modum contristeris : quia hic est quidam propheta, qui te de his omnibus certum reddet ; et ne aliqua menti tuæ super hoc insideat dubitatio, dicam tibi quis sit ille propheta. Abbas quidam clarissimus Adalhardus ipse nunc est propheta a Domino ad te missus, qui tibi ea quæ proventura sunt, annuntiabit. Quo ille audito exhilaratus animo, visus est illi respondisse: Domine, ubi inveniam eum? Et ille: Tu, inquit, cum labore invenies eum, nec est licitum tibi cuiquam insinuare. Tunc visum est ei, quod iret per circuitum mansionis ipsum quærendo, et in mente sua tractaret. Si, inquit, non interrogatus a me annuntiaverit mihi quæ sunt in animo meo, tunc verum illum prophetam comprobabo. Ad quamdam ergo perveniens mansionem, speciosissimam, vidit eum ibi in solio suo sedentem, et statim recognovit. Ille quoque confestim pronuntians, intentus in eum dicere quoque cœpit : « Audite, insulæ, et attendite, populi de longe. Dominus ab utero vocavit te, de ventre matris tuæ recordatus est nominis tui, et posuit os tuum quasi gladium acutum : in umbra manus suæ protexit te, et posuit te quasi sagittam electam ; in pharetra sua abscondit te, et dixit tibi : Servus meus es tu, quia in te gloriabor. » Quo dicto, extento brachio manum dexteram ad eum cœpit erigere. Ille autem, hoc viso, ad genua ejus accessit, sperans eum se velle benedicere. At ille subjunxit : « Dedi te in lucem gentium, ut sis illis in salutem usque ad extremum terræ. Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt Deum tuum et sanctum Israel, quia glorificavit te. » Hanc ergo visionem servus Dei cum ante profectionem illam longe vidisset, certum tenebat animo, Dei se imperio ad partes illas incitari ; et maxime in verbo quod dictum est illi : Audite, insulæ, quia omnis fere patria illa in insulis est constituta. Et quod subjunctum est: Eris illis in salutem usque ad extremum terræ, quia finis mundi in Aquilonis partibus in Sueonum conjacet regionibus. Denique verbum, quod cum propheta Jeremia in fine commutatum est, scilicet, quia glorificabit te, ardorem desiderii, illi maximum nutriebat, quia palmam martyrii olim sibi promissam hoc significare putabat.

Sueonum regi ab Horico commendatus, venit in Succiam dæmonum instinctinctu in se turbatam.

45. Profectionem itaque hanc suscepturus, jam dicti regis Horici missum pariter et signum secum habuit, qui regi Sueonum, nomine Olef (a), partis suæ mandatum tale intimari jussit, servum Dei, qui ex parte regis Ludovici missus, fines regni ejus peteret, sibi per omnia cognitum fore, ac se in vita sua nunquam tam bonum vidisse hominem ; nec in quolibet mortalium aliquando tantam fidem invenisse, ideoque cognita ejus sanctissima bonitate, omnia quæ illi in regno suo causa Christianæ religionis disponere vellet, se ei concessisse : ipsumque petere, ut similiter in regno suo ei permitteret culturam Christianitatis, quam optabat statuere, quia ipse nihil aliud quam quod bonum et rectum foret, vellet perficere. Susceptum itaque peragens iter, viginti ferme diebus navigio transactis, pervenit ad Byrcam, ubi invenit regem et multitudinem populi nimio errore confusam. Instigante enim diabolo, adventum beati viri omnimodis præsciente, contigit eo ipso tempore, ut quidam illo adveniens diceret, se in conventu deorum, qui ipsam terram possidere credebantur, adfuisse, et ab eis missum, ut hæc regi et populis nuntiaret. Vos, inquiunt, nos vobis propitios diu habuistis, et terram incolatus vestri cum multa abundantia nostro adjutorio in pace et prosperitate longo tempore tenuistis ; vos quoque nobis sacrificia et vota debita persolvistis, grataque nobis vestra fuerunt obsequia. At nunc et sacrificia solita subtrahitis, et vota spontanea segnius offertis ; et, quod magis nobis displicet, alienum Deum super vos introducitis. Si itaque nos vobis propitios habere vultis, sacrificia omissa augete, et vota majora persolvite, alterius quoque Dei culturam, quæ contraria nobis docetur, ne apud vos recipiatis, et ejus servitio ne intendatis. Porro si etiam plures deos habere desideratis, et vobis nos non sufficimus, Ericum quondam regem vestrum nos unanimes in collegium nostrum (b) adsciscimus, ut sit unus de numero deorum. Hoc ergo diabolicum mandatum publice denuntiatum, in adventu domni episcopi mentes cunctorum perturbabat, et error nimius ac perturbatio corda eorum omnium confuderat. Nam et templum in honore supradicti regis dudum defuncti statuerunt, et ipsi tanquam deo vota et sacrificia offerre cœperunt.

Amicis dissuadentibus, regem ad epulas invitat, qui legationem approbat, sortium conditione interposita.

46. Adveniens itaque illuc domnus episcopus, ab amicis suis, quondam ibi cognitis, quærere cœpit, quomodo regem super hac re interpellaret. Qui omnes toto adnisu contradicentes, asserebant nihil omnino ea vice legationem ejus proficere posse : sed, si quid haberet pretii, ea ratione eum dare debere,

(a) Ita etiam Gualdo. Olaum vocant auctores recentiores.

(b) Hinc Adamus de Sueonum veterum superstitionibus agens in cap. 233: » Colunt et deos, inquit, ex hominibus factos, quos pro ingentibus factis immortalitate donant, sicut in Vita S. Anscharii legitur Hericus rex fecisse, omnibus scilicet diis attributos sacerdotes, qui sacrificia populi offerant. » Ubi, si bene hujus loci sensum expressit Adamus, Hericus rex prædecessorem cognominem suum in deorum numerum retulisse, eique sacra et flamines dicasse intelligendus est.

ut vivus inde evaderet. Quibus ille : Non, inquit, pro vitæ meæ redemptione aliquid hic daturus sum : quia si Dominus meus ita disposuerit, pro ejus nomine paratus sum hic et tormenta subire, et mortem pati. Cum ergo pro hac re in maxima esset positus anxietate, tandem accepto consilio regem ad suum invitavit hospitium. Cui convivium exhibens, dona quæ potuit obtulit, et legationis suæ mandata retulit : nam et antea per missum Horici, et per fideles domni episcopi, qui ibi manebant, causa adventus ipsius eidem regi denuntiata fuerat. Delectatus itaque et claritatis ipsius benevolentia, et munerum datione, se quidem quæ ille suggesserat gratanter velle respondit. Antea tamen hic, inquit, fuerunt clerici, qui populari seditione hinc, non regio jussu. ejecti sunt. Quapropter et ego hanc legationem vestram confirmare nec possum, nec audeo, priusquam sortibus deos nostros consulam, et populi quoque super hoc voluntatem interrogem. Sit missus tuus in placito mecum proximo, et ego pro te loquar populo, et siquidem diis fautoribus illi tuæ consenserint voluntati, quod quæsiisti prosperabitur : sin autem, et hoc tibi notum faciam. Sic quippe apud eos moris est, ut quodcunque negotium publicum magis in populi unanima voluntate quam in regia consistat potestate.

Anscharius divina inspiratione confirmatur. Sortes favent cœptis ejus.

47. Hoc ergo pastor noster devotissimus responso regis accepto, totum se ad Domini convertit refugium, jejuniis et orationibus vacans, atque in contritione et afflictione cordis seipsum in conspectu Dei humilians. Verum ipso inter has pressurarum angustias posito, cum dies placiti appropinquaret, quadam die inter sacra missarum solemnia, dum sacerdos altari astans mysteria sacra benediceret, illi in terra prostrato cœlestis infusa est inspiratio. Siquidem Spiritus sancti dono interius roboratus, et fiducia maxima in anima confortatus, cognovit sibi omnia proventura uti vellet. Unde eidem sacerdoti sibi in omnibus familiarissimo post missam denuntiavit, nihil trepidationis se habere debere, quia gratia Dei secum comitaretur. Cui interroganti quomodo id sciret, divinitus sibi inspiratum respondit. Quam mentis ejus illustrationem frater ille satis recognovit, quia taliter eum consolari divinitus multis antea probavit indiciis. Hanc ergo animi ejus fiduciam statim rei confirmavit eventus. Nam rex, congregatis primo principibus suis, de hac Patris nostri legatione cum eis tractare cœpit, qui sortibus (*a*) quærendum statuerunt, quæ super hoc deorum voluntas esset. Exeuntes igitur more ipsorum in campum miserunt sortes, ceciditque sors quod Dei voluntate religio Christianorum ibi fundaretur. Quod factum unus ex primoribus, amicus domni episcopi, statim ei innotuit, et ut consolaretur animo admonuit, dicens : Confortare, viriliter age, quia Deus voluntati et legationi tuæ non abnuit. Sicque ipse fiducia sumpta spiritu interiori lætificatus exsultabat in Domino.

Placiti etiam accedit consensus.

48. Deinde cum dies placiti advenisset, quod in prædicto vico Byrca habitum est, sicut ipsorum est consuetudo, præconis voce rex quæ esset eorum legatio, intimari fecit populo. Quo illi audito, sicut erant antea errore confusi, diversa sentire et tumultuare cœperunt. Quibus ita perstrepentibus, consurgens unus, qui erat senior natu, in medio plebis dixit : Audite me, rex et populi : de cultura ipsius Dei pluribus nostrum bene est jam cognitum, quod in se sperantibus magnum possit facere subsidium. Nam multi jam nostrum sæpius et in marinis periculis, et in variis necessitatibus hoc probaverunt. Quare ergo abjicimus, quod necessarium nobis et utile scimus? Aliquando nempe quidam ex nobis Dorstadum adeuntes, hujus religionis normam profuturam sibi sentientes, spontanea voluntate suscipiebant. Nunc multæ interjacent insidiæ, et piratarum infestatione periculosum valde nobis iter illud factum est. Quod ergo tam longe positum prius quærebamus, hic nobis modo oblatum, quare non suscipimus? et qui hujus Dei gratiam nobis in multis utilem probavimus, quare servos ejus nobiscum manere non libenter assentiamus ? Attendite, populi, consilium nostrum, et nolite abjicere utilitatem vestram. Nobis enim quando nostros propitios non possumus habere deos, bonum est hujus Dei gratiam habere, qui semper in omnibus potest et vult ad se clamantibus auxiliari. Hoc ergo ita perorante, omnis multitudo populi unanimis effecta, elegit ut secum et sacerdotes essent, et quæ competebant mysteriis Christi, sine ulla contradictione fierent. Rex itaque a placito surgens. statim cum misso domni episcopi suum direxit nuntium, mandans populi unanimitatem ad suam voluntatem conversam, sibique per omnia placere : necdum tamen se plenam ei licentiam concedere posse, donec in alio placito, quod erat in altera parte regni sui futurum, idipsum populis ibi positis nuntiaret. Tunc iterum bonæ memoriæ Pater noster consueta sua sibi requirens subsidia, divinam clementiam intentius exorabat. Et ecce placiti tempus advenit, et rex præconis voce legationem domni episcopi, atque omnia pariter quæ in priori placito dicta et acta fuerant intimari fecit. Divina ergo providentia largiente, omnium corda ita adunata sunt, ut prioris placiti consensum cuncti laudarent, et se quoque his assentiri velle modis omnibus faterentur.

(*a*) More Germanis familiari, auctore Tacito in lib. de Moribus Germanorum. Et Julius Cæsar apud Germanos eam fuisse consuetudinem tradit, « ut matresfamilias eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex usu esset, necne,» in lib. I de Bello Gallico. Lege Acta SS. Vulframni et Vuillebrodi.

Ecclesiæ construendæ accipit facultatem

49. Hoc itaque facto, convocato ad se rex domno episcopo, quæ fuerant gesta retulit. Sicque omnium unanima voluntate et consensu decrevit, ut apud eos et ecclesiæ fabricarentur, et sacerdotes adessent; et quicunque vellet de populo, absque contradictione fieret Christianus. Domnus autem et pastor noster prædictum nepotem venerabilis Gauzberti episcopi, Erimbertum nomine, manibus regis commendavit ut suo auxilio et defensione munitus, divina mysteria ibidem ageret. Cui etiam rex in præfato vico atrium unum ad oratorium dedit fabricandum. Domnus quoque episcopus presbytero ad habitandum alterum cum domo emit, præbensque idem rex benignissimum circa domnum episcopum dilectionis suæ favorem fidelissimum quoque in omni parte sui circa Christianæ religionis cultum se fore velle promisit. Sicque per Domini gratiam rite omnibus peractis, domnus episcopus ad sua reversus est.

Passionis consideratione discit tolerare adversa.

50. Porro angustiam maximam mentis, quam in ipso perpessus est itinere, dum illud iter pararetur, Domino revelante, Pater noster sanctissimus ante præscivit. Visum namque est illi quadam nocte, quod tempus esset passionis Domini, et quod ille præsens adesset, cum Dominus Jesus Christus a Pilato duceretur ad Herodem, et rursus ab Herode ad Pilatum; denique cum a Judæis et militibus sputa et opprobria patiens, per omnia membra verberibus, ut ipsi videbatur, afficeretur; ipse non sufferens sic illum puniri, accurrens, opposuit se post dorsum ejus verberantibus, omniaque verbera, quæ illi infligebantur, ipse in corpore suo susciperet, excepto quod statura procerior, capite illo eminentior videbatur, et idcirco illud defendere non poterat. Hanc itaque visionem miles invictus Christi, quid significaret prius non cognovit, quam de hoc itinere reversus mente tractavit, quanta opprobria et irrisiones ibi sustinuerit, et in quanta angustia fuerit, quantasque blasphemias in Deum illatas ibi sustulerit. Nam quantum ad ejus pertinuit animum, ibi ille sine dubio pro Christo passus est, et ibi Christus in servo suo prius sibi illata denuo sustinuit improperia. Porro quod caput illius defendere non poterat, hoc significare putabat, quia caput Christi Deus, quod pressiones, quas sancti in hoc mundo pro Christo sustinent, partim etiam ad ipsam Dei pertineant majestatem: quas ipse in se quodammodo compatiendo suscipiens, ad tempus quidem tolerat, sed quandoque districte judicat.

Curlandos de Danis victores Sueci oppugnant.

51. Nec prætereundum quoque videtur qualiter virtus Domini post hanc profectionem jam dictis A Suconibus patefacta sit. Gens enim quædam longe ab eis posita, vocata Chori (*a*), Sueonum principatui olim subjecta fuerat; sed jam tunc diu erat, quod rebellando eis subjici dedignabatur. Denique Dani scientes tempore supradicto, quod domnus episcopus jam in partes Sueonum advenerat, navium congregata multitudine ad eamdem perrexerunt patriam, volentes et bona eorum diripere, et sibi eos subjugare. Regnum vero ipsum quinque habebat civitates. Populi itaque inibi manentes, cognito eorum adventu, conglobati in unum cœperunt viriliter resistere, et sua defendere: dataque sibi victoria, medietate populi Danorum cæde prostrata, media quoque navium eorum diripuerunf, auro et argento spoliisque multis ab eis acceptis. Quod audiens B prædictus rex Olef populusque Sueonum, volentes sibi nomen acquirere, quod facere possent, quæ Dani non fecerant; et quia sibi etiam antea subjecti fuerant, innumerabili congregato exercitu, illas adierunt partes. Et primo quidem improvise ad quamdam urbem regni ipsorum, vocatam *Selbürg* (*b*), in qua erant septem milia pugnatorum, devenientes, penitus illam devastando et spoliando succenderunt. Exinde confortati animo, dimissis navibus, iter quinque dierum arripientes, ad aliam urbem ipsorum, quæ Apulia (*c*) dicebatur, effero corde properabant. Erant autem in ea urbe quindecim millia bellatorum. Cum itaque illo advenissent, conclusis ipsis in civitate, isti a foris urbem debellare illi de intus cœpere viriliter repugnare: illi intrinsecus defendebsnt, isti exterius impugnabant, sicque C transierunt dies octo, ut omni die a mane usque ad vesperam dimicantes bello instarent, et multi hinc et inde caderent, neutra tamen pars victoriam obtineret.

Diis frustra invocatis, ad Christum se convertunt.

52. Cum ecce nono die populus Sueonum diutina cæde fatigatus, cœpit angustiari, et timido corde expavescens hoc solum cogitare quomodo inde evaderet. Hic, inquiunt, non proficimus, et naves nostræ longe absunt. Nam quinque dierum, ut prædiximus, iter erat ad portum, in quo naves eorum stabant. Cum ergo quid sibi esset agedum, nimium turbati omnimodis nescirent, quærendum sortibus statuerunt, utrum dii eorum vellent auxiliari, ut vel victoriam caperent, vel vivi inde evaderent. Missis D itaque sortibus, neminem deorum qui eis subsidio esse vellet, reperire potuerunt. Quod cum denuntiaretur in populo, ululatus et gemitus immensus excitatus est in castris, omnisque virtus ab eis recessit. Quid, inquiunt, infelices acturi sumus? dii recesserunt a nobis, et nullus eorum adjutor est nostri! Quo fugiemus? Ecce navés nostræ longius sunt positæ

(*a*) Adamo Curlandia, quæ gens, uti ipse ait crudelissima, cingitur mari Baltico et sinu Livonico; contigua Livoniæ, Samogitiæ, Lituaniæ. *A toto orbe ibi responsa petuntur*, inquit Adamus in lib. III, cap. 75, *maxime ab Hispanis et Græcis*, qui et addit incolas *vestitu monachico* induto esse.

(*b*) Seburgum sive Selburgum etiamnum ad dexteram ripam Duinæ fluvii arx est ducis Curlandiæ, ut notavit Henschenius.

(*c*) Gualdoni *Appulia*. Henschenius suspicatur esse Pilam urbem in confiniis Curlandiæ et Samogitiæ.

fugientibusque nobis isti insequentes usque ad internecionem nos delebunt; quid ergo nobis erit? Cum itaque in tanta essent angustia positi, quidam negotiatorum memores doctrinæ et institutionis domni episcopi, suggerere eis cœperunt. Deus, inquiunt, Christianorum, multoties ad se clamentibus auxiliatur, et potentissimus est in adjuvando. Quæramus an ille nobiscum esse velit, et vota illi placita libenti animo spondeamus. Omnium itaque rogatu supplici missa sors, et inventum quod Christus eis vellet auxiliari. Quod cum publice denuntiatum cunctis innotuisset, omnium corda ita subito roborata sunt, ut confestim ad urbem expugnandam intrepidi vellent accedere. Quid, inquiunt, nobis nunc formidandum, quidve pavendum est? Christus est nobiscum, pugnemus et viriliter agamus, nihil nobis obstare poterit : nec deerit nobis certa victoria, quia potentissimum deorum nostri adjutorem habemus. Conglobati ergo omnes læto et forti animo ad debellandam profecti sunt urbem.

Victoriam obtinent fœdere facto ; jejunia vovent ; eleemosynis vacant.

53. Cumque in circuitu astantes pugnam inire vellent, ab his qui intrinsecus erant, postulatum est ut copia eis daretur loquendi. Quod cum rex Sueonum annuisset, illi subsecuti sunt : Nobis jam pax magis quam pugna placet, et fœdus vobiscum inire cupimus. Et primo quidem quidquid ex spoliis Danorum præterito anno in auro et armis acquisivimus, vobis pro munere fœderis damus. Deinde pro unoquoque hominum in hac urbe constitutorum dimidiam libram argenti offerimus ; et insuper censum, quem antea solebamus vobis dare, persolvimus : et datis obsidibus, abhinc subjecti et obedientes, sicut antea fuimus, vestro imperio esse volumus. Cum hæc itaque oblata fuerint, necdum tamen animi juvenum sedari poterant : verum alacriores facti, et absque metu imperterriti, pugnare tantum desirantes, se armis urbem et omnia quæ haberent, vastaturos, ipsosque captivos abducturos dicebant. Rex vero et principes saniori concilio dextras ab eis accipientes, fœdus inierunt, et thesauris innumerabilibus, atque obsidibus triginta sibi collatis, cum gaudio ad sua reversi sunt. Denique pace inter eos fœderata, statim Sueones Christi Domini nostri omnipotentiam collaudantes, ejusque magnificentiam, quod vere magnus esset super omnes deos, totis viribus prædicantes, quid ipsi per quem tantam obtinuissent victoriam, vovere deberent, sollicite quærere cœperunt. Unde a Christianis edocti negotiatoribus qui simul aderant, Christo Domino placitum devoverunt jejunium, ita ut, ad sua reversi, postquam domi septem dies essent alios septem a carne omnes pariter abstinerent, sed et post hoc quadroginta diebus, evolutis, ipsi quoque unanima conventione quadraginta sequentes similiter a carne abstinentiam agerent. Quod et factum est, omnesque qui ibi adfuerant, hoc statutum libenti perfecerunt animo : multi etiam post hac reverentia et amore Christi apud eos jejuniis, quæ Christiani observabant, insistere incipientes, et eleemosynis (namque hoc Christo gratum didicere), quoslibet pauperes adjuvare cœperunt. Sicque favore omnium prædictus Erimbertus sacerdos libere apud eos quæ Dei sunt agere, et cunctis Christi potentiam laudentibus, religionis divinæ in illis partibus devotio augmentum sui ab illo tempore sine ullius contradictione cœpit habere.

Horico juniore patri succedente, ecclesiæ aditus occlusus, dein rege volente concessus : alterius condendæ facultas data.

54. Inter hæc vero divino contigit judicio, ut piratarum infestatione memoratus Horcus rex, quibusdam propinquis hujus regnum ipsius invadere conantibus, bello interemptus (*a*) sit : cum quo pariter omnes primores terræ illius, qui olim domno episcopo familiares et amici habebantur, gladio interierunt. Deinde post hæc constituto in regno ipsius Horico juniore, quidam illorum, quos ille tunc habebat principes, et minus antea domno cogniti fuerant episcopo, persuadere ei cœperunt ut ecclesia apud eos facta destrueretur, et religio Christianitatis ibi cœpta annihilaretur, dicentes deos suos sibi iratos esse, et quod ideo tanta eos mala invenerint, quia alterius et incogniti Dei culturam apud se receperint. Qua de re comes præfati vici, *Scleaswich* videlicet, nomine Hovi, qui huic celigioni præcipue resistebat, et ad destruendam Christianitatis fidem regem provocabat, ecclesiam ibi factam jussit claudi, religionemque Christianitatis ibidem prohibuit observari : unde et presbyter qui ibi aderat, persecutionis acerbitate compulsus, inde reccessit. Pro hac itaque re domnus episcopus nimium sollicitus et tristis effectus fuerat ; quia nullum tunc cum Horico juniore de amicis habebat, quos antea largissimis donationibus sibi familiares acquisierat, per quos eum ad Domini voluntatem conciliare posset. Unde quia humano destitutus fuerat, ad divinum solito more concurrit auxilium. Nec spes sua eum fefellit. Consolatus est quippe eum Dominus spiritali in animo consolatione, et certus omnino factus est, quod nullo modo, ut hostes Christi machinarentur religio ibi cœpta deperiret : quod ita Domino annuente non multo post contigit. Nam cum pro hac sola eadem causa ad prædictum regem ire disponeret, Domini præveniente gratia, idem rex, expulso prius de vico memorato jam dicto comite, ita ut nunquam postea in ejus gratiam redire potuerit, ad domnum episcopum suum gratis direxit legatum, mandans ut sacerdotem suum ad propriam remitteret ecclesiam : non se minus quam seniorem Horicnm Christi velle gratiam promereri asserens,

(*a*) Anno scilicet 854, ut scribitur in Annalibus Fuldensibus, Bertinianis, Metensibus, et in libro de Gestis Nortmannorum, quorum dux Gudurm, fratre Horici regis natus, post piraticas infestationes in partibus Gallicanis patratas in patriam redux, Hori cum patruum oppugnavit, tantamque cædem fecit per triduum, ut de stripe regia Godefridi nullus nisi unus puer remaneret.

domnique episcopi amicitiam obtinere. Quo facto, cum ipse quoque reverendissimus Pater noster ad ejusdem regis præsentiam cum adjutorio Burchardi illustrissimi comitis venisset, qui etiam antea apud Horicum seniorem adjutor illi in omnibus fuerat, et apud regem utrumque bene poterat, quia propinquus erat ipsorum, tanta gratia a juniore susceptus est Horico, ut statim ei omnia quæ antecessor suus causa Christianitatis in regno suo fieri permisserat ipse quoque concederet. Insuper etiam, quod antea nefandum paganis videbatur, ut clocca haberetur in ecclesia consensit. In alio quoque vico regni sui, Ripa vocato, similer locum ubi ecclesia fabricaretur, tribuit: et ut ibi sacerdos præsens adesset, suæ potestatis licentiam dedit.

Ministri varii ad Suecones missi.

55. Denique dum hæc agerentur, prædictus venerabilis Gauzbertus episcopus ad gentem Sueonum quemdam misit prsbyterum, nomine Anfridum, qui ex gente Danorum oriundus erat, et a domno Ebone ad servitium Domini educatus fuerat. Qui cum illo advenisset, memoratus Erimbertus sacerdos exinde reversus est, et ille ibi cum multa omnium ambitione tribus demoratus est annis aut amplius. Post hoc vero audito domini Gauzberti obitu. ipse quoque exinde reversus, et apud nos aliquandiu conversatus, aggravescente dolore defunctus est. Quo facto domnus episcopus, non sufferens fidem Christianitatis ibi cœptam perire, suum illuc misit prebyterum, nomine Raginbertum, qui cum satis ad hoc idoneus, et tantæ profectionis valde esset voluntarius, et ad portum memoratum *Sleaswich* pergeret, diabolica machinatione, in via Danorum latrocinantium insidiis circumactus, et his quæ habebat spoliatus, die Assumptionis sanctæ Mariæ ipse quoque in bonæ voluntatis cursu feliciter consummatus est. Quod cum Domni episcopi animum nimio affecisset mœrore, nequaquam tamen a cœpta retrahi potiut voluntate: verum in hoc opus alium ordinavit episcopus Presbyterum, ex gente Danorum progenitum, nomine Rimbertum (*a*), quem cum ad illas partes pro Christi nomine destinasset. benigne ibi a rege et populo susceptus, divina apud eos mysteria largiente Domino libere hactenus celebravit. Denique et ipsi, sicut et cæteris, quos inter paganos ante constituerat, denuntiavit sacerdotibus, ut nullius aliquid concupisceret, neque peteret: sed ut magis exemplo beati Pauli apostoli, ipsi quoque manibus laborarent, et victu ac vestimento contenti essent, pie eos adhortatus est: quibus tamen ipse et sequacibus eorum, quidquid necessarium habebant, insuper et si quid pro amicis acquirendis dandum erat, de suo abundanter ministrabat.

Anscharius ab Ebone identidem confirmatur. Adversa fert æquo animo.

56. Porro inter has multiplices variasque angustiarum pressuras quas, uti commemoravimus, de eadem legatione, ut prædictum est, semper inspiratione roboraretur, ne a cœpto desisteret opere; tamen omni quoque Ebonis memorati Rhemensis archiepiscopi, qui hanc legationem primo susceperat, non modice eum in hac causa et devotio mentis et fervor consolabatur animi : si quidem ipse intimo pro vocatione gentium flagrans spiritu, jugiter eum ad fideigratiam in partes istas promulgandam incitabat, et ut cœpta non desereret, strenue commonebat. Cujus verbis exhartationis, et maximo ardore mentis, quo ad hoc fervebat, iste beatus vir provocatus, indubitanter officii sibi commissi curam agebat : nec aliqua unquam incommoditatis adversitate a cœpto opere averti poterat. Et licet innumera fuerint prædicti pontificis suasoria monita, quibus Pater noster intimo consolabatur gaudio, illius tamen semper recordabatur sermonis, quem de hujus legationis causa in ultimo collocutionis suæ habuere tempore. Nam cum domnus episcopus noster, dinumeratis multis quæ sibi contigerant angustiis, quid de eadem legatione sibi videretur ipsum requireret, qualemque consolationem sibi super hoc dicere vellet, ab eo sollicite exposceret, ille quasi prophetico afflatus spiritu, respondit. Certus sum, inquit, quia quod nos pro Christi nomine elaborare cœpimus, fructificare habet in Domino. Nam ita est fides mea, et sic firmiter credo, immo veraciter scio : quia, et si aliquando propter peccata quodammodo impeditum fuerit, quod nos in illis cœpimus gentibus, non tamen unquam penitus extenuetur, sed fructificabit in Dei gratia et prosperabitur, usquequo perveniat nomen Domini ad fines orbis terræ. Hæc itaque fides fuit eorum, hac voluntate exterarum gentium fines petierunt, hujus religionis amore pro Domino certaverunt, a quo et præmium laboris sui sine dubio percepturi sunt. Hujus devotionis voluntas ab animo Domini et Patris nostri nunquam recessit, et pro salute gentium nunquam orare cessavit : quin potius cum assidua fere piratarum infestatione, quæ ex gentibus jam dictis veniebat, parochia illius in circuitu vastaretur, ac familia diriperetur; ille tamen pro adversantibus et insidiantibus sibi jugiter exorabat, et pro conversione eorum qui sibi malefaciebant, apud Dei misericordiam sine cessatione rogabat ; petens ne statueretur illis in peccatum, quod ignorantes Dei justitiam, errore diabolico decepti, Christianorum rebus essent infesti. Cujus sollicitudinis causa in tantum fervebat, ut etiam in infirmitate positus novissima, jam dictæ suæ legationis causam nunquam antea tractare et disponere omiserit, quousque ultimum exhalaverit spiritum vitæ. In quo religionis ardore a sæculo susceptus, credimus, quod maxima secum comitante fidelium multitudine, quos ex gente Danorum atque Sueonum Domino lucratus fuerat, initium boni certaminis illius; divina remunerante clementia, in die resurrectionis omnium, gloriose et feliciter regna penetravit.

(*a*) Rimbertus iste presbyter alius est a Rimberto diacono, Anscharii discipulo, successore et præcone : quibus duobus alius accedit Raginbertus presbyter, de quo supra.

Anascharius monachus probus; episcopus sanctorum æmulus. Cilicio assidue utitur. Amat solitudinem.

57. Sane quia de legationis ejus causa et cura, qua alios servare cupiebat, multa jam diximus; qualis in semetipso. et pro salute propriæ animæ exstiterit, qualiterque corpus suum affiixerit, jam nunc tempus in omni devotionis suæ studio effulserit, vobis optime est compertum. Tamen, ut auditum habemus, ipse adolescens et juvenis senibus et grandævis mirandus videbatur et imitandus. Jam vero sumpto apud nos episcopatu, hoc omnimo quod in monasterio inchoaverat, modis omnibus augmentare, et vitam omnium sanctorum imitari studuit, specialius tamen beati Martini. Cilicio namque ad carnem non solum in die, sed etiam in nocte usus est, et magnopere populis verbum Domini prædicande studebat prodesse. Interdum tamen, ut semetipsum in divina exerceret philosophia, in solitudine manebat: ad quod opus cellam aptam sibi constructam habebat. quam appellabat quietum locum et amicum mœrori. Ubi cum paucis demoratus, quotiescunque a prædicatione et ecclesiasticis officiis, ab inquietudine paganorum liber esse poterat, habitavit: ita tamen ut nunquam proprium commodum et solitudinis amorem gregis sibi commissi præponeret utilitati.

Parcus in victu, ob id vana gloria tentatus, divinitus eo vitio liberatur. Senex parcimoniam supplet eleemosynis.

58. Porro quousque juventutis aliquatenus potitus est robore, persæpe panem in pondere et aquam in mensura sumebat; maxime quandiu solitudine ei uti licitum erat. Quo tempore non modice, ut ipse affirmabat, a spiritu tentatus est cenodoxiæ. Studebat namque inimicus humani generis peste jam dicta animam illius inficere, et magnus ipse oculis suis videbatur, quia taliter abstineret. Qua de re tristis factus, et ad Domini pietatem in oratione conversus, postulabat ut sua eum gratia ab hac perniciosissima impietate liberaret, quod et factum est. Cumque pro hac re sollicitius intentus esset precibus, quadam nocte sopori deditus, vidit se quasi usque in cælum rapi, et totum sæculum ac si in teterrinam vallem collectum; ex quo tamen et beatorum animæ, licet raro, angelico ministerio rapiebantur, et ducebantur in cœlum, in qua videlicet tenebrosa valle, ostensum est ei etiam quasi sementinum quoddam, ex quo genus humanum ducit originem. Cumque hæc omnia admirans et horrescens aspiceret, jussus est ut attenderet, quo initio in hanc vitam veniret; ac dictum est: Unde, inquit, homini ulla jactantia esse poterit, qui de tam vili origine in convalle lacrymarum procreatus sit? et quidquid boni habuerit, non a se, sed ab eo a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, acceperit? Si igitur ulterius, inquit, ab ulla tentatus fueris cenodoxiæ peste, istud in mentem reducens memorare unde progenitus sis, et cum Dei gratia liberaberis. Quod ita et factum est. Jam vero postquam senuit, non adeo potu't de cibo abstinere: potus tamen ei semper aqua fuit, nisi quod propter vanam gloriam vitandam magis, quam aliquam suavitatem capiendam, aliquantulum ipsi aquæ quam hibiturus erat, de potu [*f.* de vino] admisceret. Quia tamen in senectute sua solita nequivit uti parcimonia, studuit hoc eleemosynis et orationibus multisque aliis bonis compensare. Hujus rei gratia multos redemit captivos, quibus libertatem dedit; nonnullos tamen eorum ad Dei servitium educandos, litteris divinis instruere jussit.

Devotionis studio libros scribit Anscharius. Lacrymis deditus. usus ad hoc Scripturæ sententiis.

59. Porro ad devotionem sibi in Dei amore acuendam quam studiosus fuerit, testantur codices magni apud nos, quos ipse propria manu per notas (*a*) conscripsit, qui solummodo illa continere noscuntur, quæ ad laudem omnipotentis Dei pertinent, et ad peccatorum redargutionem, ad laudem quoque beatæ et æternæ vitæ, et terrorem gehennæ; et quidquid ad compunctionem pertinet, et lamentum. Testes sunt et fratres apud nos (*b*) et in nova Corbeia degentes, quos pro hoc opere frequenter postulavit: quique ille nonnulla hujuscemodi conscripta miserunt. Sed nunquam illi sat esse poterat, quin omnem vitam suam in luctu et lacrymis exigere vellet. Nam licet illi compunctio cordis lacrymas excitaret, non tamen ei unquam sufficientes videbantur, nisi quod in ultimo ætotis suæ anno hanc gratiam diu quæsitam Domino largiente promeruit, ut quotiescunque vellet, ploraret. Denique ex ipsis compunctivis rebus, ex sacra Scriptura sumptis, per omnes psalmos propriam aptavit oratiunculam (*c*), quod ipse pigmenta vocitare solebat: ut ei psalmi hac de causa dulcesserent. In quibus videlicet pigmentis, non compositionem verborum curabat, sed compunctionem cordis tantum quærebat: in quibus pigmentis aliquando Dei laudat omnipotentiam, et judicium; aliquando semetipsum vituperat; aliquando sanctos, qui Deo obediunt, beatificat; aliquando miseros et peccatores luget, quibus omnibus semetipsum semper deteriorem dicebat. Quæ tamen, aliis canentibus cum eo, finito psalmo, ipse solus tacitus ruminare solebat. Nec ulli ea manifestare volebat. Quidem tamen nostrum, qui ei familiarissimus erat, magna vi precum vix obtinuit

(*a*) Quales scilicet adinvenit Ciceronis libertus, ut celeritatem linguæ manus scribentis assequeretur.

(*b*) Id est in ecclesia Bremensi, in qua proinde monachi ex institutione Anscharii collocati sunt.

(*c*) In vetustis Psalmorum libris post singulos psalmos habentur singulæ orationes, ut in libro illo quem sanctus Rotbertus, abbas Molismensis, detulit Cisterium. Id observatum aliquando a monachis Orientis, ut loco versus *Gloria Patri*, quem Occidentales post unumquemque psalmum canebant, oratio diceretur, teste Cassiano in lib. II Institutionum, cap. 9. Bedæ tribuuntur ejusmodi pigmenta *Scintilla* dicta; similia etiam Alcuino.

ab eo, ut ei ipsa pigmenta, sicut ille cantare solitus erat, dictaret. Quæ tamen ipse conscripta vivente eo nemini innotuit, sed post obitum ejus quicusque legere volentibus exhibuit.

Psalmos pro loco et tempore varios recitabat.

60. Inter psalmos autem cantandum (*a*) frequenter etiam manibus operari solebat, nam his temporibus rete operabatur. De ipsis vero psalmis dispositum habuit, quos in die, quos in nocte cantaret; quos, dum se ad missam præparabat, cantaret; quos, dum discalceatus ad lectum ire volebat. Mane autem semper quando se calceabat, et lavabat manus, litanias cantabat: et sic ad ecclesiam profectus, tres aut quatuor missas celebrari faciebat, ipse astans et officium agens: statuto tamen legitimo (*b*) tempore in die publicam missam, nisi aliqua ei incommoditates accidisset, ipse cantabat.

Liberalis in pauperes, xenodochium dotat in gratiam pauperum. Omnium curam gerit. Sacculum portat in zona. In Quadragesima reficit pauperes quatuor, et eis ministrat.

61. In eleemosynis vero dandis quam ipse liberalissimus fuerit, quis enarrare poterit, cum omnia quæ habebat in Domini voluntate, necessitatem patientibus subministrare cupiebat? Ubicunque enim aliquem in necessitate positum sciebat, ex quanto poterat eum adjuvare satagebat. Et non solum in propria parochia, sed etiam in longinquis regionibus positis subsidium sui adjutorii ministrabant: specialius tamen hospitale pauperum (*c*) in Brema constitutum habebat, ad quod decimas de nonnullis villis disposuit, ut ibi cum quotidiana susceptione pauperum ægroti recrearentur. Per omnem episcopatum suum decimas animalium et omnium reddituum (*d*), decimasque decimarum, quæ ad eum pertinebant, in pauperum expensionem distribuebat: et quidquid argenti vel cujuslibet census illi proveniebat, in usus indigentium decimabat. Insuper in quinto anno omnium animalium, licet antea decimata fuerint, ad eleemosynarum dationem iterum ex integro decimationem faciebat: de argento etiam quod ad ecclesias in monasteriis veniebat, quartam partem ad hoc ipsum destinabat. Curam ergo pupillorum et viduarum maximam semper habebat, et ubicunque anachoretas esse sciebat, sive viros, sive feminas, frequentibus visitationibus et donis ipsos in Dei servitio confortabat. et necessariis subsidiis adjuvare studebat. Habebat quoque in zona propria semper sacculum cum nummis, ut, si quando egens veniret,

A et dispensator eleemosynæ suæ deesset, ipse sine mora quod daret haberet. Studebat enim illud beati Job dictum per omnia implere, ut nec saltem oculos viduæ aliquando exspectare faceret: sicque et oculus cæco et pes claudo et pater pauperum omnimo esse studebat. In Quadragesimæ vero tempore quatuor pauperes quotidie in Brema ad escam suscipi jubebat, duos scilicet viros et duas feminas, et viris quidem ipse cum fratribus pedes lavabat; feminas antem in prædicto hospitali pauperum, vice illius, quædam Deo sacrata quam ipse in Dei voluntate et religionis amore probatam habebat. Denique cum parochias more episcopali circuiret, antequam ipse ad convivium accederet, pauperes præcipiebat introduci: quibus aquam etiam ad manus lavandas exhibebat, et eulogiis datis miscebat (*e*): et mensa ante B ipsos posita, sic demum ad convivium suum cum hospitibus accedebat. (*f*) Et ut misericordiæ ac pietatis ejus viscera exemplis approbemus, vidimus quondam, cum inter multos alios cujusdam viduæ filium in longinqua regione captivum abductum, in Sueonum videlicet, pretio redemptum, ipse secum ad propria reduxisset; et cum ipsum mater sua gaudens videret reversum, (sicut mos est feminarum) præ gaudio in conspectu astans lacrymata fuisset; ipse quoque episcopus compunctus non minus flere cœperit, statimque filium ipsum viduæ libertate donatum matri reddidit, domumque gaudentes ire permisit.

Futura prænoscit; in agendis Deum consulit. Bremensis Ecclesiæ se fore pastorem cœlitus prædiscit.

C 62. Et quia convsrsatio ejus, secundum beatum Paulum apostolum (*Phil.* III, 20), semper erat in cœlo, nonnunquam ipse cœlestibus revelationibus (sicut jam præfati sumus, licet multa omiserimus) illustrabatur in terra, ita ut fere omnia quæ ei proventura erant, antea semper, sive per somnium, sive per intimam revelationem in mente, sive per excessum, ipsi cognita fierent. Nam quod diximus fieri in mente, hujusmodi esse putamus, sicut in Actibus apostolorum legitur: *Dixit*, inquit, *Spiritus Philippo* (*Act.* VIII, 29). Ad omnia enim quæ forte præcipua definire debebat, spatium cogitandi habere volebat; et nihil temere disponebat, antequam gratia Dei illustratus, ipse in mente sua sentiret quid melius esset: sicque superna visitatione certificatus D in mente, sine cunctatione quæ agenda erat. disponebat. Porro ea quæ per somnium videbat, sicuti jam superius multa comprehensa sunt, tam vera

(*a*) Sic Ægyptii monachi opus manuum et psalmorum orationes pariter exercebant, apud Cassianum in ejusdem libri cap. 13 et 14. Sic sanctus Adalhardus in Statutorum lib. II, cap. 4, præcipit ut qui in coquinæ ministerio laborant, psalmos sine intermissione cantent, id est recitent. Quo sensu etiam ista vox hoc in loco usurpatur.

(*b*) Ergo non quotidie, sed solemnioribus duntaxat diebus sacris operabatur Anscharius.

(*c*) Eo in loco postea institutum collegium duodecim canonicorum, et templum sub nomine S. Anscharii, etiam nunc perstans, teste Philippo Cæsare, qui cum adhuc ἀκαθολικός esset, ibidem canonicum egit et pastorem: postea conversus hujus præcipue sancti, uti ipse credidit, precibus ac meritis, cujus Vitam studiose ac diligenter perquisierat.

(*d*) Idipsum ordinaverat Adalhardus abbas apud Corbeiam veterem, ut ex Statutis ipsius constat.

(*e*) Id est potum præbebat. Hoc sensu verbum miscere frequens est apud auctores mediæ ætatis. Vide Glossarium V. Cl. Caroli Fresnii.

(*f*) Abhinc usque ad num. 68 infra, Gualdo poeta transilit prosaicam orationem.

erant, ut nunquam ea cassata reminiscamur. Nam ut ad probationem hujus rei omissa (*a*) referamus, antequam ad Bremensem invitaretur Ecclesiam, quadam nocte visum est ei quod venisset in quamdam regionem amœnissimam, in qua invenit beatum Petrum apostolum. Cumque illum admiraretur, veniunt quidam homines petentes, ut ipse beatus videlicet Petrus eis pastorem et doctorem destinare deberet. Quibus cum ille respondisset: Iste est, quem debetis habere pastorem, domnum episcopum coram se stantem proponens; visum est ipsi quod terræ motus fieret magnus, et ipse in terram cecidisset, et quod venisset vox super eum, et magna suavitas in mente, unctio videlicet Spiritus sancti, ita ut se quasi innovatum sentiret in gratia Christi. Vox vero quæ venit, quasi benedictionem super eum fudit. Post hæc iterum, sicut ipsi videbatur, jam dicti viri admonuerunt apostolum, quo eis doctorem quemlibet destinaret (contrarii enim esse videbantur iis quæ ille eis ante proposuerat); quibus ille quasi indignando respondit: Nonne dixi vobis quia hic esse deberet, qui in præsentiarum stat? quid dubitastis? nonne audistis vocem super eum Spiritus sancti ad hoc delapsam, ut eum vobis consecraret pastorem? Quo dicto, somno expergefactus, quod triennio ante viderat quam ad Bremensem regendam invitaretur ecclesiam, certus omnino factus est, quod alicubi in nomine Domini ire deberet : sed quo, nesciebat. Postquam vero regio jussu ad Bremensem ecclesiam venit, et eam in honore sancti Petri consecratam didicit, et nonnullos quoque invenit, qui eum non libenti reciperent animo, recordatus est visionis suæ: hacque de causa consensit, ut illam regendam susciperet diœcesim. Non aliter nunquam se hoc facere voluisse attestando dicebat.

Turholti nutrit pueros Nortmannicos. Prævidet Reginarii pœnam ob eos inde abductos.

63. Eo quoque tempore quando cellam prædictam Turholt habuerat, quoniam omnis ei cura de vocatione gentium erat, ut eis in sua legatione prodesse potuisset, nonnullos pueros, ex Nortmannis vel Sclavis emptos, in eadem cella causa discendi ad sacram militiam nutriendos posuerat. Quorum quosdam prædictus Reginarius, quando illi cella ipsa data est, inde abstulit, et ad suum servitium misit. Qua de causa, cum nimium esset domnus episcopus anxiatus, post paululum visum est illi quod venisset in quamdam domum, invenissetque ibi et venerandum regem Carolum et ipsum Reginarium. Quos ipse, ut ei videbatur, de iisdem pueris increpavit, asserens quod eos ad Dei omnipotentis servitium nutrire disposuerat, non ut Reginario servirent. Quo dicto visum est ei, quod idem Reginarius, levato pede suo ad os calcitraret domni episcopi. Denique hoc facto mox visum est ei, quod Jesus Christus prope eum astaret, diceretque regi præfato pariter et Reginario : Cujus, inquit, hic hominem vos tam turpiter dehonestatis? scitote, quia iste Dominum habet, et vos de hac causa non eritis immulctati. Quo dicto ipsi exterriti facti conturbati sunt : domnus vero episcopus evigilavit. Quod illi ostensum quam verum fuerit, testatur ultio divina, quæ super ipsum venit Reginarium. Nam non multo post iram regis meruit, et cellam ipsam una cum omnibus, quæ ex parte regis habebat, perdidit, nec ulterius in gratiam pristinam redire potuit.

De grege quam sollicitus; in prædicatione suavis, et severus.

64. Verum de pastorali ejus gratia qualis quantusque exstiterit, præterisse ne videamur; in illo certe probavimus, quam verum sit, quod beatus Gregorius in figura pastorum, qui in Nativitate Domini super gregem suum vigilabant, de pastoribus Ecclesiæ dixit: Quid est, inquit, hoc, quod vigilantibus pastoribus angelus apparuit, eosque Dei claritas circumfulsit? nisi quod illi præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicite sciunt? Dumque ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscat. In omni enim actione illius gratiam Dei cum eo comitasse multis experimentis probavimus. Nam quod ipse super gregis sui custodia sollicitus, multa sublimia videre promeruit, et in mente superna frequentius visitatione inspiratus sit, superius jam in multis comprehensum ostendimus. Denique etiam exterius gratia Dei in eo largius coruscante, sermo quoque prædicatione illius multa suavitate perfusus, partim erat horribilis : ut certo probaretur judicio, infusione spiritali verba ejus moderari: in quo miscens terroribus blandimenta, vim divini prætenderet judicii, in quo veniens Dominus terribilis peccatoribus, et blandus apparebit justis. Hac quippe gratia in verbis et vultu admirandus erat: ita ut eum potentss et divites, maxime tamen contumaces et protervi terribilem attenderent; mediocres vero quasi fratrem complecterentur: pauperes autem quasi patrem piissimo venerantur affectu.

Prohibet laborem in die festo. Deus transgressores puniens.

65. Porro licet signa virtutum, velut instrumenta jactantiæ, caute fugeret, tamen eo non quærente et hæc ipsa non deerant : quod evidenti probatum est indicio, quia scilicet mandatum Domini ex ore illius in irritum prolatum non cessit. Nam cum quodam tempore in Frisia, in pago Ostergao [*al.*, Ostargao], in die Dominica prædicaret populo, et inter alia prohiberet, ne quis in die festo opus servile exerceret, quidam illorum, ut sunt contumaces et stolidi, domum reversi, quia serenus erat aer, in pratum euntes, collecto feno acervos fecerunt. Quibus factis, advesperascente die, omnes illi acervi, qui eadam

(*a*) De Remberti successoribus designatione aliqua hic addita erant, ut patet ex Vitæ sancti Remberti cap. 6, quæ Rembertus ipse modestiæ causa delevisse videtur.

die facti fuerant, divinitus igni consumpti sunt, illæsis illis permanentibus qui in anterioribus diebus in medio præparati constabant. Quo facto, populi in circuitu manentes, fumum a longe cernentes, hostes adesse putantes, timuerunt valde: sed diligentius rei veritatem perscrutantes, contumaciam nonnullorum probaverunt esse multatam.

Captivorum liberationem procurat.

66. Nec silendum arbitramur quia cum quodam tempore gens Nordalbingorum plurimum deliquisset quorum delictum hujusmodi erat, videlicet cum nonnulli miseri captivi de Christianis, qui apud barbaros affligebantur, inde effugerent, et ad Christianos venirent ad prædictos Nordalbingos, qui proximi noscuntur esse paganis; ipsi eos capiebant, et in vinculis ponebant: quorum alios iterum paganis vendebant, alios suo mancipabant servitio, aut aliis Christianis venundabant. Cum igitur hoc domno innotuisset episcopo, et de hac re nimium anxius esset, quod in sua diœcesi tantum nefas contigisset; sed qualiter id emendari potuisset, non satis ratione colligebat: quoniam in hoc nefandissimo scelere erant plurimi irretiti, qui potentes apud eos et nobiles habebantur. Denique cum de hac re nimium esset anxius, quadam nocte divina ei apparuit consolatio. Videbatur namque illi, quod Dominus Jesus esset in præsenti sæculo, sicut olim fuit, quando suæ præsentiæ doctrinam et exempla populis prædicabat: visumque est ei, quod esset cum multitudine fidelium, et quod ipse domnus episcopus cum eo in eodem esset itinere lætus et gaudens: et ut ipsi videbatur, erat in omnibus contumacibus terror divinitus illatus, et ereptio fiebat oppressorum, et quies magna in omnibus, ita nihil contrarietatis in ipso videretur esse itinere. Post hanc itaque visionem confirmatus, ad prædictum populum suum ipse paravit perfectionem, ea videlicet voluntate, ut et miseros qui irrationabiliter servituti addicti fuerant et venditi, quoquo pacto liberaret; et ne in posterum aliquis tantum malum committere auderet, cum Domini gratia prohiberet. In qua profectione tantam illi Dominus gratiam concessit, tantumque auctoritatis ejus contumacibus terrorem incussit, ut licet essent nobiles et male potentes, nullus tamen illorum suo imperio auderet contradicere: sed quærebantur miseri ubicunque venditi fuerant: et donati libertate, dimittebantur, ut irent quocunque vellent. Insuper ne ulla fraus in futurum pro eadem re obtenderetur, conventionem talem fecerunt, ut non juramento nec testibus se ullus eorum, qui in prædicta rapacitate maculati fuerant, defenderet; sed judicio omnipotentis Dei se committeret, aut ipse, qui pro tali scelere impetebatur, aut certe captivus quem alius impetebat. Hoc ergo facto in ipso itinere Dominus veraciter exhibuit, quod fidelibus pollicitus est, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Tanta prosperitate et gaudio inter illud perfecit, ut quidam cum eo comitantes dicerent, nunquam se in vita sua tam bonum et tam suave iter egisse.

Oleo sanat ægrotos. Vanam gloriam fugit.

67. Quanti vero oratione illius et unctione olei sanati sunt, enumerare non possumus. Hoc enim multorum assertione comperto, certatim ad eum non solum de ipsius diœcesi, sed etiam de longinquo venire solebant ægrotantes, medicinam ab eo salutis poscentes. Ipse tamen hæc omnia semper occultari maluit quam vulgari. Nempe cum de hujusmodi virtutum signis aliquando coram eo fieret sermo, ipse cuidam suo dixit familiari: Si dignus essem apud Deum meum, rogarem quatenus unum mihi concederet signum, videlicet ut de me sua gratia faceret bonum hominem.

Martyr tota vita. Affectus dysenteria. Tristatur ob martyrium sibi præreptum.

68. Præterea cum talis ei esset vita, in infirmitate tamen corporis proprii pene assidue laborabat. Omnis quippe vita ejus fere martyrium fuit, quippe in laboribus plurimis infra diœcesim propriam, propter incursiones et deprædationes barbarorum, necnon et contradictiones malignantium insuper et cruciatione propria, quam sibi ipse in corpore suo pro amore Christi nunquam cessavit inducere. Sed quid facimus, qui post tot dulcia et salubria illud cogimur referre, quod sine nostro luctu non valemus explicare? Nam ætatis suæ anno sexagesimo quarto, episcopatus vero trigesimo quarto, gravi cœpit corporis morbo laborare, dysenteria scilicet jugi, qua cum per multos dies, mensibus videlicet quatuor et amplius, acriter laboraret, et se ad mortem urgeri sentiret, semper Deo gratias agebat, minoremque ipsum laborem esse dicebat, quam sua mereretur iniquitas; illud beati Job sæpius decantans: *Si bona suscepimus de manu Dei, quare mala non suscipiamus?* (*Job* III, 10.) Tamen se propter supradictas visiones martyrio potius quam tali infirmitate credebat consummari, tristis admodum factus, sibimetipsi et peccatis suis cœpit reputare, quod quasi spe certissima sua esset culpa defraudatus, illud Psalmigraphi sæpius decantans: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal.* CXVIII, 137). Quem videlicet mœrorem cum suo fidelissimo (*a*) discipulo, qui ei conscius, quærendo revelaret; et eum ipse consolari intentius studuisset, dicens, quod non ei promissum fuisset, ut gladio trucidaretur aut igne cremaretur, aut in aqua necaretur; sed ut cum corona martyrii ad Dominum venire deberet; nullatenus tamen consolationem recipere potuit. Denique cum sæpius de eadem re cum discipulo suo, qui ei conscius pene in omnibus fuit, colloqueretur; et summopere eum consolari voluisset, ad memoriam ejus revocare studens, quantam in Dei servitio sustinuerit, quantamque corporis sui pertulerit molestiam,

(*a*) Rembertum scilicet, hujus Vitæ scriptorem, uti explicat Adamus in lib. I, cap. 31.

et quod etiam ipsa infirmitas novissima gravis nimium et diuturna et satis ipsi pro martyrio reputari potuisset; ipse tamen nullo modo consolationem recipiens, sed in supradicto manebat mœrore.

A Deo confortatur. Privilegia sibi concessa describi curat, exsecutionem regi commendans.

69. Unde factum est, ut Dominus servum suum, non jam ut prius per somnium, sed apertius consolari dignatus sit, quatenus tanto mœrori suæ gratiæ præstaret remedium. Nam cum quadam die ad missam in oratorio consistens, pro hoc ipso nimium sollicitus esset; subito in excessum mentis raptus audivit vocem quasi vigilans, quæ ipsum vehementer increpabat, quod nullatenus de Dei promissione dubitare debuisset, quasi aliqua iniquitas Dei potuisset pietatem vincere. Firmissime crede, inquit, et nullatenus dubites, quia utrumque tibi Deus sua gratia faciet, id est et peccata dimittet, pro quibus modo sollicitus es, et omnia quæ promisit, implebit. Qua consolatione suscepta, ipse quoque consolabatur semetipsum. Et exinde sollicitius quæque in diœcesi sua procurando cœpit disponere: insuper privilegia apostolicæ sedis, quæ erant de legatione ejus facta, in multis libellis jussit describere, et per omnes pene domini Ludovici regis episcopos destinare (*a*). Ipsi quoque regi Ludovico, filioque ejus æquivoco, hoc ipsum dirigens, addens et sui nominis litteras, quibus postulavit, ut hæc in memoriam haberent, simul etiam, prout dictaret res, adjutorio essent: quatenus legatio ipsa, Dei auxiliante gratia, et ipsis adjuvantibus, fructificare et crescere in gentibus potuisset.

Optat mori die Purificationis beatæ Mariæ, in cujus vigilia tres cereos accendi jubet. In die festo missis pro se dictis, missam publicam exspectat jejunus.

70. Porro cum jam per tres menses continuos prædicta laboraret infirmitate, et Epiphania Domini transisset, optare cœpit, quatenus eum in Purificatione sanctæ Mariæ ad Domini gratiam transire liceret. Qua ergo festivitate appropinquante, præcepit clero et pauperibus convivium præparare, ut in ipso sanctissimo die epularentur. Jussit etiam ut tres fierent cerei magni ex sua speciali cera. Quibus factis, in ipsa vigilia prædictæ festivitatis fecit eos ante se ferri, et unum ante altare sanctæ Mariæ accendere præcepit, alterum vero ante altare sancti Petri, tertium ante altare sancti Joannis Baptistæ, optans ut ipsi cum de corpore susciperent egredientem, qui in supradicta visione olim ejus fuerant ductores. Cæterum prædicta infirmitate ita erat fatigatus et attritus, ut pene jam in corpore ejus nihil remaneret, exceptis ossibus nervis ligatis, et corio tectis. Attamen ipse semper in Domini laude se exer-

A cebat. Illucescente vero jam dictæ festivitatis die, pro eo missas, sicut quotidie soliti fuerant, cuncti qui adfuere sacerdotes, celebrarunt. Ipse vero ordinare cœpit, qualiter ad populum fieret sermo, asserens se nihil eodem die gustaturum, donec publica finiretur missa. Qua finita, cum parumper comedisset et bibisset, per omnem diem studiosius suos commonere, et ad Domini servitium accendere studuit, nunc communiter, nunc sigillatim quemque, prout poterat, ad divinum animans servitium, maxime tamen ejus cura et sollicitudo fuit de sua legatione ad gentes. Noctem quoque sequentem in talibus admonitionibus perduxit continuam.

Litaniis dictis, post missas viaticum recipit. Ingeminat preces pro se et pro aliis. Moritur.

B 71. Fratres vero qui aderant, cum litaniam facerent, et psalmos ex more pro ejus exitu decantarent, admonuit ipse, ut etiam hymnum ad laudem Dei compositum, id est *Te Deum laudamus*, pariter cantarent: fidem quoque catholicam a beato Athanasio compositam. Mane vero facto omnibus qui aderant, sacerdotibus sacra solemnia missarum pro eo celebrantibus, Dominici corporis et sanguinis communione percepta, elevatis manibus precabatur, ut quicunque in eum quoquomodo peccasset, divina ei hoc pietas dimitteret. Deinde versiculos istos cœpit frequentius repetere. *Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine*; et: *Deus, propitius esto mihi peccatori*; et: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Cum hæc **C** ipse sæpius repeteret, et frequenti anhelitu jam ea frequentare non valeret; cuidam fratri præcepit ut hæc eadem vice illius frequentando cantaret. Sicque oculis in cœlum intentis, Domini gratiæ commendatum spiritum exhalavit (*b*).

Lugent omnes. Epilogus ejus elogii.

72. Cujus corpore ex more curato, feretroque imposito, cum ad ecclesiam deferretur, iterari visus est luctus omnium, et vox una plangentium, maxime tamen clericorum, orphanorum, viduarum, pupillorum et indigentium. Quamvis enim de illius salute non sit dubitandum, quis religiosorum aut fidelium se a fletu continere poterit, cum ille nos desolatos reliquerit, in quo solo pene omnium antiquorum vigebant exempla sanctorum? Siquidem, ut ab ipso **D** electorum omnium capite incipiamus, Christum inopem inops ipse secutus est, cum apostolis omnia dereliquit, et cum sancto Joanne Baptista primævum tempus a turbarum frequentia remotum ducens, monasterii solitudinem expetiit: videlicet cum temporis processu quotidiano profectu excrevisset, et de virtute in virtutem ivisset, vas electionis ad

(*a*) Huc spectare videtur Anscharii epistola in fine hujus Vitæ relata, qua hæc privilegia episcopis Germanicis commendavit.

(*b*) « Obiit anno Domini 865, indict. XIII, qui est Luthewici secundi vicesimus sextus, sepultusque est in basilica sancti Petri ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ, » inquit Adamus in lib. I, cap. 31. Albertus Stadensis et Chronicon Saxonicum eumdem annum signant: « Sedit omnes annos triginta quatuor, cujus depositio summa veneratione colitur III Non. Februarii, » ex Adamo.

portandum Christi nomen coram gentibus cum beato apostolo Paulo deputatus; pascendarum Christi ovium postmodum curam cum principe apostolorum Petro suscepit : in quo regimine qualem se quantumque exhibuerit, hoc vel maxime probare videtur, quod inter cœlum et terram medius, inter Deum et proximum sequester, nunc divinæ visioni et cœlestibus revelationibus intererat, nunc commissorum sibi actus et vitam disponebat : ad quas active et contemplative geminas alas ideo ipse sufficiebat, quia cum mundicordes soli juxta Evangeliorum fidem Dominum credantur visuri, ipse virgo ab eo electus, cum sancto apostolo et evangelista Joanne, et mente et corpore virgo in ævum permansit ; et tanta insuper ad cunctos charitate tenebatur, ut cum beato protomartyre Stephano etiam oraret pro suis persecutoribus. O vere beatum et omni laudis præconio dignissimum virum, quem talem ac tantum imitari, quem solum plurimorum, tot simul habere virtutes contigit ! qui mente sanctus et corpore castus, cum virginibus agnum, quocunque ierit, sequetur : qui semper in confessione Christi perseverans gloriosum admodum inter confessores locum habebit : qui in sublimi illa cum apostolis judicum sede in regeneratione sessurus est, ac mundum, quem contempserat, judicaturus, et cum martyribus justitiæ coronam et palmam martyrii adepturus.

Martyr quomodo.

73. Martyrii duo genera esse constat, unum in pace Ecclesiæ occultum, alterum persecutionis articulo ingruente manifestum : utrumque voluntate tenuit ; ad alterum effectu pervenit. Quia enim quotidie semper lacrymas, vigilias, jejunia, carnis macerationem, et desideriorum carnalium mortificationem in ara cordis Deo mactabat, martyrium profecto, quod pacis tempore non potuit, voto consecutus est. Quia vero ad apertum corporis martyrium persecutoris sibi animus non defuit, quod opere minus potuit, voluntate adeptus est. Quamvis hoc quoque martyrium opere eum habuisse omnino negare nequeamus, si tantos ejus pro Domino labores juxta Apostolum attendamus, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate : præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia ejus quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmabatur, et ipse non fuit infirmus? quis scandalizabatur, et ipse non urebatur? Qui ergo tot ac tantis est pro Domino et corporis adversitatibus, et animi æstibus excoctus, quomodo martyr esse jure negabitur? Nam si sola vita per passionem terminata martyrio deputaretur, nequaquam sanctum evangelistam Joannem calicem suum Dominus bibiturum esse testaretur, quem minime vitam martyrio finivisse scimus. Proinde si illum juxta dominicam sententiam inter martyrum numerum ascribendum esse non dubitamus, de eo quoque, quem præmisimus, sancto plane ac beato admodum viro omnino ambigere non debemus. Martyr enim fuit, quia juxta Apostolum et ipsi mundus et ille mundo crucifixus erat. Martyr fuit, quia inter diaboli tentamenta, inter carnis illecebras, inter persequentes paganos, inter obsistentes Christianos semper imperterritus, et immobilis, et invictus in Christi confessione usque ad exitum vitæ permansit. Martyr fuit, quia dum μάρτυρ *testis* dicatur, ipse divini semper verbi, et Christiferi nominis exstitit testis. Qua in re nemo miretur eum ad hoc, quod summo ipse desiderio optabat, et sibi repromissum putabat, martyrium non pervenisse ; quia nec hoc sibi pollicitum juxta hujus nominis interpretationem probatur. Et certe poterat in accepto corporis martyrio aliqua forte suæ menti elatio subrepere : quod ut caveretur, hoc divina prudentia et spopondit et concessit ; videlicet ut meritis suis nihil minueretur, et humilitati, quæ omnium est custos virtutum, provideretur.

74. Quocirca, quia jam ex his quæ superius commemoravimus, claret quantæ vir iste sanctitatis, quanti apud Deum meriti fuerit ; restat ut sicut ipse Christi imitator in omnibus fuit, sic nos quoque ejus imitatores esse studeamus. Sic quippe fieri quibit, ut et ipse semper usque ad consummationem sæculi nobiscum vivere possit in terris, et non post præsentis vitæ transcursum cum eo in cœlis vivere mereamur. Vivet namque nobiscum in terris, si eum vitæ sanctitas et doctrinæ recordatio nobis repræsentat : vivemus nos cum ipso in cœlis, si ejus exempla sequentes, ad eum semper toto desiderio et tota virtute tendamus, ad quem nos ille præcessit Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VITA SANCTI WILLEHADI

EPISCOPI BREMENSIS PRIMI,

Auctore sancto Anschario.

(Mabill. Annal. Bened. tome IV.)

PROLOGUS AUCTORIS (*a*).

Cum sanctorum laudes et actus religiosa fidelium depromit affectio, Christum profecto in eis prædicare, Christum nititur glorificare. Ipsius enim facti sunt virtute victores, cujus gratia probati fuerant in bona conversatione fideles. Gratia namque Dei secundum Apostolum sunt sancti quod sunt. Et quia gratia ipsius semper est bona, per hanc quoque fiunt homines voluntatis bonæ. Ipsa quoque Dei fit gratia, ut ipsa bona voluntas quæ jam cœpit esse, augeatur in bono : et ita crescendo multiplicetur, quo possit justus quilibet divina implere mandata; quæ voluerit, plene perfecteque voluerit. Laudandi itaque sunt sancti propter bona merita ipsorum, quinimo magis in eis Christus est laudandus, cujus gratia perceperunt, ut boni ac sancti fierint. Quæ B tamen laudis præconia cum multis in hac vita pie religioseque viventibus fidelium devotione merito impertiantur; melius tamen ac rationabilius post bene peractam ac feliciter consummatam hujus sæculi periculosissimam vitam sanctis exhibentur hominibus. Quia tunc potissimum sanctitatem cujusque convenit extollere ac prædicare, quando nec qui laudatur elatione tentari, nec laudans adulatione poterit notari. Unde et mos sanctæ Ecclesiæ justissimus inolevit, ut sanctorum qui in hac vita miraculis et fidei devotione ac bonorum operum perfectione clari ac laudabiles exstiterunt, post eorum discessum conversatio ac religiositas describatur : ut posteri habeant in quo exemplum virtutis imitentur, habeant etiam in quo gratiam divinæ miserationis contueantur : nec desperent se posse quæ forte impossibilia C videbantur, cum hæc in illis cernant impleta, quæque, ut ipsi, fragili hic carne circumdati, mira atque eximia divina adjuti gratia perpetrarunt. Cum vero hæc a fidelibus cunctis jure impendenda sint sanctis, illius videlicet supernæ patriæ beatissimis civibus; diligentius tamen hoc unusquisque illis exhibere debebit, quorum patrociniis specialius se A tutari atque adjuvari nempe indubitanter atque fideliter credit. Unde et nos beati patris nostri Willehadi, primi Bremensis Ecclesiæ episcopi, religiosam et in omnibus Deo devotam dignum uximus conscribere vitam : quo triumphum virtutis ejus enarrantes, et divinam prædicemus in eo gloriam, et exemplum sanctitatis ejus ad imitandum aliis proponamus.

CAPUT PRIMUM.

De patria ejus, et quid in ea egerit.

Fuit itaque vir venerabilis de gente Anglorum ex Nordhumbris, nomine Wilehadus, qui ab infantia sacris eruditus litteris ac spiritalibus instructus disciplinis, studiose in Dei cœpit cultura vivere, et jejuniis, vigiliis atque obsecrationibus die noctuque intentus, in Dei omnipotentis servitio devotus exstitit : fueruntque ejus acta cunctis illic habitantibus, sicut honesta et bona, ita quoque amabilia et laudabilia. Quique etiam succedente ætate, cunctorum favore per electionis gratiam, ibidem ad honorem est provectus sacerdotalem : quod ille sanctitatis merito, ac præcipuis bonorum operum exercitiis magis ac magis semper exornare atque augmentare studebat. Denique accepta consecratione presbyterii, audivit quod Fresones atque Saxones populi hactenus increduli atque pagani, relicta idolorum cultura, fidei catholicæ quodammodo jam cœpissent ambire ministeria, ac baptismi sacramento vetustatis cuperent maculis emundari. Hoc itaque audito, magno vir Dei repletus est gaudio : et intimo succensus amore inhianter quærere cœpit, qualiter pro Dei amore illas in partes sese transferret. Et quia divino instinctus Spiritu servus Dei hujuscemodi zelo de die in diem exardescebat, non potuit lucerna accensa latere sub modio in tenebris; sed posita est super candelabrum, ut luceret palam omnibus, qui vel tunc vel futuri erant in domo Domini. Accessit ergo ad regem qui tunc temporis in gente Anglorum dominabatur, nomine Alachrat (*b*), et quo ad Domini esset

(*a*) Philippus Cæsar hinc numerat caput primum, eamdemque capitulorum seriem producit usque ad finem libri de Miraculis.

(*b*) Rectius quam apud Joannem a Leidis *Alachart*, apud Surium corrupte *Alachintum*. Is apud Turgotum in lib. II de Ecclesia Dunelmensi, cap. 4, et apud

servitium zelo accensus, illi lacrymaibliter intimavit, petivitque ut ejus permissu atque licentia ad prædicandum verbum Domini patrias jam prædictas sibi adire liceret. Qui comperta ejus sanctissima voluntate, convocato ad se episcoporum aliorumque Dei servorum non minimo conventu, coram omnibus ejus ferventissimam insinuavit devotionem, omniumque pari consensu (quippe quia et cunctis jampridem ejusdem beati viri probabilis sanctitas fuit) eum supernæ commendatum gratiæ ad prædicta loca causa prædicandi verbum Domini destinavit.

CAPUT II.

Quomodo in Fresiam venerit, et quomodo res ei procedere ibi cœperit.

Quam ille peregrinationem libentissimo suscipiens animo, quantocius mare quod erat adjacens transmeavit, venitque in Fresiam ad locum qui dicitur Docyncyrea (*a*), quod est in pago Hostracha; ubi et domnus Bonifacius episcopus jam olim martyrio coronatus fuerat. Ibi ergo cum per prædicationem memorati martyris multi antea ad fidem instructi fuerant, cum magno ab eis est honore susceptus: ibique docens ea quæ Dei sunt, multo tempore habitavit. Nam et plurimi nobilium infantes suos ipsi ad erudiendum ibidem tradiderunt: quos ille tam verbo doctrinæ, quam exemplo piæ conversationis ad divinum jugiter incitabat amorem, multosque errantes olim a fide ad veram et catholicam revocavit scientiam, seque maximum lumen supernæ claritatis eodem in loco exhibuit; gentilium quoque quamplurimam catervam verbo sanctæ prædicationis instructam ibidem baptizavit.

CAPUT III.

Quomodo occidendus, et sorte divinitus liberatus sit.

Inde vero procedens transivit fluvium *Lovcke* (*b*,) venitque ad locum qui dicitur Humarcha, ibique barbaris cœpit nomen Domini prædicare, ac persuadere, ut relicta superstitione idolorum, unius veri Dei notitiam susciperent, quo per sacri baptismatis ablutionem peccatorum suorum veniam promereri potuissent: dicens, insanum esse et vanum, a lapidibus auxilium petere, et a simulacris mutis et surdis subsidii sperare solatium. Quo audito gens fera et idololatriis nimium dedita, in ira magna pariter omnes excitati, stridebant dentibus in eum, dicentes, non debere profanum longius vivere; imo reum esse mortis, qui tam sacrilega contra deos suos invictissimos proferre præsumpsisset eloquia. Quidam tamen inter eos saniori consilio suadebant cæteris, dicentes ignotam sibi hanc esse religionis normam, utrum ex divina sit voluntate proposita; virum quoque ipsum nulli prorsus obnoxium crimini, qua de re nec oportere eum tam dubia nece perire, verum magis mittendam esse sortem (*c*), quo demonstraretur cœlitus, an dignus esset interitu: sin alias ut dimitterent eum liberum, et ipsi in nullo pœnitus noxii probarentur. Factum est ergo uti persuaserant, ac secundum morem gentilium missa est sors super eo, vivere an mori debuisset. Gubernante itaque divina Providentia, sors mortis super eum cadere non potuit. Quapropter nec nocere illi in aliquo sunt ausi: sed inito consilio, dimiserunt eum a se abire illæsum.

CAPUT IV.

Quomodo plagis et gladio cæsus miraculose servatus sit.

Qui inde transiens venit Thrianta (*d*), ibique dum prædicaret verbum Domini, plurima multitudo gentilium credidit, ac baptismi sacramentum percepit. Quo in loco ipse diutius immorans, et non credentes instruere, etiam credulos in via veritatis tam verbis quam et exemplis sedulus corroborare studebat: cœperuntque plurimi bonam vitam magistri [*supple* diligere], et errores gentilium odio habere, et Christianam quam profitebantur religionem devota intentione venerari. Unde contigit ut quidam discipulorum ejus, divino compuncti ardore, fana in morem gentilium circumquaque erecta cœpissent evertere, et ad nihilum, prout poterant, redigere. Quo facto barbari qui adhuc forte increduli perstiterant, furore nimio succensi irruerunt super eos repente cum impetu, volentes eos funditus interimere: ibique Dei famulum fustibus cæsum multis admodum plagis affecere. Quorum etiam unus, evaginato gladio super servum Dei irruit, conatus ei caput abscidere. Verum beatus vir ipso in tempore capsam (*e*) cum

Simeonem Dunelmensem, de Regibus Anglorum, *Alchred* Moloni anno 865 in regnum Northanumbrorum successisse memoratur: *nono autem anno regni, fraude suorum primatum, exsilio imperium mutavisse.* Hinc tempus quo Willehadus in Frisiam trajecit expendendum.

(*a*) De oppido *Decken* ad Burdinem amnem, dictum in Vita S. Bonifacii ad annum 754. Paulo ultra Burdinem visitur fluvius Lavica, de quo infra. Exordium prædicationis S. Willehadi in Frisia desumit Adamus ab anno martyrii S. Bonifacii, id est ab anno 754: siquidem Willehadum tam in Frisia quam in Saxonia per annos triginta quinque hoc munus obiisse affirmat. Verum serius in Germaniam profectus est Willehadus, ut patet ex Alchredi principatus initio, cujus assensu e patria discessit.

(*b*) Surius edidit *fluvium Lavincu*. Liudgerus episcopus dicitur a Carolo Magno *doctor constitutus in gente Fresonum ab orientale parte fluminis Labeki, super pagos quinque, quorum hæc sunt vocabula Hugmerchi*, etc.; qui pagus non alius videtur quam *Humarcha* hic. Fluvium Laviceam seu Laubacum, vernacule *Lawers* nunc vocant, etiam Joannes a Leidis in Chronici Belgici lib. IV, cap. 7, ubi de S. Willehado: qui et Humarcham *Huemerk* interpretatur.

(*c*) Sortium usum Germanis maxime familiarem fuisse docet Tacitus de Germanis, quod Adamus ad Saxones præcipue trahit. Lege Acta S. Willibrordi et S. Wilframni episcoporum.

(*d*) Joannes a Leidis: *Posthæc venit in Trentoniam, id est Drenterlant*: qui locus hodie quoque *Drente* dicitur, teste Philippo Cæsare.

(*e*) Phylacteria vocant antiqui reliquiarium e collo dependens. Quanquam etiam capsa et chrismarium eodem sensu leguntur in Vita S. Wilfridi episcopi, ad annum 709.

sanctis reliquiis in collo suspensam habebat : cumque ictus ferientis super collum ejus decideret, corrigiam quidem capsæ præcidit, ipsum vero in nullo penitus vulnerare potuit. Quo miraculo pagani exterriti, ipsum ac socios ejus illæsos abire passi sunt, nec ulterius in aliquo eis molesti esse præsumpserunt.

CAPUT V.

Quomodo a Carolo imperatore Saxoniam missus sit.

Post hæc vero gloriosissimus Francorum rex Carolus, qui jam multoties in gente Saxonum elaboraverat quo ad fidem Christianæ religionis converterentur ; sed illi adversi semper cordibus, susceptam fidem sæpius deserentes, pristinis magis implicabantur erroribus ; audita fama viri Dei, ad se eum accersiri præcepit. Quem ad se venientem honorifice ac reverenter suscipiens, ejus confabulationi ac doctrinæ libenter animum attendebat, probatumque sanctis moribus ac fidei non fictæ constantia, misit in partes Saxoniæ ad pagum qui dicitur Wigmodia (*a*): quo inibi auctoritate regali et ecclesias instrueret, et populis doctrinam sanctæ prædicationis impenderet, atque viam salutis æternæ libere cunctis illic habitantibus nuntiaret. Quod ille ministerium devote susceptum officiosissime peregit : ac pertransiens cunctam in circuitu diœcesim, multos ad fidem Christi evangelizando convertit, ita ut in secundo anno tam Saxones, quam et Fresones in circuitu commorantes, omnes se pariter fieri promitterent Christianos. Hoc itaque factum est anno Incarnationis Domini 780 (*b*), regni vero memorati principis Caroli quartodecimo, qui tamen imperiali necdum fuerat apice sublimatus, quem postea per manus reverendissimi Leonis apostolici imperatorem Romæ consecratum, anno regni ejus tricesimo quarto, catholica Europæ consistens Christi venerata pariter et gratulabunda suscepit Ecclesia. Si quidem imperialis potestas, quæ post Constantinum piissimum Augustum apud Græcos in Constantinopolitana hactenus regnaverat sede, cum deficientibus jam inibi viris regalis prosapiæ, feminea magis directione res administraretur publica ; temporibus ipsius per electionem Romani populi, in maximo episcoporum aliorumque Dei servorum concilio, ad Francorum translatum est dominium : quoniam et ipse eamdem quæ caput imperii fuerat, et multas alias tunc in orbe videbatur tenere provincias, ob quod et jure Cæsarea dignus esset appellatione. Præfato itaque regni ejus tempore servus Dei Willehadus per Wigmodiam ecclesias cœpit construere, ac presbyteros super eas ordinare, qui libere populis salutis ac baptismatis conferrent gratiam.

CAPUT VI.

Quomodo Widikindi persecutionem fugerit, et quid socii ejus passi sint.

Verum sequenti anno, instigante diabolo totius boni invido, quidam exstitit perversioris consilii Widikindus, qui rebellare contra regem visus Carolum, multam secum Saxonum multitudinem aggregavit : qui etiam unanimiter eos qui in fide Christi stabiles videbantur persequi ac punire ; servos quoque Dei per loca quæque vagantes dispergere, atque a finibus suis effugare cœperunt. Qua persecutione commota servum Dei contigit, secundum mandatum Domini præcipientis : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x, 15) ; de Wigmodia transire in *Utriustri* [Corb., *Utristi*] ; ibique conscendens navim, mare circa Fresiam transfretavit : sicque, opitulante Christi gratia, persecutionem eorum evasit. Porro Saxones crudelitatem, quam circa magistrum nequiverant, in discipulos ipsius exardescente ira ferventius exercuerunt. Siquidem Folcardum presbyterum cum Emmingo comite in pago denominato Leri, Benjamin autem in Cibhriustri, Atrebanum vero clericum in Thiatmaresgao, Gerwalum quoque cum sociis suis in Brema, odio nominis Christiani gladio peremerunt. Et ipsis quidem ita ad regna cœlestia effusione proprii sanguinis feliciter evocatis, persecutionis tamen procella diutius postmodum rebellantibus desævit Saxonibus.

CAPUT VII.

Quomodo, durante persecutione, Romam profectus sit, et in Fresiam redierit.

Quo facto vir Dei cognoscens nullam sibi tunc temporis prædicandi opportunitatem inesse, arrepto itinere, Pippinum Langobardorum regem adiit, sicque prospero cursu Romam pervenit : ubi consistens, multis lacrymis et precibus ad sedem sacratissimam beati Petri apostolorum principis se cunctamque fidelium turmam sedulus ac devotus divinæ commendabat clementiæ ; illos præcipue, quorum cura maxime cordi erat, ne forsan suscepta in partibus Saxoniæ Christianitas machinatione diabolica tunc penitus annullaretur. Inde autem discedens, et consolatione venerabilis papæ Adriani non modice corroboratus servus Dei, gaudens repedabat in Franciam. Quo itinere contigit divinam in eo etiam operatam fuisse virtutem. Namque minister viri Dei, vocabulo Aldo, qui alimenta procurabat magistri, quamdam habebat patenam ligneam, quæ vulgo scutella vocatur, quam jugiter mundam ac nitidam ad mensam ipsius coram eo ponere solitus erat, quam præfatus minister quodam die casu fractam reperit. Tempore itaque refectionis cum eam vir Dei requi-

(*a*) Philippus putat esse tractum illum trans Visurgim Saxonicum, qui jam Verdensem et Bremensem episcopatus habet. Confer diploma Caroli Magni supra. (*Vide Patrologiæ tom XCVII.*)

(*b*) Anno 780 id refert Eginhardus, qui *omnium orientalium partium Saxones* ait Carolo Magno occurrisse *ad Obacrum fluvium, ubi maxima eorum multitudo in loco qui Horheim appellatur, solita simulatione baptizata* dicitur : non quod omnes, sed quod ex iis multi baptismum ficte susceperint. Exstat hujus argumenti epistola Adriani papæ ad Carolum Magnum ordine 80 in codice Carolino (*Vide ibid.*).

reret, minister negligentiam quæ contigerat nequaquam ei celare voluit; sed hanc fractam fuisse narravit, quam ille ad se qualis erat statim deferri præcepit. Sed minister ad locum ubi jacebat rediens, quam antea fractam reliquerat, ac si nihil unquam detrimenti habuerit, integram reperit Quam allatam coram ipso lætus ac hilaris posuit, qui antea tremebundus et pavens, iram justæ correptionis pertimuit. Quod ob gratiam sancti viri cœlitus factum non dubitatur : quamvis ipse elationem fugiens magis in abscondito quam publice id fieri cupiverit. Igitur ab itinere concepto reversus, transivit ad locum qui dicitur Asternacha (*a*) : ibique discipuli ejus, qui propter metum persecutionis passim dispersi fuerant, ad eum sunt denuo copulati. Quos ille benigna consolatione refocillans, ut pro fide Christi constanter in B omnibus se agerent, pie admonere studuit. Quique in eodem loco duobus fere annis demoratus, elegit solitariam inclausus ducere vitam : ubi etiam non mediocriter vivens, cum lectioni atque orationi operam daret, tum præcipue scriptioni interdum deditus erat. Namque scripsit ibi Epistolas beati Pauli in uno volumine, aliaque quamplurima, quæ a successoribus ipsius ob monimentum sanctæ recordationis ejus servata, hactenus manent inconvulsa. Multi quoque in eodem loco exemplis ejus et monitis ad meliorem sunt vitam correcti, et ad servitium Domini non ignaviter accensi.

CAPUT VIII.

Ordinatio sancti Willehadi in episcopum.

Post hæc autem iterum venerandus Domini sacer- C dos regem adiit Carolum, qui tunc forte in castello consederat Saxoniæ *Eresbur* (*b*), proponens voluntatis suæ devotissimam in præparatione Evangelii pacis affectionem, atque ipsius in hoc æquissimam requirens præceptionem. Qui pro consolatione laboris ac præsidio subsequentium ejus, dedit ei in beneficium quamdam cellam in Francia, quæ appellatur Justina : præcepitque ei ut iterum pro nomine Christi cœptam repeteret parochiam. Quod ille gratanter ac

A religiose suscipiens, rursus venit Wigmodiam, et fidem Domini publice ac strenue gentibus prædicabat. Ecclesias quoque destructas restauravit, probatasque personas qui populis monita salutis darent, singulis quibusque locis præesse disposuit. Sicque ipso anno, divino ordinante instinctu, gens Saxonum fidem Christianitatis quam amiserat, denuo recepit. Sed et totius mali auctor incentorque perfidiæ Widikindus eodem anno (*c*) regi se subdens Carolo, baptismi est gratiam consecutus, sicque ad tempus sedata sunt mala, quæ illius fuerant ingesta pernicie. Post hæc vero cum omnia pacifica viderentur, et sub leni jugo Christi Saxonum ferocia, licet coacta, jam mitescerent colla; memoratus præcellentissimus princeps in Wormatia positus civitate, servum Dei Willehadum consecrari fecit episcopum tertio Idus Julii (*d*), constituitque eum pastorem atque rectorem super Wigmodiam, et Laras, et Ruistri (*e*), et Asterga, necnon Nordendi ac Wanga : ut inibi auctoritate episcopali et præesset populis, et, uti cœperat, doctrina salutari operibusque eximiis speculator desuper intentus prodesse studeret. Sicque ipse primus in eadem diœcesi sedem obtinuit pontificalem. Quod tamen id tam diu prolongatum fuerat, quia gens credulitati divinæ resistens, cum presbyteros aliquoties secum manere vix compulsa sineret, episcopali auctoritate minime regi patiebatur. Hac itaque de causa septem annis prius in eadem presbyter est demonstratus parochia; vocatus tamen episcopus (*f*), et secundum quod poterat cuncta potestate præsidentis ordinans. Percepta vero consecratione pontificali, cœpit in omnibus etiam devotus se agere, et virtutum studia quæ prius exercuerat, multiplicius augmentando cumulare.

CAPUT IX.

Continentia ejus, et alia pia opera.

Namque a primævis temporibus magnæ vir iste fuit continentiæ, ac devote Domino omnipotenti ab ineunte servivit ætate. Vinum et siceram, ac omne unde inebriari potest, non bibit. Esca autem ejus

(*a*) Id est in monasterium Asternacense, recentioribus Epternacense. Adamus : « Ipse Willehadus cum Liudgero Romam venit, ubi sanctissimi papæ Adriani consolatione relevati, Liudgerus in montem Casinum recessit ad confessionem sancti Benedicti; Willehadus in Galliam ad sepulcrum sancti repedavit Willebrordi. Itaque biennio uterque reclusi, contemplativæ D vitæ operam dabant. » Legesis Acta sancti Willibrordi et sancti Liudgeri.

(*b*) *Eresburg*, Saxoniæ oppidum ad Wiseram fluvium, Carolo Magno frequentatum.

(*c*) Nimirum anno 785, testante Eginhardo, qui Witikendum in Attiniaco villa Campaniæ Rhemensis baptizatum fuisse tradit. Adamus regni Caroli annum 18 recte notat. Lege ea de re epistolam Adriani papæ ad Carolum Magnum in tomo III Hist. Franc., quæ est ordine 91 inter pontificias.

(*d*) Eumdem signat diem Carolus Magnus in diplomate superius adducto. Annum vero 787 statuere necesse est, tum quia Willehadus ordinatus est episcopus post annos septem, quam in Saxoniam directus est a Carolo, ex auctoris sententia infra, directus est autem ineunte anno 780, supra cap. 5, tum quia exacto prælaturæ biennio mortuus est anno 789. Certe hanc ordinationem Chronicon Moisacense reponit anno 787, his verbis : « Beatus Wiradus (legendum Wilhadus) ordinatus est episcopus in Idibus Julii super Wimoda, et super Kiusleri, et Asterga, et Cara, vel Sordedi, et Wangia : et ibi docuit verbum Dei, et baptizavit eos in primis. »

(*e*) Rustri, Frisiæ orientalis seu comitatus Embdeni populi, medio sinu Jada appellato dividuntur in partes duas, e quibus qui cis Jadam *Rustri* et Rustringi; qui trans Jadam *Buljadæ*, id est trans-Jadani, *Stadlandi*, *Stedingii* cognominantur. *Asterga* vero comitatui Embdano inclusa, *Ostringa* vulgo dicitur. Lege Ubbonis Emmii librum II Rerum Frisicarum.

(*f*) En Willehadus ante episcopalem consecrationem dictus est *episcopus*, nimirum ob episcopalia munia, prædicationem scilicet, baptismi collationem, presbyterorum variis in locis institutionem, et alia id genus. Hinc argumentum sume cur sancti complures, præcipue in Belgio, *episcopi* dicantur, qui tamen nusquam consecrati sunt episcopi.

erat panis et mel, olera et poma. Namque ab esu carnium, a lacte et piscibus temperabat: nisi quod memoratus apostolicus Adrianus ei jam in novissimo propter valitudines, quas in corpore tolerabat frequentes, quo piscem comederet præcepit: cujus auctoritati ipse obtemperans, paululum indulgentius in hac parte agere cœpit. Præterea nullus fere dies transiit, quo non sacra missarum solemnia cum magno fletu ac contritione cordis celebraret. Intentus erat jugiter lectioni atque meditationi sanctæ doctrinæ, psalmodiæ quoque pariter studiosissime invigilans, ita ut pene quotidie psalterium, aliquando etiam duo vel tria decantaret. His itaque et aliis bonorum operum exercitiis vir Dei suffultus, magnam populis in suimet ostentatione gratiam Domini prætendebat: sicque doctrina ejus duplici præfulgebat oraculo, dum quod prædicabat ore, confirmabat exemplo. Pertransivit itaque in circuitu suæ diœcesis vir iste beatus, confirmans populum Christianum qui olim baptizatus fuerat, et prædicationis verbo multorum ad viam salutis errantium corda compungens. Ædificavit quoque domum Dei miræ pulchritudinis in loco qui dicitur Brema, ubi et sedem esse constituit episcopalem, ac dedicavit eam Kalendis Novembris, die (a) Dominico, in honorem Domini nostri Jesu Christi, sub invocatione sancti Petri apostoli.

CAPUT X.

Quomodo in Plexem (b) ægrotaverit et mortuus sit, Bremæ autem sepultus.

Post hæc vero cum studio piæ intentionis cunctam in circuitu perlustraret parochiam, ac docens ea quæ Dei sunt plurimos in fide corroboraret, pervenit ad locum qui dicitur *Pleccateshem*, ibique consistens, gravi cœpit corporis febre vexari, et de die in diem languor crescebat fortissimus, ita ut cum eo positi discipuli illius de vita ejus ulteriore jam desperare cœpissent. Quorum unus, qui beato viro forte familiarius loqui solebat, nomine Egisriki [*Philippo*, Egisrik], accedens ad eum, quasi de obitu ejus trepidatione metuerent, ei lacrymabiliter ac quæstuose innotuit; intentans etiam plebis commissæ destitutionem admodum periculosam, quæ sub pastoris regimine tunc tandem divino cultui parere videbantur. Noli, inquit, venerande sacerdos, quos nuper Domino acquisisti, tam cito deserere; noli populum vel clerum tuo studio aggregatum tam mature relinquere, ne grex adhuc in fide tenellus luporum pateat morsibus devorandus; noli nos humiles clientulos tuæ sanctitatis defraudare præsentia, ne videamur, sicut oves non habentes pastorem, errabundi vagari. Cui beatus vir in hæc compunctus verba respondit: Noli, fili mi, me a Domini mei diutius avocare conspectu, noli mihi temporalis molestiam vitæ quæstuosis depromere vocibus: nec hic longius vivere appeto, nec mori pertimesco; tantum Deum meum, quem toto corde semper dilexi, cui tota intentione servivi, precari volo, ut mercedem bonæ remunerationis, qualem ipsi placuerit, mihi pro laboribus meis clemens ac propitius conferre dignetur. Oves autem quas mihi credidit, ipsi tuendas committo: quia et ipse, si quid boni facere potui, illius potius virtute peregi. Non deerit ejus clementia, cujus misericordia omnis plena est terra. Pia ergo devotione vir Domini cœlo semper intentus, et orationis suæ ad Deum jugiter vota præmittens, sexto Idus Novembris, die Dominico (c), post solis ortum, confessor Domini pretiosus in Christi requievit nomine. Cujus ad exsequias plebs undique devota accurrens, patrem ac doctorem beatissimum cum laudibus et hymnis ad sedem devehunt Bremensem: ibique eum in basilica nova (d) quam ipse ædificaverat, cum honore et reverentia condigna sepulturæ tradiderunt.

CAPUT XI.

Miracula circa eum post mortem ejus, tam in sua quam altera in quam translatus est basilica.

In quo loco multis et evidentibus persæpe demonstratum est signis quod isdem beatus vir vere Domini sit miles electus: quæ tamen incuria et negligentia prætermissa, non sunt alicubi descripta: licet non pauci exstiterunt qui se scisse faterentur divinam in eodem loco sæpius, apparuissse virtutem. Sed et in alteram postea translatus ipse basilicam (e) temporibus successoris ipsius bonæ memoriæ Willerici episcopi, cum inibi quamplura etiam per divinam dicatur operatus potentiam, non sunt ab aliquo recondita memoriæ, quæ multorum assertio veraci probat impleta miraculo. Non est tamen occultandum silentio, quod ad gloriam beati viri divinitus patefactum, hactenus in Bremensi conservatum manet ecclesia. Si quidem baculus hominis sancti, quem episcopali more ipse gestare consueverat, post obitum ejus fidelium devotione in quadam fuerat arca repositus. Contigit autem domum, in qua hæc eadem arca degebat, subitaneo flagrare incendio, et cum

(a) Anno proinde 789, qui littera Dominicali D præditus erat.

(b) In textu *Pleccateshem*. Adamo *in villa Pleccazzem quæ sita est in Rustris*. Surius edidit *Bleckensee*, nunc loco hæret nomen *Plexem*. Et est ibi in Visurgi infra Aremam et novum eorum portum *Fegesack* secura navium statio, inquit Philippus Cæsar.

(c) Anno eodem 789, post octo dies quam Bremensem ecclesiam dedicaverat, supra cap. 9. Confer caput 1 libri de Miraculis. Et tamen in ms. Choronico Saxonico ejus obitus reponitur anno 790.

(d) Corpus ejus, inquit Adamus, Bremam deportatum, in basilica S. Petri quam ipse ædificavit, sepultum est. In Chronico Saxonico eam ecclesiam VI Idus Novembris, die Dominico dedicasse memoratur.

(e) Huc spectant Adami hæc verba ex lib. I, cap. 19: « Villericus tres Bremæ erexit ecclesias, quarum primam, scilicet domum S. Petri, de ligno lapideam fecit, et corpus S. Villehadi exinde translatum, in orientali quod fecit oratorio recondidit. Narrantque posteri hoc factum pro timore piratarum, qui propter virtutem miraculorum confessoris nostri corpus auferre maluerunt. » Unwanus archiepiscopus capellam S. Willehadi combustam reparasse dicitur.

domo pariter etiam arca cum omnibus quæ intus recondita fuerant, penitus est consumpta. Sed baculum ipsum in nullo funditus ignis attingere potuit: verum in medio ignis ita est repertus incolumis, ut nec signum quidem ardoris in eo ullum apparuerit. Unde Deus omnipotens in sanctis suis vere est laudandus, qui in minimis etiam rebus meritum ipsorum suis declarat fidelibus. Aliud quoque contigit, quod æque beatum virum magni coram Domino fuisse meriti præmonstrat. Calicem quippe ejus, cum quo sacrificium Domino quotidie [*al.*, continue] offerre solebat, in quodam loco reconditum discipulorum ejus fidissima conservabat affectio. Ubi etiam cum ingestus ignis cuncta consumeret, ac si quid forte metalli fuerat opere fabricatum, calore A liquefactum deflueret; ipse cum esset argenteus, omnino integer est repertus. Et vere miranda in eo Domini potestas apparuit, ut qui vero igne divini amoris vivens accensus fuerat, in ejus reliquias post mortem ipsius terrenus ignis non valeret. Creatura enim Creatoris subjecta imperio, etiam vim naturæ perdit, cum jussum dominantis attendit: nec potest aliquid detrimenti quamvis natura dictante perficere, cum vis uniuscujusque naturæ in Creatoris pendeat omnipotentissima voluntate. Mansit autem in episcopatu beatus Willehadus electus Domini pontifex annis duobus, mensibus tribus, diebus (*a*) viginti sex, et peracto boni certaminis cursu feliciter migravit ad Dominum: cui est honor et gloria et potestas et imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Eumdem calculum præfert Adamus, hoc addito: « Prædicavitque tam Fresis quam Saxonibus post martyrium S. Bonifacii omnes annos triginta B quinque. Obiit autem senex et plenus dierum in Fresia, in villa Plecazze, quæ sita est in Rustris. »

INCIPIT DE MIRACULIS IPSIUS.

PRÆFATIO S. ANSGARII.

Dono omnipotentis Dei, qui gratuita pietatis suæ præordinatione quosque in Ecclesia sancta pastores constituit ac doctores, ANSGARIUS Bremensis Ecclesiæ præsul, universis per orbem concordi fraternitate degenti fidelium societati, pacem et beatitudinem in Christo orat sempiternam.

C Laudes Dei quas sanctorum ejus acta miranda testantur, non debere silentio præteriri, multoties jam exemplis Patrum addiscimus: qui plurima eorum quæ Domini pietas per servos suos in hoc exercuit sæculo, studiosius litteris commendavere, quæ non solum viventium religiosam portenderent sanctitatem, verum etiam perenni vita cum Christo regnantium immortalem præmonstrarent gloriam. Revera enim qui hinc translati, adhuc tamen miraculis et diversarum ope virtutum hic populis adesse cernuntur, magnam nobis suæ glorificationis dignitatem ostendunt, et quanti apud Deum sint meriti, luce clarius fidelium patefaciunt cordibus. Sed et magnum catholicæ in hoc fidei declaratur indicium, D dum quod invisibiliter divina peragit sublimitas, ac si oculis conspiciat, indubitanter cœlitus factum Christiana non diffidit credulitas; et sanctorum Acta deputat meritis, quæ in eis fiunt locis, ubi sacratissimæ eorum conditæ et habentur et venerantur reliquiæ. Quia licet solus omnipotens sit Deus Israel, qui dat virtutem et fortitudinem plebi suæ, tamen mirabilis ipse in sanctis suis prædicatur et colitur, quorum precibus fit ac meritis, ut prodigia et signa majestas operetur divina. Nec tamen solummodo ibi sancti prodesse cernuntur ubi temporaliter in cineribus suis ac reliquiis præsentes fore videntur: verum ubicunque fideliter invocati, per eum qui ubique præsens est, potentia et majestate Creatoris meritum ipsorum remunerantis, in omni loco dominationis ejus fidelibus suffragari creduntur. Quod multis jam et evidentibus sæpius patefactum constat remediis: quia plurimi, sive inter tempestates ac procellas fluctuum, seu inter alia quoque discrimina positi, ad invocationem cujuslibet sancti subito se divinitus senserunt adjutos. Unde si qua Dominus per sanctos suos miranda dignatus fuerit operari, jure ad notitiam plurimorum [*supple* deducuntur], ut posteris in memoria maneat spei, quod priores ob gratiam perceperunt fidei. Quapropter nostra quoque humilitas ea quæ in diebus nostris per potentiam divinæ operationis ad ostendenda merita beati pontificis et confessoris Willehadi patefacta claruerunt, litteris indagare censuit: ut quæ in antiquis olim venerata jure prædicavimus sanctis, nunc in temporibus nostris ab eo qui hujus nostræ, Bremensis videlicet Ecclesiæ, primus exstitit pontifex, innovata, toto cordis gaudentes adnisu suscipiamus pariter ac collaudemus miracula. Non enim immemor Deus adhuc populi sui deseruit quos redemit: verum inter innumera paganorum infestantium discrimina, omni pene solatio destitutis hanc supernæ visitationis voluit impendere gratiam, ut de divina multo certius præsumerent clementia, qui tantum tamque Deo acceptum patronum, in spiritu velut et in corpore, secum manare cognovissent: nec timerent licet vastatam denuo inhabitare patriam, in qua sibi adesse sanctissimi Patris non diffiderent merita Imo læti desertas repeterent sedes, quos licet hostilis incursio fecerit exsules, bonis exuberantes divina rursus reconciliaverit benignitas: nec desperent sibi præsidia sancti in omnibus adfutura, cujus

virtutem tam multiplicem in sanandis varie vexatorum senserent flagrare corporibus.

CAPUT PRIMUM.

Tempus miraculorum S. Willehadi.

Anno itaque Incarnationis Domini 860, regni vero domini nostri serenissimi principis Ludovici vicesimo octavo, indictione octava, in ecclesia Bremensi cœperunt divinitus agi miracula, et de die in diem semper multiplicius crescere, ita ut jam longe lateque per populos rumor increbresceret plurimus vere divinam in eodem loco apparuisse gloriam, et merita beati Willehadi in eadem basilica requiescentis honorabili virtutum flore pullulare. Quæ cum per multorum ora volutarentur, et tam in præsentia nostri, quam etiam absentibus nobis, publice multi ibidem sanitatis adipiscerentur commoda, decrevimus hæc eadem litteris comprehensa posterorum tradere memoriæ, quo una nobiscum Deum qui in sanctis suis operatur, omnis fidelium natio gavisa collaudet. Et sicut præsentes per singula quæ tunc forte miranda contigerint. in Domini laudibus tripudiando conclamant, ita etiam post futura religiosorum societas cœlestem in beato viro congratulans admiretur potentiam. Abhinc igitur miraculorum gesta ordiri incipientes, primo tempus quoque ipsum quo hæc agi cœperunt insinuamus, scilicet post Pentecosten, anno Nativitatis Domini supradicto, post transitum vero beati viri circiter annis evolutis septuaginta. Qui tamen prius et in multis Deo dignus apparuit : qaanquam hæc negligentia abolita, non fuerint celebri pervulgata sermone. Deinde et nomina eorum qui sunt curati, una cum valetudinis morbo; sed et loca quoque in quibus vel progeniti, vel conversati fuerant, partim prout res se habebat, interserendo texuimus : quo et veritas miraculorum multiplicius attestata commendetur, et singuli ex propinquis vel vicinis suis ejus subsidio medicatis, quantam beati viri persenserint gratiam, devotius recognoscant.

CAPUT II

De quatuor in aliis post mortem ejus factis miraculis.

Igitur femina quædam de *Osteveshusun*, Dida nomine, per septem annos cæcata, dum quodam sabbato dominam suam, peteret, quo ad Ecclesiam procederent, illaque responderet sibi tunc non licere, sed in crastinum mane die Dominico se simul ituras : illa statim mature diluculo surgens suam acceleravit præire dominam, atque ad ecclesiam, quadam deducente se anicula, gressu properare veloci. Quo cum pervenisset, ibique orationi dedita solo prostrata incumberet, subito divini muneris dono lumen recepit amissum. Cumque post eam veniens domina ipsius basilicæ penetraret intima, eamque ex ipsa loquela præsentem adesse cognosceret, repente ad illam accurrit gaudens et dicens : Mea domina desideratissima, gratias Deo omnipotenti et laudes refero, quia meritis beati Willehadi te oculis meis videre promerui. Quod factum illa admirata cunctis illi astantibus confestim enarravit, et quod vere illuminata fuerit, multorum testimonio approbante patefecit. Sicque hæc virtus in populo ad clarificationem Dei publice manifestata est.

Rursus de pago Emisga femina quædam, nomine Wimod, novem annis cæcitatem perpessa, cum quodam die vespertino tempore ad ecclesiam conveniret prædictam, ibique facta oratione post vesperas hospitium ubi erat mansura repeteret, subsequenti nocte ei quod ex amisso lumine salutis ibi esset remedium perceptura, in visu est denuntiatum. Cui rei ipsa ex voto utcunque credula ecclesiam statim adire studuit, ibique merita sancti toto invocans corde, divina adjuta gratia, luminis quod amiserat recepit officium. Quod etiam ad gloriam Dei multorum attestatione continuo patefactum claruit.

Post hæc autem die Nativitatis sancti Joannis Baptistæ in conventu populi maximo, septem languidi a diversis sunt infirmitatibus liberati. Quod quia per singula enarrare non necessarium duximus, duo tamen eorum quæ peracta sunt miraculorum singulatim perstrinximus, quo ex his etiam cætera valeant intellectu perpendi. Nempe una ex ipsis femina quædam fuit, ex villa in proximo sita *Luidwinenshusun*, nomine Simod, quæ tribus aut eo amplius mensibus oculorum privata lumine, ibidem nutu Dei gratiam pristinæ visionis recepit. Altero vero de villa ipsius loci, videlicet Brema, exstitit morbo contracta femina, quæ in infantia dum fortuito ignis adustione pede cremaretur, nulla subveniente medicina articuli sursum versi pene ex toto pedem ei subvertebant. Quæ multis annis eamdem perpessa molestiam. præfato die, cunctis astantibus, pedis et articulorum extensio sanitatem promeruit.

Porro ex Larris de villa Sluttra vocabulo, quædam femina fuit per multos annos incurvata, quæ non aliter ambulare nisi manibus reptando poterat, nec omnino sursum respicere : ad postremum quoque ita morbo perurgente debilitata fuerat, ut non, nisi portaretur, aliquo devenire potuisset Quæ etiam habebat filiam, quam ex ipsa infantia nativo lumine cæcitas obscuraverat. Hanc itaque, audita miraculorum virtute, simul cum filia propinqui vel vicini ad januam Bremensis detulerunt ecclesiæ. Quæ inibi posita, cum fide aliorum subvecta advenisset, miseratione divina et de filiæ illuminatione gaudere promeruit, et semetipsam gestans ac sursum erecta, propriis gressibus notas repedavit ad sedes.

CAPUT III

Alia quinque S. Willehadi miracula.

Item ex Laris de villa *Falathrop*, duæ feminæ, una contracta et altera orba, cum ad eumdem locum deductæ fuissent, divini muneris largitate incolumes ad propria sunt reversæ.

Ex pago quoque supra dicto de villa *Bokkanhusun*, quidam adolescens multo jam tempore paralyticus

ad eumdem locum deductus, divino nutu incolumitati pristinæ redditus- ad propria rediit sanus.

Cæterum de pago Ostarburge, ex villa nomine *Baldrikeswich*, quædam femina, vocabulo Adsuit, paralysi valde graviter et diu vexata, cum quadam die Dominica eo adducta fuisset, et multi in eadem die, septem videlicet vel octo, ex diversis curati fuissent languoribus, ac post missæ celebrationem hoc idem populo denuntiaretur, et pro exhibitis miraculis tam clerus quam et populus laudes Deo debitas modulatis decantaret vocibus; subito ipsa e medio populi surgens, ad gradus altaris, ubi alii ægroti sanati jacebant, cœpit accurrere. Quæ cum a circumstantibus ne in chorum clericorum canentium forte prosiliret, retineri conaretur, ipsa quod sibi præceptum fuerit, quo ante altare cum aliis sese collocaret, B menti alacri fatebatur. Visum namque ei fuerat quod sacerdos qui de aliorum sanitate populo annuntiaverat, ei quoque ut surgens cum cæteris ad altare procederet manu annuerit. Cujus requisita infirmitate ac sanitate patefacta, omnes ad laudandam omnipotentiæ divinæ majestatem, atque extollenda beatissimi viri merita, tanto instantius, quanto et iterata virtute optabilius, corde compuncti lacrymisque præ gaudio obortis denuo alacres personuerunt.

Denique ex Waldsatis quædam fuit femina de villa Willianstedi, nomine Ikkia, quæ septem annis visus fuerat cæcitatem perpessa : cui cum de præfato loco signa miraculorum jam fama vulgante ubique percrebrescerent, quædam vicina sua exhortans dixit : C Quare non et tu sanctum Dei exquirere conaris, ut tibi quoque lux oculorum patefacta clarescat? Illa autem se libentissime ita velle respondit : verum hoc tantum suo repugnare desiderio, quia non haberet ductorem. Cui illa denuo subjunxit : Ecce, si alium non habes, ego te quomodocunque potero illuc deducam. Cujus illa promissum, quia aliud sibi nesciebat refugium, gratantissime accepit. Erant autem ambæ pauperculæ. Arrepto itaque itinere ipsæ duæ tantummodo, Domini secum comitante gratia, ad præfatum tandem pervenerunt sanctuarium, ubi cum devote precibus insisterent, illa quæ cæca fuerat, subito illuminatur, et conversa ad sociam suam subridens atque congratulans dixit. O quam bene, quam bene mihi tuum contigit audisse consilium, ut D sanctum Dei perquirerem! ecce una tecum lumen cœli video. Hoc itaque factum statim publice prædicatum, magnam populis divinæ miserationis spem dedit : quoniam secundum Psalmistæ dictum, illi derelictus est pauper. Ideoque et ipse refugium est pauperum in tribulatione, pupillo quoque et orphano ipse promptus erit adjutor (*Psal.* IX, 34). Recepto itaque luminis visu ipsa jam non socia ducente, sed pariter comitante, ad suum sana rediit tugurium, Domini laudes semper cantando, et comparis suæ salutaria monita gratias jugiter referendo extollens.

De pago eodem quædam femina æque Ikka vocata fuerat, quæ per multa annorum curricula a cingulo A usque deorsum paralysi ita contracta extitit, ut de membris ipsis nihil penitus sentiret, nec quoquam ire nisi cum scabello sese trahendo posset, quæ ad sanctum perveniens locum, Domini miseratione viribus reparatis, suis se pedibus quo voluit ipsa subvexit.

CAPUT IV

Alia sex S. Willehadi miracula.

Quidam vero homo indigena, causa paupertatis circumeundo stipendia quærens, ad basilicam sancti dudum convenerat Alexandri : qui habebat filiastram secum circumeuntem cæcam, et ipse quoque duplici pœna multo tempore orbitantem sustinens, ubi cum morarentur, contigit meritis sancti prædictam filiastram ipsius unius oculi visionem percipere. Quo dono exhilarati, ulteriora progredientes, ad oratorium pervenerunt Bremense : ubi in oratione positi, beati Willehadi intercessione multiplici sunt fœnore ditati. Nam et ipse amborum visionem percepit oculorum, et filiastra ipsius alterius quoque illuminatione est gavisa. Quod cum fidelium qui adfuerant denuntiaretur testimonio, plebs omnis exsultando laudem Deo dedit.

Præterea ex pago *Nordwidu* quidam homo ad limina memorati martyris olim transierat Alexandri, qui mutus simul et surdus diutino labore ab infantia miserabili potiebatur vexatione, meritis præfati Martyris auditum percepit. Ultra vero tendens, et ad basilicam Bremensis Ecclesiæ perveniens, divinæ largitatis clementia loqui pariter et audire beato Willehado interpellante promeruit.

Item ex Laris de villa *Otishusun*, cujusdam Frideberni filia omnibus membris diutino fuerat contracta languore, quæ ad prædictam deducta basilicam, per dies septem gravissimam in corpore molestiam pertulit, ita ut jam pene ex animis præ doloris crederetur magnitudine. Sed tandem, divina annuente clementia levius agi cœpit; et ad pristinum reparata officium, meritis sancti incolumitatem recepit, quæ paternam revisens domum, omnibus sana membris, parentibus ac vicinis festivum plane exhibuit gaudium.

De Steornigis quoque ex villa *Grandikebard* [*al.*, Gandrikesard], quædam femina, Herimod nomine, duobus annis surda exstiterat : quæ ad prædictum deveniens locum, intercessione sancti audiendo redire meruit.

Item de Laris de villa *Falathorpe*, duæ illuc advenerunt feminæ, una incurvata, nomine Hataburg, et altera orba, nomine Maeswid, quæ divinum ibi flagitantes præsidium, ambæ cum sanitatis gaudio proprias sedes lætabundæ repetierunt.

Porro de *Wege* villa publica, quædam puella multo tempore omnibus infirmata membris nihil omnino virium in proprio retinebat corpore. Ad confessionem itaque deducta sancti, divina largitatis munificencia et virium possibilitatem, et totius corporis recepit sanitatem.

CAPUT V.

Alia septem Willehadi miracula.

Cæterum de Sturmi ex villa Ekina, quædam femina, vocabulo Gerswid, cæcitatem multo tempore passa, in eodem loco posita, lumine est privato donata.

Similiter quoque de *Stenthorpe* pagi [*f.*, pago] quædam femina diutius cæca, dum orationi decumberet, auxiliante beato viro luminis est curata remedio.

Denique ex Fresia, de villa Vestanko, quidam cæcus vir Meinradus eo adveniens, superna illustratus gratia, luminis recepit officium.

De Leris ex villa *Hahthoreimund* nomine, novem annis cæcata, sanctissimi viri precibus longe optatam ibi recipere visionis promeruit gratiam.

Ex Wigmodis autem, de villa *Midlistanfadarwrd*, quidam homo, manu multis admodum contractus annis, ibidem Domino tribuente incolumis est redditus.

Item de Wigmodis ex villa *Westristanbeveriaisæti*, femina, Thiadgardis nomine, diu cæca, ibidem est illuminata.

De Sturmi vero, ex villa *Ekgnon* [*al.*, Ekynon], Akko quidam vocabulo, jam quodam in brachio vulneratus fuerat : cui cum nulla subveniret medicina, armum ad omnia opera multis annis inermem habuit. Qui illo veniens, et dierum suorum otiosam consumptionem deplorans, auxiliumque beati viri expostulans ; superna donante gratia, cum diu dolore brachii torqueretur, tandem sanatus porrectam extendit dexteram. Pro cujus incolumitate cum omnes Deo gratias retulisset, ille domum reversus fiducia suæ jam sanitatis admonitus et de Dei misericordia certissime confisus, uxorem suam quæ multo jam tempore in cæcitate permanserat, secum ipse ad eamdem reduxit ecclesiam. Ubi cum pro concesso remedio vir fide corroboratus, mulieri beneficium, et mulier quoque viri sui doctrinis admonita Dominum sibi inhianter posceret adesse propitium, cœlitus inspirato lumine, subito mulier clare cœpit cuncta videre: quod statim in populo declaratum magna fidei tribuit incitamenta, et cunctorum animos ad credulitatem divinæ confirmavit potentiæ. Cumque pro eorum salute clerus ac populus personaret, ipsi ad propria gaudentes reversi, tanto alacrius atque studiosius labori cœperunt insistere, quanto se meminerunt otiose vacantes dies multos antea perdidisse.

CAPUT VI

Alia quinque S. Willehadi miracula.

De Laris quoque concepta jam dudum divina creverunt miracula. Nam quidam Bhoudwig, ex villa *Stenbike*, tribus annis mutus, cum inibi positus auxilium beati viri imploraret tacitus, divina miserante gratia, aperto ore subito Domini cœpit enarrare magnalia.

Item de villa *Restereflet* [*al.*, Rehrereflet], quædam femina multis fuerat annis morbo ita contracta, ut A nec in lecto se in alteram partem absque adjutorio posset movere, nec ullius membri aliqua prorsus commoditate potiretur. Quam cum amici fide excitati ad confessionem deveherent sancti, ibique in medio posita grabato, ac si feretro tanquam præmortua decubaret, subito sana prosiluit e lecto, et prorumpens in medium laudes concinebat Domino. Nec jam curans grabati præsidia, in pace dimissa, viam qua advecta fuerat, propriis gressibus ambulabat intrepida.

Porro de villa *Bouchem* ex pago Lohingaho, quædam femina Iliberin [*al.*, Siberin] vocata, cum infirmitate cogente omnibus esset membris invalida, ita ut nihil ei virium in proprio esset corpore, beati viri meritis ibidem sanitatem adepta est integerrimam.

B Rursus de Laris ex villa *Eggrikeshusun*, quædam femina ab infantia ita exstiterat manca, ut nulli unquam usui aptari altera fuerit manus, quæ cum in sancto posita loco auxilium divinæ miserationis corde posceret intimo, subito sana manibus plaudens utrisque, jubilationem Deo in voce reddebat exsultationis.

Sed et de Liastmona quædam fuerat ancilla venerandi comitis Hirimanni, quam ipse causa operis textrini in domo sua Hethas cum aliis ancillis esse præceperat. Quæ cum ibidem posita dominico inesset servitio, occulto quidem, sed recto Dei judicio alias sana, loquelæ tantum est amissione damnata. Qua cum diutius molestia premeretur, nec aliquid prorsus loquendo resonare valeret, prædictus comes C miseratione Domini compunctus, libertatem ei pro animæ suæ tribuit remedio : sicque inde dimissam ad propria redire permisit liberam. Deducta igitur a comitibus, ad Bremam pervenit, statimque ecclesiam adire devota (ut creditur) intentione curavit. Namque rerum effectu claruit quid ipsa fideli mente tractaverit. Properans quippe ad fores ecclesiæ, statim misericordiam Domini sibi obviam sensit. Nam in ipso introitu basilicæ, eum ingrederetur fores atrii, impedimento linguæ repente resoluto, altius exclamare ac laudes Deo canere cœpit Cujus cum causam coram positi requirerent, quæ gesta fuerant plane ac dilucide enarravit. Sicque hæc virtus aliorum etiam testimonio in populo declarata, beati viri merita cumulavit eximia. Quæ D inde ad paternam se transferens domum, cum ipsa hilaris iret ac læta, sanitate simul ac libertate donata, parentes quoque ac propinquos ex suo fecit adventu ac prosperitate gaudere.

CAPUT VII

Alia septem S. Willehadi miracula.

Item de Bremis puella quædam nomine Wige, diu muta, et omnibus quoque membris contracta, ita ut non aliquo nisi ab aliis delata sese transferre posset, in eodem loco meritis beati viri, et loquelæ usum, et membrorum omnium recepit officium.

etiam de *Upriustri* quædam femina ex

dextra parte a tempore nativitatis manca, nomine Tethileis, Domino auxiliante, ibidem est sanata.

De Wigmodis autem, ex villa *Medemahem*, femina quædam, Ida vocabulo, novem annis cæcitatem passa, ibidem Domini gratia oculorum donata est lucidua claritate.

Cæterum de *Riustri* ex villa *Smalonflet*, quædam femina, Dissith nominata, per undecim menses uno oculo cæcata, ille adveniens, beati viri meritis amborum se gavisa est potitam lumine.

Femina quædam ex villa *Thadingen*, Egilmate vocata fuerat, quæ longo tempore morbo paralytico horrendum in modum afflicta, tandem miseratione divina ad sanctum perveniens locum, ibidemque instanter Deum deprecans, paralysi iiberata, reparatis viribus Deo gratias egit, et cum gaudio domum rediit (*b*).

Similiter quoque ex loco *Citirothe* nuncupato, femina quædam luminis officio diu destituta, cum primum ad eumdem locum pervenit, ibique orationi dedita, solo prostrata incubuit, subito divini muneris dono lumen recepit amissum.

Rursus de Liastmona, nomine Rotgardis femina qædam clauda, cum illic auxilium beati viri serio imploraret, divina miserante gratia sanata, propriis gressibus cum summa animi voluptate ambulabat intrepida (*a*).

A

CAPUT VIII

Conclusio miraculorum S. Willehadi.

Fuerunt præterea multi causa recuperandæ salutis ad eumdem locum properantes, meritis beatissimi pontificis in via sanati, quorum aliorum relationi innotuit sanitas, quia nequaquam ipsi, uti cœperant, locum sanctum expetere curaverunt : verum magis sanitate donati, ex itinere redeuntes ad propria festini cum gaudio sunt reversi, Dominum et beatum Willehadum magnificis laudibus prædicantes.

Verum nos, ne prolixior narratio onerosa fiat legentibus, hæc et alia multa intermisimus, quæ tamen plurimorum ore vulgata in populis habentur. Corpus autem ipsius sancti, quod jam tunc a loco requietionis suæ in alteram translatum fuerat basi- B licam, nos cum maxima fidelium turma ac cleri innumerabilis conventu exinde sublatum feretroque impositum, magis populorum vocibus in laudem Dei ac beati viri concrepantibus, die depositionis illius in nova quam tunc dedicavimus, collocavimus basilica : ubi honorifice compositum, magnifice postmodum atque innumeris claruit virtutum indiciis, et de die in diem meritis beati viri multiplicia inibi crescunt miraculorum signa. Agitur autem dies depositionis ejus simul et translationis corporis VI Idus Novembris, ad laudem et gloriam nominis Domini Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto unus et verus Deus vivit et dominatur per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Variant editi in verbis.

C (*b*) Hic desinit codex Corbeiensis.

ANSCHARII EPISTOLA

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Ansgarius, gratia Dei archiepiscopus, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ præsulibus in regno duntaxat Ludovici regis commanentibus.

Nosse vos cupio, quia in hoc libello continentur qualiter Ebo Rhemensis archiepiscopus, divino afflatus Spiritu, temporibus domini Ludovici imperatoris, cum consensu ipsius ac pene totius regni ejus synodi congregatæ, Romam adiit, ibique a venerabili papa Paschali publicam evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit: et qualiter postea Ludovicus imperator hoc opus sublimavit, seque in omnibus largum præbuit et benivolum ; et cætera quæ huic legationi contigerunt. Quapropter suppliciter deprecor ut apud Deum intercedatis, quatenus hæc legatio crescere et fructificare mereatur in Domino. Jam enim Christo propitio et apud Danos et apud Suecones Christi fundata est Ecclesia, et sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Precor etiam ut has litteras in bibliotheca vestra ad perpetuam memoriam reponi faciatis; et prout locus dictaverit, tam vos quam successores vestri, ubi utilitatem perspexeritis, notum omnibus istud facia- D tis. Omnipotens Deus faciat vos omnes hujus operis pia benevolentia participes, et in cœlesti gloria Christi cohæredes.

APPENDIX

LUDOVICI PII PRÆCEPTUM

De missione S. Anscharii ejusque ordinatione.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina propitiante clementia, imperator Augustus.

Si specialibus cujusque fidelium nostrorum necessitatibus perspectis, subveniendum esse imperialis auctoritas monstrat, quanto magis ad debitam generalitatis providentiam æquum dignumque pertinet, ut et Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ, quam Christus suo pretioso sanguine redemit, eamque nobis tuendam regendamque commisit, piam ac sollicitam in cunctis oporteat gerere curam; et ut in ejus provectu vel exaltatione congruam adhibeamus diligentiam, novis ad ejus necessitatem utilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus, nova, imo necessaria et utilia provideamus constituta. Idcirco sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, præsentibus scilicet et futuris, certum esse volumus qualiter, divina ordinante gratia nostris in diebus. Aquilonalibus in partibus, in gente videlicet Danorum sive Sueonum, magnum cœlestis gratia prædicationis sive acquisitionis patefecit ostium: ita ut multitudo hinc inde ad fidem Christi conversa mysteria cœlestia ecclesiasticaque subsidia desiderabiliter expeteret. Unde Domino Deo nostro laudes immensas persolventes extollimus, qui nostris temporibus et studiis sanctam Ecclesiam, sponsam videlicet suam, locis in ignotis sinit dilatari atque proficere. Quamobrem una cum sacerdotibus cæterisque imperii nostri fidelibus, hanc Deo dignam cernentes causam valde necessariam atque futuræ Ecclesiæ dignitati proficuam, dignum duximus ut locum aptum nostris in finibus evidentius eligeremus, ubi sedem episcopalem per hoc nostræ auctoritatis præceptum statueremus: unde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum facilius uberiusque capere valerent, et sitientes salutis gratia præ manibus vel oculis haberent incessanter, insuper et magnorum progenitorum sacra lucrandi studia nostris in diebus nunquam deficerent. Genitor etenim noster gloriosæ memoriæ Carolus omnem Saxoniam ecclesiasticæ religioni subdidit, jugumque Christi adusque ad terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit. Ubi inter has utrasque gentes, Danorum videlicet sive Wandalorum, ultimam Saxoniæ partem sitam, et diversis periculis, temporalibus videlicet et spiritualibus, interjacentem prospiciens, pontificalem ibidem sedem fieri decrevit trans Albiam. Unde postquam terra Nordalbingorum laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipsis Christianitatis initiis patratam per septennium passi sunt, ne locus ille a barbaris invaderetur, Ecberto comiti restituere præceperat, non jam vicinis episcopis locum illum committere voluit. Sed ne quisquam eorum hanc sibi deinceps parochiam vindicaret, ex remotis Galliæ partibus quemdam episcopum, Amalarium nomine, direxit, qui primitivam ecclesiam ibidem consecraret. Sed et eidem ecclesiæ sacras reliquias ac plura ecclesiastica munera pia largitate specialiter destinare curavit. Postmodum vero captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eamdem parochiam cuidam presbytero, Lcridac nomine, specialiter commendavit, quem universæ Nordalbingorum Ecclesiæ, videlicet ne ad ritum relaberentur gentium, vel quia locus ille lucrandis adhuc gentibus videbatur aptissimus, disposuerat consecrari episcopum, ut ipsa occasione vel auctoritate summa in ipsis terminis gentium, sedulitate prædicandi sancta multiplicaretur Ecclesia, dum vicinorum ipsius novitatis episcoporum multa latitudinis cura non sufficiebat, discurrere per omnia. Delegavit etiam eidem presbytero quamdam cellam, Hrodnace vocatam, quatenus eidem loco periculis undique circumdato fieret supplementum. Sed quia consecrationem jam dicti viri velox ex hac luce transitus pii genitoris nostri in diebus ejus fieri prohibuit: ego autem, quem divina clementia in sedem regni ejus asciverat, cum in multis regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædicti patris mei studium regni in finibus peractum minus caute attenderem, suadentibus quibusdam jam dictam cellam ad Indam monasterium contuli, vicinam vero parochiam vicinis episcopis interim commendavi. Nunc autem tam propter supra scripta ecclesiastica lucra in gentibus demonstrata, quam et propter votum pii genitoris nostri, ne quid ejus studii imperfectum remaneat, statuimus una cum consensu ecclesiastico, præfata ultima in regione Saxonica trans Albiam in loco nuncupato Hammaburg cum universa Nordalbingorum provincia Ecclesiæ proprii vigoris constituere sedem. Cui et primum præesse atque solemniter consecrari per manus Drogonis Metensis et summæ sanctæ palatinæ dignitatis præsulis, Angarium fecimus archiepiscopum, astantibus archiepiscopis Ebone Rhemensi, Hetti Treverensi, et Otgario Mogontiacensi, cum plurimis aliis generali in conventu totius imperii nostri præsulibus congregatis, assistentibus quoque specialiter et consentientibus atque consecrantibus Helingaudo sive Willerico episcopis, a quibus jam dictæ parochiæ partes a nobis sibi olim commendatas recepimus. Cui, videlicet Augario, quia præfatis in gentibus hæc nostris in diebus dignissima in convocatione gentilium vel redemptione captivorum monstrata sunt lucra, tam nostra quam sanctæ Romanæ Ecclesiæ sedis auctoritate hanc Deo dignam in gentibus commisimus legationem, ac proprii vigoris ascribere decrevimus dignitatem. Et ut hæc nova constructio periculosis in locis cœpta subsistere valeret, nec prævalente barbarorum sævitia deperiret, quamdam cellam *Turholt* nuncupatam tam huic novæ constructioni perenniter servituram, quam suæ successorumque suorum in gentibus legationi ad nostram nostræque sobolis perpetuam mercedem divinæ obtulimus majestati. Homines quoque qui ejusdem cellæ beneficia habere videntur ab omni expeditione vel militia sive qualibet occupatione absolvimus ut idem venerabilis episcopus ad hanc Deo dignam peragendam in provisis temporibus legationem nullum in hoc patiatur impedimentum: dona vero quæ ex eadem cella nostris partibus dare solebant, et nobis quoque successoribusque nostris similiter dari volumus. His exceptis majus minusve in convocatione paganorum, vel redemptione captivorum, sive ejusdem sedis supplemento multimodis periculis circumdato, vel ibidem Deo militantium solatio, ob amorem Dei ac beati Sixti confessoris ejus perpetuo delegamus. Res quoque præfatæ sedis et præscripti

monasterii sub plenissima defensione et immunitatis tuitione volumus ut consistant ac tueantur: ita ut nullus judex publicus, aut alia quælibet potestate publica prædita persona, de eorum rebus freda, tributa, mansionaticos, vel qaratas, aut teloneum, vel fidejussores tollere, aut homines ipsorum tam litos quam et ingenuos, super terram eorum manentes distringere; nec ullas publicas functiones, aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere vel exigere præsumat. Sed liceat prædicto venerabili episcopo suisque successoribus, ac omni clero sub eorum regimine A constituto, quiete in Dei servitio degere, et pro nobis proleque nostra, atque statu totius imperii nostri, divinam misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signare jussimus.

Data Idus Maii, anno Christo propitio XXI imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione XII. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

EXEMPLAR

DECRETI VENERANDÆ MEMORIÆ GREGORII PAPÆ IV DE EADEM RE.

GRESORIUS episcopus, servus servorum Dei.

Omnium fidelium dignoscentiæ certum esse volumus qualiter beatæ memoriæ præcellentissimus rex Carolus tempore prædecessorum nostrorum, divino afflatus Spiritu, gentem Saxonum sacro cultu subdidit, jugumque Christi, quod suave ac leve est, adusque terminos Danorum sive Slavorum corda feroci ferro perdomans docuit, ultimamque regni ipsius partem trans Albiam inter mortifera paganorum pericula constitutam, videlicet ne ad ritum relaberetur gentilium, vel etiam quia lucrandis adhuc gentibus aptissima videbatur, proprio episcopali vigore subdere decreverat. Sed quia affectum mors prohibuerat, succedente ejus præcellentissimo filio Ludowico, imperatore Augusto, pium studium sacri genitoris sui efficaciter implevit. Quæ ratio nobis per venerabiles Ratoldum sive Bernodum episcopos, necnon et Geroldum comitem vel missum venerabilem, relata est confirmanda. Nos igitur omnem ibi Deo dignam statutam providentiam cognoscentes, instructi etiam præsentia fratris filiique nostri Ansgarii, primi Nordalbingorum episcopi, per manus Drogonis Metensis episcopi consecrati, sanctum studium magnorum imperatorum tam præsenti auctoritate, quam etiam pallii datione more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus: quatenus tanta auctoritate fundatus prædictus filius noster ejusque successores lucrandis plebibus insistentes adversus tentationes diaboli validiores existant. Ipsumque filium nostrum, jam dictum Ansgarium, legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum sive Danorum, necnon etiam Slavorum, vel in cæteris ubicunque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit, una cum Ebone Rhemensi archiepiscopo, statuentes ante corpus et Confessionem sancti Petri, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem: ipsamque sedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam, in honore Salvatoris sanctæque ejus et intemeratæ genitricis semper virginis Mariæ consecratam, archiepiscopalem deinceps esse decernimus. Consecrationem vero succedentium sacerdotum, donec consecrantium numerus augeatur ex gentibus, sacræ pa- B latinæ providentiæ interim committimus. Strenui vero prædicatoris personæ, tantoque officio aptæ, eligatur semper successio. Omnia vero a venerabili principe ad hoc Deo dignum officium deputata, patria etiam pia ejus vota auctoritate firmamus: omnemque resistentem vel contradicentem anathematis mucrone percutimus, atque perpetua ultione reum diabolica sorte damnamus; ut culmen apostolicum more prædecessorum nostrorum, causamque Dei pio affectu zelantes, ab adversis hinc inde partibus tutius muniamus. Et quia te, charissime fili Ansgari, divina clementia nova in sede primum disposuit esse archiepiscopum, nos quoque pallium tibi ad missarum solemnia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis, uti et ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus privilegiis, uti largimur. Idcirco hujus indumenti honor morum a te vivacitate servandus est. Si ergo pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, C aut ferinis lanianda morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore quantaque cura debeamus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur, attendamus; et ne susceptum officium in terrenis negotiis aliquatenus implicare debeas, admonemus. Vita itaque tua filiis tuis sit via: in ipsa, si qua fortitudo illis inest, dirigant; in ea, quod imitentur, aspiciant: in ipsa, se semper considerando, proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bonum, quod vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; districtum mali cognoscant, pium benivoli sentiant. Insontem apud te culpabilem malitia aliena non faciat; reum gratia non excuset. Viduis ac pupillis injuste oppressis defensio tua subveniat. Ecce, frater charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii; quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem vestram diu conservare dgnetur incolumem, atque post hujus sæculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

HAYMONIS OPERUM PARS SECUNDA. — HOMILIÆ.

HOMILIÆ DE TEMPORE.

HOMILLÆ DE SANCTIS.

HOMILLÆ IN ALIQUOT EPISTOLAS PAULI.

HAYMONIS OPERUM TERTIA PARS. — MISCELLANEA.

DE VARIETATE LIBRORUM.

S. ANSCHARIUS HAMBURGENSIS. EPISCOPUS.

VITA SANCTI ANSCHARII.

VITA SANCTI WILLEHADI, EPISCOPI BREMENSIS PRIMI.

INCIPIT DE MIRACULUS IPSIUS.

APPENDIX.

FINIS TOMI CENTESIMI OCTAVI DECIMI.

Sancti Amandi. — Ex typis DESTENAY.